Es del Collegio de S.ta Cath.a Univ.d de Osma.

# ILLUSTRISSIMI
## D. D. D.
## DIDACI CASTELL,
# ABBATIS
## COMPLUTI REGALIS.
# TRACTATUS
## DE ARBITRIO
### HUMANO LAPSO
# A
## NECESSITATE
## LIBERO.

ILLUSTRISSIMI

D. D. D.

DIDACI CASTELL.

ABBATIS

COMPLUTREGALIS.

# TRACTATUS

DE ARBITRIO

HUMANO LAPSO

A

NECESSITATE

LIBERO.

# TRACTATUS
## DE ARBITRIO HUMANO LAPSO A NECESSITATE LIBERO A DEO,

PER GRATIAM PRÆVENIENTEM, AD consensum salutarem excitato, & adiuto.

*AVCTORE.*

*ILLVSTRISSIMO D. D. D. DIDACO CASTELL Ros & Medrano, quondam in Academia Complutensi, Colega Theologo, Magistralis Ecclesiæ Canonico, Thesaurario, & Scholastico: post alias quatuor Cathedras, Primariæ Sancti Thomæ Moderatore, Supremi Fidei Senatus Qualificatore, nunc Abbate Regalis Compluti, & totius propriæ Diocœsis, à Consilijs Catholicæ Maiestatis, &c.*

## SECUNDA EDITIO

AB AUCTORE RECOGNITA, MENDIS EXPURgata, & quam plurimum aucta.


## COMPLUTI REGALIS,

IN EDIBUS ABBATIALIBUS EXCUDEBAT D. Franciscus de Ochoa, Typographus Sanctæ Inquisitionis Granatensis.

ANNO M.DCC.VII.

# TRACTATUS
## DE ARBITRIO
## HUMANO LAPSO
## A NECESSITATE LIBERO
## A DEO,

PER GRATIAM PRÆVENIENTEM, AD consensum salutarem excitato, & adiuto.

AVCTORE.

ILLVSTRISSIMO D. D. D. DIDACO CASTELL Ros & Medrano, quondam in Academia Complutensi, Colega Theologo, Magistralis Lectoris Canonico, & Thesaurario, & Scholastico: post alias [illegible] Cathedras, Primariæ Sanctæ Thomæ [illegible], Supremi Fidei Senatus Qualificatore, nunc Abbate Regalis Compluti, & totius propriæ Diœcesis Consilii Catholicæ [illegible].

## SECUNDA EDITIO

AB AUCTORE RECOGNITA, MENDIS EXPURgata, & quam plurimum aucta.

## COMPLUTI REGALIS,

IN EDIBUS ABBATIALIBUS EXCUDEBAT D. Franciscus de Ochoa, Typographus Sanctæ Inquisitionis Granatensis.

ANNO M.DCC.VII.

# AVGVSTINO HIPPONENSI EPISCOPO,

(1) SAPIENTISSIMO, ATQVE CLARISSIMO ECCLESIARVM CHRISTI Magiſtro; præcipuo Catholicæ Fidei Propugnatori, Doctrinæ admirabilis; (2) Linguæ Eccleſiæ; (3) Columnæ, & firmamento Veritatis; (4) Abyſſo Sapientiæ, Imagini Divinitatis, Doctorum Doctori; (5) Diſertiſsimo, (6) Mirifico, (7) Eximio, (8) Egregio, (9) Catholico, Orthodoxo, (10) Excellentiſsimæ Auctoritatis; (11) Probitatis Iuſtitiæ Documento; (12) Gemmæ Doctorum, Patri Theologorum; (13) Quem Divina Eruditione mirabilem omnes Orthodoxi in toto terrarum Orbe venerantur.

(14) VT tibi opus qualecunque litarem (PRÆSVLVM DOCTORVMQVE OMNIVM IVBAR, ET DOCTOR AVGVSTINE) diù multumque ſcribere reniſus ſum, non velut à te alienus, & pertinaciter durus; ſed propriè impoſsibilitatis admonitus. Videbatur etenim mihi, & iure forſitan videbatur, quod etiam ipſe præſumptionem meam potuiſſes improvidæ temeritatis arguere, ſi tantam rem, quę vtique eſſet operosè tractanda, facilè ac ſine vlla deliberatione ſuſciperem, cum me oporteret priùs ipſius rei pondus, vnde dicendum foret, expendere: & ſic adiuvante Domino, ſi vires facultas explorata promitteret, ad hoc onus arripiendum accedere. Acceſsi tandem, quod vires meas multò ampliùs adiuvaret tua opitulantis oratio, quàm gravaret ipſius materiæ magnitudo. (15) Collaborandum igitur tibi mecum fuit, vt qui ſapientiam præſtat parvulis, & linguas mutorum facit diſertas: de cordis mei ariditate iuberet profluere, quod ſitis multorum dignè poſſet haurire. (16) Excubanti modò pro vniverſis membris Corporis Chriſti vigilantiſsimæ induſtriæ tuæ, & adverſus Hæreticarum Doctrinarum inſidias, veritatis Luce pugnanti, nihil tibi diſplicendum putavi, iſtud qualequale opus ſacrare, maximè quod ad multorum doctrinam, ac perinde ad pietatem tuam pertinet; & potiùs reũ futurum eſſe me crederem, ſi ea, quæ ex te, fidei, & ſapientię

¶ ſunt

1 *S. Facundus Epiſc. Hermianẽſis, lib. 1. pagin. 17.*

2 *S. Petrus Damia. Cardinal. ſerm. 61.*

3 *Rup. Abbas, lib. 7. cap. 19.*

4 *S. Poſsidius Epiſc. Calamenſis, Epiſtol. ad Macedonium.*

5 *Ionas Archiep. Aurelian. lib. de Cultu Imag.*

6 *Hincmarus Archiepiſc. Remenſis, lib. de Præd. c. 1.*

7 *S. Prudẽt. Epiſc. epiſt. ad Hincmarum.*

8 *S. Bonav. 1. ſent. diſt. 46. q. 1. art. 1.*

9 *Caſsiodor. in Prolog. ſuper Pſal.*

10 *S. Proſp. Archiepiſ. in*

ſunt ad ſpecialem fidei Patronum non deferrem.(17) Quæ modò materia ſtylo dabitur? Et vnde loquendi tecum cauſa ſumetur?Si laudes tuas ſcribere aggrediar,& Maiorum ſeriem,quę per te multùm illuſtratur evolvam : oneroſum me fortè, & imprudentem videri poſſe arbitror;non tamen humanę tibi gloriæ tentationem ingeram, nec tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par eſſe pręſumã.(18) O verè Sal terræ,quo pręcordia noſtra ne poſsint ſæculi vaneſcere errore condiũtur! O Lucerna dignè ſupra Candelabrum Eccleſiæ poſita ! Quę latè Catholicis vrbibus de ſeptiformis Lychno paſtum,oleo lętitiæ lumen effundens,denſas licèt Hęreticorum caligines diſcutis,& Lumen veritatis à confuſione tenebrarum ſplendore clarifici ſermonis enubilas (19)Cõtra flantes ventos ardore fidei perſtiti i.(20) Macte virtute in orbe celebraris , Catholici te Conditorem antiquę rursùm fidei venerantur,atque ſuſpiciunt: & quod ſignum maioris gloriæ eſt , omnes Hæretici deteſtantur.(21) Habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem.(22) Vides quanto te admirer ſtupore? Quàm magno amore complectar?Quod quotidiè colloquio Literarum tuarum fruor,& oris tui ſpiritu veſcor; os enim tuum fiſtulam aquæ vivæ,& venam fontis æterni meritò dixerim,cuius deſiderio ſitivit in te anima mea, & vbertate tui fluminis terra mea inebriari concupivit.(23) Tanta & talis eſt ſcientia,& eruditio tua,vt & greſſus tuus,& motus, & vniverſa vocalia ſint ; veritatem, & virtutem mente concipias,& toto eas habitu reſones & ornatu, vt quidquid legis,quidquid loqueris ſit Doctrina populorum.(24) Literas tuas perplacet ita ſervare vt oculos meos. Illę mihi Chriſtum,illæ mihi Platonem , illę Plotinum ſonabunt. Erunt igitur mihi,& ad audiendum propter eloquentiam dulces,& ad legendum propter brevitatem faciles,& ad intelligendum propter ſapientiam ſalubres. (25) Mihi autem decretum eſt te amare,te ſuſpicere, colere,mirari , tuaque dicta quaſi mea defendere.(26)Beatus ſum,& relucentis putę virtutis tuæ lumine admodum illuſtratus, qui dignum me Divini tui affaminis honore cumulandum eſſe duxiſti. Adhuc audierim,legerim,viderim neminem,aut certè poſt vnum, nullũ. (27) Miro modo afficior ſapientia tua, in illis quæ edidiſti ; nam & illa tantum habent acuminis,ſcientię,ſanctitatis vt nihil ſupra ſit.(28) Omnia quæ à te dicuntur , quia vera miranda ſunt,vſquequaque miratus ſum. (29) O vir admirabilis ! Doctrinæ Chriſtianę culmen,cui Deus ſereniſsimo cordis obtutu Cœlorum machinam penetrare conceſsit.(30)Vir probitatis iuſtitiæque Documentum tu idem es,in te invenitur,quidquid contigerit ignorari (31) Beatus es,& Beatum te dicent omnes generationes, famaque ſapientiæ,& ſanctitatis tuę,per cunctorum ora virorum,ad finem vſque omnium percurret ſæculorum. (32) Verè inanis non fuit præſaga Poſſidij ſententia,quot namque clariſsimos Orbis viros , cunctis à ſæculis protulit,vt videri eſt,tot Auguſtini præcones emiſit.

QVINTI SÆCVLI,Præcipui ſapientia,& ſanctitate viri ita te magnificè prædicant: (33) *Hieronymus*;Auguſtinus Epiſcopus volans per montium cacumina,quaſi Aquila,& ea,quæ in radicibus montium fiunt,non conſiderans.(34) Tu qui iuvenis es,& in Pontificali culmine conſtitutus,doceto populos,& novis Aphricæ frugibus Romana tecta locupleta.Mihi ſufficit cum auditore & lectore pauperculo in angulo monaſterij ſuſurrare.(35) *Idem alibi,morti proximus*: Gaudium habeo magnum,& conſolationem præſumens de miſericordia Domini,quod virum mirabilem,& multæ ſcientiæ, & bonitatis Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum poſt me relinquo.(36) *S.Innocentius Papa*; ſanctæ fraternitatis veſtræ literas plenas fide, totoque Catholicæ Religionis vigore firmatas à vobis miſſas , & concilijs veſtris per grato ſuſcepimus animo; quia earum tenor, omniſque contentio in conſideratione quotidianæ gratiæ Dei,& in eorum correctione,qui contra ſentiunt , integra ratione conſiſtit,vt & illis omnem tollere poſsit errorem,& ideo dato quovis noſtræ

*in epiſt. ad Ruſin.*
11 *Voluſianus epiſt. 2.*
12 *S. Antonin. 2 part. Hiſt. tit. 8.*
13 *Egippius Abbas in Præf. Collec.*
14 *S. Proſp. in Prolog.*
15 *S. Proſp. epiſt. ad Demetr.*
16 *S. Proſp. epiſtol. ad Auguſt.*
17 *S Proſp. epiſtol. ad Demetr.*
18 *S. Paulinus Nolan. epiſt. 31. ad Auguſt.*
19 *S. Hiero. epiſt. 25.*
20 *S Hiero. ibidem.*
21 *S. Hiero. ibidem.*
22 *S. Pauli. epiſtol. 31.*
23 *S. Hiero. epiſtol. 128. ad Auguſt.*
24 *S. Nebridius ep. 71.*
25 *S. Hiero. epiſtol. 30. ad Auguſt.*
26 *Longinianus epiſt 21.*
27 *Macedon. epiſtol. 51. ad Auguſtin.*

ſtræ legis exemplo,quem ſequi debeant,dignum poſsint præbere Doctorem. (37) *S.Paulinus*; Accepimus inſigne & præcipuum dilectionis, & ſolicitudinis tuę opus,Sancti,& perfecti in Domino Chriſto viri,fratris noſtri Auguſtini libris quinque confectũ; quod ita miramur,atque ſuſpicimus, vt dictata diuinitùs verba credamus (38) *S.Poſsidius*; Auguſtinus par Angelis in feruore, par Prophętis in abſconditorum myſteriorum reuelatione,par Apoſtolis in prædicatione.(39) Si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas, adhuc nõ eſſem dignus,aut ſufficiens ad laudandum tantum Patrem & Doctorem,& tantum fidei relucentis illuminatorem.(40) *S.Proſper.* Auguſtinum abundantiſsimè ſpiritus veritatis implevit. (41) Si verè inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te conuenit,ipſius B.Auguſtini diſputationibus cognoſcendis impende curam, vt in confitenda Dei gratia defæcatiſsimam,ac ſaluberrimã Euangelicæ, Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris. (42) Aphricani Concilij ingenium,lumen ævi noſtri Auguſtinus,Sanctum ſapientiæ templum. (43) Inter multa Dei dona,quibus illum abundantiſsimè ſpiritus veritatis implevit, habuit hanc ſcientiæ & ſapientiæ ex Dei charitate virtutem, vt non ſolum iſtam adhuc in ſuis deſtruncationibus palpitantem, ſed etiam multas priùs Hæreſes in victo verbi gladio debellaret; cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas,ad illuminationem Eccleſiæ,& ad gloriam Chriſti, qua ipſe illuſtratus eſt perfulgenti, quidam incognitis ſuſurrationibus obloquuntur.(44) Qui ſanctam atque Apoſtolicam Doctrinæ tuæ authoritatem anteà ſequebantur,intelligentiores multò,inſtructioreſque ſunt facti.(45) Acer ingenio,ſuavis eloquio,ſęcularis literaturę peritus,in Eccleſiaſticis laboribus operoſus,in quotidianis Diſputationibus clarus,in omni ſua actione compoſitus, in expoſitione fidei Catholicus,in quæſtionibus abſolvendis acutus, in reuincendis Hæreticis circunſpectus,& in explicandis ſcripturis Canonicis cautus. (46) Auguſtini in cunctis voluminibus norma laudatur, Apoſtolica enim Sedes,quod à præcognitis probat,& quod iudicio iungit,laudem nõ ſeparat.(47) Iniuriam in vno (ſcilicèt Auguſtino) cunctis,ac prȩcipuè Apoſtolicę Sedis Põtificibus intulerunt.(48) Demonſtratum eſt reprehenſores Sancti Auguſtini, & vana obijcere,& recta impugnare,& prava defendere : peremptorumque armis in teſtinum bellum moventes,dictis Diuinis,atque humanis conſtitutionibus rebellare.(49) Contra iſtam clariſsimam laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſsimi teſtimonij dignitatem,audet quiſpiam malignæ interprætationis murmur emittere,& perſpicuæ ſinceræque ſententiæ,nubem obliquæ impietatis obtendere.

(50) In quoſcunque ſinus,ſpirarum torqueat orbes,
& fallax multa contegat arte caput:
Currentem attritos ſuper aſpidas,& baſiliſcos
declinare Senem vipera non poterit.

(51) Et vita & requies Deus eſt: omniſque voluptas;
Et dum nulla ſibi tribuit bona: fit Deus illi
Omnia: & in ſancto regnat ſapientia templo.
Iſtius ore viri fecit Deus : iſtius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites,humileſque bibunt,campiſque animorum
Certant vitalis Doctrinæ immittere riuos.

(52) *Cœleſtinus Papa*; Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua,atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus,nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpitionis ſaltem rumor aſperſit,quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe memini-

28 *Marcellinus epiſt. 4.ad Aug.*
29 *Conſentius epiſtol. 221.ad Auguſtin.*
30 *Voluſianus epiſt. 2. ad Auguſt.*
31 *S.Poſsidius Epiſc. epiſt 129.*
32 *Guitmũdus Epiſc. lib.3.contra Berẽgariũ.*
33 *S.Hiero. in Catalogo ſcript.Eccl.*
34 *Idẽ epiſt 11.ad Auguſtin.*
35 *S.Euſeb. Epiſc. Nazareth de morte B.Hieron.*
36 *S.Innoc. epiſt.96. ad Auguſtin.*
37 *S.Paulinus epiſtol. 35.ad Alipium.*
38 *S.Poſsi. epiſtol. ad Macedon.*
39 *S.Poſsidius ibidem*
40 *S.Proſp. epiſt.ad Rufinum.*
41 *S Proſp. ibidem.*
42 *S.Proſp. ibidem.*
43 *S.Proſp. ibidem.*
44 *S.Proſp. ad Auguſt.*

minimus,vt inter Magiſtros optimos etiam à noſtris ſemper Prædeceſſoribus haberetur.(53) *S. Alipius Epiſc. Tagaſtenſis*; Habemus Ducem Auguſtinum, qui nos in ipſa veritatis arcana Deo iam monſtrante perducat.(54) *S. Victor Epiſc. Vticenſis*; B. Auguſtinus librorum multorum confector,eloquentię flumẽ vberius per omnes Eccleſię campos decurrens,dulcedo ſuavitatis,vſque ad illud tempus ducentos iam triginta & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epiſtolis,& expoſitionibus totius Pſalterij,& Evangeliorum, & tractatibus popularibus,quas Græci Homilias vocant, quorum numerum comprehendere ſatis impoſsibile eſt. (55) *Audax Epiſcopus*; Auguſtinus ſacrator iuſtitiæ,inſtaurator ſpiritualis glorię, diſpenſator ſalutis æternæ. Tam tibi mũdanus Orbis notus eſt,quam notatus: tàm tu ei cognitus,quàm probatus. Opto itaque ſapientię floribus paſci,& vivi fontis hauſtibus irrigari (56) *Claudianus Mamertus*; Aurelius Auguſtinus,& acumine ingenij,& rerum multitudine, & operis mole,veluti quidam Chryſippus argumentandi virtute,aut Zeno ſenſuum ſubtilitate,aut Varro noſter voluminum magnitudine, & qui profecto talis naturę attentione diſciplinis extiterit, vt non immeritò ab iſtis corporalibus noſtris Epicureis,aut Cynicis, ſpecialiter Sophiſta diſſentiat (57) *S. Hylarius Archiep. Arelatenſis*; Quidquid pro ea gratia, quam in te puſilli cum magnis defendimus,volueris,aut valueris,gratiſsime accipiemus tanquã à nobis chariſsima & reverendiſsima auctoritate decretum.(58) *Vigilius*; Auguſtinus vir Apoſtolicus,& Cœleſtibus imbutus diſciplinis. (59) *Severus Sulpitius*; Viſcera tua,viſcera pinguia ſagina Cœleſti,& condita omni dulcedine ſpiritali: viſcera tua,viſcera pura,viſcera ſimplicia,niſi quod duplici ſint vinculo redimita geminæ charitatis: viſcera tua,viſcera perfuſa lumine veritatis, & refulgentia veritatem,horum me manationi,vel reſultationi ſubijcio, quo nox mea in lumine tuo deficiat,vt in diei claritate ſimul ambulare poſsimus. O verè artificioſa Dei apes! Conſtruens favos Divini nectaris plenos,manantes miſericordia,& veritate, per quos diſcurrens delitiatur anima mea, & vitali paſtu quidquid in ſe minùs invenit,aut imbecillum ſentit, reſarcire,& ſuffulcire molitur; Benedicitur Dominus per prędonium oris tui,& fidele miniſterium: quod ſic concinere,& reſpondère facis canenti tibi Domino, vt quidquid de eius plenitudine ad nos vſque redundat,iucundius efficiatur,de cuius bonitate tam bonus es,& de cuius puritate tam purus,ſimplex,& pulcher es.

SEXTI SÆCVLI,Scriptores ſplendidiſsimi, nihil minùs multimodis te laudibus proſequuntur.(60) *S. Fulgentius Epiſc. Ruſpenſis*; Auguſtinus turrim fortitudinis ipſam gratiam tenens,& exinde cuncta hoſtilium machinamẽta telorum Cœleſtis iuvaminis virtute confringens,non ſolùm ipſe de hoſte victoriam refens triumphavit,quin etiam poſteris certandi & vincendi ordinem,ſi quando victa pravitas reciduo auſu infandum caput erigere niteretur oſtendit. (61) Indutus virtute ex alto abundantiùs illis omnibus laboravit,nõ autem ipſe,ſed gratia Dei cum illo,&c. Senſum quippè Dei habens,tàm gratiæ Chriſti,quàm humani arbitrij,& officia diſcrevit & merita,ſemper divinis humana ſubijciens,& veraciter docens,divinitùs homini & gratuitò iuſtificationis Donum,& bonæ voluntatis exordium,& plenum tribui glorificationis effectum.(62) Libros Auguſtini legat omnis,qui ſalutem æternam adipiſci deſiderat.(63) Quidquid ingenij acumine,quidquid ratiocinationis ordine, quidquid auctoritatis pondere inquirendum,diſcutiendumque conſpexit, & inquiſivit ſingulariter,& diſcuſsit.(64) Arbitror diſputationem noſtrã præclariſsimi Doctoris Auguſtini ſermone firmatam,nec quicquam eſſe aliquatenus ambigendum. (65) *S. Facundus, Epiſc. Hermianenſis*; Beatus & doctrinæ admirabi-

lis

45 *S. Proſp. lib. 3. c. 31.*
46 *S. Proſp. cont. Collat. cap. 23.*
47 *S. Proſp. ad Collatorem, cap. 1.*
48 *S. Proſp. vbi ſup. c. 44*
49 *S. Proſp. ibid. c. 43.*
50 *S. Proſp. in Prologo cont. Pelag.*
51 *S. Proſp. lib. de Ingratis, cap. 2.*
52 *S. Cœleſt. ad Epiſcop. Galliarum.*
53 *S. Alip. lib. 3. in fine*
54 *S. Victor lib. 1. de Perſec. Vvãdal.*
55 *Audax Epiſc. epiſt. 139. ad Auguſtinum.*
56 *Claudia. Mamertus lib. 3. de Statu Animæ.*
57 *S. Hylar. epiſtol. ad Auguſt.*
58 *Vigilius lib. 2. contr. Eutychen.*
59 *Severus Sulpitius, epiſt. 37 ad Auguſtin.*
60 *S. Fulg. lib. 2. c. 18.*
61 *S. Fulg. lib. 2. c. 18.*
62 *S. Fulg. ibidem.*

lis Auguſtinus, Sapientiſsimus, atque clariſsimus Eccleſiarum Chriſti Magiſter; prȩcipuus Catholicæ Fidei Propugnator. (66) *Caſsiodorus*; Ipſe etiam Doctor Eximius Beatiſsimus Auguſtinus, debellator Hęreticorum, Defenſor Fidelium, & famoſorum palma certaminum. (67) Auguſtinus Magiſter admirabilis. (68) Auguſtinus Literarum omnium Egregius Magiſter, & quod in vbertate rarum eſt, cautiſsimus Diſputator. Decurrit quippè tanquàm fons puriſsimus, nulla fæce pollutus; ſed in integritate fidei perſeverans neſcit Hęreticis locum dare, vnde ſe ſe poſsint aliqua colluctatione defendere. Totus Catholicus, totus Orthodoxus invenitur, & in Eccleſia Domini ſuaviſsimo nitore reſplendens, ſuperni luminis claritate irradiat. (69) *Serrapion*; Teſtor Deum, quia ſollicitudini meę vniverſam ambiguitatem eliminas, ſi de Auguſtini mihi definita proferas, & de omnibus quæ tractanda ſunt, evidentia afferas documenta; fateor enim me eius aſſertiones ita probatas habere, vt ſe ipſum ore ſuo Hæreticum detegat, qui Auguſtinum putaverit in aliquo reprehendendum eloquio. (70) *S. Hormiſdas Papa*; De Libero Arbitrio, & Gratia Dei, quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur Eccleſia, in varijs libris Beati Auguſtini, & maximè ad Hylarium, & Proſperum poteſt cognoſci. (71) *Ioannes Papa II.* Auguſtini Epiſcopi doctrinam ſecundùm Prædeceſſorum meorum Statuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia. (72) *Remigius Archiep. Antiſiodorenſis*; Beatus Auguſtinus rerum obſcurarum ſubtiliſsimus Indagator, inter ardua, ſine offenſione cucurrit. Alij Doctores comparantur Stellis; Auguſtinus Soli. Nam ſicut Stellæ lumen à Sole recipiunt, ſic omnes Doctores lumen recipiunt ab Auguſtino. (73) Sicut Sol excedit in lumine omnes Planetas, ita Auguſtinus omnes exceſsit in exponendis Sacris Scripturis. (74) *Eccleſia Lugdunenſis*; Propter obſcuritatẽ rerum, & ſubtilitatem Diſputationum minùs Auguſtinum intelligere poſſumus. A Deo igitur intelligentiam poſtulemus, vel ab eis, quos ipſe ſuo dono illuminare dignatus eſt, humiliter nos doceri patiamur, ac deprecemur.

SEPTIMI SÆCVLI, Scriptores præclariſsimi debitas etiam tibi ſuppeditant laudes. (75) *S. Gregorius Magnus*; Si delitioſo cupitis pabulo ſaginari, Beati Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem illius ſaliginis; noſtrum furfurẽ non quæratis. (76) Beatum Auguſtinum virum excellentiſsimũ, de quo quæris, altior à nobis continet locus. (77) *Concilium octavum Toletanũ*; Vir quoque Sanctiſsimus Auguſtinus, veſtigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, aſſerendi copia profluus, eloquentiæ flore venuſtus, ſapientiæ fructu fœcundus. (78) *S. Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus*; Auguſtinus probatus mundi Magiſter. (79) *S. Iulianus Archiepiſcopus Toletanus*; Quis non miretur ſanctiſsimum illum Hipponenſem Epiſcopũ Auguſtinum, quem egregium Orbis Doctorem Aphrica protulit? (80) *S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus*; Audiant Auguſtinum, cui contradicere fas non eſt. (81) *S. Prudentius Epiſcopus Tricaſsinus*, Innocentius Romanæ Eccleſiæ Antiſtes Auguſtinũ cum totius Orbis Epiſcopus ſuſcepit, quem etiam publicis privatiſque officijs affecit. Zozimus Pontifex eodem tramite cucurrit. Bonifacius Pelagianorum epiſtolas eidem corrigẽdas tranſmiſit, correctionemque honorabiliter approbavit. Cœleſtinus ſcripta ipſius cum laude à ſe recepta recenſuit. (82) Nullus Doctorum abſtruſa ſcripturarum Auguſtino ſcrupuloſius rimatus eſt, nullus diligentiùs exquiſivit, veriùs invenit, veratiùs protulit, luculentiùs enodavit, fideliùs tenuit, robuſtiùs defendit, effuſiùs diſſeminavit. (83) O monſtrum horrendum! O linguam præſcindendam! Quæ vel ignorantiam, vel invidiam tanto Doctori importare non veretur. (84) *Beatus Lupus Abbas Ferrarienſis*; Reverendiſsimus Papa Gelaſius cum ſeptuaginta Epiſcopis viris eruditiſsimis ſta-

63 *S. Fulg. lib. 3. de Verit. Prædeſt. cap. 18.*

64 *S. Fulg. in Reſp. ad quæſt. de Bapt. Æthiopis.*

65 *S. Facundus lib. 9. pag. 408.*

66 *Caſsiodorus lib de Divin. lect. cap. 22.*

67 *Caſsiodor. in Prol. ad Pſalt.*

68 *Caſsiod. in Prologo ſup. Pſalt.*

69 *Serrapiõ tom. 5. Bibliot. Patrũ part. 3.*

70 *S. Hormiſdas Papa epiſt. 70.*

71 *Ioannes Papa 2. in epiſtol. ad quoſdam Senatores.*

72 *Remig. in epiſtol. 2. ad Corinth.*

73 *Remig. in 2. ad Cor.*

74 *Eccleſia Lugdunẽſis lib de Tenẽda Sac. Scripturæ verit. cap. 9.*

75 *S. Greg. li. 8 epiſ. 37*

76 *S. Greg. ad Tagionẽ Epiſc.*

ſtatuens,qui Scriptores eſſent,vel non eſſent recipiendi, poſt approbationem Auguſtini,&c. Nos igitur incorruptum ſanctarum Scripturarum ſequentes intellectum,& Apoſtolicæ Sedis gravitatem ſuſpicientes; Quid aliud dicamus? Niſi taceat Fauſtus, & ſimiliter ſentientes; loquantur cum ſuis conſortibus Hieronymus, & Auguſtinus,ſcilicèt illius proverbij recordantes: Conticeſcant ranæ dum Cœlum tonat.

Laxis etiam fibris,OCTAVI SÆCVLI, Scriptores præſtantiſsimi tuas perſonant Laudes.(85) *Venerabilis Beda*; Beatus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus,omnium Doctor Eximius Eccleſiarum.(86) Auguſtinus præeminētiſsimus Eccleſiæ Doctor.(87) *Paulinus Aquileienſis*;Auguſtinus vbique puriſsimus in Catholica Fide,& veraciſsimus Doctor eſſe comprobatur. (88) *Ionas Archiep. Aurelianenſis*;Etſi cęteros Patres excepiſti,Beatum Auguſtinū, quem conſtat inter omnes Latinos Doctores diſertiſsimum eſſe Doctorem,Sāctæque Dei Eccleſiæ fortiſsimum Defenſorem,& propugnatorem excipere nō debueras. Is enim,etſi non ſolus,divina tamen ſuffragante gratia, alijs facundiùs,copioſiùſque diverſarum Hęreſum, & Schiſmaticorum perverſa ſtatuta rationabiliter evertit,deſtruxit,atque ſubſtravit.

NONI SÆCVLI, Quotquot Doctores ſapientię nobilitati fama extiterunt, totidem etiam in tua potiſsimum præconia convenerunt. (89) *Rabanus Maurus Archiep. Maguntinus*;Nullus Auguſtino compar cenſendus inter Patres,quem Dominus Doctorem Catholicum, & defenſorem gratiæ nobis tranſmiſit.(90) *Hincmarus Archiep. Remenſis*; Doctor mirificus Auguſtinus laudibus omnibus,quibus à Proſpero,Cęleſtino,Hormiſda, & Fulgentio, alijſque Patribus decoratus eſt,quam digniſsimè honoratur; & ferè ſi omniū, & hominum,&Angelorum linguis efferretur,non ſatis pro merito,& dignitate celebraretur. (91) *Amolo Archiep. Lugdunenſis*; Divus Auguſtinus poſt Apoſtolum præcipuus prędeſtinationis,& gratiæ Prædicator.(92) *Eccleſia Lugdunenſis*.Beatiſsimus Pater Auguſtinus ab omni ſemper Eccleſia venerabiliter receptus,& vſque in finem ſæculi recipiendus. (93) *Lupus Servatus*; Auguſtinus,quem neſcias,vtrum rerum inventione magis,an dicendi fœlicitate mireris,tanta diſſeruit,vt vix poſsint ab aliquo legi: omnia verò vt mea fert opinio,quanquam ſint clariſsima & vtiliſsima à nemine memoria contineri. Nemo tam laborioſa indagine veſtigavit,nemo vt ille tandiù verſavit:ita vt pace cunctorum dixerim,nullus vtrumque tanta veritatis proprietate invenit, nullus tanta eloquētiæ vbertate aſſeruit,nullus inexpugnabilium argumentorum copia tanta defendit.

DECIMI SÆCVLI, Etſi pauci Scriptores extiterint, nihil dubium ſua tibi elogia dicarint.(94) *S. Petrus Damianus Cardinalis*;Eccleſiæ Catholicę linguam,Auguſtinum,inquam,in omnibus audiamus,per quem ſpiritus veritatis ad nos loquitur.(95) Superfluum eſt,nos vilibus ſarculis illic glebas effringere,vbi tam ſtrenui cultores terræ viventium acutiſsimo linguæ ſuæ vomere reperiuntur arva ſulcaſſe, Prior igitur Auguſtinus accedat. (96) *Rupertus Abbas*; in Auguſtino ſpiritus manifeſtè operatus eſt, quod ſe dignus fuit, ad laudem ſuam,ad Eccleſię ſuę defenſionem, Catholicæ Fidei perpetuamque munitionem.Iſte eſt Auguſtinus,Columna & firmamamentum veritatis,& verè columna nubis, in qua thronum ſuum poſuit ſapientia Dei,cuius ex ore diſtillare non ceſſavit pluvia ſalutaris; immò fluere impetus fluminis contra flumen illud Hæreticorum.(97) *Eugippius Abbas*; Inter magnos Eccleſiæ Catholicę Doctores præclarum fuiſſe,& eſſe Beatum Auguſtinum quis ignorat Epiſcopum? Quem Divina eruditione mirabilem omnes Orthodoxi in toto

terra.

*Epiſcop.Cæſarauguſtanum, in viſione.*
77 *Conciliū Toletanum 8. tom. 2. Conciliorum*
78 *S. Iſidor. in Exhortatione ad pœnitendum.*
79 *S. Iulianus lib. 1. Prognoſt. cap. 23.*
80 *S. Ildeph. Hom. 2. de B. Virgin.*
81 *S. Prudentius in epiſ. ad Hincmarum.*
82 *S. Prud. ibidem.*
83 *S. Prud. lib. de Præd. cap. 11.*
84 *B. Lupus in Collect. quæſt. 3.*
85 *Beda to. 2. lib. de Sex ætatibus.*
86 *Beda ibi.*
87 *Paulin. lib. 7. contr. Felicem Vrgelitanum.*
88 *Ionas lib de Cultu Imaginum.*
89 *Raba. in epiſt. ad Heberardum Comit.*
90 *Hincmarus lib. de Præd. c. 1.*

terrarum Orbe venerantur; præcipuè tamen Apoſtolicæ Sedis Antiſtites ſcripta eius ſua auctoritate firmantes, tantò maiori ſtudio ſimpliciter amplexi ſunt, quantò ampliori ſolatio eis ſe vſos eſſe teſtantur. Nam contra multos hoſtes Eccleſiæ dimicantes, & maximè contra verſipiles inimicos gratiæ Dei doctrina eius inſtructi, vel potiùs eadem illuſtrati gratia ſemper extitere victores.

VNDECIMI SÆCVLI, Tres præcipui, qui pietate ſapientiaque claruerunt ijdem ipſi tibi laudes auxerunt. (98) *S. Bernardus*; Ab his duabus columnis, Auguſtinum loquor, & Ambroſium, credite mihi difficilè avellor; cum ijs me errare aut ſapere fateor. (99) Auguſtinus malleum fortiſsimum Hæreticorum. (100) *Sigebertus*; Ea tempeſtate Hippone regio Auguſtinus eiuſdem Civitatis Epiſcopus floruit, cuius ingenium fuit ſupra naturam, vita eius ſanctiſsima, opera autem eius innumerabilia ferè, & ſole ſplendidiora, & ſunt, & erunt, & ſemper omnino extitère. (101) *Guitmundus Epiſc.* Quid hìc vmbratici reſpondebunt? Vbi in tanta luce lucifugę noſtri vmbram parabunt? Ecce Auguſtini manifeſtiſsima documenta recitantur, nihil in eis ſcrupuloſum, nihil ambiguum.

DVODECIMVM SÆCVLVM, In tuas ſimiliter ex ſolvitur laudes. (102) *Hugo de Sancto Victore*; Auguſtinus Spiritu Sancto docente verbum Dei elegantiſsimè diſpenſavit. (103) *Petrus Abbas Cluniacenſis*; Glorioſus, ac poſt Paulum Apoſtolum ſingularis Magiſter Eccleſiæ Auguſtinus. (104) *Hugo Eterianus*; Magnus Auguſtinus Lucerna in Eccleſia perpetuò lucens. (105) *Petrus Bleſenſis*; Sanctus Auguſtinus quaſi latrans contra Hæreticos diſputavit: quaſi medicans verba vitę habuit. (106) Auguſtinus inter auguſtos Doctores circa inquiſitiones fuit auguſtior. (107) *Eccleſia Auguſtiniana*; Auguſtinus aſſumptus eſt cum Angelis, vbi gaudet cum Prophetis, lætatur cum Apoſtolis, quorum plenus ſpiritu, quæ prædixerunt myſtica, fecit nobis per via, poſt quos ſecunda diſpenſandi verbi Dei primus refulſit gratia.

SÆCVLVM DECIMVM TERTIVM, Clariſsimis etiam te exornat encomijs. (108) *Vincentius Epiſcopus Bellovacenſis*; Auguſtinus Epiſcopus volans per montium cacumina, quaſi Aquila, vir acer ingenio, ſuavis eloquio, ſæcularis literaturæ peritus, in Eccleſiaſticis laboribus operoſus, in quotidianis diſputationibus clarus, in omni ſua actione conſpectus, in expoſitione Fidei Catholicus, in quæſtionibus abſolvendis acutus, in revincendis Hæreticis circunſpectus, & in explanandis Scripturis Canonicis cautus: Sapientiæ lumen præfulgidum, propugnaculum veritatis, & fidei tutamen, omnes Eccleſiæ Doctores tam ingenio, quàm ſcientia vicit incomparabiliter, florens tam exẽplis virtutum, quàm affluentia doctrinarum. Etenim tanta ſcripſit, vt non ſolùm ab aliquo toto vitæ ſuæ tempore ſcribi; ſed vix quidem poſsint lectione percurri. Huius enim librorum, tractatuum, & epiſtolarum numerus pluſquàm ad mille triginta extenditur; vt meritò illud ei dictum conveniat: mentitur, qui te totum legiſſe fatetur. (109) *S. Albertus Magnus Archiep. Ratiſponenſis*; Dicendum, quod ſic; quia hoc Auguſtinus apertè dicit, cui contradicere impiũ eſt. (110) *Angelicus Doctor*; Auguſtinus ſcrutatus eſt profunda quatuor fluviorum, ſcripturæ, creaturę, culpæ, & gratiæ. (111) *Petrus Epiſcopus Equilinus*; Libri Auguſtini vltra millenarium numerum exceſsiſſe creduntur; Gennadius ſexcentorum voluminum nomina commemorat. (112) *Peronius Cardinalis*; Auguſtinus Maximus poſt Apoſtolos prędeſtinationis Doctor, immò os, & lingua veteris Eccleſiæ. (113) *Ioannes Papa 22.* Auguſtinus Catholicæ fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis ac invictis rationibus ſolidavit.

91 *Amolo, Opuſc. 2. de Gratia, & Præſciẽtia.*
92 *Eccleſia Lugdunẽſis lib. de trib. epiſtolis.*
93 *Lupus Servatus, quæſt. 1. de Lib. Arbit.*
94 *S Petrus Damianus, ſerm 61.*
95 *S Petrus Damianus, Opuſ. 24. c. 2*
96 *Rupert. lib. 7. de Operib. Spiritus Sancti, cap. 19.*
97 *Eugip. in Præfat. ad Collectã ex lib. Aug*
98 *S. Bern. epiſt. 77. ad Hugonem.*
99 *S. Bern. ſerm. 80. in Cant.*
100 *Sigeb. in Cronicis.*
101 *Guitmũdus, lib. 3 contra Berengarium.*
102 *Hugo Victorin. to. 2. ſerm. 99.*
103 *Petrus Cluniacẽ. in epiſt. contra Petrobuſiã.*
104 *Hugo Eterianus, lib. 3. de Hæreſib. c. 17.*

Auxit

Auxit debitas pro merito laudes. SÆCVLVM DECIMVM QVARTVM. (114) *S.Vincentius Ferrerius*; Candelabrum aureum totum eſt B. Auguſtinus; alij Doctores dicuntur Lucernæ, ſed ſupra Candelabrum, ſcilicèt B. Auguſtinum; quia audeo dicere, omnes Doctores, qui venerunt poſt eum, ſuſtentantur ſuper eius Doctrinam ſanctam, puram, Catholicam, auri puriſsimi, & ſine errore falſarum opinionum; & quilibet Doctor eſt contentus ad probãdum dictum ſuum, ſi poteſt habere vnam auctoritatem Auguſtini. (115) *S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus*; Quaſi Sol, qui dominus dicitur planetarum, & pater luminis, ſuper omnia luminaria ſplendens, delectabilis oculis, ac per omnia reſpiciens: Sic Auguſtinus Eccleſiam illuſtravit, ſuavis eloquio, omnes materias penetrando dilucidans. Meritò igitur ſicut Sol refulgens, ſic iſte in templo Dei refulſit ſplendore doctrinæ clariſsimæ. (116) *Dionyſius Carthuſianus*; Auguſtinus, quem Bernardus vocat linguam Eccleſiæ; & inter Doctores quemadmodum Soli comparatur: Cuius doctrinam Eccleſia eminenter ſequitur, quoniam vbi auctoritas Scripturę, aut determinatio Eccleſię non occurrit, rationabiliùs eſt locutus, vt habetur in Decreto. (117) *B. Iordanus de Saxonia*, De Auguſtino poteſt exponi illud Job 14. Qui claudit Stellas, quaſi ſub ſignaculo; quia in ipſo, in ſcrinio ſui pectoris, quaſi tota ſapientia fuit recluſa, quę quaſi aperto ſigillo eructatione ſuæ doctrinæ, ore, manu fuit mundo pandita & reſerata. Vnde ipſe dicitur, claudere Stellas, id eſt, omnium aliorum Doctorum doctrinas in ſuo pectore quaſi ſub ſignaculo, admodum, quo liber, vel litera clauditur ſigillo. (118) Poſt Paulum Sanctorum neminem prefero in doctrina Fidei Auguſtino, vnde ipſe propriè dicitur alter Angelus. (119) *Sixtus Quartus*; Auguſtinus inter intemeratæ Eccleſię Doctores præcipuus, & ſubtiliſsimus Evangelij, ac Sacrarum Literarum perſcrutator. (120) *Martinus V.* Quicumque de Chriſto, de Fide, de Religione aliquid ſaperent, omnibus in ore erat Auguſtinus, vt nihil penè ex Sacris Literis poſsit, niſi eo Duce intelligi, nihil niſi eo interprete explicari. Eo iam Auctore factum eſt, vt nec Philoſophis ſapientiam invideamus, non Oratorum eloquentiam deſideremus, non ſtudioſorum ingenia requiramus, non denique nobis acumen Ariſtotelis neceſſarium ſit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non gravitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis ſolertia, non cuiuſquam illius generis hominum ſcientia, aut virtus exemplo, aut documento nobis eſſe debeat. Idem nobis Prophetarum Oracula, idem Apoſtolorum voces refert, idem omnium Scripturarum ſenſum exprimit, vnus poſtremò omnium Patrum ſapientiumque ingenia, ac ſtudia exhibet; ſi veritatem quæris, ſi doctrinam, ſi pietatem; Quis Doctior? Quis iuſtior? Quis vt ita dicam, Sanctior Auguſtino? (121) *Pius Secundus*; Magnus Auguſtinus doctrina, & verecundia iuxta nobilis, cuius tanta gloria eſt, vt nullius laudibus creſcat, vituperatione vè minuatur. (122) Maximus ille omnium Theologorum Ariſtoteles Auguſtinus Epiſcopus. (123) *Beſſarion Cardinalis*; Auguſtinus Occidentalis Eccleſiæ Lumen eſt. (124) Auguſtinus, qui profunditate ſcientiæ omnes antecellit, ſanctitate, & fervore charitatis in Deum nulli cedit. (125) *Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus*; Audis, vt anathemati ſubijciuntur, qui Auguſtini ſententias non recipit? Non ergo ambigas in poſterum pro Sancto, & Doctore habere Auguſtinum, cuius magna gloria eſt in Eccleſia Dei. (126) Auguſtinus mens illa altiſsima. (127) *Andræas Archiepiſcopus Coloſſenſis*; Auguſtinum Latinorum Doctorem quinta Synodus conſecravit.

DECIMIQVINTI SÆCVLI, Scriptores præcipui, haud alitèr debitæ tibi laudis præconia exhibent. (128) *S. Thomas Archiepiſcopus Valentinus*;

105 *Petrus Bleſenſis, ſerm.* 31.
106 *Petrus Bleſenſis, ſerm.* 31.
107 *Eccleſ. Auguſtin. in Offic. B. Auguſt.*
108 *Vincẽt. Bellovacenſis, lib.* 7. *Speculi Doctrinalis, c.* 51.
109 *S. Alb. Magn. in* 2. *part. Summæ Theolog. tract.* 14. *quæſt.* 184. *ad quæſt.* 3.
110 *D. Tho. ſerm. de S. Auguſt.*
111 *Petrus de Natalib. lib.* 7. *c.* 128.
112 *Perronius, lib.* 1. *cap.* 12.
113 *Ioann.* 22.
114 *S. Vinc. Ferrerius, ſerm. de B. Auguſtino.*
115 *S. Antoninus* 2. *p. Hiſt. ti.* 8.
116 *Dionyſius Carth. in* 1. *ſent. diſt.* 1.
117 *B. Iord. ſerm.* 13.
118 *B. Iord. ſerm.* 140.
119 *Sixtus IV. in Bullario Auguſtiniano.*

O qualem te memorem Patrem Auguſtinum! Omnis laus inferior te eſt.(129) Si ſapientia lux eſt; quis in Eccleſia Dei ita lucet ac Auguſtinus? A Sole omnia aſtra lucent,ab Auguſtino omnes,qui poſt ipſum fuerunt Doctores ſapientiam accipiunt. (130) Auguſtinus primus cępit Catholicas veritates enucleare,digerere,dilucidare,diſtinguere, atque in Scholaſticam formam redigere, docens quid in quolibet fidei myſterio ſentiendum,quid ad obiecta reſpondẽdum eſſet,vnde ex ſcripturis colligendus locus ad roborandum. Denique ſi quid de fide diſtinctè ſenſimus, apertè dicimus, audacter aſſerimus, id totum Auguſtino debemus.(131) Intellectus acumine,ingenij perſpicuitate, diſputãdi acrimonia,inveniendi copia,diſſerendi ſubtilitate monſtrum quoddam fuit in natura Auguſtinus,qui humanæ intelligentiæ terminos irradiante Deo viſus eſt tranſcendiſſe,vir intellectu,(vt quidã ait)& ſapientia prope Divinus.(132) Quis enim ita excelluit ingenio? Quis ita valuit facundia? Quis humanarum, Divinarumque rerum ſapientia ſic fulſit? Quis tot,tantiſque voluminibus Dei Eccleſiam illuſtravit? Mentitur (ait quidam) qui ſe omnia Auguſtini volumina legiſſe iactat; plùs enim valuit ille ſcribere,quàm nos ſufficimus legere. (133) *Sixtus Senenſis*; Aurelius Auguſtinus,Hipponæ Epiſcopus,natione Afer,patria Tagaſtenſis, vir ſupra omnes,qui ante eum, & poſt eũ huc vſque fuerunt mortales,admirabili ingenij acumine prædituſ,omnibus liberalibus diſciplinis inſtructus,Platonica Philoſophia pleniſsimè imbutus,Ariſtotelicæ doctrinæ non ignarus,in Divinis Scripturis longè omnium eruditiſsimus,& in earum explanatione vltra,quàm dici queat,incomparabili ſubtilitate ſublimis, omnes Latinę Eccleſiæ Scriptores ſcribendi labore,& lucubrationum multitudine ſuperavit.(134) Auguſtinus eruditus,acutus,ac ſublimium rerum ſublimitate reconditus,quæſtionum,argumentationum locupletiſsima copia abundat, & ſuper omnes Eccleſiaſticos Scriptores Divinæ Scripturæ teſtimonijs, & ſententijs profluit,inſtar magni fluminis hyberna nive exundantis.

DECIMI SEXTI SÆCVLI, Scriptores, ijdemque in ſupremo Eccleſiæ faſtigio conſtituti, tuas vlterius ita amplificant laudes; (135) *Clemens VIII.* Multi Pontifices Prędeceſſores noſtri doctrinæ Divi Auguſtini de Gratia tam acres fuerunt aſſertores, ac vindices,vt eam quaſi hęreditario iure in Eccleſia relinqui voluerint; æquum non eſt,vt patiar,illam hac quaſi hæreditate privari.(136) *Cardinalis Baronius*; Digna quidem S. Auguſtini modeſtia; animique eius admirabili cum ſummiſsione verecundia: vt planè,niſi aliunde, ex his ſaltem intelligere valeas, afflatum ipſum divino ſpiritu illa ſcripſiſſe: cum non ſuper quempiam alium,quam ſuper humilem,quietum,& trementem ſermonem Dei,divinum affore numen, Deus per Prophetam fuerit coteſtatus. (137) *Cardinalis Bellarminus*; S. Leo Pontifex miſit ad Concilium Arauſicanum certa capitula de gratia & libero arbitrio,ex libris S. Auguſtini verbatim decerpta,quæ voluit ab Epiſcopis illis recipi & ſubſcribi,vt etiam factum eſt. (138) *Montacutius*; Auguſtinus ſolidiſsimi vir iudicij, & in fidei dogmatibus diſceptandis Princeps.

DECIMVM SEPTIMVM SÆCVLVM,duos tibi tradit Pontifices, viroſque doctrina,& pietate ſpectandos quã plures,tuæ famæ præcones.(139) *Alexander VII.* De reliquo non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientiæ, pietatiſque ſtudio ſanam,& incorruptam,qualem tot Apoſtolicę Sedis declarationes requirunt,doctrinam ſemper amplexuri,& adverſus Orthodoxę Religionis hoſtes defenſuri ſitis; necnon præclariſsimorum Eccleſię Catholicæ Doctorum Auguſtini,& Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſsimaque dogmata ſequi ſemper,vt aſſeritis,ac impensè revereri velitis;quorum profectò Sanctiſſimorum



120 *Martinus V. in ſerm. tranſlationis S. Monicæ.*
121 *Pius II.alias, Enæas Sylvius epiſt.* 130.
122 *Idem lib.1.de Geſtis in Conc. Baſilienſi.*
123 *Beſſariõ Card.de Sac. Euchar.*
124 *Idem Card. Beſſarion de Proceſſione Spirit. Sanct.*
125 *Genad. pro Concil. Florent.c.1. ſect.78.*
126 *Idem Genad.ibid.*
127 *Andræas Coloſen.in Synodo Florent.*
128 *S. Tho. ſerm.1.de B. Auguſtino.*
129 *S. Tho. ibidem.*
130 *S. Tho. ibidem.*
131 *S. Tho. ibidem.*
132 *S. Tho. Concione 3. de B. Aug.*
133 *Sixtus Senẽſ.lib. 4. Biblio. Sãct.*
134 *Sixtus Senenſ.ibid.*
135 *Clemẽs 8.apud Dominum le Buſſu.*

simorum virorum penes Catholicos vniversos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina novi præconij commendatione planè non egent (140) *Innocentius XII.* Apostolica vos authoritate monemus, vt sublatis cõtentionibus, sapientiæ, quæ de sursum atque pacifica est vacetis, profitentes, vt asseritis doctrinam præclarissimorum Doctorum Augustini, & Thomę, quorum ille tantæ scientiæ fuit, vt inter Magistros optimos etiam a nostris Prædecessoribus haberetur, & cuius doctrinam secundùm eorundem Prædecessorum statuta, Romana sequitur, ac servat Ecclesia: Alter verò mira eruditione eandem Dei Ecclesiam clarificat, & sancta operatione fœcundat. Hos dum vniversitas vestra doctrinæ Duces secuta fuerit, securè certabit contra hostes Orthodoxę fidei in Ecclesiæ gloriam, & ædificationem, excitabitque in dies hanc Apostolicã Sedem, vt cumulatiùs ei præstet Paternæ charitatis officia (141) *S. Franciscus Salesius Episcopus Genevensis*; Apex Theologorum Sanctus Augustinus (142) *Petrus Labbe*; Ingenium Augustini nemo hactenus totum novit: ingenij sui limites Augustinus ipse nescivit. Monstrum ingenij fuit alijs, & monstrum sibi. Exhausit se Aphrica, dum tale portentum tulit. Adolescens, non tam discere, quã meminisse videbatur: dixisses, non adquirere scientias, sed innatas habuisse. Didicit Aristotelem fine Magistro: vix eum Aristoteles sine Doctore didicisset. Exhaustis omnibus Scientijs, adhuc sciendi avidus, didicit errores Manichęorum, vt haberet quid discceret. Laudavit eos errores, dum nescivit: refutavit, dum didicit: & nondum fidei discipulus iam pugnavit pro fide. Superata natura; diu pugnavit cum gratia: expertus est, se ab ea non cogi, dum diu restitit: nec violentus consensus fuit, quem negavit, dum voluit: agnovit tamen sufficientem gratiam, qua vinci potuit. Non accusaret moras suas, nisi properare potuisset: nec potuit, nisi vires offerret gratia sufficiens, & nondũ vincens.

Ecce cuncta tibi per sæcula laudes præclarissimorum turba Doctorum suppeditat. Adduxi multos, à pluribus tamen, & ferè in infinitum adducendis, nè me longiora in referendo protraherent sæcula, consultò abstinui. (143) O Sydus maximum Augustine Pater! Quantùm Ecclesiam Dei tua sapientia irradians illustrasti? Quantùm tua presentia errorum tenebras effugasti? Nũc enim te Authore, te Magistro ita omnia sunt lucida, vt errare non possit, nisi qui ex industria velit hallucinari. (144) Inspice obsecro Augustine, nostras nunc elucubrationes suscipe, ex doctrina vestra adductas recipe, doctrinã vlteriùs subministrans. (145) Me intuère infantem adhuc verbo Dei, & spiritali ætate lactentem; educa verbis tuis, vberibus fidei, sapientiæ, charitatis inhiantem. Si officium commune consideras, frater es; si maturitatem ingenij tui, & sensuũ, Pater, & Magister mihi es. Fove igitur, & corrobora me in sacris literis, & spiritalibus studijs recentem; & post longa discrimina, post multa naufragia, vsu rudem & vix à fluctibus emergentem, tu qui iam solido in litore es constitutus, tuto excipe sinu, vt in portum salutis, si dignum putas pariter navigemus.

(146) Beatissimæ Sanctitatis tuæ ineffabiliter mirabilis, & incomparabiliter honorandæ humillimus filius, devotissimus, & addictissimus Alumnus,

*Doct. D. Didacus Castell*
*Ros de Medrano.*

CLA-

136 *Baron. tom. 5. Annalium circa annũ 425. num. 20.*
137 *Bellarmin. tom. 4. lib. 2. c. 11.*
138 *Montacut. apud Hosmannũ.*
139 *Alex. 7. in Bulla ad Lovaniẽs.*
140 *Innoc. 12. in Bulla ad Decanũ Lovaniensẽ.*
141 *S Francisc. Salesius lib. 1. de Amore Dei, c. 3.*
142 *Petrus Labbè lib 1. Elogiorum apud Card. Azuirre.*
143 *S. Tho. Archiepisc. Valent. Concione 1. de B. August.*
144 *S. Possidius Episc. Calamens. in Compẽd. ad August.*
145 *S. Paulin. Nolanus epist. 31. ad Augustin.*
146 *S. Prosper epist. ad Augustin.*

# CLARISSIMO AC SAPIENTISSIMO

DOMINO, SAC. THE. EGREGIO DOCTORI,

# D. DIDACO CASTELL

IN VNIVERSITATE COMPLVTENSI CATHEDRÆ D. THOMÆ
Primario Moderatori:

Fr. ANTONIVS CLOCHE, ORD. PRÆD. GENERALIS MAGISTER
Salutem plurimam.

FEcit tui nominis fama, vt editi à te nuper operis *de Libertate*, nuncium lætus exciperem. Eſt illud, vt ex noſtris audio munitiſsimum Auguſtinianæ, & Angelicæ doctrinæ propugnaculum, quo eam adverſus heterodoxos ſimul, & Catholicos Impugnatores muniviſti. Nota mihi iam pridem erat ſingularis illa tua in Scholam noſtram veneratio, propenſio, ſtudium ingens, quo te non minus partibus eius devoviſti; quam qui officij, & inſtituti religione tenentur. Verùm novo illo ingenij tui partu comprobavi, non vno intimi cordis ſinu contineri ardorem tuum, quem in publicam Orbis lucem intuliſti, poſteriſque teſtatus es. Dum has interim Ordinis nomine; grati animi vices refero, hortor, quam poſſum maximè, vt quas prælo paratas habes cœteras lucubrationes, publicæ vilitati non deneges, immò, & nobis adorandis incumbas. Ad hoc enim præclaras illas animi dotes, larga tibi manu partitus eſt, qui religioſam talentorum vſuram exiget: nec patietur tantum ingenij accumen, ſcribendi peritiam, doctrinæ vbertatem, reconditiſsimam eruditionem, Poſteritati, & Reipublicæ litterariæ non vectigalem. Si quid ordo in tui officium poteſt, lubens offero, vti mutuæ benevolentiæ pignus. Vale; Romæ quarto Kalendas Aprilis. Anno 1694.

*Dominationis tuæ Clariſsimæ, ac Doctiſsimæ*

Devotiſsimus, & obſequentiſsimus ſervus

*Fr. Antonius Cloche, Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum.*

*R.R. P. M. F. DOMINICI PEREZ, ORD. PRÆDICATORUM, COMPLUtenſis Academiæ, Primum Veſpertinæ, nunc Primariæ D. Thom. Doctiſſimi, & Acclamattiſſimi Moderatis: Concionatoris Regij, Supremi Fidei Senatus Qualificatore, de hoc opere ex Conſilij Supremi Caſtellæ Delegatione: Approbatio, & Cenſura.*

IVſu Supremi Caſtellæ Senatus perlegebam eggregias de *Libero Arbitrio* Diſputationes, quas edebat in lucem Illuſtr. D. D. Didacus Caſtell, Ros, & Medrano, in hac noſtra celeberrima Complutenſi Academia Primarius olim emeritus, nunc Regalis Complutí Digniſsimus Abbas S. C. M. à conſilijs, &c. Perlegebam (inquam) nec ſatis perlegi quas tantus Doctor in lucem edebat, nec ſatis edidit, Diſputationes; vt ſicut ipſe, velut alter Apeles, depingit ſemper quæ ſemel ad ſtuporem depinxerat, ita in eorum obtutum defixa mentis acies intus legat ſemper quæ ſemel non ſine admiratione perlegerat Nec enim ſublimi Authori: Sapientiæ defficiet in his vnquam quid peremniter doceat, nec ſtudioſſæ legentium aviditati deerit in illis quid ſemper addiſcat. Sunt profecto quæ in hoc opere diſſeruntur quæſtiones illæ, quę ipſum quoque pro victrice gratia victorem Magnum Parentem Auguſtinum vehementer (vt ipſe fatur) anguſtabant, quarum reſolutionis ſemita duos inter iacet formidandos Scopulos, alterum fatalis neceſsitatis, quo pereat libertas, alterum elationis ſuperbæ, quo eliminetur gratia. Sunt (inquam) quęſtiones illæ obſcuræ difficilimæ, & paucis intelligibiles, quas non ſemel, & iterum, ſed pluries enucleatas, denuo dilucidare cogitur Eccleſiæ Sol, & ingeniorum Phœnis Auguſtinus, vt ipſe fatetur reſpondens, & annuēs repetitis ſuper hoc præcibus dilectiſsimorum ſibi D. Proſperi, & D. Hylarij: *Poſt tot libros* (inquit) *de hac re, ac Epiſtolas meas, adhuc me deſideratis hinc ſcribere ::: Qua propter ecce reſcribo vobis, & licet iam non vobiſcum, tamen per vos etiam adhuc ago quod me ſatis egiſſe credebam.* Miſticus quoque Eccleſiæ Bos, Angelicus Doctor, eandem de efficaci motione Dei per gratiam cum noſtra libertate amicabiliter coniuncta difficultatem non vna tantum nocte inter orationis quietem ruminavit, non vno tantum die inter ſtudij æſtus decoxit, non vno, vel altero, ſed pluribus eructavit digeſtam articulis, vt eius opera perluſtranti innoteſcit. Quid ergo mirum, ſi Illuſt. Doctor in hoc etiam repetito labore vtriuſque ſe exhibeat, & Auguſtini, & Thomę fidelem Diſcipulum, & iterum agat quod ſatis ſe egiſſe credebat. Præſertim, quia *cum data occaſione Sapienti, Sapientiæ ei addatur*, qua, & in ſe provectior, & in aliorum proventum vtilior, efficitur, inde compellitur quæ de theſauro Sapientiæ ſuę protulerat ſoliditate vetera, nova iterum luce perfuſſa redere ſplendidiora.

*Apelles sẽper vnushac ſubſcriptione Apelles faciebat. Caſſan. pag. 641.*

*Lib. 2. de pec catorum merit. cap. 18.*

*Lib. 1. de Prædeſtin. Sanct. cap. 1.*

*Proverb. c. 9*

Accingit ſe his denuo exagitandis Illuſt. Doctor, vt contra ſtrenuos exhibitę antea Doctrinæ Impetitores, quos diverſa ſolius ingenij acies ſeparat, & in contrarias opiniones deſecat, ipſo opere ſe probet Caſtellum, quod inter Adverſantes ictus perſiſtit immotum. Hæc ſe primo aſpectu offerunt Illuſt. Doctoris Caſtell. Sed quid ſpeciale intueor, dum diffuſſam antea, quaſi in duos rivulos, in duos libros, ſalutaris gratiæ aquam in vnum video fontem coaleſcet quaſi in ſtagno noviter munito reponi. *Caſtella quippe apud Antiquos dicebantur quædam in aquæductibus receptacula, ex quibus ad omnes viarum anfractus aqua per vncias, & digitos dividebatur.* Habet igitur iam in hoc Caſtello Doctrinę Thomiſticę lympidiſsima aqua ex eodem Aquinatis fonte per plures aquæductus deprompta quo ſe ſecurius recipiat, vbi tutius ſiſtat, indeque ad quoſcumque opus fuerit anfractus replendos ſuo iuſto põdere deſcendat, & per tanti Doctoris articulos, quaſi per digitos demonſtrata decur-

*Fortunat. apud Ambroſiũ Calep. verb. Caſtellum.*

rat

rat. Memini Doctoris Angelici vberrimam ſapientiam prænuntiatam fuiſſe illo Davidico Stemate: *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*, quo ad Doctoratus lauream, quam humilis refugiebat, divinitus excitatus eſt, ipſumque iuſſus pro ſuſcipiendo gradu illuſtrandum proponere. Aqua ergo, quæ de ſuperioribus, vel Prophetis, vel Apoſtolis, vel Primęvis Eccleſiæ Doctoribus, ſe totam D Tho. infudit, vt inde inferiora quæque rigaret, hoc quoque gaudeat Caſtello, quo gratè recepta, ſolidè munita, novaque perſcuitate illuſtrata, in quoſvis ſe finus ſecure demittat, & ex fructum copia originem probet, vnde exivit, nec minus centrum, quo properans letiſsima vadit. *S. Antonin 3. par. hiſt. t. 18. ca. 10.*

Nec minus aptè alterius cognominis munus adimplet Illuſt. Doctor, quo ſe rorem probat. dum ſecretiorem efficacis gratiæ explanat doctrinam. Tam pluvia, quam ros, Doctrinæ eſt ſymbolum in ſacris Litteris, teſte Moyſe, qui vtrumque in eodem verſu coniungit; ſed pluvia (inquit Hugo) *Significat Doctrinam manifeſtam, ros autem occultam.* Ros quippe in hervarum, florum, & quorumcumque viridantium non ſolum folia, ſed in intima quæque ſe inſinuat, & quæ vix videtur contingere, intima virtute lenificat, vt ſi quid nimio correptum æſtus ardore langueſcat, in debitum iterum virorem aſſurgat. *Sic ros divinæ gratiæ* (inquit Berchorius) *quæ deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, interius rorificat corda noſtra; nam occultè, & inviſibiliter per Spiritum Sanctum generatus in aere conſcientiæ noſtræ ardores tentationum temperat; virtutes reparat, honeſtatemque, & decorem converſationis introducit.* Huiuſmodi gratię intimam cum dulcedine vim dilucide explicat quæ in hoc eximio opere continetur doctrina, quæque ideo merito ſub roris ſymbolo deſignatur: Roris quidem illius, aut ſimillimi illi, de quo per Prophetam dicitur *Ros lucis ros tuus*, nam in eo neſcies quid potius mireris, ſplendorem, videlicet, quo mentes illuminat, an ſuavitatem, qua corda delectat, & quo vtroque, velut ros Cœli, quæ illuſtrat impinguat. Huius ſtyllicidijs roris humectato Sacratioris Sapientiæ amæno viridario, nil aridam, nil rigidum, nil invenies, quod vel ſpinoſum ariditate marceſcat, vel non ſtatim ſuaviſsimum odorem effundat. Omnia ſunt vegeta, omnia compta, omnia ſuis coaptata locis, & mutuo nexu adeo pulchrè diſpoſita, vt vel lucem videas rorare, vel rorem conſpicias illuceſcere. *Hugo Card. ſuper caput 32. Deut.* *Berchor. tom 3. verb Ros.* *Eſaiæ cap. 26.*

Nec generatio roris à præclara huius operis conceptione procul aberrat. Ros quidem (geminiano teſte) generatur in alto, ſed temperiem, & ſerenitatem expoſcit: Serenitatem ſane; nam aere nubilo, non elevatur ex apropinquatione Solis vapor ille, qui eſt roris materia: temperiem autem; quia ſi nimium vrgeat hyems, dureſcit concretus frigore vapor, ſin vero æſtus; conſummitur ipſe vapor ſutilis, *Vapor enim roridus ſubtilior eſt inter vapores humidos, & ideo elevatur ad ſupremum aeris interſtitium*, vbi calor, & frigus æqua proportione dominantur. Hæc roris propria: Hęc in roſcido, & opere & operis Authore reperiuntur inſignia. Nulla eſt in eo, aut erroris, aut ignorantiæ nebula, quę irradiantis lucis approximationem impediat; nec rurſus aliquis fervet nimiæ contentionis ardor, quo roridi vaporis evaneſcat ſubtilitas. Subtilia valde quævis ab Illuſt. Doctore perſcripta, ſed nec minus ſolida, & quæ in altiſsimum meritiſsimæ laudis faſtigium ſublimem eius ſapientiam attollant; at quæ eſt preſenti s doctrinę roris materia, ſicut elevatior, ita inter reliquas omnes ſubtilior, nam neque patitur deſidiæ frigus (Liberi Arbitrij cooperatione neglecta) dominari, nec propriæ poteſtatis ardorem (gratuiti doni efficacia ſeclusſa) de dominio gloriari permittit: Vtrumque ita temperatum expoſcit, vt ſi vincat poteſtas, non aliter, quàm per gratiam vincat; *Ioan. à S. Germin. lib 1. de Cœlo, & elemen cap. 23.*

Hæc

Hæc propriſsima materia roris, qui in Excelſæ mentis geñeratus regioñe Cœleſtis potius videatur Impreſsio, quam ex humo' emmiſſa exalatio: *Quid mirum* ergo, ſi Oſtreæ, & Conchilia, avido ore cœleſtem rorem, excipientia nitidiſsimas ex illo vniones concipiant, inæſtimabiles parturiant Margaritas? Spero equidem, quod ſimiles ex hoc rore, & conceptus, & partus eveniant, queis ditata Thomiſtica Schola, precioſa plura addat gemmato illi pallio, quo cum Auguſtino viſſus eſt poſt mortem Angelicus rutilare Thomas.

*Idem Ioan. à S. Gemin. ibidem.*

Iam ex hoc inſpicitur quàm longe diſtet à ſterilitate terra illa, quæ tali fœcundatur rore, cum ſuper eam videatur Iſaica illa benedictio deſcendere, vt det ipſi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ vberrimos fructus, quos peremniter edat, vt Sapientiæ primatum non immerito exigat. Nec dubito plurimos poſt Sanctæ Eccleſiæ venerandos Parentes, eoſque præclaros equavis Schola Doctores, & Magiſtros in huius difficillimæ quæſtionis enodatione præire neſcio tamen aliquem antecellere; quod enim de libris editis à Magno Parente Auguſtino poſt alios SS. PP. de Geneſi ad litteram Caſiodorus aſſeruit, hoc (propoſitione ſervata) de opere iſto poſt alia ab alijs Sapientiſsimis de eodem argumento edita opera dicere licet: *Quamvis de eadem re tractaverit, qua D. Baſilius, & S. Ambroſius celeberrima laude fulſerunt, tamen quod poſt diſſertos viros minimè contingere ſolet, opus ſuum longe in aliam ſummitatem, Domino largiente, perduxit.* Vtinam, quę iam prelo parat Illuſt. Doctor, vt ſtatim lucem aſpiciant, quaſi antelucano rore poſt primum præſentis ortum naſcitura, prope diem videantur ennata, vt ita communia, & ſi non expleantur, ſedentur tamen Sapientum deſideria; & noſtra hæc Complutenſis Academia, pro tanti filij, & Doctoris lingua, quam ſibi non ſentit perſonantem, calamum experiatur docentem, quo firmius, & in maius Rei-publicę litterariæ decus, infixa inhęreant quę ex diſſertimæ linguę facundia hauriens olim, nunquam exhauſerat. Hoc ergo opus, non tantum ab errore alienum, aut bonis moribus conſonum, verum Cedro iudico, & immortalitate dignum. Ita ſentio, ſalvo, &c. In hoc D. Thomæ Complutenſi Collegio, die Decimo octavo Maij, anni Domini 1706.

*Locus, vbi Ros non deſcendit, ſterilis eſt. Idē à S. Gemin. in eod. lib. 1 cap. 37.*

*Caſiod. lib. 1 divin. Inſtit cap. 22.*

*Fr. Dominicus Perez.*

## LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joſeph Zeprian de el Valle, Eſcribano de Camara del Rey N. Señor de los qne reſiden en el Conſejo, certifico, que por los Señores de èl, ſe ha concedido licencia al Illuſt. Señor D. D. Diego Caſtell Ros de Medrano, digniſsimo Abad de Alcala la Real, Calificador de la Suprema, y General Inquiſicion, &c. Para que por vna vez pueda imprimir, y vender vn Libro que ha compueſto, cuyo titulo es *De Arbitrio Humano Lapſo*, que và rubricado de mi Rubrica; y firmado al fin de mi nombre: con que antes que ſe venda ſe trayga al Conſejo juntamente con el Original, y Certificacion del Corrector de eſtàr impreſſo conforme à èl; y ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la Impreſsion lo diſpueſto por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte, doy eſta Certificacion en Madrid à veinte y nueve dias del mes de Noviembre de mil ſetecientos y ſeis años.

*D. Ioſeph, Ciprian del Valle.*

OPERIS

## OPERIS CENSVRA COMMITTITVR.

NOS D. Emmanuel de Palomares & Pedraza Iuris vtriusque Sacrorumque Canonum Licentiatus, Ecclesię S. Salvatoris Granatensis Vrbis Canonicus, Regalium Conciliorum Advocatus, in hac etiam Regiæ Compluti Civitate, eiusque Abbatia reddituum Iudex, & pro Illustrissimo Domino meo Doctore D. Didaco Castell Ros de Medrano eiusdem Abbatiæ (nullius sed propriæ Diœcesis) Abbate colendissimo Provisor Officialis, Vicariusque Generalis, tenore præsentium nostrique authoritate Officij, opus istud ab Illustrissimo Domino meo Abbate typis mandandum, evolvendum, legendumque trasmittimus R. admodum P. Magistro Fr. Ludovico Montiel, Ordinis B. V. Mariæ de Mercede, tertiò iam huius Provinciæ Bęticę Priori Provinciali, &c. vt quidquid senserit dicat, subscribat, & patefaciat. Datum in hac Regiæ Compluti Civitate, Idibus Octobris, anno à Virgineo partu 1705.

*Licentiatus D. Emmanuel de Palomares & Pedraza.*

De mandato Domini Provisoris.

*Didacus Garrido*, Not. Apostolicus.

*Censura admodum R. P. Magistri Fr. Ludovici Montiel Regalis Ordinis B. Mariæ de Mercede, semel, iterùm, & tertiò Provinciæ Bœticæ Prioris Provincialis; Electoris, & Diffinitoris Generalis; necnon Tribunalis S. Inquisitionis Qualificatoris; & in Archiepiscopatu Granatensi Synodalis Examinatoris.*

SVbtiles admodùm, atque hac tempestate vtilissimas *De Arbitrio Humano Lapso à necessitate libero, &c.* disputationes ab Ill. D.D. D. Didaco Castell Ros & Medrano, quondam in Complutensi Academia plausibili Antecessore, nunc autem Regalis Compluti Abbatialibus infulis decorato, Supremi, Generalisque Senatus Inquisitionis Qualificatore ex munere S.C.que M. à Concilijs, &c. enucleatas, quas sæpè sæpiùs ingenti tàm animi lætitia, quàm captus admiratione accuratè perlegi, & quibus tota voluptatis affectione iterato studio vacavi: novissimè ab ipsius Ill. Doctoris ingenij partubus elucidatas, & nova formula vnico volumine typis mãdandas D. Licent. D. Emmanuelis à Palomares & Pedraza Regalium Consiliorum Advocatione constituti, Provisoris, Vicarij Generalis, & Iudicis reddituum Regalis Compluti, eiusque Abbatiæ (nullius, sed proprię Diœcesis) ab eodem Ill. & RR. D.D.D. Didaco Castell Ros & Medrano decretum contulit desiderio.

Etsi aut id, quod ingenuè putamus, dicere; aut id, quod seriò meditavimus, ingenuè profiteri, fas est: in attingibilem de re prę omnibus difficili metam discursum inveniſſe, dicere non renuam; quippè si quem possemus anteà excogitare sivè dubitationi abscedendi modum, sivè accumini prætergrediẽdi locum, velut aurea clave, novæ editionis additis obstrusum pertingam; nã si hac de causa aut Scripturæ S. aut Concilijs, aut SS. Patribus, aut Theologis, aut

aut Metaphyſicis operam navaremus; & Scriptura, & Concilia, & Patres, & Theologi, & Metaphyſici vltrò iter clauderent; huius enim Ill. Doctoris ſcripta: (a) *Olent Prophetas, Apoſtolos ſapiunt*, Concilia exhalant, SS. Patres ſpirãt, Theologis, & Metaphyſicis effluunt, cum ex horum omnium ſententioſis dictis dulce mentis favum extruat; quo poſsit canere cum Lucretio: (b)

*Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,*
*Omnia nos item depaſcimur aurea dicta.*

Tanti ergo in paucis Doctoris, tanti in paucis Magiſtri ſtudium præ manibus ſuſcepi: (c) *Nihil parum, aut humili modo offendi*; nec parvo pro tempore dubio indulſi, vtri, ſcilicèt, operi laudando, an probando operam darem? Qua enim, quæſo, dignius apud Catholicos probatione, an laude, quod vt acutum gladium, S. Eccleſiam ab iniurijs vindicat, ab impijſsimis (d) repentinorum teſtiũ (Hæreticorum capite ex gloſ. (e) mendacibus ſupplicium ſumit, & labio, vtpotè veritatis, in perpetuum firmo alios torpiſsimas Belluas homines ſine arbitrio ſomniantes, alios Sanctiſsimam Miſericordiæ Dei auxiliantis gratiam reſpuentes gehẽnæ reos patefieri, lucratus eſt? Qua rurſus quæſo dignius probatione, an laude quod ſolidiſsimam opinionem iterùm, atque iterùm probatã & eruditione, & pulchritudine, & ſapientia mirabili concinnavit? Omne tulit punctum Ill. Doctoris opus, gratiam Dei, etiam efficacem, cum libero arbitrio amiciſsimo fœdere copulando; vt & ex gratiæ, & libertatis conventu vtrumque errorem damnaret, & ex ipſa libertate Divina gratia præveniente adiuta, veluti ex divite vena ſalutaris conſenſus fons erumperet ſaliens in vitam æternam, & Ang. Præcept. S. Thomæ amœniſsima vireta germinatura adaquaret: hìc enim Ill. Doctor (vt Gerſonis verbis vtamur: (f) *Eccleſiam ditat, armat, poſteris aperit fontem aquæ vivæ, ſaliens in vitam æternam.*

Dubium tamen, vel levi diſcurſu dignum, ducere non mittam: namque ſi hic idem aquæ fons apprimè exordium ſumpſit, quid futurum poſterùm vtilitati ex novo curſu, ſivè ex nova ordinatione cenſemus? Eia parti æſtimandæ obiectioni magni prætij Clementis Alexandrini nota occurramus: (g) *Putei, qui exhauriuntur, emittunt aquam magis limpidam, ac perſpicuam.* Nec vellẽ, nec poſſem ad alterã rationem animum incumbere, nec quæ in eius locum ſufficiat facili negotio veniet honoranda. Quid enim aptiùs Doctori, ſcientię puteo, qui grato, & artificioſo circuitu magis limpidam, ac perſpicuam eandem doctrinam, quàm poſteris præbuit, ipſorum propinat leucophlemariæ? (h) *Bonus certè circuitus* (ait Abb. Gilb.) *non modo cum nova ſemper, & occultiora comprehenduntur: Sed cum iam apprehenſa novo, & recenti ſemper affectu revolvuntur: cum non modo quod reſtat penetratur, ſed quod iam penetratum eſt frequenter iteratur.* Satis, ſuperque ipſam anteà doctrinam Ill. Auctor perluſtravit, non tantum quam pulcherrima luce D. Thomæ Diſcipuli ſapientiæ delubro dicarunt: (i)

*Quin etiam proprijs nata oſtentavit in hortis*
*Plura, quæ nondum vel Schola longa tulit,*

vt cecinit quidam ingenio perilluſtris Poëta vlteriorem tamen puritatem, immò nè puritatem, oſtenſionem dicam, aggreditur, vt vinculis ſe conſtrictos cognoſcant, qui ſivè proprij animi facultate affecti, ſivè ſubtili mentis ſtudio ſubiecti, ſivè ſpe victorię reportande arrepti à lumine fortunam in hac re ſalutavere; laboris tamen parum in ipſos fructus redundare, perſpiciet, qui, fortunã, velut auram ſecundam Ill. Doctoris antennas ferre, animadvertat, cui & ipſe claritatis pignus, & veritatis argumentum noviter exploſum ingenium offert, & cui in ipſos etiamſi Sapient. AA. Sulmonenſis reſolutionem præſtat. (k)

pugnan-

a *D. Hiero. ad Pãmach.*
b *Lucret. lib. 3. de natur. rei, in princ.*
c *Horat. 3. Carm. Ode 25.*
d *Labium veritatis firmum erit in perpetuum; qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguã mẽdacij.* Prov. 12. v. 29.
e *Gloſſ. ſup. ſcit. loc.*
f *Gerſ. in laud. Script.*
g *Clem. Alex. ſcrib. rat. offic.*
h *Gilb. ſerm 4. in Cant.*
i *Poet. quid eloq.*
K *Ovid. Faſt lib. 3.*

*Pugnam arma movent,*
*Condita cum fuerint aptius omen erit.*

In hoc ergo opere nunc denuò aucto,& contra eius novos impugnatores ſtrenuè propugnato, non ſolum aliquid non valet deprehendi, aut à caſtis auribus alienum, aut Fidei diſſonum, verum omnia ſunt cedro, & immortalitate digna. Sic ſentio, ſalvo,&c. In hoc Regali B. Mariæ de Mercede Granatenſi Collegio: Menſe Decembris die quinto, Anno 1705.

*Fr.Ludovicus Montiel.*

## FACULTAS ORDINARIJ.

VIſſa Cenſura, & Approbatione ſupradicta de hoc Opere, quantum ad poteſtatem Ordinariam ſpectat, vt prælo mandetur: Licentiam, & facultatem concedo. Datum in hac Regiæ Complutì Civitate quarto Kalendas Novembris, Anno ab Orbe Redempto milleſimo ſeptingenteſimo ſexto.

*Lic.D.Ioſephus de Alcedo Campuzano.*

De mandato Domini Proviſſoris.
*D.Didacus Garrido, Notarius Apoſtolicus.*

## SVMA DE LA TASSA.

DOn Franciſco de Salinas, Eſcrivano de Camara del Rey nueſtro ſeñor, de los que reſiden en el Conſejo: Certifico,que aviendoſe viſto por los Señores de èl vn Libro, intitulado: *De Arbitrio humano lapſo*, con Addiciones nuevamente hechas, compueſto por el Doctor Don Diego Caſtel Ros de Medrano, digniſsimo Abad de Alcalà la Real, Calificador de la Suprema y General Inquiſicion, que con licencia de dichos Señores ſe ha impreſſo, taſſaron cada pliego à ocho maravedis, y à eſte precio, y no mas, mandaron ſe venda; y que eſta certificacion ſe ponga al principio de cada vno. Y para que conſte, lo firmè en Madrid à diez y ocho de Julio de 1707.

*Don Franciſco de Salinas.*

## ERRATA SIC CORRIGE.

NVm.59. lin.22. conditionatatum, leg. *conditionatum*. N.101.fol.73. Phryſi,leg. *Phraſi*. Fol.96.n. 135.lin.vlt. omvibus, leg. *omnibus*. N.214.lin.15. variatio,leg *variato*. N.255.lin.18.mediatum, leg.*mediatam*. N.363.lin.4.venit,lege *prævenit*. N.379.lin.34. videbo, leg.*ridebo*. N.491.lin.5. expetite, leg. *expedite*. N.511.lin.35. Chritiani, leg. *Chriſtiani*. N.526. lin.10. trahentia,leg. *trahentis*. N.524.lin. 10.actus leo, leg.*achyleo*.N.528.lin.13. indicatur,leg. *inducatur*. N.531. lin.3. ſuſcipimur ,leg.*ſuſcipimus*. N.566.lin.36. prædeſtinationi, leg. *prædeterminationi*. N.582.lin.5.irreſtibilem, leg.*irreſiſtibilem*.N.585. lin.28. permiſsimus, leg. *præmiſsimus*. N.610. propè finem, ſe improprie,leg.*ſed improprie*. N.616. propè finem exiſteres, leg. *exiſtere*.N.633. lin.22.Evangalium, leg.*Evangelium*. N.695. in titulo,gratia, leg. *gratiam*.N.743.lin.19 precurrit,leg.*præcurrit*.N.1361.lin.31.dicentis,leg.*dicentes*.N.1068.lin.3.ſolent, leg.*ſolet*.N.1261.lin.14.ad Alex, leg.*ab*. N.1396. lin.7. dinſtinctum, leg. *dinſtinctam*. N.1374. lin.22. mibi, leg. *mibi*.N.1670.lin.17.cenſenſum,leg.*conſenſum*.N.1672.lin.17.intrinceſe,leg.*intrinſice*.N.1681. lin.11.aſſerunt,leg.*aſſererent*.N.1682.lin.12.preciſsioni,leg.*præciſivi*. N.1683. lin.3.egredior,leg. *agredior*.N.1684.lin.3.adſtruere,dinſtintionis,leg.*adſtruere præciſionem dinſtintionis*.N 1686.lin.27.lithale,leg. *lethale*.N.1700.lin.13.exitandum,leg.*excitandum*. N.1753.lin.35.inconnexionis,l.*inconveniens*.N.1757. lin.37.ac,leg.*ab*. N.1760. lin.20. rerum, leg.*verum*. N.1764.lin.3.intelligibile, leg.*in intelligibile*.Eodem n.lin.10,intrinſece,leg.*extrinſece*.Eodem n.lin.25.intelligibile,leg.*in intelligibile*.N.1767.lin.67.cum pugnat,leg.*cum qua pugnat*. N.1768. lin.9.eſſe,leg.*poſſe*. N.1771. lin.6. tamquantum, leg. *tanquam*.N.1773. lin.3.iſta,leg *ita*.Et ibi lin.4.Dialectice,lege *Dialecticæ*.N.1774.lin.14.vetitate, leg.*veritate*.Et ibi lin.20. qui,leg. *quia*. N.1776.lin.3. includit, leg.*includi*. Et ibi lin.29.quæ,leg.*qui*. N.1781.lin.18.vniterſio, leg. *vnitertio*.Et ibi lin.21.ſyllogiſmi,leg *ſyllogiſmos*.N.1783.lin.24.determinare effectum,leg.*determinare cauſam poteſt determinare effectum*.N.1785.lin.10. cantingens, leg.*contingens*. N.1786. lin.84. inimpedibile, leg.*in impedibilem* Num.1787 lin.105.adduto,leg.*aducto*.N.1789.lin.4.pateſt,leg. *poteſt*. Ibi lin.14.falcificandum,leg *falſificandum*:ibi lin.19.falcitas,leg. *falſitas*.N.1791.lin.34.impedibilis, leg *in impedibilis*:ibi in.43.ſed,leg.*ſeu*.Ibi lin.72.prædererm,leg.*prædeterm*.N.1793.lin.1.Roſpondebimus,leg.*Reſpondebimus*. N.1796.lin.9.quia coniungere,leg.*non coniungere*. N.1798.lin.6.defficit,leg.*effecit*.N.1799.lin.12.acceptionem,leg.*acceptationem*. N.1802.lin.102.ex in,leg.*ex vi*. N.1805.lin.50.viſibilis,leg *riſibilis*. N.1808. lin.5. eſt,leg.*&*.Ibi lin.21. ſit, leg.*ſcilicet*.N.1809.lin.12.& lin.24.album eſt muſicum, leg. *album, & muſicum*,N.1811.lin.3.identificare,leg.*identificari*.N.1815. lin.14.determinas,leg.*determinans*. N.1816.lin. 27. &, leg. *eſt*. Ibi lin.43.non compoſitionis, leg. *non compoſitionem*.

Hoc opus, demptis his mendis, ſuo exemplari reſpondet. Matriti die 11. de Iulij ann. 1707.

*D.Benedictus del Rio & Cordido,*
*Corrector Generalis à S.R.M.*

¶¶¶ INDEX

# INDEX DISPUTATIONUM, QVÆSTIONVM, ET SECTIONVM, quæ in hoc Tractatu continentur.


*Disputatio Prima.*

De libertate à necessitate hominis lapsi.

*Quæstio Prima.*

Vtrùm sit in homine liberum arbitrium?

*Sectio Prima.*

Astrologorum, & Manichæorum errores referuntur, num.1.

*Sectio Secunda.*

Hæreses Lutheri, & Calvini proponuntur, num.7.

*Sectio Tertia.*

Evidenti experientia libertas nostra convincitur, num.13.

*Sectio Quarta.*

Evidenti ratione libertas nostra demonstratur, num.15.

*Sectio Quinta.*

De Fide est esse in homine liberum arbitrium, num.17.

*Sectio Sexta.*

Alijs rationibus eadem hæresis refutatur, num. 23.

*Sectio Septima.*

Solvuntnr argumenta ex Sacra Scriptura, num. 25.

*Sectio Octava.*

Mens Augustini explicatur, & triplex declaratur libertatis species, num.32.

*Sectio Nona.*

Quædam falatiæ scitu dignæ solvuntur, num.38.

Additio à num.52. vsque ad 55.

Additio à num.55. vsque ad 60.

*Quæstio Secunda.*

An arbitrium hominis lapsi sit liberum, non solum à coactione, sed etiam à necessitate? num.37.

*Sectio Prima.*

Termini explicantur: Jansenij error refertur, & iudicium, quo eum censuravit Doct. Angelicus demonstrandum suscipitur, num.60.

*Sectio Secunda.*

Sententiam Jansenij esse hæreticam probatur 1. quia in antiquis hæreticis fuit ab Ecclesia proscripta, num.65.

*Sectio Tertia.*

Referuntur alia discrimina quibus Jansenistæ se ab antiquis hæreticis, & Calvino secernunt, num. 66.

*Sectio Quarta.*

Jansenij opinio à Tridentino in Calvino damnata, & à Pio Quinto, & Gregorio XIII. in Bayo proscripta, num.68.

*Sectio Quinta.*

Ex Sacra Scriptura convincitur in homine lapso libertas à necessitate, num.70.

*Sectio Sexta.*

Probatur voluntatem lapsam esse à necessitate liberam, quia alias non esset capax meriti, aut demeriti, num.71.

*Sectio Septima.*

Opinio Jansenij est anumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, num.73.

*Sectio Octava.*

Mens M.P. Augustini exponitur, & præcipuum Jansenij argumentum conteritur, num.78.

*Sectio Nona.*

Ex Augustino Jansenij error expugnatur, & triplex Augustini sententia exponitur, num.81.

*Sectio Decima.*

Testimonia S. Thomæ, quę Janseniani obijciunt, ex ipso S. Doct. exponuntur, & D. Thomam libertatem voluntatis à libertate arbitrij distinguere, demonstratur, num.85.

Additio à num.89. vsque ad 90.

*Sectio Vltima.*

Idem assumptum prosequitur, & quod dum D. Thomas libertatem arbitrij per exclusionem coactionis exponit, per coactionem, non solum violentiam, sed necessitatem intelligere, aperte convincitur, num.90.

Additio à num.94. vsque ad 104.

*Quæstio Tertia.*

An liberum arbitrium sit potentia, an sit activa, appetitiva, & realiter distincta à voluntate? num.75.

*Sectio Prima.*

Liberum arbitrium non est actus, nec habitus, num.104.

*Sectio Secunda.*

Liberum arbitrium non est potentia cum habitu, sed sola potentia, & vna potentia, num.107.

*Sectio Tertia.*

Liberum arbitrium concurrit effectivè physicè ad suas operationes, ita vt implicet principium purè passivum esse liberum, num.110.

*Sectio Quarta.*

Liberum arbitrium verè est potentia passiva, licet non expediat sine restrictione, ipsum ita nominare, num.113.

*Sectio Quinta.*

Liberum arbitrium non est potentia distincta ab intellectu, & voluntate, nec identificatur cum in-

intellectu, ſed eſt potentia realitèr identificata cum voluntate, num. 115.

*Sectio Sexta.*

Implicat intellectum eſſe formalitèr liberum, num. 118.

*Quæſtio Quarta.*

In quibus ſit, quod ſit, & quotuplex ſit liberum arbitrium? fol. 88.

*Sectio Prima.*

Libertas, quæ in Deo, & Angelis, vt Fide certa ſupponitur, Brutis denegatur, num. 121.

*Sectio Secunda.*

Idem aſſumptum proſequitur, & Janſenij error ex D. Thom. redarguitur, num. 125.

*Sectio Tertia.*

Liberi arbitrij notio, & libertatis ſpecies, iuxta mentem Angelici Doct. explicantur, num. 128.

*Sectio Quarta.*

Diffinitio altera liberi arbitrij, qua ſic deſcribitur: cauſa libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis, &c. ſolum debet admitti in ſenſu compoſito, poteſtatis non agendi, cum requiſitis ad agendum, in quo ſenſu coincidit cum diffinitione D. Thom. num. 130.

Additio à numero 134. vſque ad 137.

Additio à numero 137. vſque ad 141.

*Quæſtio Quinta.*

Vtrùm indifferentia in ordine ad finem, ad libertatem ſit exacta? fol. 101.

*Sectio Prima.*

Poſſe peccare non exigitur ad libertatem, potius eſt libertatis defectus, num. 141.

*Sectio Secunda.*

Impotens peccare, non ſolum perfectiorem, ſed maiorem ſortitur libertatem, num. 143.

*Sectio Tertia.*

Quodam argumentum Janſenij conteritur, & amplius declaratur, quod per impeccabilitatem vera libertas deficit, abſque defectu veræ poteſtatis, num. 149.

Additio à num. 154. vſque ad 157.

Fundamenta noſtra inſtaurantur, à num. 157. vſque ad 161.

*Quæſtio Sexta.*

Vtrùm indifferentia ſuſpenſionis ſit de eſſentia libertatis? fol. 116.

*Sectio Prima.*

Indifferentia ſuſpenſionis non exigitur ad libertatem, ſed ſolum indifferentia poteſtatis, n. 161.

*Sectio Secunda.*

Non per quamlibet determinationem indifferentia conſtitutiva libertatis evertitur, ex quo, quoddam argumentum Janſenij, & aliorum, inefficatiæ convincitur, num. 163.

*Sectio Tertia.*

Quædam argutiæ convelluntur, & quomodo ſit verum, quod poſsibili poſito in eſſe nullum ſequitur impoſsibile: declaratur, num. 166.

Additio à numero 172. vſque ad 174.

*Quæſtio Septima.*

Vtrùm libertas vnius exercitij exigat poteſtatem proximam ad oppoſitum? fol. 126.

*Sectio Prima.*

Ad libertatem vnius exercitij non ſufficit potentia remota ad oppoſitum, num. 174.

*Sectio Secunda.*

Ad libertatem vnius exercitij non ſufficit potentia ſubiectivè conditionata ad oppoſitum, num. 177.

*Sectio Tertia.*

Ad libertatem actus exigitur poteſtas proxima omiſsionis, ſed ad libertatem omiſsionis non deſideratur poteſtas proxima actus, num. 180. 130

*Sectio Quarta.*

Obiectionibus in contrarium ſit ſatis, num. 166.

Additio à num. 189. vſque ad 191.

*Quæſtio Octava.*

Vtrùm principium conſtituens poteſtatem actus connexum cum actu adimat libertatem actus ſi eſt inauferibile per actus carentiam? fol. 139.

*Sectio Prima.*

Traduntur omnes convinationes poſsibiles principij antecedentis actum, num. 191.

*Sectio Secunda.*

Principium conſtitutivum poteſtatis ad actum connexum cum actu inauferibile per carentiam actus tollere libertatem actus; probatur ex D. Thoma, num. 195.

*Sectio Tertia.*

Probatur tale principium auferre libertatem, quia pugnat cum indifferentia poteſtatis ad oppoſita, num. 197.

*Sectio Quarta.*

Aliquæ limitationes noſtræ concluſionis, reijciuntur, num. 201.

*Sectio Quinta.*

Idem aſſumptum amplius roboratur, num. 204.

*Sectio Sexta.*

Obiecta in contrarium ſolvuntur, num. 207.

Additio à num. 209. vſque ad num. 215.

*Quæſtio Nona.*

Vtrùm principium conſtituens poſſe agere, & connexum cum actione adimat libertatem actus ſi ſit auferibile per non agere? fol. 156.

*Sectio Prima.*

Probatur tale principium non tollere libertatem, quia non eſt neceſsitas antecedens ad actum, num. 215.

*Sectio Secunda.*

Probatur tale principium eſſe abſolutè poſsibile, num. 219.

*Sectio Tertia.*

Principium conſtitutivum libertatis actus in con-

iungibile cum aliquo libertatis extremo, ex M.P.Auguſtino ſpecialiter roboratur, n.223.

*Sectio Quarta.*

Solvitur primum argumentum ex repugnantia virtutis connexæ cum vno extremo conſtitutivæ libertatis, & D. Thom. pro noſtra ſententia eſſe probatur, num.226.

*Sectio Quinta.*

Alijs obiectionibus occurritur, & explicatur quomodo, non agere in coniungibile cum poteſtate ad actum poſsit ſuæ coexiſtere libertati, num. 230.

Additio à num.235. vſque ad 239.

Additio à num.239. vſque ad 251.

Additio à num.251. vſque ad 265.

*Diſputatio Secunda.*

De gratia, qua Deus præveniendo excitat, & adiuvat liberum arbitrium ad conſenſum ſalutarem, fol.193.

*Quæſtio Prima.*

Vtrùm ex illo Apoſtolico teſtimonio: *Quis te diſcernit, &c.* deducatur gratia præveniens adiuvando ad conſenſum diſtincta à gratia, quæ præveniendo excitat? fol.195.

*Sectio Prima.*

Termini explicantur, & in quo ſiſtat controverſia inter Thomiſtas, & DD. Societatis exponitur, num.265.

*Sectio Secunda.*

Si ſemel admittitur gratia præveniens adiuvando ad conſenſum ab excitante diſtincta, rectè denominatur phyſicè prædeterminans, num.273.

*Sectio Tertia.*

Intentio Apoſtoli ex Auguſtino exponitur, & quomodo præcipuè ex hoc Apoſtolico teſtimonio Pelagianos develavit, num.282.

*Sectio Quarta.*

Ex Apoſtoli teſtimonio efficaciter deducitur gratia præveniens conſenſum, ab excitante diſtincta iuxta M.P. Auguſtini mentem, num.287.

*Sectio Quinta.*

Ratione probatur ex teſtimonio Apoſtoli colligi gratiam prævenientem ab excitante diſtinctam, num.294.

*Sectio Sexta.*

Primà ſolutio refutatur, & oſtenditur, aliam eſſe diſcretionem intrinſecam conſentientis præter illam, quæ formaliter conſiſtit in conſenſu, & hanc non poſſe principaliter de ſummi ex Deo, ſi à Deo non determinatur, num.295.

*Sectio Septima.*

Secunda ſolutio reijcitur, & iuxta principia ſcientiæ mediæ diſcretionem in actu primo extrinſecam conſentienti eſſe à voluntate probatur, num.305.

*Sectio Octava.*

Si Deus diſcernit conſentientem à non conſentiente, ſine gratia præveniente adiuvando, ſeu ex ſe efficaci; ſequitur, quod etiam diſcernat, non conſentientem à conſentiente, num.312.

*Sectio Nona.*

Argumentum, quod ex hoc Apoſtoli teſtimonio deſſumpſit Janſenius ad inferendam gratiam efficacem neceſsitantem hominem lapſum, evidenter inefficatiæ convincitur, num.321.

*Sectio Decima.*

Contraria argumenta diſſolvuntur, num.328.

Additio à num.334. vſque ad 346.

Additio à num.346. vſque ad 348.

*Quæſtio Secunda.*

Vtrùm ex Sacra Tridentina Synodo colligatur gratia præveniens adiuvando conſenſum ſalutarem, ab excitante diſtincta? fol.239.

*Sectio Prima.*

Prima ratio pro concluſione affirmativa expenditur, num.348.

*Sectio Secunda.*

Idem aſſumptum ex regulis fidei Sacri Concilij probatur, & ſolutio adverſariorum evertitur, num.354.

*Sectio Tertia.*

Argumenta, quæ intendunt, gratiam excitantem, eſſe eandem cum adiuvante conteruntur, & noſtra concluſio amplius roboratur, num.360.

*Sectio Quarta.*

Argumenta, quæ intendunt, gratiam non prævenire ſubmunere adiuvantis enervantur, & noſtra concluſio amplius illuſtratur, num.363.

Additio à num.370. vſque ad 380.

Additio à num.380. vſque ad 388.

*Quæſtio Tertia.*

Vtrùm gratia præveniens adiuvando voluntatem, vt ſalutariter conſentiat conſtituat poteſtatem ad conſenſum? fol.257.

*Sectio Prima.*

Gratiam phyſicè prædeterminantem conſenſum, eſſe exactam ad conſenſum, & connexam cum conſenſu ſupponitur, ſed adhuc reſtare controverſiam, an conſtituat, poſſe ad conſenſum, cuius ſtatus aperitur, num.388.

*Sectio Secunda.*

Ex eo quod conſenſus ſalutaris non poſsit eſſe ſine prædeterminatione, omninò inefficaciter colligitur prædeterminationem conſtituere poſſe ad conſenſum, num.394.

*Sectio Tertia.*

Fundamentum ſententiæ contrariæ exponitur: noſtra exemplis illuſtratur; & ex D.Thom. deducitur, num.400.

*Sectio Quarta.*

Exempla, quæ adverſarios magis vrgent adducuntur, num.406.

*Sectio*

*Sectio Quinta.*

Ex M.P. Auguſtino probatur, gratia efficax præveniens conſenſum liberum, quæ non conſtituat poteſtatem, num.419.

*Sectio Sexta.*

Ratione Theologica probatur gratia præveniens conſenſum, & prærequiſita, quæ poteſtatem ad conſenſum non conſtituat, num.431.

*Sectio Septima.*

Vrgentius ſuadetur gratia præveniens conſenſum adæquatè à libertate diſtincta, num.438.

*Sectio Octava.*

Ex Angelico Doct. probatur gratia efficax præveniens conſenſum liberum exacta, & non conſtituens poteſtatem, num.451.

*Sectio Nona.*

Prædeterminatio non conſtituit poteſtatem actus, vt concilietur cum eius libertate, num.458.

*Sectio Decima.*

Solvuntur Argumenta, num.464.

Additio à num.480. vſque ad 493.

Additio à num.493. vſque ad num.514.

Additio à num.514. vſque ad 521.

*Quæſtio Quarta.*

Vtrùm gratia phiſicè prædeterminans ſit à noſtra voluntate reſiſtibilis? num.317.

*Sectio Prima.*

Ratio fundamentalis DD. Societatis ad ſuadendum gratiam efficacem qua de facto operamur non eſſe prædeterminantem, ex irreſiſtibilitate gratiæ prædeterminantis deprompta, adducitur, & quid ſentiant noſtri DD. exponitur, num.521.

*Sectio Secunda.*

De Fide eſt dari interiorem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtibilem, num.531.

*Sectio Tertia.*

Catholica veritas gratiæ interioris in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtibilis ex SS. PP. decretis evidenter colligitur, & novum Janſeniſtarum effugium excluditur, num.547.

*Sectio Quarta.*

Gratiam phiſicè prædeterminantem eſſe à voluntate noſtra irreſiſtibilem ratione convincitur, num.554.

*Sectio Quinta.*

Prædeterminationem eſſe à voluntate noſtra irreſiſtibilem, ex Angelico Mag. efficaciter probatur, & aliquorum effugium præcavetur, n.564.

*Sectio Sexta.*

Ex damnatione Janſeniani erroris (*interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*) inefficaciſsimè colligitur gratiam efficacem, qua de facto operamur eſſe reſiſtibilem, num.576.

*Sectio Septima.*

Ex Sacro Tridentino Concilio, gratiam efficacem eſſe reſiſtibilem, minimè colligitur, num.583.

*Sectio Octava.*

Nec ex Concilio Senonenſi, aut Eccleſiæ Patribus deducitur, gratiam efficacem eſſe reſiſtibilem, num.592.

*Sectio Nona.*

Potius probatur gratiam efficacem eſſe prædeterminantem, quia gratia efficax, qua de facto operamur, eſt irreſiſtibilis, & contraria argumenta enervantur, num.600.

Additio à num.611. vſque ad 620.

Additio à num.620. vſque ad 650.

*Quæſtio Quinta.*

Vtrùm gratia phiſicè prædeterminans ſit à voluntate noſtra acquiribils, aut impedibilis? num. 360.

*Sectio Prima.*

Termini explicantur, & ſententiæ DD. referuntur, num.660.

*Sectio Secunda.*

Voluntas non poteſt per actum poſitivum prædeterminationem obtinere, nec prædeterminationis exiſtentiam impedire, num.655.

*Sectio Tertia.*

Gratia prædeterminans non eſt dependens à conſenſu libero, quem efficit, in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ, num.661.

*Sectio Quarta.*

Denegatio gratiæ efficacis nequit eſſe homini imputabilis, quia ortum ducit ex peccato, & propria culpa, num.667.

*Sectio Quinta.*

Nullum eſt fundamentum, vt à noſtris Thomiſtis adſtruatur, gratia efficax à noſtra voluntate impedibilis, vel denegatio gratiæ efficacis voluntati noſtræ imputabilis, num.676.

*Sectio Sexta.*

Amplius probatur gratiam prædeterminantem eſſe à voluntate noſtra in impedibilem, quoad exiſtentiam, ita vt eius defectus non poſsit eſſe voluntati noſtræ imputabilis, num.681.

*Sectio Septima.*

Certa ſupponuntur, vt decidatur, gratiam efficacem cum qua de facto operamur, eſſe à nobis in impedibilem quoad exiſtentiam, num.695.

*Sectio Octava.*

Probatur gratiam efficacem eſſe à nobis inimpedibilem quoad exiſtentiam, num.701.

*Sectio Nona.*

Mens Angelici Doct. indagatur, & qualiter diſſenſus ſit impedimentum prædeterminationis ad conſenſum exponitur, num.714.

*Sectio Decima.*

Solvuntur argumenta ex Tridentino, & SS.PP. deſumpta, num.722.

*Sectio Vndecima.*

Solvuntur argumenta à ratione, num.730.

Additio à num.734. vſque ad 751.

*Pars ſecunda, & Diſputatio tertia.*

De concordia libertatis à neceſsitate conſenſus ſalutaris cum gratia, quæ adiuvando prævenit diſtincta ab ea, quæ præveniendo excitat.

*Quæſtio Prima.*

Vtrùm gratia ſit cum libertate conſenſus ſalutaris concilianda ex eo, quod non cogat violenter voluntatem, ſed ſuaviter ei velle tribuat, fol. 101.

*Sectio Prima.*

Gratiam prævenientem non pugnare, cum libertate conſenſus ſalutaris eſt veritas de Fide, contra Pelagium, & Calvinum, num.751.

*Sectio Secunda.*

Nova Janſeniana gratiæ prævenientis efficacis cum libero arbitrio concordia, refertur, & vt hæretica, & ex Calvino de prompta reicitur, num. 777.

*Sectio Tertia.*

Hanc Janſenij ſententiam à Sacro Tridentino Concilio, vt hæreticam proſcriptam eſſe demonſtratur, & inepta cavilatio Janſenij refutatur, num.782.

*Sectio Quarta.*

Ex SS. Eccleſiæ PP. Janſenij cavilatio Tridentini Concilij decretum illudens evidentiſsimè refutatur, num.791.

*Sectio Quinta.*

Janſeniana concordia gratiæ prævenientis, cum noſtra libertate ex M. P. Auguſtino manifeſtè reicitur, num.799.

*Sectio Sexta.*

Argumenta Janſeniana diſolvuntur, & Auguſtinum libertatem à neceſsitate conciliaſſe, cum efficatia gratiæ, demonſtratur, num.806.

*Quæſtio Secunda.*

Vtrùm ſcientia media ſit neceſſaria ad concordiam gratiæ efficacis, cum libertate conſenſus ſalutaris exponendam, fol.421.

*Sectio Prima.*

Status quæſtionis, & ſententia DD. Societatis, exponuntur, num.819.

*Sectio Secunda.*

Scientiam illam mediam, non eſſe neceſſariam ad concordiam gratiæ efficacis, cum libertate conſenſus ſalutaris exponendam, ex M. P. Auguſtino probatur, num.824.

*Sectio Tertia.*

Omnem gratiam prævenientem eſſe ab extrinſeco efficacem minimè exigitur, iuxta M. P. Auguſtini mentem, vt cum vera libertate concilietur, num.832.

*Sectio Quarta.*

Idem aſſumptum amplius confirmatur, num.845.

*Sectio Quinta.*

Si Deus prædeterminat, aut condeterminat conſenſum liberum creaturę, inutilis eſt ſcientia media ad conciliandam efficatiam gratiæ, cum libertate, num.860.

*Sectio Sexta.*

Obiectum ſcientiæ Divinæ conditionatæ contingentis conſenſus liberi, exponitur vt exindè inutilitas ſcientiæ mediæ ad conſotiandam efficatiam gratiæ, cum libertate (licèt Deus non prædeterminet intrinſecè, aut extrinſecè conſenſum liberum) efficaciter colligatur, num. 868.

*Sectio Septima.*

Licèt Deus non prædeterminaret intrinſece, aut extrinſecè conſenſum liberum, ſcientia media eſſet inutilis ad conſotiandam efficatiam gratiæ, cum libertate conſenſus, num.883.

*Sectio Octava.*

Alia ſolutio principalis rationis refutatur, n.896.

*Sectio Nona.*

Argumenta evertendo concluſio noſtra amplius illuſtratur, num.912.

*Sectio Decima.*

Tertium argumentum conteritur, & probatur, libertatem noſtram ſubſiſtere cum voluntate efficaci Dei, & efficaci gratia, quin libertas ſit poteſtas impediendi voluntatis exiſtentiam, aut gratiæ efficaciam, num.924.

Additio à num.945. vſque ad 947.

Additio à num.947. vſque ad 950.

*Quæſtio Tertia.*

Vtrùm gratia preveniens adiuvando concilietur cum vera libertate conſenſus ſalutaris, quatenus ſua intrinſeca efficacia infert eius ſubſtantiam, & libertatis modum? fol.465.

*Sectio Prima.*

Gratia ex ſe efficax non pugnat cum libertate conſenſus ſalutaris, quia determinat eius ſubſtantiam, & modum libertatis, num.950.

*Sectio Secunda.*

Doctrina communis Authorum ſententiæ oppoſitæ refertur, & ex Div. Thom. impugnatur, num.961.

*Sectio Tertia.*

Deus per prævenientem gratiam determinat ſubſtantiam, & modum libertatis conſenſus ſalutaris, quia ita determinat conſenſum, vt poſſe ad diſſenſum non auferat, num.969.

*Sectio Quarta.*

Rationibus explicatur concordia gratiæ determinando prævenientis conſenſum ſalutarem, cum eius libertate à neceſsitate, num.982.

*Sectio Vltima.*

Diſputationis vltima elucidatio, amplius roborando, non peti principium dum prædeterm. coexiſtere libertati edocetur, quia in actu, & modum ipſum libertatis infert, num.1006.

Additio à num.1018. vſque ad 1026.

*Quæſtio*

*Quæſtio Quarta.*

Vtrùm prædeterm. exacta ad actum ſalutarem ſervet illeſam libertatem eius, ex eo quod poſſe ad actum non conſtituat, fol.487.

*Sectio Prima.*

Prædeterminatio ad actum nequit eſſe conſtitutivum exactum, vt ſit poteſtas proxima, & expedita agendi, num.1031.

*Sectio Secunda.*

Defacto auxilium identicè prædeterminans in eo, qui ſalutariter agit, non conſtituit poſſe agere, num.1049.

*Sectio Tertia.*

Prædeterminatio ad actum ſalutarem, non conſtituit poſſe, licèt non conſiſtat in actione Dei, ſed in aliquo intrinſecè in voluntate recepto, & ab actu diſtincto, num.1067.

*Sectio Quarta.*

Si gratia prædeterm poteſtatem conſentiendi conſtitueret, libertatem conſenſus, perimeret, vndè eſt impoſsibilis libertas conſentiendi per gratiam prædeterm. conſtituta, num.1094.

*Sectio Quinta.*

Prædeterm. non conſtituens poſſe agere illeſſam ſervat libertatem actus; principium enim determinans actum, & independens à libertate ſi non coſtituit poteſtatem agendi, cum libertate actus non pugnat, num.1102.

*Sectio Sexta.*

Janſeniana argumenta inferentia, gratiam ab intrinſeco efficacem in ſtatu naturæ lapſæ, eſſe exactam ad poſſe ſalutariter operari, objiciuntur, & diluuntur, num.1112.

§. I.

Argumenta, quæ ex S.Scriptura deſumpſit Janſenius, probant gratiam interiorem intrinſecè efficacem, ſed non ſuadent omnem gratiam interiorem efficacem eſſe, num.1123.

Additio à num.1146. vſque ad 1165.

§. II.

Argumenta, quæ ex S. Auguſtin. deſſumpſit Janſenius, probant docuiſſe gratiam intrinſecè efficacem, minimè verò in ſtatu lapſus negaſſe gratiam ſufficientem: Vbi, an Pelagius in aliquo ſtatu ſui erroris adiutorium ſufficiens gratiæ tandem conceſſerit, & in quo differant iuxta Auguſt. gratia hominis integri, & lapſi, decidunt, num.1165.

Additio à num.1229. vſque ad 1250.

§. III.

Solvitur argumentum, ex ratione Theologica à Janſenio adverſus gratiam ſufficientem naturæ lapſæ deſſumptum, num.1250.

Additio à num.1261. vſque ad 1269.

*Sectio Septima.*

Solvuntur argumenta, quæ intendunt auxilium identicè efficax in ſalutariter operante conſtituere poteſtatem aggendi, num.1269.

Additio à num.1290. vſque ad 1298.

*Sectio Octava.*

Diſſolvuntur argumenta, quæ prædetermin. conſtituentem, poſſe agere non officere libertati contendunt, num.1298.

*Sectio Nona.*

Subſternuntur Argumenta connantia prædeterm. conſtituere actum primum, ex eo, quod intrinſecè inhæreat voluntati præveniendo actum ſecundum, num.1302.

*Sectio Decima.*

Diſſolvitur capitale argumentum Societatis, intendens, prædetermin. exactam ad conſenſum ſalutarem, conſtituere poſſe, quia dum abeſt nulla adeſt poteſtas expedita conſentiendi, n.1308.

§. I.

Proponuntur argumenta, quæ intendunt in prædeterminatum ad conſenſum non poſſe conſentire, num.1309.

§. II.

Proponuntur argumenta ſuadentia, in imprædeterminato ad conſenſum non eſſe auxilium ſufficiens: Deum præcipere impoſsibilia: eſſe inutilem exhortationem vt conſentiat, & iniuſtam increpationem de non conſenſu, num.1319.

§. III.

Quibuſdam ſuppoſitis vis argumenti infringitur, num.1323.

§. IV.

Dominium liberum omnia comprincipia ſubijcere præter Deum, cui ſubijcitur, num.1340.

§. V.

Solvuntur argumenta, quæ intendunt imprædeterm. ad conſenſum non poſſe conſentire, num.1346.

§. VI.

Solvuntur argumenta, quæ intendunt imprædeterm. ad conſenſum non habere auxilium ſufficiens: obligari ad impoſsibilia, inutiliter exhortari, & iniuſtè corripi.

Additio à num.1362. vſque ad 1369.

Additio à num.1369. vſque ad 1387.

Additio à num.1387. vſque ad 1398.

Additio à num.1398. vſque ad 1404.

*Sectio Vndecima.*

Diſſolvuntur argumenta, quæ intendunt de conceptu agentis liberi, eſſe non determinari ab alio, & exinde prædeterm. adhuc non conſtituentem poteſtatem agendi pugnare cum libertate actus, num.1404.

§. I.

Proponuntur argumenta à ratione, num.1406.

§. II.

Proponuntur argumenta P. Palanco, adverſus prædeterm. intrinſecam, num.1411.

§. III.

De conceptu agentis liberi eſt ſe movere, & determinare, eſſeque ſuorum actuum Dominum exin-

ẽxindeque à nullo agente creato determinari, non autem excludit determinari à Deo, ad ſua exercitia libera, num.1415.

§. IV.

Solvuntur argumenta ab authoritate, num.1427.

§. V.

Solvuntur argumenta à ratione, num.1436.

§. VI.

Argumenta P.Palanco ſolvuntur, num.1441.

Additio à num.1445. vſque ad 1456.

Additio. Synopſis quæſtionis ſecundæ libri primi ad Simplicianum, SS. P.Auguſt. num.1456.

Additio à num.1502. vſque ad 1514.

*Quæſtio Quinta.*

Vtrùm prædeterminatio ad conſenſum pugnet cum eius libertate, quia voluntas non poteſt ei reſiſtere? fol.665.

*Sectio Prima.*

Probatur prædeterm. conſenſus, cui voluntas non poſsit reſiſtere per diſſenſum, non lædere libertatem conſenſus, num.1515.

*Sectio Secunda.*

Sophiſticæ argutiæ ſcitu dignæ refutantur, n.1523.

§. I.

Poteſtatem diſſentiendi non eſſe poteſtatem reſiſtendi prædeterminationi roboratur, n.1523.

§. II.

Argutiæ deſumptæ ex eo, quod impoſsibilitas reſiſtendi, ſit in voluntate prædetermin. ad conſenſum, impoſsibilitas diſſentiendi, diſſolvuntur, num.1532.

§. III.

Suadetur hanc prop. *voluntas poteſt reſiſtere prædet*, non eſſe modalem diviſam, num.1544.

§. IV.

Explicatur, quod ſit contradictorium *actus prædeterminati*, num.1548.

*Sectio Tertia.*

Argumentis ex Concilio Tridentino deſumptis ſatis fit, & voluntatem non poſſe *diſſentire* gratiæ efficaci, nec eam *abijcere* defenditur, n.1563.

§. I.

Probatur propoſitionem Concilij *liberum arbitrium motum, &c.* facere ſenſum diviſum, num.1565.

§. II.

Solvuntur argumenta, quæ intendunt Concilium per gratiam adiuvantem, non intelligere prædeterm. Immò arbitrium ex Concilio poſſe diſſentire gratiæ efficaci, num.1571.

Additio à num.1590. vſque ad 1592.

*Sectio Quarta.*

Quantum diſtet Angelicæ Scholæ doctrina à Calvini, & Janſenij hæretico errore, evidenter exponitur, num.1591.

§. I.

Evidens eſt Angelicæ Scholæ ſententiam differre à Calvini errore, num.1592. vſque ad 1600.

§. II.

Apperitur in quo differat doctrina Thomiſtarum ab errore Calvini negantis arbitrij veram libertatem à neceſsitate, num.1600.

§. III.

Aliqua argumenta ſolvuntur, num.1603.

§. IV.

Apperitur diverſitas ſententiæ Thomiſtarum ab errore Calvini negantis gratiam ſufficientem, non efficacem, immò gratiam excitantem, adiuvantem, & cooperantem, num.1613.

Additio à num.1615. vſque ad 1616.

*Sectio Quinta.*

Argumenta difficilia Societatis, quæ intendunt gratiam irreſiſtibilem tollere libertatem, ſolvuntur, num.1616.

Additio à num.1630. vſque ad 1641.

*Quæſtio Sexta.*

Vtrum gratia prædeterminans conſenſum pugnet cum illius libertate, quia non poteſt à voluntate impediri? fol.710.

*Sectio Prima.*

Semel admiſſa prædeterminatione gratiæ, eius impedibilitas non exigitur, vt conſenſus ſit liber: Nec vt voluntati imputetur conſenſum deficere, neceſſe eſt deffectum gratiæ imputari voluntati, num.1647.

*Sectio Secunda.*

Stat vera libertas ad impediendum conſenſum per diſſenſum, quin ſit poteſtas impediendi prædeterm. conſenſus, num.1651.

§. I.

Quædam principia firmantur, eodem num.

§. II.

Ex præiactis principijs probatur concluſio, num. 1655.

*Sectio Tertia.*

Solvitur primum argumentum, intendens voluntatem prædeterminatam ad conſenſum, non eſſe liberam, nec poſſe diſſentire, ſi non poteſt impedire prædeterminationem, vbi de vera intelligentia ſenſus diviſi, & compoſiti, num. 1659.

§. I.

Explicatur poteſtas compoſita cum prædeterminatione conſenſus ad diſſenſum à prædeterm. diviſſum, num.1659.

§. II.

Argumenta contra allatam ſolutionem enervantur, num.1670.

Additio à num.1680. vſque ad 1688.

Additio à num.1689. vſque ad 1713.

*Sectio Quarta.*

Solvuntur argumenta deſumpta ex hoc principio, determinatio ad conſenſum inevitabilis à nobis quo ad ſuam exiſtentiam, pugnat cum libertate conſenſus, ſeu poteſtate diſſenſus.


§.I.

QUÆSTIONUM, ET SECTIONUM.

§. I.

Argumenta intendentia ex determinatione inevitabili consensus, non esse in voluntate potestatem impediendi consensum, proponuntur, à num. 1714.

§. II.

Alia argumenta ad idem assumptum aducuntur, à num. 1719.

§. III.

Proponuntur argumenta, quæ intendunt ex potestate impediendi consensum, potestatem impediendi existentiam determinationis adipsum, à num. 1726.

§. IV.

Instantiæ difficiles, argumenti præiacti proponuntur, à num. 1729.

Additio à num. 1738.

Additio à num. 1769.

§. V.

Aliquæ solutiones reijciuntur, à num. 1782.

§. VI.

Argumenta intendentia ex determinatione inevitabili consensus, non esse in voluntate potestatem impediendi consensum, solvuntur, à num. 1787.

§. VII.

Alia argumenta ad idem assumptum solvuntur, à num. 1792.

§. VIII.

Solvuntur argumenta, quæ intendunt ex potestate impediendi consensum, potestatem impediendi determinationem ad ipsum, à num. 1799.

Additio à num. 1802.

# FINIS INDICIS.



DO-

DOMINI

# D. FRANCISCI CASTELL ROS DE MEDRANO,

EQUESTRIS ORDINIS D. IACOBI, CAROLO SECUNDO Hiſpaniarum Regi à Secretis, in Fratris ſui Illuſtriſsimi Abbatis Opera.

## CARMEN.

AUtolyco ſtatuam priſci tribuère Pelaſgi,
Præbuit & magnis Attica terra Viris.
Hic tibi mos etiam ſummos celebrare Quirites
Roma, atque effuſas cingere fronde comas.
Æacidæ vitreis, Quid? Si Neptunus ab vndis
Ad tumulum clypeum traxerit vſque ſuum?
Hectore conceſſo fatis, vrnaque ſepulto,
Quid mirum teneat nexilis herba rogum?
Marceſsit nunquam Virtus, ſemperque vireſcit;
Temporis adverſi nulla pericla timet.
O mihi permultis, Frater clariſsime, vinclis
Obſtricte, & cunctis ſat venerande modis!
Dedecet Aonias deducere ab arce Camænas,
Et Fratrem Fratrem promere laude ſuum.
Hoc tamen ecce decet ſummas perſolvere grates;
Quod dederit magnus tot tibi dona Deus.
En tibi per vaſtos traducit fama Sicanos
Nomen; & externis dat monumenta locis.
En tibi Dircæi perierunt Carmina Vatis,
Magnaque quam diris ſunt data ſcripta focis.
Tu tamen æternum fama referère ſuperſtes;
Nec poterunt nigris ſcripta latère cavis.
Non opus eſt celſos paſsim cumulare Coloſſos;
Te manet ex ſcriptis namque perenne decus.
Ergò virens victrix præcingat tempora laurus,
Atque edera eximium contegat ipſa Virum.
Perpetuum donet florens Amaranthus honorem;
Augeat & nomen fama canenda tuum.
Pertigit en Latios Germani gloria fines,
Occupat & totum maxima fama polum.
Tempora purpuream forſan velare Tiaram
Accidet, & fulvus tunc tibi Acanthuſ erit.
Expedit intereà Dominum celebrare ſupremum,
Quem precor æternam det ſuper Aſtra diem.

AU-

# AVCTOR LECTORI.

ÆNigma cæcis defensum tenebris, latebris occultum, Libertatis Arbitrij nostri, & adiutorij divinæ gratiæ, quia *inter* (1) *apicem superbiæ, & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus*, indefesso studio, acri sedulitate iterum pandere agredior. Magistri enim insigni doctrinæ lumine clarentes, claros inter habentes nomina clara viros: vni vacantes litterarum serio studio, quos edoctos, eruditos Doctores casto enutrivit casta Complutensis Minerva sinu: nil intentatum reliquerunt, limato sermone, ingenioso acumine, quibus nihil exactius, eruditiusque, vt fundamina nostræ sententiæ everterent, & responsiones nostras oppugnarent: Hij sunt: Sapient. P. Doct. Vincentius Ramirez, Primarius Theolog. Professor ex illis (2) *Religiosis viris, qui nomen Iesu imposuere sibi, quorum pietas cum perse fulgeat, futilibus nostris laudibus, vt magis floreſcat, non indiget.* Et Sapientissimus Doctor D. Ioannes de Prado meæ Magistralis Complutensis Ecclesiæ Ss. Martyrum Iusti, & Pastoris, Canonicus, & Archipresbyter (carcere corporis solutus, qui me sibi iunxit: cineri gloria sera venit) sed ita mite ingenium *vt* (3) *in dissertatione tantis altercationum nebulis involuta, hoc faciat sanitas pacis, vt cum diutius res tam obscuræ quæruntur, & propter inveniendi difficultatem, diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum, liquidumque perveniatur, vinculum permaneat vnitatis.* Hoc igitur auctum opus (4) *contrariorum obiectiones, & responsiones illis subiectas, haud confusè, sed recto ordine digestas habet.* (5) *Quod enim potuerunt magna, & acuta ingenia cogitare, aut inopiæ est tacendo vitare, aut arrogantiæ contemnendo præterire.* Inter Scriptores ex alijs Scholis cursim sententias nostras attingentes, alij conviciorum plaustris onerant, ingenuas mentes dedecet, alij enixe laudant, sed nec illa expendo, nec ijs extollo: (6) *Si enim vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici essemus.* (7) *Docuitque nos Deus gaudere, & exultare, quando qualiacumque maledicta non ex veritate audiamus, sed quia pro veritate certamus: Sed* (8) *nec me, vel Laudatores, vel vituperatores mutabunt, quod enim sum, hoc maneo, sive maledictis afficiar, sive laudibus in Cœlum efferar.*

In stylo: *pauca* (9) *sunt, quæ proprie loquimur, plura non proprie, sed agnoscitur, quid velimus. Dictionis* (10) *inaffectata, & incomposita simplicitas decora mihi videbatur, & conveniens professioni Christiani hominis, cuius est non ad ostentationem magis scribere, quam ad publicam vtilitatem.* (11) *Bonorum ingeniorum est veritatem amare, & non pulchra verba: Quid enim prodest clavis aurea, si aperire non potest, hoc est, ad veritatem ducere; nec curandum, quid bene sonet, sed quid bene indicet.* (12) *Nec mihi pudoris est, si disputatio mea, quæ forte probatur in rebus, aliquos verborum inanium sectatores horrore incomptæ orationis offendat: quia quod ab homine Doctore studendo non didici, id exhibere loquendo non potui. Et tamen cum sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervet, quis non iudicet me affectationem compositionis debuisse contemnere, etiamsi eam potuissem velut dicendi peritus implere? Quapropter ea mihi visa est compositio satis ornata, quæ conceptiones animi cum necessaria quadam perspicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deserviret. Ea est enim, nisi fallor, iudi-*

(1) *S. Aug. Ep. 81.*

(2) *Franc. Serr. verb.* Iesuitę

(3) *S. Aug. lib. 2. de Bapt. cap. 4.*

(4) *S. Basilius Epist. 167. fol. 628.*

(5) *S. Aug. Ep. 406.*

(6) *S. Augustin. ad Petil. lib. 3. cap. 1.*

(7) *S. Aug. lib. 4. operis C. Iulianum.*

(8) *S. Nazianz. orat. 14. n. 15.*

(9) *S. Augustin. lib. 11. Confes. cap. 20.*

(10) *S. Basilius vbi supra.*

(11) *S. Aug. lib. 4. de Doct. Christian. cap. 2.*

(12) *D. Prosp. de vita contemplat. cap. 24.*

(13) *D. Hieron. ad Damaſ. Papam.* (14) *D. Proſper. de vita contemp. c.24.* (15) *Aug. Evod. Epiſt. 101.* (16) *Aug. tit.3. de ſuo opere, de Doctrina Chriſtiana.* (17) *Iacob Merlenus Horſtius in præfat.adSanct. Bern. n.10.* (18) *Novarinus in poſt ad Lectorem in Elect ſacris.* (19) *Caramuel in Theolog.Regulari, num. 3343.* (20) *Aug.lib.15. de Civi.Dei, cap.13.* (21) *D.Proſper. ibi.* (22) *Iacob.1.* (23) *Aug. Epiſt. 25.*

*iudicata latinitas, quæ breviter, & aperte obſervata dumtaxat vſitatorum verborum proprietate res intelligendas enuntiat: non quæ vernantis eloquij venuſtate, atque amenitate luxuriat, & prudentibus viris non placent phalerata, ſed fortia: quando non res pro verbis, ſed pro rebus enunciandis verba ſunt inſtituta.* (13) *Sint alij diſerti; laudentur, vt volunt; & inflatis buccis ſpumantia verba trutinent: mihi ſufficit ſic loqui, vt intelligar.*

Timeo, (14) *ne* tractatus *amplius iuſto productus, non ſolum de ſui ſqualore, ſed etiam de nimia prolixitate diſpliceat.* (15) *Laborant* enim *homines in diſcendo; & brevia non valent intelligere, prolixa non amant legere: laborant itidem in docendo, qui, & pauca tardis, & multa pigris fruſtra ingerunt.* (16) *Longior evaſit liber hic, quam volebam, quamque putaram. Sed Legenti, vel Audienti, cui gratus eſt, longus non eſt; cui autem longus eſt, per partes eum legat, qui habere vult cognitum, quem verò eius cognitionis piget, de longitudine non queratur.* (17)

*De Correctione nunc demum quid dicam? Ego vt verum fatear ob pleraſque editiones mendis deformatas indignabar, videns bonos Authores tam male tractari. Diceres eos non è prælo, ſed prælio vulneribus ſautios prodire: & iam quidem in correctores ſtylum ſtringere parabam; ſed nunc abſtineo, expertus ipſe quam non licuerit,* tractatui meo, *quamvis à me ſolicitè, & ſedula cura commonito, evadere prorſus illeſum, & incolumen.* (18) *Non aberrant, qui errorum matrem cudendi artem vocant: eſt, & fœcunda. Nulla fere, tam magna diligentia, tam accurata correctio, qua omninò ſubripere ab hac labe libros, queas:* (19) *Quæ quidem periodi,* optimorum Scriptorum, *non eos ſolum, ſed & me, & alios Authores excuſant; calamus enim pendet à diligentia noſtra, Typus à Correctorum oſcitantia, cui nulla Authorum diligentia præſcribit, ſane vt correctius opus evaderet, curavi hic* domi *imprimi, & modo experior, non ſufficere qualemcunque Authoris diligentiam, ne menda ſubrepant,* ſpecialiter in numeris, quia (20) *vbi numeri non faciunt intentum ad aliquid, quod facilè poſsit intelligi, vel quod appareat vtiliter diſci, & negligenter deſcribuntur, & negligentius emendantur.* (21)

*Hoc ſane omnes, qui hæc forte Lecturi ſunt, conteſtor, & obſecro, vt quidquid in rebus ipſis, quæ vtcumque digeſtæ ſunt, reprehenſionis invenerint, vitio meæ ruſticitatis adſcribant, & mihi dignanter indulgeant. Ea autem, quæ dicta probaverint, deputent Deo,* (22) qui dat omnibus affluenter, & non improperat, *& pro his illi mecum gratias agant.* (23)

*In columem, & mei memorem te Chriſti Domini clementia tueatur.*

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ VERITATIS MAGISTRÆ, ME, ET OMNIA, QVÆ SCRIPTO PROTVLI, AVT VERBO PROFERAM HVMILLIME SVBMITTO, ET EX CORDE SVBIICIO.

# TRACTATVS DE ARBITRIO HVMANO LAPSO,

A NECESSITATE LIBERO, AD CONSENSVM SALVTAREM à Deo per gratiam prævenientem excitato, & adiuto.

## DISPVTATIO PRIMA.

*De Libertate à neceſsitate hominis lapſi.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrùm ſit in homine liberum arbitrium?*

### SECTIO PRIMA.

*Aſtrologorum, Manichæorum, Vicleſiſtarum errores referuntur.*

VTVERITAS Catholica omnibus prævia ſit, peſtiferi errores per omnia ſæcula ab Hæreticis procreati abolentibus liberum hominis arbitrium, ab vniverſa Eccleſia, per Concilia, per Sanctorum Pontificum Bullas damnati conſpiranti Catholicorum omnium conſenſu, in fronte diſputationis proferri debent.

1 FAtalem ab Stellis neceſſitatem imprimi humanæ voluntati putaverunt Mathematici iudiciarij, quos alij vocant Chaldæos, alij Planetarios, alij Aſtrologos; aſſerebant enim Stellarum impreſsionibus voluntatem noſtram ad vnam partem

addici, vt ſe ſe ad alteram flectere non poſsit; vt ita certa eſſet iſta collectio, *natus eſt ſub Mercurio, ergo furabitur*; quod ſine periculo erroris augurentur futura, & vi poſitionis ſyderum certò prædicere poſſint quid quiſque ſit acturus: hanc nefandam doctrinam edocuit Pardeſanes ſi Auguſtino credimus, & Tutatus eſt Priſcillianus, qui non ſolùm dixit homines eſſe fatalibus Stellis alligatos, ſed ipſum corpus ſecundum duodecim Cœli ſigna eſſe compoſitum, ea per corporis partes diſtribuens.

*Auguſt. de Hæreſ. cap. 35.*

*Concilium Bracarenſe, cap. 9.*

2 Contra hanc Hęreſim Concilium Bracarenſe primum ſic definivit: *Si quis animas*, & corpora humana fatali ſigno credit aſtringi, ſicut Pagani, & Priſcillianus dixerunt: *Anathema ſit.* Et cap. 10. *Si quis* duodecim ſigna, quæ Mathematici obſervare ſolent, per ſingula animæ, vel corporis membra diſsipata credunt, & nominibus Patriarcharum adſcripta dicunt, ſicut Priſcillianus dixit: *Anathema ſit.* Concilium etiam Toletanum primum contra Priſcillianum in aſſertione fidei ex præcepto Papæ Leonis, ita decrevit: *Si quis Aſtrologiæ, vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum; anathema ſit.*

3 Sanctus etiam Leo Magnus huius nominis primus contra hunc peſtiferum errorem ſcripſit Epiſtolam Decretalem ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum, contra fœtidiſsimam Priſcillianiſtarum ſententiam: eſt Epiſtola mihi 93. ſic cap. 11. ſcribit: *Vndecima* ipſorum blaſphęmia eſt, qua fatalibus Stellis, & animas hominum, & corpora oppinantur adſtringi, per quam amentiam, neceſſe eſt, vt omnibus Paganorum erroribus implicati, & faventia ſibi (vt putant) ſydera colere, & adverſantia ſtudeant mitigare. Verùm iſta ſectantibus nullus in Eccleſia Catholica locus eſt: quoniam qui ſe talibus perſuaſionibus dedit à Chriſti corpore *totus abſceſſit.* Hanc amentiam impugnarunt DD. Sancti; D. Thomas Opuſculo 28. de Fato. B. Gregorius Niſſenus elegantem de Fato Libellum ſcripſit; ſed M.P. Auguſtinus exactius, & copioſius de hoc errore tractavit lib. 5. de Civitate Dei à cap. 1. vſque ad finem vndecimi.

4 ¶ Eundem errorem refutat Sanctus Gregorius Magnus (Homilia 10. in Evangelia;) Et Priſcilliani argumentum retorquet, per hęc aurea verba: *Sciendum*, quod *Priſcillianiſtæ* Hęretici naſci vnumquemque hominem ſub conſtitutionibus Stellarum putant: *Et hoc*, in adiutorium ſui erroris aſſumunt, quòd nova Stella exijt, cùm Dominus in carne apparuit. *Cuius fuiſſe* fatum eamdem quę apparuit Stellam, putant. *Sed ſi Evangelij* verba penſamus, quibus de eadem *Stella dicitur*: (Vſque dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer.) *Dum non puer* ad Stellam, ſed Stella ad puerum cucurrit, ſi dici liceat, non Stella fatum pueri, ſed fatum Stellę, is, qui apparuit puer, fuit. *Sed à fidelium* cordibus abſit, vt aliquid eſſe fatum dicant. Vitam quippè hominum, ſolus hanc Conditor, qui creavit adminiſtrat. Neque enim propter Stellas homo, ſed Stellæ propter hominem factę ſunt. Et ſi Stella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur. Certè cùm Jacob de vtero egrediens, prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, niſi ſubſequens inchoaſſet: & tamen cùm vno tempore, eodemquè

què momento vtrùmquè mater fuderit, non vna vtriuſquè vitæ qualitas fuit. Sed ad hoc ſolent Mathematici reſpondere, quia virtus conſtellationis in ictu puncti eſt. Quibus è diverſo nos dicimus, quia magna eſt mora nativitatis. Si igitur in ictu puncti conſtellatio permutatur, neceſſe iam erit, vt tot dicant fata, quot ſunt membra naſcentium. Fateri enim Mathematici ſolent, quòd quiſquis ſigno Aquarij naſcitur, in hac vita piſcatoris miniſterium ſortiatur. Piſcatores verò, vt fertur, Getulia non habet. Quis ergo dicat, quia nemò illic in Stella Aquarij naſcitur, vbi piſcator omninò non habetur? Rurſum quos naſci ſigno Libræ aſſerunt, trapezitas futuros dicunt, & trapezitas multarum gentium Provinciæ ignorant. Fateantur ergo neceſſe eſt, aut hoc in eis ſignum deeſſe, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Perſarum quoque Francorumquè terra Reges ex genere prodeunt, quibus profectò naſcentibus quis æſtimet quanti eijſdem momentis horarum, ac temporum ex ſervili conditione naſcuntur? Et tamen Regum filij vno eodemquè ſydere cum ſervis nati, ad Regnum proficiunt, cùm ſervi qui ſecum fuerant geniti, in ſervitute moriantur. Hæc de Stella breviter diximus, nè Mathematicorum ſtultitiam *indiſcuſam præterijſſe videamur*. Hucuſquè S. Gregorius Magnus.

*Aug. lib. 1. Retract. c. 15.*

5 Manichæos, vt capitales hoſtes humanæ libertatis abhorret animus, quia liberum arbitrium convellebant, licèt cauſa, & ratione diverſa, ac Aſtrologi; Auguſtinum audite Manicheorũ delyria explicantem: *Poſt hunc* librum ſcripſi adhùc Presbyter contra Manichæos de duabus animabus, qui dicunt vnam partem Dei eſſe, alteram de gente tenebrarum, quàm non condiderat Deus, & quę ſit Deo coæterna, & has ambas animas, vnam bonam, alteram malam in vno homine eſſe delyrant: iſtam, ſcilicèt, malam, propriam carnis eſſe dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis eſſe tenebrarum: illam verò bonam ex adventitia Dei parte, qui cum tenebrarum gente conflixerit, atquè vtramquè miſcuerit; & omnia quidem bona hominis, illi bonę animę, omnia verò mala, illi malæ animæ *tribuebant*: Vndè ſtatuebant animas, quæ ita perpetuò luctuarentur, vt ſi bona vinceret neceſſariò ad virtutem inclinaret, ſi mala victrix evaderet in peccatum neceſsitate præcipitaret; vndè nullum erat opus voluntati liberum.

Inter Pelagianos elatores liberi arbitrij, & Manichæos illius deſtructores erat magna convenientia in negando adiutorio gratiæ; ita Hieronymus ait: *Manichæorum* eſſe hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei *tollere*: & D. Auguſtinus: *Deindè* monſtrabo, (inquit) quod tu ipſe ſic adiuvas Manichæorum damnabilem, & nefandæ impietatis errorem, vt nullus talem Patronum, nec in ſuis dilectoribus valeat *invenire*: ſed licèt gratiam Chriſti ſimul oppugnarent Pelagius, & Manichæus, quia dicebant dari ex meritis; erat ratione, cauſaquè diverſa: *Nam Manichæi* (ait M. P. Auguſtinus) meritis naturæ bonæ; Pelagiani autem meritis voluntatis bonæ, per-

*D. Hier. in Proœmio Dialogi adverſus Pel. Aug. lib. 1. contra Iulianum, c. 1.*

*Aug. lib. 2. ad Bonifac. cap. 2.*

hibent divinitus ſubveniri; illi dicunt: debet hoc Deus laboribus membrorum ſuorum; iſti dicunt, debet hoc virtutibus ſervorum ſuorum: vtriſquè ergo merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm *debitum*. Contra quem errorem antiquiſſimi Patres, tàm Græci, quàm Latini multa ſcripſere. Sed M. P. Auguſtinus invictiſsimè hanc dementiam debellavit in libro dè Libero Arbitrio, in libro ſecundo de Moribus Eccleſię: in diſputatione cum Fortunato Manichæo, & in libro de Duabus Animabus, & damnatur in Concilio Carthaginenſi 4. à Synodo Conſtantinopolitana approbato, cap. 10. Vbi vt fundamentum fidei traditur, *quod Diabolus* non per conditionem, ſed per arbitrium factus ſit *malus*, & à Leone 1. Epiſtola ſecunda in 1. tom. Conciliorum.

*Aug. lib. 5. de Civ. Dei, c. 9. & 10.*

6 Tertia Hæreſis fuit illorum, qui præſcientia Divina libertatem opprimi defenderunt, ita putaverunt Stoici teſte Auguſtino; putavit, & Heſiodus, qui voluntates fato alligabat, quod iudicabat eſſe Dei mentem; idem ſenſerunt Bardeſanes, Marcion, Priſcillianus, Abailardus, & Viclephus: ſic enim argumentabantur, teſte Valdenſi, *Res à Deo* pręſcita non poteſt aliter evenire, quàm Deus præſcivit, aliàs præſcientia Divina eſſet incerta, & falli poſſet, igitur res à Deo præſcita non poteſt *eſſe libera*. Hoc argumentum ita efficax putabat Viclephus vt iactaret Armacanum in eo ſolvendo viginti annos poſſuiſſe, nec aliter ab eo ſe extricaſſe, quàm præſcientiæ Divinæ certitudinem infallibilem adimendo, itaquè in victum

*Thomas Valdenſis lib. 1. Doctrinalis Fidei, cap. 26.*

iudicavit Cicero (teſte Auguſtino) vt coartaret animum Religioſum, vt vnum eligat eduobus, aut eſſe aliquid in noſtra voluntate, aut eſſe præſcientiam futurorum: quoniam vtrùmquè arbitratur eſſe non poſſe, ſed ſi alterum confirmatur, alterum tolli: ſi eligerimus præſcientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium, ſi eligerimus voluntatis arbitrium tolli preſcientiam futurorum, ipſe verò ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium, & negavit præſcientiam futurorum, atque ita dum vult facere liberos, facit ſacrilegos. Multòquè ſunt tollerabiliores, qui vel ſyderea fata conſtituunt, quàm iſte, qui tollit præſcientiam futurorum. Nam, & confiteri eſſe Deũ, & negare præſcium futurorum appertiſsima inſania eſt.

*Aug. lib. 5. de Civit. c. 9.*

Hoc argumento, multum apud Auguſtinum turbatur Evodius, quod ita contraxit Auguſtinus, *ſi enim* præſcius eſt Deus peccaturum eſſe hominem neceſſe eſt vt peccet: ſi autem neceſſe eſt, non eſt ergo in peccando voluntatis arbitrium, ſed potiùs inevitabilis, & *fixa neceſsitas*, ſed Auguſtinus locis relatis, D. Thomas in 1. p. q. 14. art. 13. & 1. ſent. diſt. 38. art. 5. & 1. contra cap. 67. & de Verit. q. 2. à 12. & Quodlib. 11. q. 3. & alij Eccleſię Patres ad obterendam hanc Hæreſim liberum arbitrium cum pręſcientia conciliarunt: illam anathematizat Concilium Conſtantienſe Seſſione octava, vbi inter quadraginta quinque articulos Ioannis Vicleph. hunc damnat vigeſsimum ſeptimum: *Omnia* de neceſsitate abſoluta *eveniunt*. Quã damnationem approbavit, & cõfirmavit Martinus V. in Epiſtola;

*Aug. lib. 3. de Lib. Arbitr.*

quæ

quæ incipit : *Inter cunctas Pastoralis curæ solicitudines*, & traditur statim post ipsum Concilium.

## SECTIO SECVNDA.

### *Hæreses Lutheri, & Calvini proponuntur.*

7 QVarta Hæresis fuit superiori sęculo introducta à sceleratissimo Martino Luthero, qui *perditorum quorundam hominum auspicijs, & potentia sæculari impiorũ Principum adiutus*, in orthodoxam fidem pestis efferbuit, nam gravis Ecclesiæ procella incubuit, vt electi propè modum viderentur in errorem induci, & dirum concussæ Petri naviculæ naufragium intentari : nempè eo dementiæ prorruperunt Ecclesiæ perduelles, in eam venere per fictæ frontis impudentiam, dum extinctarum quondam Hæresum cineres exsuscitant, dum Hæresiarchas ab omni fidelium Theatro quondam explosos, orthodoxis Patribus anteponunt, vt Sacrosanctam Conciliorum authoritatem respuant ; *nullum, vel apertissimum scripturæ locum non deprabent* : huius Diabolici hominis, (qui omnium Hæreticorum venena evomuit, & impia, & sacrilega scelera patravit, vt constat ex Brevi Adriani VI. ad Federicum, Saxoniæ Ducem, quæ incipit : *Satis, & plusquàm satis sustinuimus*) errores primus damnavit Leo X. Pontifex Maximus in Bulla, quæ incipit: *Exurge, Domine, & iudica causam tuam.*

*Concil. Senon. in principio.*

Sententia ergo in hac materia Lutheri, & eius Achatis Philippi Melancthonis ; sic explicatur à Luthero in artic. 36. ad Leonem : *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter, immò simplicitèr debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, seù titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni, sed omnia (vt Viclephi articulus Constantiæ damnatus rectè dicet) de necessitate absoluta eveniunt* : Et infrà : *non est dubium Sathana Magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium* hunc articulum summam doctrinæ suæ esse iactabat, & in libro adversus Regem Anglorum; se esse ita certum de sua doctrina, vt qui eam damnaret, & Deum damnaret, & oporteret manere, filium gehennæ ; vndè titulum ipsum, & nomen libertatis expungere, & abolere pergẽs librum adversus Erasmum inscripsit *de Servo Arbitrio.*

Sed hanc impiam summam doctrinæ suæ, de qua ita esse certum gloriabatur argumẽtis evidentissimis Catholicorum devictus appertissimè retractavit ; in libro de Visitatione Saxonica, & in Libello Imperatoris, vbi in actionibus civilibus, & externis, & in his, quæ subiecta sunt rationi naturali liberum arbitrium admisit, & cum Palinodia profitetur, vndè nomen liberi arbitrij, quod à Sathana venisse dixerat, accepit: in moralibus posse fuit arbitrium per peccatum omninò extinctum ; immò contra omnem etiam Philosophiam adstruebat liberum arbitrium nihil agere, sed omninò passivè, & vt inanimè quoddam se habere; ita exponunt errorem Lutheri, & inconstantiam Hæreticis innatam

*Soto lib. 1. de Natura, & Gratia, cap. 18. Bellarmin. lib. 4. de Gratia, cap. 5.*

tam Sapientiſs. Dominicus Soto, & Eminentiſs. Bellarminus.

8 Calvinus non tàm inconſtans, ſed magis impijſsimè aberrans omninò poſt Adæ peccatum extinctum iudicavit liberũ arbitrium, tàm in civilibus, quã in moralibus; ſed apperiendus eſt in hac parte error Calvini, vt omnibus innoteſcat: Calvinus non aſſerit liberum arbitrium ita extinctum eſſe vt merè paſsivè ſe habeat, ſed activè concurrere ſponte quidem, ſed ſine aliqua libertate, ad modum quo iumentum ſequitur ſpontaneè, non libere, ſeſſoris ductum. Secundus error ex primo deductus Luthero & Calvino communis erat, quod poſt Adæ peccatũ liberũ hominis arbitriũ, niſi per Dei gratiam inflectatur naturaliter eſt determinatum ad malum, ita Calvinus, & Lutherus in art. 37. miſſo ad Leonem X. aſſerit: *Liberum arbitrium poſt peccatum, dum facit, quod in ſe eſt peccare mortaliter.* Vndè tertius error fuit, quod homo poſt naturam lapſam etiã iuſtificatus per gratiam, non poteſt legis Præcepta ſervare, ſed illa eſſe homini omninò impoſsibilia; ita Lutherus, & Calvinus.

*Calv. 2. inſt. c. 3. num. 7.*

*Calvin. vbi ſup. n. 8. & 4.*

*Lutherus in reſponſ. ad Dialogum Sylveſtri: & in confutat. rationis Lathomianæ. Calv. ibidẽ. Trid. Seſſ. 6. de Iuſtificatione.*

Has damnatas Hereſes protulerunt Lutherani, & Calviniſtæ circa vires liberi arbitrij poſt peccatum Adæ; quas anathematizavit Concilium Tridentinum.

9 Primum errorem damnat Canone 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re, figmentum denique à Sathana inuectum in Eccleſiam, anathema ſit.* Secundum errorem anathematizat Canone 7. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema ſit.* Vltimum errorem damnavit Tridentinum in illa Seſſ. Canone 18. *Si quis dixerit Dei Præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gaatia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſsibilia, anathema ſit.*

10 Aliàs Hereſes, quas evomuere circa prædeſtinationem, & gratiam neceſſe eſt referamus; has igitur publicarunt.

Prima fuit: Deum auferre libertatem arbitrij creati ex efficaci gratia præveniente, imò omnem neceſsitatem cõditionatam ex ſuppoſitione decreti efficacis Divini cum libertate pugnare, & decretum, quo Deus homines prędeſtinat omnem libertatem tollere in effectibus prædeſtinationis ipſorum, & ſolùm rationẽ ſpontanei relinquere. Vbi ſtatuebant Deum ita efficacitèr prędefinire omnia noſtra opera, tàm mala, quàm bona, & impijſsimam, & blaſphemam Hæreſem pronuntiarunt; Deum eſſe Authorem, & cauſam peccatorum, & non minus eſſe opus Dei proditionem Iudæ, ac converſionem Pauli; ita Calvinus, & Lutherus plurimis in locis; & damnati ſunt in Trident. Seſſ. 6. Can. 6. & 17.

Secunda fuit, quod gratia Dei ita dat velle, vt voluntas ſine libertate id efficiat, & ita poſita hac gratia efficaci, non poſſumus, non velle, non poſſumus diſſentire, quia hoc auxilium nos operari ſponte tantum facit, non libere, admodum quo iu-

iumentum sequitur spontanee non libere sessoris ductum; ita Calvinus plurimis in locis.

Sed plura alia absurda sentiebat de sua prævenienti gratia: Vndè tertia Hæresis fuit, quod auxilium præveniens gratiæ est tantum efficacitèr movens libertatem, non tamen excitans moraliter attrahens: Vndè negavit gratiam excitantem; continuòquè dissertis verbis asseruit omne auxilium prodit venit à Deo esse efficax, & nullum tantum sufficiens: Consequenterquè negavit veram prævenientem gratiam, quia non admisit excitationem moralem suadentem, & obiectivè allicientem, sed tantum illam indeliberatam excitationem, quàm Deus causat in nobis, recepit; cum enim videret, quod solùm moraliter suadetur, & invitatur, qui libertate gaudet, & ideò brutis moralem excitationem non fieri; ex suo pravo principio destructionis liberi arbitrij per peccatum, omnem gratiam excitantem denegavit.

*Calvinus, lib. 2. inst. c. 3.*

Omnemquè abstulit veram gratiam prævenientem adiuvantem, & cooperantem; cùm enim liberum arbitrium extingueret, nec cooperatur, nec adiuvatur; quia si adiuvaretur aliquid sua libertate efficeret; & si arbitrium cooperaretur *gratiæ* sua libertate cooperari deberet, vt Augustinus convincit contra Pelagianos. Vndè Calvinus non solùm erravit libertatem destruendo, sed veram gratiam prævenientem negando, quia negavit gratiam excitantem, & gratiam adiuvantem, & cooperantem; solùmquè indeliberatam excitationem moventem per modum naturæ voluntatem admisit; ita exponit Calvini dementiam Sapientiss. ille Magister accerrimus gratiæ efficacis defensor Fr. Thomas de Lemos, qui vocantem meruit habere D. Thomam, vt è sæculo ereptus militiæ Christi ad Ordinem Prædicatorum fuisset assumptus. Ex quo illam desumpsit Magister Ferre, qui manuscriptis huius sapientiæ Viri vtebatur dum Regens erat in Collegio S. Thomæ de Vrbe, & consentit Bellarminus.

*Lemos in Panoplia Gratiæ, t. 1. tract. 2. c. 2. & tract. 4. c. 17. & t. 4. tract. 7. cap. 21. Ferre, t. 1. in 12. tr. 4. sect. 8. Bellar. lib. 6 de Gratia, cap. 9.*

11 Sacrosancta verò Tridentina Synodus vno ictu Pelagium, Lutherum, & Calvinum iugulavit illa Sess. 6. Canone 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendum iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, nec posse dissentire, si vellit, sed velut inanimè quoddam, nihil omninò agere, merèq; passivè se habere, anathema sit.* Dum declarat liberum arbitrium *excitari à Deo* gratiam excitantem adstruit, quàm Pelagius, & Calvinus negabant diversis ex causis; Pelagius enim constituebat gratiam dependentem à priori actu libero voluntatis humanæ, hæc enim excitans esse non posset, sed potiùs prævenita, & excitata à priori humana voluntate, & cum si gratia non esset ita dependens, & necessaria libertatem auferre contenderet, vt libertas illæsa maneret gratiam excitantem reijciebat: Calvinus gratiam verè excitantem negabat, nè per illam convinceretur arbitrij libertas, cum videret agentia necessaria excitationis moralis in capatia esse.

Dum definit liberum arbitrium *cooperari assentiendo*; gratiam prævenientem adiuvantem, & cooperantem definit, & simul Pelagium, & Calvinum iugulat, quia Pelagius negavit gratiam adiuvantem, nè libertas impediretur: pravum enim illius principium erat: *Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio*; Calvinus negavit gratiam adiuvantem, nè libertas convinceretur, quia cognovit Augusti-

*August. de Gestis Pelagij, cap. 18.*

*Aug. lib. 2. de Peccat. mer. cap. 5.*

guſtinum demonſtraſſe: *Quod liberum arbitrium non tollitur ſi iuvatur, ſed ideò iuvatur, quia non tollitur.*

Dum declarat, liberum arbitrium *cooperari aſſentiendo, vt poſſit diſſentire*: omnes Hæreſes ſimul damnat, dum oſtendit gratiam excitantem, & adiuvantem, ſeù cooperantem componi cum poteſtate diſſenſus, & libertate conſenſus; Pelagium enim reijcit, quia ex libertate veram prævenientem gratiam ſemper negavit; & Calvinum, & Lutherum damnat, quia ex præveniente gratia libertatem ſuffocant.

Dum tandem concludit, quod liberum arbitrium non ſe habet vt *inanimè quoddam, & merè paſſivè*, ſed aliquid agere dum gratiæ aſſentiendo cooperatur, vel Calvinum damnat, qui aſſerebat voluntatem merè paſsivè, & vt inanimè quoddam ſe habere ad excitationē Divinam, vt docet Magiſter Ferre, vel Lutheranam dementiam anathematizat, ſemper enim Lutherus negavit influxum activum voluntatis in actum ad quem à gratia rapiebatur, quia licèt Lutheri Diſcipuli, cū videant dementiam maximam eſſe voluntatem non agere dum vult, illum explicent non vt negaret voluntatem agere, & operari, ſed quatenus ita movebatur à gratia, vt ſuos motus impedire nō poſſet merè paſſivè ſe habere ad illos affirmabat: ita refert, & non refutat Pater Decāps, & ſi hoc ita eſt Lutherus à Calvino non diffet, ſed omnem influxum activum volūtatis denegaſſe Lutherum evidentiſsimis teſtimonijs convincit Bellarminus, & ita communitèr ſentiunt Doctores deſcribētes caſſum Lutheri errorem: Pennotus, Alvarez, Magiſter S. Thoma, Illuſtriſ. Godoy, Magiſter Tyrſo, & alij.

*Ferre in 1. 2. t. 2. in fine in reſp. ſect. 3.*

*Dechamps, l. 2. diſp. 2. cap. 7.*

*Bell. l. 6. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 9.*

*Pen. lib. 9. in Proœm.*

*Alvar. de Auxil. l. 1. reſpōſionū, cap. 3. n. 9.*

*M. S. Th. 1. p. q. 19. diſp. 3. art. 5. n. 14.*

*Godoy t. 1. in 1 p. q. 12. d. 16. ſect. 5. num. 137.*

*M. Tyrſo, t. 1. diſp. 17. ſect. 9.*

12 Sed duo dubiola occurrunt; primum, ſi Calvinus admiſsit voluntatem activè, & effectivè operari cum præveniente gratia, quomodō negavit gratiam cooperantē? Quia voluntatem operari cum gratia eſt gratiam cooperari voluntati.

Secundùm, ſi liberum arbitrium per Adę peccatum extinctum, docent, quomodò per motionem gratiæ auferunt libertatem, quaſi ſemel amiſſum poſſet iterùm deſtrui?

Sed mirandum non eſt, quod qui, cum Eccleſia pugnant, ſecum pugnare videantur, & hæc eſt prima ſolutio; primum tamen explicat Bellarminus, quod licèt Calvinus cōcurſſum activum voluntatis fateretur, aſſerebat voluntatem agere, vt inſtrumentum Dei naturale per modum naturæ à Deo motam, non vt cauſam liberam, & Dominam ſui actus, vndè nec cooperari Deo, nec adiuvari à Deo colligebat; ſicut nec dicitur calamum cooperari manui, nec iuvare manum adſcribendum; ſed ſolùm agi, & moveri à manu, quamvis re ipſa litteras pingat.

*Bellar. vbi ſup.*

Secundum explicat Magiſt. Lemos: Calvinum ſenſiſſe, quod magis auferret libertatem efficax Divina motio, quàm peccatum originale; vel quod hæc motio ob ſui efficatiam libertatem tolleret, licèt extincta per peccatum non eſſet; vel quod quia libertatem ablatam dicit appoſſuit motionem Divinam per modum naturæ voluntati non liberæ proportionatam. * Addo: quod cum Calvinus poneret hanc motionem ex ſe efficacem omninò neceſſariam ex vi originalis peccati, illā enim pro ſtatu innocentiæ reijciebat, vt infrà videbimus, pro eodem reputabat libertatem fuiſſe per peccatum originale extinctam, ac per motionem Divinam ablatam.

*M. Lemos, vbi ſup.*



## SECTIO TERTIA.

*Evidenti experientia libertas noſtra convincitur.*

*D.Th.q.24. de Verit.artic. 1.*

13 DIvus Thomas inquirens: *Vtrùm homo ſit liberi arbitrij?* Reſpondet *dicendum, quod abſque omni dubitatione hominem arbitrio liberum ponere oportet,* ad hoc enim fides adſtringit cum ſine libero arbitrio non poſsit eſſe demeritum, nec meritum; iuſta pœna, vel præmium; *ad hoc enim manifeſta indicia inducunt, quibus appareret hominem vnum eligere, & aliud reſutare; ad hoc etiam evidens ratio cogit*: Vbi tria docet Divus Thomas, quod libertas noſtra *manifeſta experientia* convincitur, quod *evidenti ratione* demonſtratur, & quod ad eam credendam *fides Divina* adſtringit, prima Pars in hac Sect. probatur.

Primò, quis enim non videt ſe facere liberi arbitrij actus, vnum eligere, & aliud reſpuere! Et qui hoc negant, ita cæci aberrant à luce, quod liberum arbitrium eſſe ſupponunt, dum non eſſe contendunt; vt

*Auguſt. de Quãtitate animæ, cap. 26.*

ait enim Divus Auguſtinus: *Datum eſt animæ enim liberum arbitrium, quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conãtur vſquè adeò cæci ſunt, vt nec iſta ipſa quidem vana, atquè ſacrilega propria voluntate ſe dicere intelligant.* Sicut ſi quis Sophiſticis cavillationibus ſe non habere intellectum intenderet, ipſiſmet ſe habere intellectum convinceret; vt enim ait Soncinas: *Quilibet reperitur ſe facere actus liberi arbitrij contingenter, & libere, & hoc modo eſt per ſe notum, quod nix eſt alba: qui enim dubitat, vtrùm nix ſit alba indiget ſenſu, vt dicitur 2. Topicorum cap. 7. Simili modo eſt per ſe notum, motum eſſe, vt dicitur 1. Phyſ. text. Comment. 2. & cuilibet etiam eſt per ſe notum, quod vivit, & quod eſt in vigilia, vt dicit Commentat.*

*Sonc. lib.6. metaph. q. 12.*

*Comment. 4. metaph. comment. 16.*

Confirmatur 1. Authoritate omnium Philoſophorum ſolo naturali intellectus lumine arbitrij humani libertatem confitentium, ita aſſenſerunt Peripathetici cum Ariſtotele, in eadem ſententia fuerunt Academici cum Platone: Stoici teſte Auguſtino à neceſsitate fati humanam voluntatem excipiebant; quæ veritas adeò fuit infixa Philoſophis Gẽtilibus, vt Cicero, qui cohartabat animum, vt libertatem, vel præſciẽtiam Dei futurorum admitteret, negavit Deum eſſe præſcium futurorum, quæ eſt appertiſsima inſania, vt defenderet libertatem, quàm in ſe ipſo evidenti experientia cognoſcebat, & ideò Concilium Senonenſe, ſic loquitur de Lutheri errore: *Prodierat hìc error primum apud Gentiles, ſed ſummo omnium conſenſu mox exploſus eſt: adeò, liberum eſſe arbitrium, vel vt evidenti quoddam experimento cognitum, omnium mentibus ſe ſe inculcat.*

*Ariſt. lib.9. metaph. c.2. lib.3. Ethyc. & alibi ſæpè.*

*Plato. in Gorgia, Rethorica.*

*Aug. lib.5. de Civ. c.10.*

*Conc. Senon. in Decreto 15. de Lib. Arbitrio.*

14 Vltimo deniquè hæc evidens experientia probatur ab Euſebio, quia verbis liberum denegantes arbitrium factis illud affirmare compelluntur; ipſi enim hortantur ſervos ſuos, præcipiunt plura, & puniunt ſi perperam agunt; gravitèr iraſcuntur, ſi afficiuntur iniuria: Cùr ergò puniunt ſervos ſuos, ſi iudicant ſine vlla libertate omittere ſua præcepta? Cùr iraſcuntur, ſi eos, quibus iraſcuntur verè ſentiunt non potuiſſe iniuriam non inferre? Si dicant, & ipſos ſine libertate iraſci, & punire. Sed cùr non puniunt ſervos, quia miracula omittunt, ſicut, quia ſua mandata non exequuntur? Cùr ſimiliter non iraſcuntur, ſi à phrẽnetico ſimili iniuria afficiantur? Cùr hortationibus nõ vtuntur erga ſtultos, & pecora, ſicut erga ſervos? Cùr non exhortant ſervos vt curſum So-

*Euſeb. lib.12. de Præpar. Evangelica cap.7.*

lis immutent? Experientia ergò ipſos devincit, vt cognoſcant libertatem, quàm negant, dum aliqua ipſi operantur erga aliquos libertate gaudentes, quæ impudentia,& fatua forent ſi facerent erga eos, quos liberum arbitrium non habere, non dubitamus: vt enim aſſerit P.Vega ex Ariſtotele, negantes liberum arbitrium non rationibus, ſed verberibus eſſe convincendos,& commodiſsimum eſſet pertinaces Hęreticos, vt reſipiſcerent ab hac inſania, in pyram aliquam mittere, & rogare, num poſsimus eos inde extrahere? Si enim dicerent hoc non eſſe in noſtra poteſtate nihil eſt, quod nos parum pios in ſe eſſe quærantur; ſi verò hoc dicant noſtrę ſubeſſe poteſtati, iam coacti pœna,& tormentis agnoſcent nos habere liberum arbitrium.

*Vega, lib.2. in c.1. Trid. cap.1°. Ariſtot. in Topi.*

## SECTIO QVARTA.

### *Evidenti ratione libertas noſtra demonſtratur.*

15 HOC eſt ſecundum, quod docet S.Thomas, & probatur ratione ipſius; ratiò circa contingentia habet viam ad oppoſita, vt patet in ſyllogiſmis dialecticis, & Rethoricis perſuaſionibus; ergò, & circa agibilia eſt indifferens, quia hęc ſunt contingentia, ſed voluntas eligit, quod ratio iudicat; ergo ſi ratio eſt indifferens in iudicando, voluntas erit indifferens in eligendo,& exinde libera.

*D.Th.1.p.q. 83.art. 1.*

Confirmatur ex D.Thom. quidquid ratio poteſt apprehendere, vt bonum, in hoc voluntas tendere poteſt, quia eſt appetitus boni apprehenſi; ſed ratio poteſt apprehendere, vt bonum non ſolùm velle, ſed etiam non velle; & in quolibet particulari bono poteſt conſiderare rationem alicuius boni, & defectum alicuius boni, ex quo habet rationem mali,& ſic particulare bonum poteſt apprehendere, vt eligibile, vel fugibile; ergò voluntas non ex neceſsitate eliget tale bonum, ſed poterit illud fugere,& non velle.

*D.Tho.1.2. q.13.art.6.*

16 Dices eſſe probabilè inter Theologos, & Philoſophos, quod ſtante iudicio rationis indifferenti poteſt voluntas neceſſariò eligere, quia indifferentia iudicij ſolùm ſuadet, quod voluntas ex iudicio non neceſsitetur, non tamen excludit neceſsitatem ex alio principio, vndè non evidenter demonſtratur ex eo, quod intellectus cum indifferentia iudicet, quod voluntas libere eligat.

Contra: fateor eſſe probabilè, quod ſtante indifferẽtia iudicij poſsit voluntas non libere eligere, implicat verò, quod ſuppoſitum non ſit liberum, dum cum indifferentia iudicat: & ratio eſt, quia licèt forma habens vim ad prędtandum aliquem effectum poſsit eſſe, quin effectum tribuat, quia ſubiectum eſt talis effectus incapax, non poteſt eſſentialiter alligari ſubiecto ſui effectus incapaci, quia exigentia effectus nequit eſſe cum repugnantia illius, aliàs forma exigeret, quod formæ repugnat,& cum forma exigat præſtare effectum ad quem habet vim, & repugnet exhibitio effectus ſubiecto illius incapaci; implicat, quod forma ſit eſſentialiter in ſubiecto incapaci: Pergo: hæc cognitio indifferens proponens obiectum, vt eligibile,& conveniens ſuppoſito,& vt fugibile,& diſconveniens habet vim ad excitandum, vel amorem, vel fugam illius obiecti, aliàs eſt eſſentialiter alligata ſuppoſito intelligenti; ergò licèt poſsit ſuo effectu fruſtrari in actu ſecundo, implicat quod ſuppoſitum non ſit liberum in actu primo,& excitabile ad amorem, vel fugam obiecti.

Vrgetur cognitio boni convenientis ſuppoſito debet eſſe in ſubiecto excitabili ad amorem: quia bonum amabile, eſt bonum ſuppoſito con-

conveniens: Similiter cognitio obiecti disconvenientis supposito debet esse in subiecto excitabili ad fugam; ergo cognitio simul proponẽs cum indifferentia obiectum, vt conveniens ex vna ratione, & ex altera disconveniens debet esse in subiecto excitabili tàm ad amorem, quàm fugam obiecti; ergo, & in subiecto in actu primo libero.

Hæc pars etiam convincitur ex eo, quòd est evidens esse opera bona, quæ merentur prẽmium, & mala, seu peccata punitione digna, essequè præcepta, & exhortationes, quæ omnia deficerent, si homo sine libertate operaretur: quę argumenta infrà expendemus.

*Quæst. 2. sect. 6. & 2.*

## SECTIO QVINTA.

### *De Fide est in homine esse liberum Arbitrium.*

17 IN existentiam libertatis, vt fide certam conspirant omnes Ecclesiæ Patres, quos erudite congerit Bellarminus, & vt D. Augustinus asserit: *Rebellavit nobis Deus per Scripturas Sanctas esse in homine voluntatis liberum arbitriũ, & quisquis negaverit, Catholicus non est.* Ex innumeris testimonijs, ex quibus hæc veritas manifestè deducitur, seligo illud Ecclesiastici: *Deus abinitio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui; adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere, apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quod testimonium ita manifestè libertatem nostram designat, vt illud producens Augustinus asserat: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*

*Bellar. lib. 4 de Gratia, cap. 9. Aug. lib. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 2. Eccl. 15. vers. 14.*

*Augustvbi suprà.*

18 Sed Lutherus apud Soto, & Calvinus apud Bellarminum fatentur ex hoc testimonio primum hominem ante lapsum fuisse libero arbitrio prędituin, quia de primo homine loquitur Sacer textus, sed post peccatum liberum arbitrium esse deperditum.

*Soto de Natura, & Grat. c. 17. Bellarmin. l. 4. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 7.*

Contra tamen est, quia si homo ante lapsum habuit liberum arbitriũ etiam debet habere post lapsum. Primo, quia liberum arbitrium non fuisse per peccatum Adę extinctum, non solùm fuit definitum in Tridentino, sed declaratum fuit in Arausicano, vbi damnantur illi: *Qui per offensam prævaricationis Adæ, animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodò credunt corruptioni obnoxium, Pelagij errore decepti, &c.* Decernit etiam S. Synodus: *Arbitrium voluntatis in homine infirmatum, non nisi per gratiam Baptismi reparari posse*; ergo ex Arausicano liberum arbitrium per Adæ peccatum fuit læsum, & infirmatum non amissum, & extinctum, vt Hęretici autumnant.

*Trid. Sess. 6. illo Canone 5. Arausicanum sub Leone 1. c. 1 de Grat. & Lib. Arbit. Idem, c. 13. de Reparat. Lib. Arbit.*

19 Secundò, quia Ecclesiastici testimonium non solùm referendum esse ad hominem in statu innocentiæ à Deo conditum, sed ad vitiatam hominis naturam pertinere, validissimis rationibus probatur: Primò ex loci contextu, quo homines suę ætatis Sapiẽtem alloquì clarum est, quia dum ait: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Et illa: *Ante hominem vita, & mors, quòd voluerit, dabitur ei.* Et illa: *Appossuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porriges manum tuam.* Manifestum est homines exhortare, qui nunc sunt, & cohortatione possunt proficere.

*Eccl. 15. v. 11.*

Secundò, quia prẽmisserat Ecclesiasticus: *Non dixeris: Per Deum abest: non dicas: Ille me implanavit.* Vndè monet nè referant in Deum scelera sua; & rationem adducit statim:

tim : *Deus ab initio constituit, &c.* Vndè ex libertate nobis à Deo concessa probat nos, & non Deum, esse nostrorum criminum Authores, argumentum verò cassum esset, nisi cõprehenderet libertatem etiam hominibus lapsis collatam; quia non ostenderet scelera esse ex nobis, si nobis non esset libertas concessa. ¶ Addo: quod cùm repellat blasphemiam, dicentis: *Per Deum abest; ille me implanavit.* In illo vt conuincatur debet adstruere libertatẽ, aliàs solùm Adæ, non nostras querellas impias comprimeret.

20 Tertiò, quia Ecclesiæ Patres non solùm libertatem hominis innocentis, sed etiam vitiati his Ecclesiastici verbis describi docent: Concilium Senonense, Div. Augustinus, D. Thom. pluribus in locis, D. Anastasius Episcopus Nicenus asserit: *Est in nostra potestate, & libero nostro arbitrio salus nostra, & interitus, vt scriptum est: Deus ab initio, &c.* D. Antoninus: *Quod hoc sit:* (inquit) *liberi arbitrij probatur per illud Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, id est, in libertate arbitrij, secundùm Glossam.* Sãctissimus etiam Pater pauperum D. Thomas à Villa-Nova, dum primam rationem exponit propter quod fiet iudicium ex hominis dignitate formatam, quia ipse est Dominus suorum operum habens in se plenam libertatem, & facultatem eligendi, faciendiquè, quod libuerit; sic edisserit: *Grandis humanæ naturæ dignitas, altissimaquè prærrogatiua est vt ad Dei imitationem, ipsa quoque quoddammodò sui iuris sit, & suo arbitrio derrelicta. Quid sublimiùs dari potuit creaturæ? Aut in quo magis dignificari potuit ex natura?* Deus (*inquit Sapiens*) ab initio, &c. *Quia igitur suorũ operũ Dominus est ad rationem illorum reddendam tenetur Domino.* Quæ ratio desumpta fuit à M. P. Augustino, dicente: *Si non est gratia Dei, quomodò saluat mundum? Si non est liberum arbitrium, quomodò iudicat mundum?* Vndè possumus increpare Hæreticos nostri temporis verbis Div. Ioannis Chrisostomi: *Deus dicit, apposui tibi ignem, & aquam; vitam, & mortem, quod volueris intendere manum; Dæmon dicit* (per pestiferas Lutheri, & Calvini fauces) *non est in te situm porrigere manum; sed necessitate quadam, & vi hoc fit. Et fide digniora tamen hæc tibi videntur?*

21 Sed admittamus verba Sapientis solùm ad hominem integrũ pertinere, vt cavillantur Hæretici ossores libertatis arbitrij, & non ad hominem peccato vitiatum: Adhùc invictissimè ita colligo: quod asserit Sapiens in hac scriptura de homine integro convincit libertatem hominis integri, sed similia, & ferè eadem tradit scriptura de homine lapso; ergo si ex scriptura convincitur libertas hominis integri, etiam, & lapsi. Probatur min. 1. asserit Sacer textus, quod Deus reliquit hominẽ in manu consilij sui, vel vt Syrus legit: *Hominibus potestatem dedit in suas ipsorum voluntates*; vt scilicèt agerent, quod vellent, & possent: Nihil enim in sacris litteris magis frequens, quàm per esse quidpiam in manu alicuius denotare esse sub illius dominio, & potestate, vt probat Ripalda. Sed ex Sacra Scriptura constat, quod Deus homini lapso reliquit dominium, & potestatem in operationes suas; ergò. Probatur minor, & omissis plurimis Sacræ Paginę testimonijs, quæ Controversistæ adducunt; specioſa eligam. Primũ ex 4. Geneseos; vbi cum Dominus respexisset ad munera Abèl, & non Cain, iratus est, & concidit vultus eius: *Dixitquè Dominus ad eum: Quare iratus es? Et cùr concidit facies tua? Nonnè si benè egeris recipies;*

*Conc. Senon. c. 15. de Lib. Arbitrio. D. Augusti. vbi sup. D. Tho. q. 6. de malo art. vnico, q. 24. de verit. artic. 1. 1. p. q. 22. art. 2. in 4. argumento, q. 83. art. 1. & 2. 2. q. 104. art. 1. ad 1. D. Anast. in q. 16. scripturarum. D. Anton. 1. p. tit. 3. c. 2. sect. 3. D. Thom. à Villanova in serm. 1. de Iudicio.*

*Aug. Epist. 46.*

*D. Ioan. Chrysost. de Prouidentia, & fato, to. 5.*

*Ripalda, de disp. 14. sect. 15. n. 31.*

*Genes. 4.*

*pies: si autem malè, statim in foribus peccatum adderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaveris illius.* In quo loco obſervo 1. illam interrogationem Domini: *Quare iratus es?* Nonnè appertiſsimè indicat, quod Cain potuit nõ iraſci. Non enim brutis, nec amentibus, nec pueris ſeriò inquirimus, quare, & cùr hoc facis? Et ideò non dixit Deus ſerpenti: Quare, *ſed quia hoc feciſti*, quia non habent in manu, poteſtate, ſeù dominio arbitrij ſui facere, & nõ facere. ¶ 2. illę cõditiones: *Si benè egeris: ſi malè*: appertè demonſtrant eſſe in manu, & poteſtate Cain benè, vel malè agere: quis enim niſi irriſoriè ſub conditione aliqua promittit, niſi conditio ſit in manu illius, cui fit promiſsio; ſi enim Cain eſſet neceſsitatus ad pravè operandum, illa conditio: *Si benè egeris*, nugatoria foret, ſicut ſi promitteret: *Si ignis non ſit callidus, recipies.* ¶ Tertiò illa verba: *Sub te erit appetitus eius.* Non exprimunt manifeſtè eſſe in ſua poteſtate cupiditatem, & appetitum peccati? *Tu dominaveris illius.* Non denotat eſſe ſub dominio ipſius cupiditati reſiſtere, & non peccare? Vbi nota, Deũ vocare arbitrium Dominum, quod non veretur Lutherus nuncupare ſervum.

Genes. 3.

Secundò aſſerit Eccleſiaſticus, quod Deus homini integro: *Adiecit mandata, & præcepta ſua.* Quæ præcepta non impoſſuit Deus homini lapſo? Vt videre Exodi 20. Tertiò, ſi integro dicitur: *Si volueris mandata ſervare conſervabunt te*, ad vitam, ſcilicèt glorię, vt exponit Lyranus, quoties hæc non dixit Deus homini lapſo? Aſſeruit Chriſtus adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*: Quæ eſt eadem ſententia. Et infrà: *Si vis perfectus eſſe vade, & vende, &c.* Et Iſaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Si nolueritis, gladius devorabit vos.* Cùr ergo illa conditio: *Si volueritis*, demonſtrat libertatem hominis integri, & non evincit libertatem hominis vitiati?

Matth. 19.

Vltimo deniquè aſſerit Eccleſiaſticus: *Appoſſuit tibi aquam* (ſcilicèt refrigerium gloriæ attrahẽdo ad ipſam) *& ignem* (ideſt, pœna gehennæ comminando, & deterrendo à peccato) *ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hęc, quæ ita graphicè liberum depingunt arbitrium hominis innocentis, non clamant plura ſacra teſtimonia in homine lapſo? Sic loquitur Moyſes: *Conſidera, quod hodie propoſſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario, mortem, & malum, vt diligas, & vivas: ſi averſum fuerit cor tuum, prædico tibi hodie, quod pereas: teſtes invoco hodie Cœlum, & Terram, quod propoſſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem: elige ergo vitam, vt, & tu vivas, & ſemen tuum.* Qui locus ita eſt appertiſsimus, vt non indigeat ponderatione.

Deuteron. cap. 30.

22 Illa enim Suſſanæ in anguſtia poſitæ conſultatio, & electio appertiſsimè demonſtrat, quòd ante ipſam erat bonũ, & malum, vt, quod placeret ei, daretur illi, eligendo, ſcilicèt, quòd meliùs ei videretur, alio derelicto: Nam cum à duobus malis ſenibus ſolicitaretur ad turpia; ſic ait: *Anguſtiæ ſunt mihi vndiquè: Si enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras?* Ante conſpectum ergo ipſius erat bonum, & malum; vita gratię, & mors culpę; vt, ad quod voluerit, porrigeret manũ: Si enim non haberet in ſua poteſtate partem, quàm voluiſſet eligere, fruſtrà conſultabat: Quis enim adeò fatuus, vt conſultet, an craſtina ſuccedet dies, an non? Vt enim ait Ariſtoteles.

Daniel. 13.

Ariſt. lib. 3. Rethoric. c. 4.

Con-

*Consiliarius non consulit de omnibus rebus, sed his, quæ possunt fieri, & non fieri, & quorum origo, & causa in nobis est.* Item Eusebius: *Solummodò de ijs, quæ agere possumus deliberare solemus.* Si ergo deliberamus de vna re agenda prę alia, vtrãquè in nostra habemus potestate. Concinit S. Gregorius Nissenus: *Omnis, qui consultat,* (inquit) *quasi in eius potestate, existente electione, de operabilibus consultat, vt, quòd per consilium decernitur, eligat, & eligens faciat. Necessè igitur est eum, qui consultat, Dominum esse actionum. Si enim non fuerit Dominus actionum, ex superfluo consultat.*

*Euseb. de Præparat. Evangelica lib. 6. cap. 7.*

*S. Greg. Nissenus, lib. 9. de Philos. c. 3*

Sed post deliberationem ita elegit Susana: *Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quã peccare in conspectu Domini.* En vbi elegit, quod placuit ipsi; hoc est, quod melius ei visum fuit, porrexit manum ad vitam, & bonum: idem ergò, quod Ecclesiasticus dicit de homine integro, etiam sacra testimonia docent de lapso, si ergo fuit in homine innocente libertas, & in homine per lapsum vitiato.

## SECTIO SEXTA.

### *Alijs rationibus eadem Hæresis refutatur.*

23 SIT 1. homo fuit abinitio creatus cum libero arbitrio, quia fuit factus ad imaginem Dei, sed imago Dei in homine non fuit per peccatum amissa; ergò nec libertas: Discursus rectus; & probo præmissas: maior ex Damasceno manifestè deducitur, asserente: *Hominem esse ad imaginem Dei, significat intellectualem, & arbitrium liberum, & per se potestativum.* S. Basilius, sic ait, de anima nostra: *Soluta enim ab omni necessitate, & voluntariam, ac in sua potestate sitam vitam à Conditore adepta, per hoc ad imaginem Dei creata est.*

*Damasc. l. 2 Orthodoxæ fidei, c. 12.*

*Basil. in Oratione, quod Deus non sit author malorum.*

Idem confirmant PP. qui per esse hominem ad imaginem Dei, intelligunt esse creaturarum Dominum, quia ex hoc consequitur esse liberũ, & Dominum sui; vt enim ait Tertulianus: *Quale enim erat, vt totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret; aliorum Dominus sui famulus.* Et Novatianus inquit: *Cùm omnia in servitutem illi dedisset, solum liberum esse voluit; nam, & liber esse debuerat, ne incongruenter Dei imago serviret;* ergò homo fuit abinitio factus liber, quia creatus ad imaginem Dei.

*Tertul. lib. 2. contra Martionẽ, cap. 6.*

*Novatianus lib. de Trinitate, c. 1.*

Quòd verò imago Dei non fuit in nobis omninò deleta per peccatum originale, licèt similitudo pęnes gratuita non permaneret; constat ex Div. Thoma, & B. Bernardus docet imaginem Dei adhùc in damnatis remanere, his verbis: *Ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo, in imagine arbitrij libertatem, virtutes habens in similitudine; & similitudo quidem perit, verumtamen in imagine pertrãsit homo: Imago siquidem in gehenna ipsa vri potest, non exuri, ardere non deleri:* Quid clariùs?

*D. Tho. 1. p. q. 93. art. 9.*

*D. Bernard. serm. 1. de Annuntiatione.*

24 Secunda ratio est: Post Adæ peccatum non est extinctum iudicium rationis ad deliberandũ, & consultandum, quòd, nec Hæretici ausi sunt negare; fatui enim essent omnes, qui absque deliberatione ardua operarentur: est verò iudicium vulneratum, & attenuatum propter passionum nebulas, ex peccato derelictas; ergò, nec per peccatum extinctum erit arbitrium voluntatis ad eligendum, sed tantum infirmatum propter concupiscentiam carnis, ex peccato manantem, & peccatum suadentem: Consequentia patet; & à pari, & à priori, quia cum solùm sit eligentis deliberare, non potest extingui indifferentia eligendi, quin amittatur vis deliberandi.

Hanc

Hanc rationem tradit S.Gregorius Nissenus, his verbis: *Rationis autem particeps, & intelligens natura, si liberum deposſuerit arbitriũ, ſimul etiam perdit gratiam intelligentiæ; ad quid enim ſua vtetur mẽte, & cogitatione, ſi poteſtas eius eligendi, quod ſuo arbitratu conſtituit, ſita eſt in alio?* Ipſam non obſcurè docet B.Gaudentius Brixianus: *Conceſſa ſemel* (inquit) *voluntatis libertas non auferetur, nè nihil de eo iudicare poſsit, qui liber non fuerit in agendo.* Vndè nec Adamo per peccatum fuit ablatum liberum arbitrium, quia non poſſet iudicare, ſi non poſſet libere agere.

*S. Gregor. Niſenus oratione, c. 13.*

*B.Gaudent. Brixianus, tract. 3. ſuper Exodũ.*

Vltima ratio ſit: *Gratia Dei humanum non aufertur, ſed ſanatur arbitrium.* Ex B. Fulgentio; ergò, nec peccato humanum aufertur, ſed infirmatur arbitrium. Conſequentia patet: Quia ſicut gratia Dei perſuadet bonum, cupiditas ex peccato relicta inclinat ad malum, & indifferentia poteſtatis dominij ad duo æquè pugnat cum forma inclinante ad vnum, & ad aliud.* Quàm rationem elegantèr tradit D. Proſper. *Nec, quia ſpiritu Dei agitur, ideò ſe putet liberum arbitrium non habere, quòd, nè tunc quidem perdidit, quando Diaboli voluntati ſe dedit, à quo iudicium voluntatis depravatum eſt, non ablatum, quòd non interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus ſanatur, non natura removetur.*

*B. Fulgent. de Incarnatione, & gratia, cap. 20.*

*D. Proſper. de Vocat. gẽtium, lib. 1. cap. 8.*

Sed Hæretici vim huius argumenti obnubilare intendunt blaſphemantes, quòd, ſicut per peccatum arbitrium fuit neceſsitatum ad malum; ita, & per gratiam ſalvantem omninò neceſsitatur ad bonum, vndè numquam libere agere, nec bonum, nec malum.

Sed contra eſt, quia gratia iuſtitiæ originalis in illo fœliciſsimo ſtatu appetitum rationi ſubijciebat, maxima cum delectatione ad bonũ inclinabat, & non neceſsitabat ad bonum, ſed relinquebat poteſtatem ad malum, vt Hæretici fatentur, & infœlix eventus peccati demonſtravit; ergò concupiſcentia, & appetitus, qui in hoc ſtatu lapſo, licet ad malum inclinet, & rationi repugnet, non tamen dominatur, (non enim ſentiebat Paulus in membris ſuis legem dominantem legi mentis, ſed tantùm repugnantem) non neceſſariò impetu nos compellit ad malum.

*Paul. ad Romanos, c. 2.*

Accedit primò, quòd homo libero arbitrio prędítus libere ceciderat, & non videtur equum, vt, qui libere fuit poſtratus, ſine libertate per gratiam fuiſſet erectus. ¶ Secũdò, homo per ſuperbiam à Diabolo perſuaſus elegit libere mortem, ergò ſalubriùs, & equius eſt, quod à Deo per humilitatem, & gratiam libere ſuſcitetur ad vitam. ¶ Tertiò, iuſtitiæ enim ordo exigit, vt, qui per calliditatem malevoli ſerpentis non neceſſariò impulſus, ſed cum libertate ſeductus fuit ad perditionẽ, per ſapientiam, & gratiam benevoli Redemptoris, non neceſſariò compulſus, ſed libere ductus ſit ad ſalutem, &, qui ſua libertate corruiſſe ſuaſsione Diaboli videbatur, cum ſua rurſus libertate gratia Chriſti repararetur.

Quàm rationem deſumo ex B. Anſelmo aſſerente: *Quia, ſicut non per ſe, ſed per alium impulſus cecidit, ita dignum erat, cùm per ſe non poſſet, & vellet, vt per alium adiutus reſurgeret.* Et ex Concilio Toletano comparante libertatem primi hominis ad peccandum cum libertate noſtra ad converſionem, his verbis: *Sicut homo propria arbitrij voluntate ſerpenti obediens perijt: ſic vocante ſe gratia Dei, propria mentis converſione quiſque credendo ſalvatur.*

*B. Anſelm. in Elucidario propè medium.*

*Concil. Toletan. 4. c. 55.*

Teſtimonia SS.PP. quæ liberum arbitrium demonſtrant, colligunt Controverſiſtæ, prędertim Bellarmi-

*Bellar. lib. 3. de Gratia, cap. 5. Coccius in ſuo Theſauro Catholico, t. 2. art. 5.*

minus, & Iodocus Coccius, illa tamen hic non produco, quia licèt Lutherus in initio sui erroris protestaretur nihil tenere velle contra Ecclesiasticos PP. verùm, cum planè cerneret convictum fore, si Patres reciperet, instabilis, & inconstans se nullius quantumlibet Sancti Patris authoritate cogi velle affirmabat, vt refert Rusensis; & inde ortum duxit impietas, & maledicentia, in SS. Ecclesię PP. quàm tradit Coccius, tanta enim fuit superbia Hæretica, vt iudicaret potiùs credendum vni Luthero, quàm tot clarissimis Viris sanctitate, ac doctrina illustribus.

*Rusensis in Confutat. Proœm. j Lutherani.*

*Coccius in lib. 8. de Signis Ecclesiæ*

## SECTIO SEPTIMA.

*Soluuntur argumenta ex Sacra Scriptura.*

25 PRimò opponunt Hæretici; omnia Sacræ Scripturæ testimonia, quæ Deum omnia bona in nobis operari testantur, quę ad tres classes reduci possunt. In prima illa, in quibus ita affirmatur Deum agere, vt simul denegetur nos cooperari, vt in illo: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Et ex illo: *Quid habes, quod non accepisti?* Et illud: *Scio, Domine, quia non est in homine via eius, nec viri, vt dirigat gressus suos.* Et ex Proverbijs: *Cor hominis cogitat viã suam, & Dominus dirigit gressus eius.* Et alibi: *A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam?* Vndè videtur nil esse bonum nostrũ proprium, & exindè, nec sub libertate, & potestate nostra.

*Paul. ad Roman. 4.*

*Paul. ad Corinth. 4.*

*Ieremiæ 10*

*Proverb. 16*

*Proverb. 20*

Secunda classis est testimoniorum, in quibus licèt non excludatur cooperatio nostra, solus Deus inducitur Auctor nostri boni operis, vt apud Ezechielem: *Ego auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Vndè si Deus dat cor novum, in prœceptis Dei ambulamus, aliàs nulla esset promissio; si Deus non dat cor novum, in præceptis Dei nõ ambulabimus; nulla ergò in nobis est libertas arbitrij. Quod confirmant ex illo Prophetæ: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*; quasi solus Deus sit causa conversionis nostrę. Vndè apud Osseam: *Perditio tua ex te Israël: tantum in me auxilium tuum.* Et Paulus monet: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.*

*Ezech. 36.*

*Psalmo 50.*

*Osseas 13.*

*Paul. ad Philippens. 2.*

Tertia classis est testimoniorum, in quibus nomen collati beneficij cuiuscumquè boni operis; indicare videtur, quod est opus Dei sine cooperatione nostra, vt ex illo Prophetę: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et ex illo Pauli: *Gratia enim estis salvi per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt nè quis glorietur.*

*Psalm. 83.*

*Paul. ad Ephesus 2.*

26 Hinc secundò opponunt Hęretici, post peccatum liberum arbitrium solùm valere ad peccandum, vndè esse omninò extinctum ad bonum, & nullatenus posse se ad iustificationem disponere. Et primò ex illo: *Sine me nihil potestis facere*; quomodò enim sine Christo poterit se præparare ad gratiã per opera moraliter bona, si sine Christo facit nihil; nulla est præparatio, quæ per nihil fiat. Secundò ex ipso Ioanne: *Sicut palmes non potest à semetipso ferre fructum, nisi manserit in vite, ita, & vos nisi in me manseritis.* Sed palmes à vite præcisus non potest, non arescere; ex vite vivens non potest, non ferre fructum: ergo homo à vite Christi excisus, nec potest fructum boni operis ferre, nec ad se ingerendum in vite præparare.

*Ioan. 5.*

*Ioan. 15.*

Cùm hæc testimonia solùm necessitatem gratiæ convincant, afferuntur, vt ex illis denegetur arbitrium,

trium, ſicut Pelagiani ſacra teſtimonia libertatem noſtram exprimentia producebant, vt gratiam eſſe neceſſariam negarent: Vndè Hęretici nõ recta via incedunt; ſed, vt, vel hàc, vel illàc nimium deflectentes in ſcopulos incidunt; aut enim ſupra modum conferunt arbitrio, aut contra, pluſquàm opportet ei detrahunt: Detrahit Manichæus, qui ait hominem non poſſe, non peccare: Extollit Jovinianus, qui ait baptizatum non poſſe peccare: Detrahunt Viclephus, Lutherus, & Calvinus affirmantes liberum arbitrium neceſsitate peccare, & non niſi ad peccandum valere; Pelagius ècontra nimium largitur, cùm dicit voluntatem ſuis viribus ſine gratia poſſe peccata vitare.

27 Catholici verò, nec ad lævam, nec ad dexteram declinantes medium obſervant tramittem, quia nec liberum extingunt arbitrium; ita, vt neceſſariò peccet. Nec illud, ita extollunt, vt non exigat adiutorium gratiæ ad non peccandum; ſed vtrùmquè profitemur.

*Aug. tract. 53. in Evãg. Ioan.* Cùm Auguſtino enim oramus: *Quoſdam nimia voluntatis ſuæ fiducia extullit in ſuperbiã, quoſdam nimia voluntatis ſuæ diffidentia deiecit in negligentiam: illi dicunt, vt quid rogamus Deum, nè vincamur tentatione, quòd in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt, vt quid connamur benè vivere, quod in Dei eſt poteſtate? O Domine, ò Pater, qui es in Cœlis, nè nos inferas, in quamlibet iſtarum tentationum, ſed libera nos à malo!* Et vt docet Bernardus: *Tolle liberum arbitrium, non erit, quod ſalvetur. Tolle gratiam, non erit, vndè ſalvetur.* *Bernard. de Gratia, & Lib. Arbit.*

Hanc fidem ſemper tenuit Catholica Eccleſia, vt enim ait D. Hieronymus in expoſitione Symboli ad B. Damàſum: *Liberum ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio, & tàm illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non poſſe, quàm illos, qui cum Ioviniano aſſerunt hominem nõ poſſe peccare. Vterquè enim tollit arbitrij libertatem; nos verò dicimus hominem ſemper, & peccare, & non peccare poſſe, vt ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrij. Hæc fides eſt Papa Beatiſsimè, quàm in Eccleſia Catholica didicimus, quamquè ſemper tenuimus, & tenemus.* *D. Hieron. Epiſt. 17.*

Vt tamen omnia Sacræ Scripturę teſtimonia conformia appareant; triplicem diſtinguimus gratiam Dei; vna eſt gratia conſummata gloriæ, in qua Deum videmus *non per ſpeculum, & in enigmatè, ſed facie ad faciem*; hanc gratiam promeremur adulti, quia licèt maxima gratia, *eſt repoſita, vt corona iuſtitiæ, & illam redit Deus iuſtus iudex omnibus diligentibus eum*; hæc tamen opera, quibus gloriam conſequimur, Dei dona ſunt, ſed non deſinunt eſſe noſtra merita. Alia eſt gratia iuſtitiæ, qua *Filij Dei nominamur, & ſumus* in hac vita, hæc gratia non confertur ex merito noſtro, ad illam verò comparandam diſponimur, & præparamur per actus virtutum, & operationes noſtras, & ideò dedit Deus *nobis poteſtatem filios Dei fieri*, nos quidem diſponendo libere ad *ſpiritũ adoptionis filiorũ, in quo clamamus, Abba (Pater) qui diffunditur in cordibus noſtris*, noſq; vocat ad pœnitentiã, vt apud Matthęum: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. Qui enim creavit nos, ſine nobis*, (vt Auguſtinus ait:) *non iuſtificat nos ſine nobis.* Sed licèt *libertatis noſtræ admoneamur dum Deus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, tamen ad hæc opera, quibus ad iuſtificationem diſponimur, *Dei nos gratia auxiliante præveniri confitemur, dum reſpondemus: Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*, ſemper enim præ-

1. *ad Corint.* 13.

*Paulus 2. ad Timoth.* 4.

*Ioan. Ep.* 1.

*Trid. Seſſ. 6. cap. 16. & Can. 32.*

*Ioann.* 1.

*Ad Rom.* 8.

*Matth.* 11.

*Auguſt. in Pſal.* 144.

*Trid. Seſſ. 6. cap. 5.*

venit inſpiratio, vocatio, & adiutorium Dei, vt operemur ſicut oportet, vt gratia iuſtificationis infundatur, quòd adiutorium Deus operatur in nobis, ſine nobis, ideſt, ſine noſtro merito, aut diſpoſitione noſtra prævia; vndè triplex eſt gratia, *conſummata*, ſcilicèt, quę eſt *gloria*, quàm ſemel iuſtificati per bona opera, vt coronam meremur; ſecunda eſt *iuſtificans*, & gratum faciens, quã non meremur, ſed per opera bona, à Divina gratia excitata, & adiuta ad illam diſponimur: Tertia verò eſt gratia *excitans*, & *adiuvans*, qua Deus nos vocat, ſtat ad hoſtium, & pulſat, ad ſe nos trahit, cui quidem cooperamur, ſed nec ad illam præparamur, nec meritoriè adipiſcimus.

28 Vndè reſpondetur ad primum, & primam teſtimoniorũ claſſem. Illud ad Romanos, ſic explicari à D. Thoma: *Non eſt volentis, ſcilicèt, velle, nec currentis, ſcilicèt, currere; ſed miſerentis Dei; quia ſcilicèt oportet, quod ad benè volendum, & operandum homo Divino præveniatur auxilio; ſicut conſueuum eſt, quod effectus aliquis non attribuitur proximo operanti, ſed primo moventi, attribuitur enim victoria Duci, quæ labore militum perpetratur, non ergo per huiuſmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium, ſicut quidam malè intellexerunt, quaſi homo non ſit Dominus ſuorum actuum interiorum, & exteriorum, ſed oſtenditur Deo eſſe ſubiectum.* ¶ Ad ſecundùm, quòd nihil habemus, quòd non accepimus, quia *omne bonum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*, ſed habemus licèt acceptum à Deo dominium in noſtras operationes; & ſic Paulus ait: *Vnuſquiſque ſuam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Et in Græco eſt *proprium*, vndè propria ſunt opera noſtra propter libertatem, licèt à Deo etiam donata.

*Paul. ad Romanos 9. D. Tho. lib. 3 contra Gentes, c. 149.*

*Paul. 1. ad Corinth. 3.*

Ad alia Hieremiæ duas expoſitiones adducit Angelicum Eccleſiæ lumen: *Dicendum, quòd in opere hominis duo eſt invenire, ſcilicèt, electionem operum, & hæc ſemper in hominis poteſtate conſiſtit, & operum geſtionem, ſivè executionem, & hæc non ſemper in poteſtate hominis eſt; ſed Divina providentia gubernante præſuppoſitum hominis ad finem, quandoquè perducitur, quandoquè verò non: & ideò homo non dicitur eſſe liber ſuarum actionum; ſed liber ſuæ electionis, quæ eſt iudicium de agendis; & hoc ipſum nomen liberi arbitrij demonſtrat.* Quàm dicit eſſe reſponſionem Niſſeni. Alibi etiam poſtquàm eandem traderet expoſitionem; ſubiungit: *Alio modo poteſt intelligi quantum ad hoc, quòd etiam interior voluntas movetur ab aliquo ſuperiori principio, quod eſt Deus, & ſecundùm hoc Apoſtolus ait, quòd nõ eſt volentis, ſcilicèt velle, ſicut primi principij, ſed Dei miſerentis.*

*Hierem. 10. & Proverb. 16. & 20. D. Thom. in diſputatis, q. 24. de Liber. Arb. ad primum.*

*D. Gregor. Niſſen. de Lib. Arb. c. vltimo.*

*D. Thom. q. 6. de Elect. humana, artic. 1. ad 1.*

Et, quòd hęc expoſitio recta ſit: Conſtat primò, quia licèt Deus dirigat greſſus noſtros, etiam nos eos dirigimus; ex illo Proverb. *Vir prudens dirigit greſſus ſuos.* ¶ Secundò, quia Deus adiuvando nos dirigit, & movet: *Dei enim ſumus adiutores*; ex Paulo: *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram.* Et ita canebat David: *Adiutor meus: eſto, nè derelinquas me.* Et *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvãdum me feſtina.* Et Apoſtolus ait: *Abũdantius omnibus laboravi, nõ autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Quod ita exponit Auguſtinus, *ideſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo*, & non adiuvatur niſi, qui in agendo laborat: Nam ſi nihil agimus, quo modo gratia adiuvat? Etſi ſpiritus adiuvat infirmitatem noſtram, noſtrum arbitrium infirmatum eſt, non extinctum.

*Proverb. 15.*

*Paul. ad Corinth. 3. & ad Rom. 8. Pſalm. 26. & Pſal. 69. Apoſt. 1. ad Corinth. 15.*

*Auguſt. de Gratia, & Lib. Arb. c. 15.*

Ad ſecundam claſſem teſtimonio-

niorum eodem modò reſpondemus: Quod Deus dat cor novum, creat cor mundum, & aufert cor lapideum, dum per ſuam gratiam facit, quod faciamus, & in præceptis eius ambulemus; hæc tamen gratiæ vis non tollit nos agere libere, & facere, potiuſquè agimus, cum illa facit, vt faciamus, & hominem cooperari Deo, vt det cor novum, & ſpiritum novum; conſtat ex illo Ezechiel: *Facite vobis cor carneum, & ſpiritum novum.* Et ex illo: *Hominis eſt animam præparare*; Sanctis, ſcilicet, cogitationibus ſe exercendo, & pravas repudiando, vt enim inquit Auguſtinus: *Homo præparat cor, non tamen, ſine adiutorio Dei, qui tangit cor*; & ideò ſuademur, quòd ſi vocem Dei audierimus, non obdurem us corda noſtra. ¶ Vno verbo, hæc omnia Sacræ Paginæ loca convincunt, dominium ſupremum Dei in cor noſtrum, & operationes noſtras, vt magis ſint in poteſtate Dei, ac noſtra, quid inde verò, vt etiam ſint ſub noſtro dominio, & poteſtate? Vt enim ait Auguſtinus verſans hæc teſtimonia: *Nos quidem ambulamus, verùm eſt, nos ſeruamus, nos facimus*; *ſed ille facit, vt ambulemus, vt obſeruemus, vt faciamus.*

Ezech. 18.

Prov. c. 16.

Aug. lib. 2. ad Bonifaciũ

Aug. lib. 4. ad Bonifaciũ

Certum eſt, quòd *niſi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt, qui ædificant eam; & niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtrà vigilant, qui cuſtodiunt eam.* Tamen Domino cuſtodiente, & ædificante, artifices, & vigiles ſuas operas impendunt; neque enim ita ſtructuram, & cuſtodiam à Deo fieri ſperamus, vt omnis humana induſtria ceſſet, quia Deus laborantes iuvat, vt eorum labores dignum exitum ſortiantur.

Pſal. 126.

Et quòd Hæretici verbum Dei ad proprias Hæreſes detorqueant; ex eo eſt evidens, quòd quando Scriptura dicit: *Deus operatur velle, & perficere*; *Deus operatur omnia*: *Dabo vobis cor novum*; & nos dicimus Deo: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Contendunt evidenter deduci, Deum propriè agere, & operari noſtras bonas actiones; & quando Scriptura dicit: *Operamini veſtram ſalutem*: *Facite vobis cor novum.* Et Deus dicit nobis: *Convertimini ad me*, non patiuntur hæc eadem vocabula intelligi, de proprio dominio, & operatione arbitrij in noſtras bonas actiones.

29 Tertia claſsis teſtimoniorum eſt de gratia iuſtificante, & gloria, quę ſunt Dei dona, inter illa tamen ex Scriptura Sancta, hęc eſt differentia, quòd ad iuſtitiam noſtram nos prępamur, ſemel verò iuſtificati gloriam per bona opera meremur. Deum enim eſſe ſolam cauſam principalem gratię, & quòd non ſit effectivè à cooperatione noſtra conſtat ex Tridentino, & ex infinitis Scripturæ Sacrę teſtimonijs, quę iuſtificationem ſoli Deo tribuunt: *Deus qui iuſtificat, quis eſt, qui condemnet? Deus ſolus poteſt facere mundum de in mundo.* Et apud Oſſeam. *Saluator non eſt præter Deum.* Et ideò in ſacris litteris, vt obſervat P. Vega; nomini Salvatoris ferè ſemper adiungitur nomen Dei; & cũ hoc munus iuſtitię ſit Dei donum, gratis Deus nos iuſtificat. Hęc veritas verò non aufert, quòd per gratiam excitati, & adiuti cooperemur libere, vt ad gratiam iuſtificantem per bona opera nos diſponamur: & ideò toties ad pœnitentiam Deus nos excitat in ſacris litteris, vt ad ſe redire connemur. Qualiter verò nos ad iuſtitiam diſponimur, vt gratis iuſtificemur exponit Sancta Tridentina Synodus: *Gratis autem iuſtificari, ideò dicamur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt ſivè fides, ſivè opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur; ſi enim gratia eſt, iã non ex operibus, alioquin, vt idẽ Apoſtolus*

Trid. Seſſ. 6. cap. 7. Ad Rom. 8. Oſſeas 13. P. Vega ſuper cap. 7. Trid. cap. 14. Ad Rom. 2.

S. Trident. Synod. Seſſ. 6 de Iuſtific. cap. 8.

*inquit, gratia iam non eſt gratia.*

*Tridentina Synod. Seſſ. 6 de Iuſtificatione, c. 16.*

De gloria verò ait Tridentina Synodus: *Quod eſt proponenda vt gratia filijs Dei per Chriſtum miſericorditèr promiſſa, & tanquàm merces ex ipſius Dei promiſsione bonis ipſorum operibus, & meritis fidelitèr redenda.* Quod evidentèr colligitur, quia à Paulo dicitur repoſita, vt *corona iuſtitiæ*, etſi merita non ſupponeret eſſet corona gratiæ: vita etiam ęterna in ſcriptura communitèr dicitur merces bonorum operum, & illorum retributio, merces verò, & retributio ex terminis dicuntur correlativè ad meritum: Scriptura etiam eodem modo loquitur de bonis operibus iuſti reſpectu beatitudinis, ac de malis reſpectu ęternæ damnationis, & nulli eſt dubium, quod peccata merentur æternam damnationem, & ſic dum ſcriptura loquitur de gratia, vtitur verbo donandi, quia non ex meritis; verbo autem redendi, & retribuendi in collatione gloriæ, vt intelligamus eſſe gloriæ merita: *Gloriaq;* (vt ait Auguſtinus) *gratia nuncupatur nō quia non meritis datur, ſed quia data ſunt, & ipſa merita, quibus datur.*

*Auguſt. Epiſt. 105.*

30 Secundam obiectionem intendentem liberum arbitrium ſolùm valere ad peccandum, ita inſanè magnificavit Lutherus, vt blaſphęmaret *iuſtum in omni opere bono peccare*; quem impijſsimum errorem damnavit Tridentina Synodus, de illoquè palam triumpharunt præclari Eccleſię Doctores, qui contra Lutherum ſcripſerunt. Ad primam ex illo Ioan. 15. Reſpondetur, non poſſe eſſe magis inſanam collectionem, quàm iſtā: *Sine Deo nihil poſſumus; ergò non poſſumus per bona opera præparari ad gratiam, quæ præparatio aliquid eſt.* Quid obeſt enim, quòd ſine Deo non poſsimus, vt cum Deo, & eius gratia valeamus? Sicut hæc conſequentia eſſet fatua: *Sine fœmina non poteſt vir generare; ergò vir generare non poteſt.* Si ergò authoritas Ioānis, intelligitur de quolibet opere *bono*, non poſſumus ſine auxilio Dei generali: ſi de opere *ſalutari*, quo ad Deum convertimur, & iuſtificationem diſponimur, non poſſumus ſine gratia Dei actuali præveniente: ſi de opere *meritorio*, quo gloriam promeremur, non poſſumus ſine Dei gratia iuſtificante, vndè nihil ſine Deo poſſumus, ſed cum auxilio generali libere benè agimus, cum gratia pręveniente liberè ad iuſtificationem diſponimur, & cum iuſtificante liberè gloriam promeremur.

*Tridentina Synod. Seſſ. 6. de Iuſtificat. c. 11*

*Hoc exemplum eſt D. Anſelmi in Dialogo de Lib. Arbit. cap. 3.*

Sed quia de meritò vitæ æternæ intelliguntur cōmunitèr verba Ioannis, quia crebriùs in Novo Teſtamēto nihil dicitur, quòd nullius meriti eſt ad vitę æternę pręmium; vt in Paulo: *Circunciſio nihil eſt. Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et infrà: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Vndè ſententia Ioannis ſic exprimitur; ſine gratia Dei nullum meritum æternę vitæ poſſumus.

*Paul. 1. ad Corin. 7. & 13.*

31 Si verò inquiras, quomodò homo eſt liberi arbitrij, ſi non poteſt ſine gratia iuſtificante vitam æternā mereri? ¶ Reſpondet Div. Thomas; his verbis: *Opus meritorium à non meritorio, non diſtat in quid agere; ſed in qualiter agere. Nihil enim eſt, quod vnus homo meritoriè agat, & ex charitate, quod alius non poſsit abſquè merito agere, & velle.* Et *ideò hoc, quod homo non poteſt ſine gratia agere opera meritoria, nihil derogat perfectæ libertati: quia homo dicitur eſſe liberi arbitrij ſecundùm quod poteſt agere hoc, vel illud, non ſecundum quod poteſt ſic, vel ſic agere: quia ſecundùm Philoſ. ille, qui nondum habet habitum virtutis, non habet in ſua poteſtate agere taliter, qualiter virtuoſus agit, niſi in quantum poteſt acquirere habitum virtutis.*

*D. Thom. q. 24. de Lib. Arbit. art. 1. ad 2.*

*tis. Gratiam autem, quæ opera meritoria facit, quamvis homo non possit ex libero arbitrio acquirere; potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, si fecerit, quòd in se est.* Et *ideò non est omninò extra potestatem liberi arbitrij opera meritoria agere, quamvis ad hoc per se potestas liberi arbitrij non sufficiat, eo quod modus, qui ad meritum requiritur facultatem naturæ excedit, non autem modus, qui est in operibus ex virtutibus politicis. Nullus autem diceret propter hoc hominem non esse liberi arbitrij: quia non potest taliter velle, vel eligere qualiter Deus, vel Angelus.*

Ad 2. text. D. Ioan. Resp. sensuum esse, quod sicut palmes non fert fructum, nisi sit in vite, ita nec homo, nisi vitale alimentum accipiat à vite Christi non potest fructum, hoc est, meritum vitæ æternæ: Palmes verò mysticus, & rationalis, licèt à vite Christi excissus potest præparari, vt denuò ingeratur, si enim non posset ad reditum se parare, quare Christus tot parabolis invitavit ad reditum peccatores? Cùr Paulus Corinthium illum excissum à stipite Christi compulit ad pœnitentiam? Palmes enim mysticus potest tundere pectus, & cum Publicano dicere: *Deus propitius esto mihi peccatori*, qua via Christus affirmat Publicanum ad iustificationis gratiam accessisse.

*Ioan. 15.*

*Lucæ 18.*

## SECTIO OCTAVA.

*Mens Augustini explicatur, & triplex declaratur libertatis species.*

32 PRimò opponunt Augustinum, sic afflantem: *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim, qui se occidit, vtique vivendo, se occidit, sed se occidendo non vivit, nec se ipsum potest resuscitare, cum occiderit; ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est, & liberum arbitrium: à quo enim quis devictus est, huic, & servus addictus est: Petri certè Apostoli est ista sententia.* Vbi expressè edocet Augustinus, quòd liberum arbitrium deperditum fuit, & victore peccato amissum.

*Augustin. c. 30. in Enchyridion ad Laur.*

Secundò opponunt Magnum Parentem de peccato primi Parentis ita differentem: *Non enim per aliud contraxit offensam, nisi per id, quo potuit, nè delinqueret resistere suadenti. Per velle ergò malum rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum potuit vincere velle malum.* Ergò per peccatum, id est velle malum, deperditum fuit posse bonum, seù liberum arbitrium ad bonum.

*Augustin. in Hypognosticon, lib. 3. contra Pelagianos.*

Tertiò opponit Lutherus: Sanctissimum Parentem asserentem: *Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet.* Ergò ex mente Augustini nulla est libertas, quæ non nisi in alteram partem potest, eamquè peiorem. ¶ Vltimo deniq; insurgunt ex B. Bernardo sic afflante: *Deus author est salutis, liberum arbitrium tantum capax*; ergò cum Bernardus asserat: *Arbitrium consentire salvari est.* Liberum arbitrium solùm est capax consensus, cuius Deus est author, & non activè, & libere in consensum influit.

*Augustin. de Spiritu, & Litt. cap. 3.*

*B. Bernard. lib. de Gratia, & Lib. Arbitrio.*

33 Sed vt mens Augustini apertè constet, supponendum est cùm omnibus Controversistis, & Scholasticis, quòd cùm liberum dicatur, vel ab eo, quod libet, qua ratione explicat electionem; & necessitatem excludit; vel à libero, qua significatione pugnat cum servitute: Arbitrium esse liberum trifariam in sacris litteris sumitur: vel, vt est libertas *naturæ*, quæ est libertas à necessitate; vel, vt est libertas *gratiæ*; quę est libertas à servitute peccati; vel deniquè, vt est libertas *gloriæ*, quæ est libertas à corruptione, & miseria.

Has

*D. Bern. de Gratia, & Libero Arbitrio, circa initium.*

Has libertatis acceptiones mirificè exponit B. Bernardus, &, quia locus iste præcipuus est ad intelligẽtiam huius diuisionis, placuit illum ad longum referre, sic enim loquitur de libero arbitrio nostro: *Sanè liberum, non illa libertate, de qua dicit Apostolus*: Vbi spiritus Domini, ibi libertas: *Est enim illa libertas à peccato, sicut alibi dicit*: Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitię. Nunc autẽ liberati à peccato, servi autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam ęternam. *Quis verò in carne peccati à peccato sibi vendicat libertatem? Hac ergò libertate meritò nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium. Est autem libertas à miseria; de qua idem Apostolus*: & ipsa (*inquit*) creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem glorię filiorum Dei. *Sed nũquid, & ista sibi quispiam in hac mortalitate præsumit? Ex hac itaque liberum nominari arbitrium, non immeritò abnuimus. Est verò, quàm magis ei congruere arbitror libertatem, quàm dicere possumus à necessitate, eo quòd necessarium voluntariò contrarium esse videatur. Siquidem quod ex necessitate fit, non iam ex voluntate; & èconverso similiter. Cùm igitur prout interiùs potuit occurrere nobis, triplex sit nobis, proposita libertas*, à peccato, à miseria, à necessitate: *hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione natura, in primam restauramur à gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas* naturæ: secunda gratiæ, tertia vitæ, vel gloriæ. *Primò nempè in liberam voluntatem, ac voluntariã libertatem conditi summus, nobilis Deo creatura. Secundò reformamur in innocentiam, noua in Christo creatura. Tertiò sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergò libertas habet multum honoris. Secunda plurimum etiam virtutis: noviſsima cumulum iucunditatis. Ex prima quippè præstamus cæteris animantibus. In secunda carnem, per tertiam mortem subijcimus. Vel certè sicut in prima subiecit Deus sub pedibus nostris oves, & boves, & pecora campi; ita quoque per secundam spirituales bestias huius aëris, de quibus dicitur*: Nè traddas bestijs animas confitentes tibi, *prosternit æquè, & conterit sub pedibus nostris. In vltima tandem nos ipsos nobis pleniùs submissurus per victoriam corruptionis, & mortis: cùm scilicèt noviſsima destruetur mors, & nos transibimus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quæ libertate Christus nos liberabit: Cùm nos vtiquè tradet Regnum Deo, & Patri. De hac enim, & item de illa quàm diximus à peccato, puto, quòd Iudæis aiebat*: Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. *Liberum arbitrium liberatore indigere significabat: sed planè, quòd illud liberaret non à* necessitate, *quàm voluntatis esse penitus non noverat; sed à* peccato, *in quòd tàm liberè, quàm voluntariè corruerat: simulquè à pœna peccati, quàm incautum incurrerat, invitumquè ferebat, quo vtroquè malo liberari omninò non poterat, nisi per illum,* qui solus hominum factus est inter mortuos liber: *Liber videlicèt à peccato inter peccatores.*

*Roman. 6.*

*Roman. 8.*

*Psalm. 73.*

*Ioann. 8.*

*Psalm. 18.*

Libertas ergò *naturæ* excludit necessitatem, & cõsistit in posse velle, & nolle, quod propositum est: hac libertate potuit Paulus à Corinthijs, & Thessalonicensibus vitæ necessaria postulare, & noluit vti hac potestate: quæ libertas, si ad opera salutaria ordinetur, quibus peccator ad iustificationis gratiam obtinendã disponitur, constituitur per gratiam prævenientem excitantem, vocantem, & inspirantem, quia sine illa nõ est vera potestas ad hæc opera salutaria. Prima enim dispositio ad iusti-

tiam

tiam est fides, & fatente Paulo *miſericordiam ſuit conſecutus, vt eſſet fidelis*, non quia erat fidelis, & ſi non *ſumus ſufficientes ex nobis cogitare, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, quantò minus erimus ſufficientes ad credere, quin hæc ſufficientia, & poteſtas per gratiam Dei ſit.

*Paul. 1. ad Corinth. 7. 25.*

*2. ad Cor. 3.*

Sophiſtica verò eſt iſta collectio: *Sine gratia præveniente, non poſſumus ad iuſtificationem diſponi; ergò non ſumus liberi.* Quia ſine auxilio Dei generali, non poſſumus opera naturalia, & tamen, & ipſe Lutherus, Palinodiam cantando, faſſus eſt ad hæc opera nos eſſe liberos: & ſimilis eſt ratio, quia ſicut illa influentia generalis ſemper eſt præſens, ita hæc gratia, teſtante Senonenſi Concilio: *Semper eſt in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet*; & ideò Deus dedit non quidem iuſtis, ſed peccatoribus *poteſtatem, filios Dei fieri*, iuſti enim iam ſunt filij Dei, quia confert gratiam excitantem, vt ad gratiam ſe diſponant, *qua filij Dei nominamur, & ſumus.*

*Conc. Senon. Decret. 15.*

*Ioann. 1.*

*Ioan. Ep. 1. cap. 3.*

34 Secunda libertas *gratiæ*, quæ eſt libertas à peccato, ſolùm invenitur in iuſtis, per gratiam iuſtificantem conſtituta, & eſt libertas ad meritoriè velle, & non velle vitam æternam; quia poteſtas immediata ad meritum gloriæ, non eſt ſine iuſtificante gratia; nec conſequitur, *ſine iuſtificante gratia non poſſumus meritoriè velle*; ergò *non ſumus liberi*; quia adhùc Hæreticis non diſſentientibus: Primus homo in ſtatu innocentiæ fuit liber, & tamen ſine gratia non potuit mereri gloriam; iuſti ergò libertatem ad meritum condignum gloriæ habent, quia ſunt in gratia; peccatores, quia excitati à gratia præveniente, poſſunt diſponi ad iuſtitiam, quàm miſericors Deus, pœnitentiam agentibus, non denegat, & ſemel iuſtificati poſſunt per bona opera gloriam, vt coronam iuſtitiæ promereri.

35 Tertia libertas à miſeria, quę eſt libertas *gloriæ* conſtituitur per gratiam conſumatam vitæ æternæ; nec, quia hæc libertas nobis viatoribus deficit, non eſſe liberos ſequitur; Adamus quidem verè liber fuit, & non habuit gloriæ libertatem, quia licèt potuit non mori, non habuit non poſſe mori, potuit non peccare, ſed non fuit impotens peccare; & illa perfectiſsima libertas per impotentiam miſeriæ, mortis, & peccati conſtituitur; & non ſolùm reſpicit hæc libertas electionem, ſed etiam executionem, quia, quòd Beati volunt efficacitèr exequi poſſunt, libertas verò viatoris, licèt iuſti non ſemper aſſequitur, quod vult.

Iam facilè eſt Auguſtinum exponere, quia dum aſſerit, quòd homo per peccatum *perdidit liberum arbitrium*, intelligitur de libertate gratię, & à culpa, quæ libertas fuit, per peccatum amiſſa, non de libertate naturę, & à neceſsitate. Ita docet D. Sanctus, ſolvendo hoc Hæreticorum argumentum. ¶ Et hanc eſſe M. Parentis mentem evidentiſsimè conſtat, ex ipſius capitis contextu; incipit enim inquirendo: *An meritis ſuorum operum homo poſsit reparari ad Regnum æternum promiſsũ?* Negat, quod poſsit adhùc libero arbitrio, niſi liberetur à perditione, quia *homo malè vtẽs libero arbitrio, ipſum perdidit.* Perdidit libertatem ad merendum Regnum æternum ſuis operibus, ſed hæc eſt libertas gratię: ergò illam perdidit malè vtens libero arbitrio ¶ Secundò; victore peccato aſſerit amiſſum liberũ arbitriũ, quia fuit homo factus ſervus peccati, ex ſententia D. Petri: *A quo, quis ſuperatus eſt, huius, & ſervus eſt.* Sed per eſſe ſervum peccati ſolùm amittitur libertas à peccato; ergò. ¶ Tertiò, quia ſtatim ſub infert: *Quod iſta libertas non erit in homine vendito, niſi redimat ille, cuius vox eſt, ſi vos filius liberaverit, tunc liberi eri-*

*S. Thom. in diſp. q. 6. de elect. ad 23. D. Aug. in Enchyridiõ ad Laur. c. 30.*

*D. Petr. in Epiſt. 2. c. 2.*

*Auguſt. vbi ſup.*

*Ioann. 8.*

*D. Bern. ſuprà n. 32. allatus.*

*D. Aug. lib de Eccleſiaſtic. Dogm. cap. 21. & 1. ad Bonif. cont. duas Epiſt. Pelagianorum, cap. 2.*

*Aug. lib. 3. Hypognoſtic. contra Pelagianos.*

*eritis.* Et hęc verba, vt vidimus ex D. Bernardo, de libertate à peccato intelligi debent. ¶ Quartò, quia Auguſtinus aſſerit: *Quod libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum.* Quomodò verò homo per peccatum ſe perdidit? Non quidem ſe perimendo, ſed deteriorem efficiendo, non amittendo naturam, ſed dona ſupernaturalia naturę colata; ergò nec perdidit liberum arbitriũ, extinguendo illius naturam, ſed deteriùs efficiendo, quia fuit gratia expoliatum, & Diabolo captivum.

Hanc etiam expoſitionem tradit ipſe M. Parens, aſſerens: *Quis noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam.* Quid expreſiùs?

36 Audacia ſuma Hæreticorum eſt obijcere Auguſtinum in lib. 3. Hypognoſticon contra Pelagianos, quia in illo non minus triumphat de Pelagiano errore, quàm vincat demonſtrando arbitrium liberum, Manichęam Hæreſim, & exinde Lutheranam: *Per velle malum* (aſſerit) *Adamum amiſiſſe poſſe bonum.* Inadæquatè quidem, quia amiſit gratiam, & iuſtitiam, qua potuit vincere malum, non quia perdidit libertatem naturæ, & à neceſsitate; & quòd per poſsibilitatem boni in Adamo intelligat Auguſtinus gratiam, & iuſtitiã, in qua creatus fuit, eſt expreſſum in ipſo; quia ibidem ait: *Quod poſsibilitas ipſa eſt prima gratia, qua primus homo ſtare potuiſſet, ſi ſervare mandata Domini voluiſſet; Hac ergò per inobedientiam deſolatus homo factus eſt Diabolo, cui maluit obedire, quàm Deo, captivus.* Et proſequitur Sanctus Parẽs probando vulnus inflictum ex culpa originali, quia aliàs Chriſtus gratis mortuus fuiſſet, & nõ veniret peccatores ſalvos facere.

Statim explicat Auguſtinus duas acceptiones liberi arbitrij; & aſſerit: *Per peccatum ergò liberum arbitriũ poſsibilitatis bonum perdidit, non nomen, aut rationem.* Explicat Sanctus Doctor hanc rationem liberi arbitrij in omnibus hominibus erga opera bona naturę, quæ ait ſine gubernaculo Divino non ſubſiſtere, quod nos vocamus auxilium generale. Gratiã verò prævenientem per Chriſtum eſſe neceſſariam ad opera bona, quę non ſunt naturæ, vt ad fidem, qua poſsimus credere, validiſsimis ſcripturę teſtimonijs demonſtrat; & antiquam Hęreticorum quærelam, quòd ſi gratia Chriſti noſtram prævenit voluntatem, vt in eum credere poſſimus: *Cùr non hoc ergò in omnibus operatur? An Perſonarum acceptor eſt Deus?* Evidentiſsimè refutat, & aſſumptum hoc claudit: *Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negaverit, Catholicus non eſt: Et quiſquis ſic eſſe dixerit, quod ſine Deo bonum opus, ideſt, quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſsit, Catholicus eſt.* S. Parens progreditur, quod hęc opera bona, quæ vt fiant, præparantur per gratiæ pręventum, non ſunt merita iuſtificationis, licèt per illa homines iuſtificantur; illudquè: *Vnicuique reddes ſecundum opera ſua.* Intelligendum eſſe de meritis liberi arbitrij in ordine ad futuram, & ęternam vitam; vbi tres gratias, & libertates manifeſtè exponit, vt ſi Hæretici noſtri temporis vellent intellectu conſpicere, quæ in hoc libro edocuit, ſuum errorem certè damnarent.

*Aug. in lib de Spiritu, & Littera.*

37 Iniquitas fuit in Luthero detruncata verba Auguſtini in lib. de Spiritu, & Littera adducere; aſſerit enim: *Quod liberum arbitrium non niſi ad peccandum valet*; ſed addit: *Si lateat veritatis via.* Qua particula non dempta, quid poteſt eſſe veriùs? Nàm quommodò poterit quis incedere in via veritatis, ſi eam ignoret?

Adhùc

Adhùc ſubijcit Auguſtinus: *Et cum id, quod agendum, & quo nitendum eſt cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non benè vivitur.* Et hoc veriſsimum etiam eſt, quia non ſolùm habemus neceſſarium *Doctorẽ*; ( ait Sanctus Parens ) *Sed adiutorem Deum.* Atque ita Dei gratia, vt aſſerit: *Non ſolùm oſtendat, quid faciendum ſit, ſed adiuvet etiam, vt fieri poſsit, quòd oſtenderit.* Sed eſſe neceſſarium gratiæ adiutorium ad benè, & meritoriè vivendum, quomodò infert liberum arbitrium eſſe per peccatum extinctum, & non niſi ad peccandum valere? Cum toto illo c. 28. S. P. ex eo, quod imago Dei nõ eſt in homine per peccatum deleta, probet hominem impium aliqua bona opera facere: *Sicut non impediunt à vita æterna iuſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: Sic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè, vita cuiuslibet peſsimi hominis invenitur.*

*Aug. ibidẽ, cap. 6.*

*Idem, c. 35.*

*Aug. ibidẽ, cap. 28.*

D. Bernardus in peculiari illo libro de gratia, & libero arbitrio totus eſt in noſtra ſententia; & dum ait: *Liberum arbitrium tantum capax: ſalutis*, ſcilicèt, non eſt, quia merè paſsivè ſe habet ad ſalutarem conſenſum; ſed, quia ſolùm, quòd libertate gaudet, eſt capax, vt ſalvetur; & hic ſenſus eſt appertiſsimus, càm progrediatur Meliſſuus Doctor, vt oſtendat, quod pecora ſunt ſalutis incapacia, quia illis deeſt libertas; & cooperationem noſtri liberi arbitrij ſtatim poſt obiecta verba edocet, aſſerit enim: *Nec dare illam* (ſalutem ſcilicèt,) *niſi Deus, nec capere valet, niſi liberum arbitrium, quòd ergò à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tàm abſquè conſenſu eſſe nõ poteſt accipientis, quàm abſque gratia dantis; & ita gratiæ operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit.* Quid expreſsiùs? Vide Illuſt. Caramuelem clarè demonſtrantem ſententiam D. Bernardi.

*Caramuel in Mathalogica à num. 1487. vſquè ad 1497. & in Dialexi, n. 25.*

## SECTIO NONA.

### *Quædam fallatiæ ſcitu dignæ ſolvuntur.*

38 OPpones 1. probabilitas antecedentis evidentèr inferentis concluſionem A. infert eſſe probabilem concluſionem A. & exinde non eſſe hæreticam, erroneã, neque evidentèr falſam, quia evertendo, falſitas evidens conſequentis inferret antecedens eſſe evidentèr falſum; ſed hæc concluſio: *Non datur liberum arbitrium* evidentèr infertur ex antecedenti probabili; ergò non eſt hęretica, neque evidẽtèr falſa, ſed eſt probabilis; probatur min. in hoc ſyllogiſmo: *Phyſica prædeterminatio non poteſt exiſtere cum libertate; datur phyſica prædeterminatio; ergò nõ datur libertas*; maior eſt DD. Societatis, minor eſt Angelicę Scholę, & conſequentia eſt evidens: Vndè ſic probatur min. Quando duæ propoſitiones ſunt ſimul probabiles, probabilè eſt eſſe ſimul veras; ſed maior, & minor ſunt ſimul probabiles: ergò probabilitèr ſunt ſimul veræ; ergò concluſio illa evidentèr infertur ex antecedenti probabilitèr verò.

Augetur difficultas alijs arguendi formis; hìc eſt rectus ſyllogiſmus: *Prædeterminatio Thomiſtica tollit libertatem, prædeterminatio Thomiſtica non eſt hæretica*; ergò *prædeterminatio auferens libertatem non eſt hæretica*; conſequentia evidens, minor certiſsima, & maior videtur probabilis. ¶ Vel aliter *prædeterminatio auferens libertatem eſt hæretica, prædeterminatio Thomiſtica auſert libertatem; ergò eſt hæretica*: maior eſt certa, quia eſt de fide libertatem eſſe; min. videtur probabilis, & con-

ſequentia cõcedi non poteſt, quia aſſerere prędeterminationem Thomiſticam eſſe hęreticam, prohibitum eſt, & falſiſsimum, nè ampliùs dicam.

39 Communitèr reſpondetur principali argumento, quòd iſtę propoſitiones, quæ ſunt oppoſitę in veritate, ſolùm eſt quęlibet probabilitèr vera ſub conditione falſitatis alteriùs, & ſic in noſtro caſu maior ſolùm eſt probabilis ſub conditione falſitatis minoris affirmantis prædeterminationem exiſtere, & minor ſolùm eſt probabilis ſub conditione falſitatis maioris affirmantis repugnantiam prędeterminationis cum libertate.

Huìc tamen ſolutioni non acquieſco 1. quia ſequeretur illas propoſitiones non eſſe ſimul probabiles, quin ſint ſimul falſæ, &, cum ſit certum illas eſſe probabiles, erit certũ illas eſſe falſas: & ſic, nec dicet verùm Schola Divi Thomæ affirmans exiſtere prædeterminationem, nec Schola Societatis hoc negans, quod eſt abſurdum: Sequelam clarè probo; maior ſolùm eſt probabilis ſub conditione falſitatis minoris, & minor ſolùm eſt probabilis ſub conditione falſitatis maioris, vt fatetur ſolutio, ergò, vt verificetur ipſas ſimul eſſe probabiles, ipſæ ſunt ſimul falſæ. ¶ Vel aliter, quod ſolùm poteſt eſſe ſub conditione, ſi abſolutè eſt, debet eſſe abſolutè conditio, ſed iſtæ propoſitiones ſolùm ſunt probabiles vna ſub conditione falſitatis alteriùs; ergò ſi vtraquè abſolutè eſt probabilis, vtraquè eſt falſa.

Secundò, quia non credo, quòd propoſitiones, quę non poſſunt in veritate coëxiſtere, ſolùm ſit vna probabilis ſub conditione falſitatis alteriùs; tùm, quia hęc conditio exigitur, & ſufficit, vt quælibet ſit vera, & nulla exigit, vt ſit probabilis ſui veritatem.

¶ Tùm, quia probabilitas ſolùm cõſiſtit in eo, quòd poſsit prudentèr iudicari propoſitio vera, & vt poſsit iudicari, min. prudentèr vera non exigitur, quòd maior ſit falſa; ſed quod, poſsit prudentèr iudicari falſa. ¶ Tùm, quia hoc clariùs conſtat in propoſitionibus contradictorijs probabilibus, vt iſtis: *Prædeterminatio exiſtit. Prædeterminatio non exiſtit*: Et neutra, vt ſit probabiliter vera exigit pro conditione falſitatem alteriùs, quia cum hac conditione non ſolùm eſt probabilis, ſed evidentèr vera, quia hæc enunciatio: *Si eſt falſum prædeterminationem non exiſtere, eſt verùm exiſtere*, eſt propoſitio evidentèr vera.

40 Vndè Reſp. Probabilè eſſe maiorem, eſſe veram, & probabile eſſe, minorem eſſe veram, non tamen eſt probabilè eſſe veras maiorem, & minorem; hoc eſt, probabilitas maioris, & probabilitas minoris copulantur; ſed non poteſt dari probabilitas de veritate maioris, & minoris copulatim. ¶ Vel aliter: datur *ſimultas probabilitatis* vtriuſquè veritatis; non verò datur *probabilitas de ſimultate* vtriuſquè veritatis; ſicut enim datur poſsibilitas de Petri exiſtentia, & datur poſsibilitas de carentia Petri, non datur verò poſſibilitas de Petri exiſtentia, & Petri carentia, quia hæc copulatio eſt impoſsibilis: & ſicut datur ſimultas poteſtatis ad amorem, & poteſtatis ad odium; non verò datur poteſtas ad amorem, & odium ſimul, ita in noſtro caſu datur ſimultas probabilitatis de vno, & de altero iudicio; ſed non datur probabilitas de veritate ſimultanea vtriuſquè iudicij. ¶ Et ratio eſt, poteſt iudicari prudentèr vera maior, & poteſt iudicari prudẽter vera minor; ergò ſimul ſunt probabilitèr veræ mai. & min. ¶ Nõ verò poteſt iudicari prudentèr, quòd maior, & minor ſunt veræ, quia eſt evidens vnam ex illis eſſe falſam, quia hæc conſequentia eſt evidens; *datur libertas*: ergò, *vel non datur*

*præ-*

*prædeterminatio, vel coëxistit libertati* : ergò, cum antecedens sit evidens; consequens est evidens : ergò est evidẽs aliquam partem illius disiunctivę esse veram, si prima pars est vera, est falsa minor, si secunda pars est vera, est falsa maior: ergò est evidens maiorem, vel minorem esse falsam : ergò non est probabilè maiorem, & minorem esse simul veras, licèt simul sint probabiles maior, & minor.

41 ¶ Et ita asserit Illust. Godoy : Quod prę missæ si sunt probabiles *divisivè* non inferunt conclusionem rectè deductam, esse probabilem; sed esse necesse vt conclusio sit probabilis præmissas esse probabiles *complexivè*. Esse præmissas probabiles *divisivè*, est esse probabilem vnã seorsim ab altera; esse autem *complexivè* probabiles, est vnam esse probabilem simul cum alia; nõ enim possunt dici *comprobabiles*, dum ab eodem Doctore simul admiti non possunt. Et duobus exemplis declarat. Primum, quia probabilè est vnã personam divinam posse videri sine alia; etiam est probabilè; obiectum cognitum in genere causæ efficiẽtis, simul cum potentia, ad intellectionẽ concurrere; & tamen istę propositiones non sunt *complexivè* probabiles; quia sequeretur aliquod opus ad extra esse effectivè ab vna persona, & non ab alia; quod est contra omnes Theologos, cùm Omnipotentia sit virtus ad extra effectiva, & vna in tribus personis. Secundum; quia plures iudicant probabilè, Christum, in quantum hominem esse filium Dei adoptivum : est etiam probabilè; peti ad filiationem adoptivam distinctionem suppositorũ inter adoptantem, & adoptatum; & tamen istę propositiones non sunt probabiles *complexivè*, quia sequeretur Hæresis Nestoriana, scilicèt Christum, in quantum hominem esse personam à Verbo Divino distinctam; sicut ergò istæ consequentiæ non tenent, quia præmissæ non sunt probabiles *complexivè*, seù quia non datur probabilitas de simultate vtriusquè præmissę : Ita in nostro casu dicendum est.

*Godoy in 3. p. disp. 52. Sess. 10.*

42 ¶ Huncquè modum dicendi multis confirmat Pater Izquierdo: inquirens; quovsquè liceat ex antecedente probabili elicere conclusionem probabilem? Et aliud exemplũ adducit, quia Scotistæ asserunt: attributa inter se, & ab essentia Dei distingui formaliter ex natura rei; alij Theologi asseverant; distinctionem à nostro intellectu independentem facere pluralitatem simplicitèr realẽ; & tamen absurdissimum est; esse in Deo pluritatem realem simplicitèr talem inter essentiam, & attributa, aut attributorum inter se; quia hæc conclusio solùm inferri potest ex illis præmissis *coniunctim* sumptis, & licèt *seorsim*, sint probabiles, coniunctum est improbabilè, sicut extrema contradictionis seorsim probabilia, non impediunt coniunctum esse manifestè improbabilè : Ratio, quia ad affirmandum quodlibet extremum, seorsim gravia suppetunt fundamenta; ad affirmandum, quod ambo simul existunt, nec lęvissimum potest esse; quia coëxistentiam esse impossibilem evidentissimum est. Hanc etiam doctrinam, seù differentiam inter propositiones *probabiles*, & *cõprobabiles*, vt certam, & à Theologis anteà non observatam sæpissimè docèt Illust. Caramuel.

*Izquierdo in Pharo, disp. 6. q. 5.*

*Caramuel in Theolog. fundam. n. 490. & n. 671. & alibi sæpè.*

43 Sed contra hanc solutionem possunt opponi, quę congerit Antonius Zelladei, qui acritèr sustinet opiniones essentialiter incompossibiles in veritate, non posse esse simul probabiles, quòd hac ratione demõstrare prę sumit; *forma incompossibilis cũ alia determinatè in vno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est incompossibilis cùm simultate eiusdẽ illius formæ in vtroque extremo*, sed

*Antonius Zelladei de Rect. Regul. morum, lib. 2. q. 11.*

certitudo falſitatis eſt incompoſsibilis cum probabilitate comparativè ad vnum concluſionem; vt patet: ergò certitudo falſitatis eſt incompoſsibilis comparativè ad duas indeterminatè concluſiones cum ſimultate probabilitatis in vtraquè concluſione; ſed eſt evidentèr certum, quòd vna ex his concluſionibus: *Phyſica prædeterminatio non poteſt exiſtere cum libertate*: *Phyſica prædeterminatio exiſtit*. Eſt falſa, quia eſt evidentèr verùm libertatem exiſtere; ergò illæ duæ propoſitiones nõ poſſunt habere ſimultatem probabilitatis; omnia conſtant, & maior explicatione terminorum manifeſta videtur: tùm inductione, quia ſapientia v.g. eſt incompoſsibilis cum ignorantia reſpectivè ad vnum ſubiectũ, ſi ſapientia convenit vni duorum, nequit ignorantia ineſſe vtriquè illi ſimul: Et ratione conſtat, quia ſi vna forma alterutri duorum indeterminatè convenit, & altera vtriquè ſimul, iam vtraquè determinatè alicui eorum conveniret.

*Zell. vbi ſup. Seſſ. 6.*

Impugnat idem Author diſtinctionem noſtram de ſimultate probabilitatis, & probabilitate ſimultatis, quia hanc diſtinctionem, qua Theologi vtuntur in cauſis liberis applicamus ad cauſas neceſſarias, quia cõcluſiones neceſſariò ſunt, vel non, probabiles, ſicut & ſcibiles: ergò, ſicut in cauſis neceſſarijs valet à ſimultate potentiæ ad potentiam ſimultatis, ita valet in probabilibus.

Alitèr, ſi eſſet verùm, te currere, & non currere, poſſem hoc ſimul dicere, & ideò non poſſum ſimul dicere, quia non poteſt eſſe ſimul verùm, at probabilitèr verùm eſt obiectum opinionis, & probabilitèr verùm eſt: prędeterminationem non poſſe exiſtere cum libertate: & probabilitèr verùm eſt: dari talem prædeterminationem: ergò poſſum ſimul oppinari vtrùmquè.

Alitèr probabilitas eſt dignitas, ſeù meritum prudentis aſſenſus, ſed in his concluſionibus ſimul ineſt dignitas, & meritum prudentis aſſenſus: ergò poſſum ſimul vtriquè aſſenſum dare iuxtà obiecti merita.

*P. Moya in Selectis, t. 2. quæſt. 2.*

44 P. Moya reſpondet hoc argumentum eſſe defectuoſum, quod duplici exemplo ſuadet 1. forma incompoſsibilis cum alia in vno extremo; vagè, & indeterminatè conveniẽs alterutri duorum extremorum; eſt incompoſsibilis cum ſimultate eiuſdem illius formæ in vtroquè extremo, ſed neceſsitas exiſtendi eſt incompoſsibilis cum contingentia in vno extremo; ergò neceſsitas exiſtendi vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum contradictoriorum pugnat cum contingentia vtriuſquè extremi contradictorij; minor eſt vera, conſequentia eiuſdem formæ, & tamen conſequens eſt falſum, vt patet in his contradictorijs. Petrus exiſtit, Petrus non exiſtit; ergò maior eget explicatione. ¶ Idem deducitur in ſecundo exemplo. Forma incompoſsibilis cũ alia determinatè in vno extremo vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum eſt incompoſsibilis cum ſimultate eiuſdẽ illius formæ in vtroquè extremo, ſed certitudo falſitatis eſt incompoſsibilis cum dubio in vna determinatè concluſione ex contradictorijs, & vni, vel alteri determinatè cõvenit: ergò eſt incompoſsibilis cum dubio vtriuſquè extremi contradictorij; conſequens eſt evidentèr falſum, & conſequẽtia habet ſimilem formam cum argumento, & ſic aliqua prẽmiſſa debet eſſe falſa, vel forma argumenti nulla, min. eſt vera: ergò, vel ſyllogiſmus defectuoſus, vel maior falſa.

In quo ergo ſtabit ſyllogiſmi defectus? Reſpondet, quod ſunt aliquę formæ ſe ipſis incõpoſsibiles, & iſtæ ſunt talis naturæ, quòd neceſsitas vnius vagè, & indeterminatè afficiẽs aliquod

aliquod ex duobus extremis pugnat cum ſimultanea exiſtentia alteriùs formæ in vtroquè extremo, huiuſmodi ſunt ſcientia, & ignorantia, calor, & frigus: ſunt verò aliæ formæ, quæ ſeipſis non pugnant, ſed ratione alicuius modi, qui extra ipſas, & ſubiectum, in quo ſunt, reſidet, & tunc, licèt vna forma afficiat vagè aliquod extremum non pugnat cum ſimultanea exiſtẽtia alteriùs formæ in vtroquè extremo, huiuſmodi ſunt falſitas, & probabilitas, quę ſeipſis non opponuntur, quia ex Ariſtotele falſa quandoquè ſunt probabiliora veris, & ſic falſitas poteſt vagè afficere aliquod ex extremis, & probabilitas exiſtere in vtroquè extremo.

45 Sed argumentum non procedit de falſitate, vtcumquè, ſed certò cognita in aliquo extremo, & cũ falſitas, vt coniuncta cum modo certitudinis afficiat aliquod ex extremis, nequit coniungi cum vtriuſquè probabilitate. Vndè reſtauro contra ſolutionem argumentum, quando formæ ſunt *ſeipſis imcompoſsibiles*, neceſsitas vnius in aliquo duorum extremorum vagè, pugnat cum ſimultate alteriùs in vtroquè extremo: ergò quando formæ ſunt incõpoſsibiles ratione *alicuius modi ſuperaditi*, neceſsitas vnius formæ cũ illo modò in aliquo duorũ extremorum repugnabit cũ ſimultate alteriùs formæ in vtroquè extremo; ſed falſitas coniuncta cum certitudinis modò pugnat cum probabilitate: ergò ſi certitudo falſitatis afficit vagè aliquod ex extremis pugnabit cum ſimultate probabilitatis in vtroquè extremo.

46 Vndè vt meam mentem explicem alio exemplo præterdicta, inſto argumentum, quia meo videri ſuadet non ſolùm in vtroquè extremo contradictionis non poſſe eſſe ſimul probabilitatem, verùm, & ſuadet, quòd in nullo extremo contradictionis ſit probabilitas, quòd ita ſuadeo: *Quando duæ formæ ſunt incompoſsibiles inter ſe, & cum alia forma, ſi illæ formæ ſunt talis naturæ, vt quælibet afficiat, aliquod ex duobus extremis vagè, non poteſt in aliquo ex illis exiſtere altera forma*: res eſt clara; Scientia, & error, v.g. ſunt incompoſsibiles inter ſe, & cum fide, ſi ſcientia afficiat vagè Petrum, & Paulum, & ſimiliter error, nequit fides exiſtere, nec in Petro, nec in Paulo, quia cum in vno ex illis ſit ſcientia, & in altero error, ſi fides in aliquo ex illis exiſteret, vel exiſteret cum ſcientia, vel cum errore, ſed certitudo veritatis pugnat cum probabilitate, & ſimilitèr certitudo falſitatis: certitudo veritatis debet afficere aliquod ex extremis contradictorijs: & etiam certitudo falſitatis, eſt enim certum vnum ex contradictorijs eſſe verũ, & alterum falſum: ergò probabilitas nullum ex illis poteſt afficere, aliàs, vel coëxiſteret cum certitudine veritatis, vel certitudine falſitatis.

Vndè defectus argumenti non ſtat in maiori vndequaque vera, ſed in minori, quia licèt ſit certum aliquod ex extremis illis eſſe falſum, non eſt certum aliquod ex illis eſſe *certò* falſum, ſed aliquod ex illis eſſe *in re* falſum; vndè cum ſola certitudo falſitatis pugnet cum probabilitate, & non falſitas in re, nullum eſt certò falſum, ex illis duobus extremis, & ſic quodlibet eſt probabilitèr verùm, ſicut enim eſt neceſsitas, vt Petrus, vel illius carentia exiſtant, non tamen eſt neceſsitas, vt aliquod ex illis exiſtat neceſſariò, ſed ſolùm vt exiſtat contingentèr, ita eſt certitudo de falſitate alicuius ex extremis, ſed non falſitatis *certæ* alicuius, ſed *in re*, cuius ratio à priori eſt, quia certitudo falſitatis non exigit hoc extremum præ alio eſſe falſum, nec è contra, ſed aliquod eſſe falſum: ergò cum hac certitudine, ſicut exiſtit

du-

dubium, an hoc præ alio ſit falſum? Ita poteſt exiſtere probabilitas vnius præ altero.

Ad ea quibus impugnat dari ſimultatem probabilitatis vtriuſque extremi, & non probabilitatem ſimultatis; reſpondeò illam diſtinctionem non eſſe ita propriam libertatis, vt non poſsit probabilitati applicari, quod illuſtro ex ipſo in probabilitate *lata*, quæ conſiſtit in eo, quod propoſitio impunè ſine cenſura, & nota defendatur, & datur in qualibet ex illis propoſitionibus, poteſt enim defendi maior, & poteſt defendi minor; hæc tamen probabilitas non datur reſpectu maioris, & minoris copulatim, gravi enim cenſura notaretur, qui diceret maiorē, & minorem eſſe ſimul veras: ergò eodem modò poteſt ſimul dari probabilitas *vera* maioris cum probabilitate vera minoris, licèt non detur probabilitas vera maioris, & minoris copulatim.

Ad ſecundùm reſpondeo, verùm eſſe vtrùmquè eſſe probabilitèr verùm, ſed non eſt probabilè eſſe verùm vtrùmquè, & ſic vtrùmquè extremum poſſum probabiliter iudicare verùm, quia vt dicebam licèt copulentur maioris, & minoris probabilitates: non datur probabilitas de veritate maioris, & minoris copulatim. Vndè ad vltimum reſpondeò, quòd in qualibet ex illis præmiſsis eſt dignitas terminandi prudentem aſſenſum, & iſtę dignitates ſimul exiſtunt, ſed non eſt dignitas in illis, vt ipſis ſimul præſtetur aſſenſus, quia talis aſſenſus omninò imprudens eſt, cùm Hæreſim evidentèr inferat.

47 Ad formas augentes difficultatem. Reſp. eſſe rectas, & neceſſariò concludere conſequens, conceſſis præmiſsis, illas tamen nullus verè Catholicus concedere poteſt, quia in primo ſyllogiſmo maior, & in ſecundo minor, quæ enunciant, *prædeterminatio Thomiſtica tollit libertatem*, non poteſt concedi abſolutè, nec à Thomiſta, nec à Ieſuita; & ratio eſt evidens, quia, vt prætedeterminatio Thomiſtica tollat libertatē duo exiguntur, & prædeterminationem exiſtere, & ipſam libertati pugnare. Primum non concedunt Ieſuitæ. Secundum non concedunt Thomiſtę: ergò nullus poteſt concedere prędeterminationem tollere libertatem. Alitèr, vel prædeterminatio exiſtit, vel non exiſtit; Si primum, ergò cum exiſtat libertas libertati coëxiſtit, & ſic cum illa non pugnat; Si ſecundum, ergò nihil aufert, non enim eſt auferens, quod non eſt, & quod nihil eſt non aufert aliquid: Vndè Ieſuitæ non poſſunt afirmare prędeterminationem abſolutè tollere libertatem, nec à nullo ſanè mentis, viri aliàs docti, ita poſſunt intelligi, ſed ſolùm conditionatè, hoc eſt, ſi exiſteret prædeterminatio tolleret libertatem.

Vndè iſtę propoſitiones, *prædeterminatio tollit libertatem*; *prædeterminatio non coëxiſtit libertati*, diverſę valdè ſunt, prima enim eſt omninò improbabilis; ſecunda tamē improbabilis dici non poteſt, & ratio eſt, quia propoſitio affirmativa in hoc diſtinguitur à negativa, quòd negativa ſit vera per non ſuppoſitionem extremorum, vt hæc *Petrus non currit*, per non exiſtentiam Petri verificatur: affirmativa verò exigit ſubiectum ſupponere, & verificari prędicatum, vt hæc *Petrus currit*, exigit ad ſui veritatem, quod Petrus exiſtat, & de illo verificetur curſus, ſed non poteſt quis probabiliter dicere, quòd prædeterminatio exiſtit, & aufert libertatem: ergò non poteſt dici probabilitèr vera hæc affirmativa, prędeterminatio tollit, &c. Poteſt verò quis probabilitèr dicere, prædeterminationem non exiſtere: ergò poteſt dici vera probabilitèr hæc negativa, prædeterminatio non coëxiſtit libertati.

Idemquè dicendum eſt de alijs pro-

propoſitionibus, quibus aliqui vtuntur ad evertendam ſcientiam contingentem Deo non liberam vt hæc *Scientia media aufert ſupremum dominium Dei*; hęc enim eſt omninò falſa,& omninò reijcienda,iſtę verò propoſitiones : *Scientia media non coëxiſtit cũ ſupremo dominio. Si Scientia media exiſteret Deus non eſſet ſupremus Dominus*, vt omninò verę admittuntur.

48 Oppones 2. Si homo poſſet agere liberè, eſſet liber ad ſuæ actionis libertatem, ſicut qui poteſt velocitèr moveri, eſt liber ad velocitatẽ motus,& qui poteſt honeſtè agere, eſt liber ad honeſtatem actionis. Sed homo non eſt liber ad ſuę actionis libertatem : ergò non eſt potens ad agendum liberè : Probo minorem; eſſe liberum ad libertatem, eſt eſſe liberum ad libertatis carentiã, quia libertas eſt inter oppoſita; ſed implicat hominem eſſe liberum ad libertatis carentiam ; tùm,quia aliàs liberè poſſet eſſe non liber, quæ eſt implicatio manifeſta ; tùm, quia libertas poſſet coniungi cum libertatis carentia,quia libertas poteſt coniungi cum quolibet extremo libertatis: ergò homo non poteſt eſſe liber ad ſuæ actionis libertatem.

Vel alitèr, ſi homo ageret liberè, vel eſſet omninò antecedenter neceſsitatus ad agendũ libere, vel *libere* ageret libere: vtrùmq; implicat: Primum, quia cum neceſsitas antecedens connectatur cum re, cuius eſt neceſsitas, & actio libera non poſsit eſſe ſine libertate, neceſsitas antecedens, quæ opponitur libertati, exiſteret connexa cum libertate. Secundum, quia ſi liberè ageret liberè, liberè poſſet agere non liberè, agere non libere, eſt agere neceſſariò : ergò libere ageret neceſſariò, & ita libertas actionis coëxiſteret neceſsitati actionis,quod eſt chimæra.

49 Hoc argumentum probat, nec in Deo, nec in Angelis, nec in homine in ſtatu innocentiæ eſſe libertatem,& eſſe in quolibet impoſſibilem; vndè licèt chimæra Hæreticorum fictionibus non favet.

¶ Vndè reſp.negando mai.Quia minor eſt vera propter rationem ibi allatam, & ſtatim afferendam. Nec exempla obſtant,quia, qui velocitèr movetur, eſt liber ad motum, & ad velocitatem, quia poteſt moveri, & non moveri,& adhùc ex ſuppoſitione, quod moveatur poteſt eſſe velocitèr,& non velociter,& qui honeſtè agit, eſt liber ad actionem, & honeſtatem, quia poteſt agere,& nõ agere, & adhùc ex ſuppoſitione, quòd agat poteſt eſſe honeſtè, & non honeſtè,qui verò eſt liber ad agendum, licèt poſsit agere, & non agere ex ſuppoſitione, quod agat, non poteſt agere liberè,& non liberè, & exindè libertas ad agendum eſt libertas ad actionem,nõ ad libertatem actionis.

Quod explicatur ſolvendo confirmationem, qui eſt liber : in vno ſenſu eſt omninò neceſsitatus ad agẽdum liberè,& in alio ſenſu non ; quia in ſenſu abſoluto non eſt neceſsitatus ad agendum liberè ; ſi verò in ſenſu conditionato; hoc eſt, poteſt abſolutè non ponere actionem liberam ; ex ſuppoſitione verò,quod ponat actionem illam, neceſſariò ponit liberam. Explico hoc antequam ſuadeam: *Voluntas eſt neceſsitata ad ponendam actionem voluntariam*, eſt falſa in ſenſu abſoluto, quia poteſt non ponere actionem : eſt vera in ſenſu cõditionato,quia ſi agit neceſſariò eſt per voluntariam actionem ; ita eſt Deus antecedentèr neceſsitatus ad producendum *hominem rationalem*; non abſolutè, quia poteſt non producere hominem ; ſi verò conditionatè,quia ex ſuppoſitione,quòd producat hominem neceſſariò illum rationalem producit, ita in noſtro caſu : & ratio eſt clara, agens liberum poteſt non agere, aliàs non eſſet liber ad agendum, ſed, qui non agit,

non

non agit liberè: ergò agens liberum poteſt non agere liberè, & ſic non eſt omninò abſolutè neceſsitatum ad liberè agendum. Vel aliter agere liberè eſt elicere actionem, & liberam, ſed agens liberum non eſt neceſsitatum ad ponendam actionem: ergò nec ad agendum liberè. ¶ Quòd verò ſit neceſsitatum ad agendum liberè, ſi agit: etiam eſt evidens, tùm, quia agens liberum non poteſt agere neceſſariò: ergò ſi agit, neceſſariò agit liberè. ¶ Tùm libertas eſt neceſsitas antecedens conditionalis lis ponendi actionem, & nō deſtruēdi ſe ipſam per actionem, quàm ponit: ergò eſt neceſsitas ponēdi actionem ſibi coëxiſtentem, ſed actio coëxiſtens neceſſariò conditionatè libertati, neceſſariò eſt libera: ergò actio agentis liberi ex ſuppoſitione, quòd exiſtat, neceſſariò eſt libera, quia, ſicut eſt impoſsibilè ex terminis actionem agentis neceſſarij eſſe liberam, ita actionem agentis liberi eſſe neceſſariam.

Vlteriùs demonſtro; eſſe chimericam libertatem, vt actus exiſtat nō liberè: quia non poteſt potentiæ neceſſariæ actus deficere liberè; ergò nec potētię liberę actus deficere neceſſariò: ergò nec neceſſariò exiſtere. Aliter, non liberè exiſtere actum eſt neceſſariò exiſtere, neceſsitas actus eſt impoſsibilitas carētię actus, quia neceſsitas vnius contradictorij eſt alteriùs impoſsibilitas, ſed implicat potentiæ liberę ad actum eſſe impoſsibilem carentiam actus, cùm conſtituatur libera per poteſtatem ad illam; ergò, & eſſe neceſſarium actum, & ſic actus illius neceſſariò exiſtit liberè.

Auditè hanc veritatem expreſsè ab Auguſtino traditam, ſic enim edocet: *Si enim neceſsitas noſtra illa dicenda eſt*, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus efficit, quòd poteſt, ſicut eſt neceſsitas mortis, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè, vel perperàm vivitur ſub tali neceſsitate non eſſe. Si autem illa definitur eſſe neceſsitas ſecundùm quam dicimus neceſsè eſſe, *vt ita ſit aliquid, vel ita fiat neſcio cùr eam timeamus, nè nobis libertatem auferat voluntatis.* Et infrà. *Sicut etiam cum dicimus, neceſsè eſt eſſe, vt cum volumus, libero vellimus arbitrio, & verùm proculdubiò dicimus, & non ideò ipſum liberum arbitrium neceſsitati ſubijcimus, quæ admit libertatem.*

*Aug. lib. 5. de Civitate Dei, cap. 10*

50 Obic. vltimo: Sophiſma inventum à P. Izquierdo; de quo diſputat P. Ribadeneyra; ſuppone actū A. liberum, & contingentem: & ſic diſcurre: Si actus A. liberè exiſteret; hæc conſequentia eſſet bona: *Impoſsibilè eſt actum A. exiſtere; ergò exiſtit.* Sed hæc conſequentia mala eſt; ergò. Min. videtur certiſsima; tùm, quia, quæ ineptior collectio excogitari poteſt, quàm inferens exiſtentiam ex impoſsibilitate exiſtendi; tùm, quia rem exiſtere infert, & ſupponit rem poſſe exiſtere, vndè ſi impoſsibilitas exiſtentiā rei poſſet inferrè, & poſsibilitatem, & ita impoſsibilitas connecteretur cum poſsibilitate ſibi contradictoriè oppoſita. Prob. mai. Si actus A. liberè, & contingenter exiſteret, hæc eſſet bona collectio: *Actus A. non exiſtit*; ergò *poteſt exiſtere*; quia cum carentia talis actus etiam contingentèr exiſteret, ex defectu actus rectè colligeretur poſſe exiſtere actum, ſed ſi hæc collectio eſt recta, etiam eſt recta prima collectio: ergò. Mai. certa. Et ęquè min. quia dum vna conſequentia eſt recta valet à contradictorio conſequentis ad contractorium antecedentis, vndè ſi hæc eſt recta: *Non exiſtit: ergò poteſt exiſtere*; hæc etiam erit bona: *Non poteſt exiſtere; ergò exiſtit.*

*P. Izquierd. in Phar. Scient. diſp. 14. quæſt. 4. prop. 37. P. Ribadeneyra de Actib. human diſp. 19. c. 2. num. 9.*

Vel aliter. Si eſſet poſsibilis actus intrinſecè liber, aut contingens ſequeretur actum deficere ex eo, quod

quod non posset deficere, sed chimera est aliquid deficere ex eo, quod non posit deficere; ergò. Min. ex terminis videtur nota, & Mai. æquè certa, quia actus intrinsicè contingēs essentialiter exigit vt sit, posse deficere, cùm hoc sit de essentia contingentis; ergò si non posset deficere; deficeret actui requisitum essentiale vt sit, sed dum deficit requisitum essentiale, vt sit actus, deficit actus; ergò si actus intrinsicè contingens non posset deficere; deficeret.

*P. Izquierd. vbi sup.*

Hoc parallogismo gloriatur P. Izquierdo plures in publicis disputationibus vicisse; sed licèt argutiæ sophisticæ despiciendæ sint, simul, & solvendæ, quia dum nimium probāt ignorantiam solutionis in respondēte non convincant. ¶ Et argumentum probat nihil contingens existere, & sic nec illo disputantem obijcere. Expedita ergò responsio est neg. min. vtriusquè probationis, quia in omni contingenti istę consequentiæ sunt rectæ ratione materię: *Non potest existere; ergò existit: impossibilè est deficere; ergò deficit.* Impossibilitas enim existendi infert existētiam, & impossibilitas deficiendi defectū, & ratio est, quia cum impossibilitas existentię sit chimærica, & non vera infert existentiam, hæc enim per rectam consequentiam potest deduci ex impossibilitate ficta, per quod patet ad probat. minoris.

51 Assumptum verò dupliciter demonstro: 1. non minus implicat necessitatem existentiæ inferre non existētiam, ac impossibilitatem existentię inferre existentiam, quia non minus repugnat necessarium deficere, ac impossibile existere, sed in cōtingentibus, & liberis necessitas existentiæ infert non existentiam, quia cum contingens exigat contingentèr existere, si necessariò existeret non existeret; ergò in contingentibus impossibilitas existentiæ infert existentiam. 2. impossibilitas existentiæ rei contingentis pugnat cum rei existentia, vt patet; pugnat similiter cum rei defectu, quia impossibilitas vnius contradictorij est alteriùs necessitas, & cum defectus rei contingentis sit essentialiter contingens, necessitas, vt talis defectus existat opponitur cum ipso defectu; ergò impossibilitas existentię rei contingentis, & liberæ, vtrùmquè infert, & existentiā, & defectum rei. Patet conseq. quia quod pugnat cum vno contradictorio alterum infert, & exindè, quod pugnat cum vtroquè contradictorio vtrùmquè infert. ¶ Nota tamen, quòd dicta intelliguntur de omni cōtingenti comparatione facta ad Deū, quia impossibilitas Dei respectu cōtingentis inferret contingens existere, & non existere. Non verò debent extendi ad actum liberum, nisi comparetur ad principium in actu primo liberum, quia respectu subiecti non liberi non infert impossibilitas actus existentiam, quia est vera, & non ficta; vndè non valet: *Impossibilè est peccatum lapidis: ergò existit*; sicut rectè infertur in principio libero ad peccandum, & non peccandum: *Non existit peccatum: ergò potest existere.* ¶ Et exindè valet à contradictorio consequentis: *Non potest existere; ergò existit.* Et vt apprehensio vincatur sufficiet: quòd hæc conseq. sit recta: *Peccatum non potest deesse; ergò deest*, quia posse deesse est requisitum essentiale vt sit; Hæc ergò potest esse bona: *Nō potest esse; ergò est*,

## ADDITIO.

52 ¶ Præiactam conclusionem evidentiæ à ratione, & experientia libertatis nostræ: in omni Schola certam iudicabam, quia solùm sciebam illam negasse Theologos inferioris notæ, quos refert Decanus Lovanienſis. Illam edocuit Scotus, per hęc verba: *Et ideò videtur ista*, aliquod ens est contingens, *esse vera primo, & non demonstrabilis* propter

*Dec. Lovan. in art. 7. cōtra Lutheranos, vt notavit Bañez in 1. p. q. 83. artic. 1. Scotus in 1. dist. 39.*

quid. *Vndè Philoſophus arguens contra neceſsitatem futurorum, non deducit ad aliquid impoſsibiliùs hypotheſi, ſed ad aliquod impoſsibilè nobis manifeſtiùs, ſcilicèt, quod non oportet, nec conſiliari, nec negotiari. Et ideò negantes talia manifeſta indigẽt pœna, vel ſenſu, quia ſecundùm Avicenam.* 1. Metaph. Negantes primũ principium, ſunt verberandi, vel exponendi igni, quouſquè concedant, quòd non eſt idem comburi, & non comburi; vel vapulare, & non vapulare: *Et ita etiam iſti, qui negant aliquod ens contingens, exponendi ſunt tormentis, quouſquè concedant, quod poſsibilè eſt eos non torqueri.* Similitèr P. Molina eam eruditè fundat. Vetuſquè Lutheri error abijt, ſi credimus Illuſt. Caramuel; quia eius diſcipuli evidenti experientia, & ratione convicti eum deſſeruerunt; ita enim loquitur: *Hoc ipſum hodie benè vident Hæretici, & ideò crudas illas, & duras Calvini, & Lutheri ſententias, quas ante centum annos propugnabant, aut remiſſerunt, aut reiecerunt, & iam nobiſcum ſunt, aut propè; admittere enim diſciplinas, & leges, præmia, & ſupplicia; promotiones, ſolicitationes, diligentias, & nihilominus libertatem à neceſsitate negare, delirare eſt.*

*Molina in Concordia, diſput. 23. memb. 1.*

*Caramuel. in Theolog. fund. n. 21.*

53 Sed lego Franciſcum Bonæ Spei, prætermittentem probationes à ratione libertatis noſtræ, quia non ſatis videt, quid reſpondere poſsimus, per evidentem rationem dicenti, ſe neceſsitatum per præmotionem phyſicam ad faciendum, quod faciat; & in caſu privationis eius, ad omittendum, quod omittit; præſertim cum evidenti ratione convinci non poſsit, fruſtrà talem præmotionem numerari inter prærequiſita ad agendum; quia experientia non docet eam non eſſe vnum ex illis.

*Franc. Bonæ Spei, diſp. 3. de gratia, dub. 1. n. 6.*

54 Sed hoc aſſertum omninò reijciendum eſt; tùm, quia parum efficacia iudicat argumenta Theologorum, & SS. Patrum, quæ ex evidenti ratione, & experientia deſumuntur adverſus Hetherodoxos ex prædeterminatione neceſsitante libertatẽ negantes. Tùm; quia negandum non eſt eſſe appertum, quod appertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quòd occultum eſt; ergò licèt occultum ſit; an prædeterminatio neceſsitet, & an ſit prærequiſita, non tollit rationem naturalem dictare eſſe libertatem: Vndè iſte Author ſupponit rationem naturalem dictare libertatem Dei, licèt Theologos omnes vehemẽtiſsimè torqueat difficultas eam conciliandi cum indefectibilitate, & immutabilitate Dei; ergò ſimilitèr debuit diſcurrere de libertate noſtra, aſſerendo eam ratione naturali convinci, licèt ſit difficultas in concordia illius cùm prædeterminatione. Deniquè: Eſt certùm certitudine *fidei* eſſe libertatẽ, licèt fides non doceat concordiam prædeterminationis cum libertate; ergò poterit ſimilitèr eſſe certum certitudine *ſcientiæ* eſſe libertatem, licèt ſcientia nõ doceat concordiam prædeterminationis cum libertate; ant. eſt certum, & conſeq. conſtat: Quia ſicut ex certitudine fidei de exiſtentia libertatis, ſolùm colligitur hanc diſiunctivam eſſe de fide: *Vel prædeterminatio non exiſtit, vel libertati coëxiſtit.* Licèt neutra Categorica poſsit fide convinci: ita ex certitudine ſcientiæ de exiſtentia libertatis ſolùm colligitur illam diſiunctivam eſſe evidentem, licèt neutra categorica poſsit ſcientificè convinci. Vide ſuprà: has præmiſſas: *Prædeterminatio exiſtit. Prædeterminatio non coëxiſtit libertati*, eſſe *probabiles*, & non eſſe *comprobabiles.*

*Bonæ Spei, diſp. 3. de voluntate Dei, dub. 3.*

*Sup. à n. 46.*

## ADDITIO.

55 P. Palanco eandem concluſionem, me adducto, ſupponit certã; in eiuſquè confirmationem refert D. Athanaſium aientem: *Anima liberum*

*Palanc. q. 16. de Prouidẽt. num. 169.*

*D. Athan. contr. Gent.*

*rum ſuum ius, arbitriumquè intuetur, ſentitquè ſe in vtramquè partem corporis membris vti poſſe, tùm ad ea, quæ ſunt, tùm ad ea, quæ non ſunt.* Sed ex præiacto principio colligit; Decretum divinum indifferens non eſſe conſtitutivum noſtræ libertatis, quia tale decretum, nec experientia probatur, nec evidenti ratione convincitur: vndè credit, quod eo ipſo, quod evidenti ratione, & experientia conſtet nobis noſtra libertas, debent ſimilitèr conſtare conſtitutiva noſtræ libertatis; non tantùm Metaphyſica, indifferentia, ſcilicèt, dominij electivi ad oppoſita; ſed etiã conſtitutiva Phyſica, quę ad talem indifferentiam exiguntur.

56 Sed hoc falſum omninò eſt: Quia nec eſſet evidens exiſtere in Deo libertatem, cùm conſtitutiva Divinę libertatis ſint omninò obſcura; nec vnitas Dei eſſet evidenti ratione cognita, cum Trinitas Perſonarum ſupperet omnem evidentiam, & conſtituat phyſicè vnitatem Dei: Similitèr, ſi ad inferiora deſcendimus: evidenti experientia cognoſcitur continuum, & eius conſtitutiva inter Philoſophos controvertuntur, quin aliquis contendat eſſe evidentem ſuam ſententiam; ſimilitèr eſt evidens duo alba eſſe ſimilia, & conſtitutivum huius ſimilitudinis diſputatur inter Logicos. In ipſiſquè terminis conſtitutionis libertatis; iuxtà P. Palanco. Libertas noſtra conſtituitur per carentiam prędeterminationis intrinſecæ, & licèt evidentèr conſtet noſtra libertas, non audebit affirmare, carẽtiam talis prædeterm. evidentèr conſtare. Iuxtà ipſum Authorem, & communem ſententiam Thomiſtarum; libertas noſtra conſtituitur per carentiam cuiuſcumque prędeterminationis, ſivè intrinſicæ, ſive extrinſecæ ex parte actus primi, & tamen ex eo, quòd evidenti experientia ſuadeatur libertas, non eadẽ evidentia convincitur prædeterm. excludi ab actu primo. Si ergò ſtat libertatem evidentèr notam conſtitui phyſicè per prædicata negativa non evidenter nota; cùr idem non erit de prædicatis poſitivis?

57 Vrgeo: Eſſe *certum de fide* exiſtere libertatem non cogit, vt ſit fide certum exiſtere, quòd aſſeritur conſtitutivum phyſicum libertatis; ergò eſſe *evidens* exiſtere libertatem non cogit, vt ſit evidens exiſtere, quòd aſſeritur conſtitutivum phyſicum libertatis. Ant. conſtat: quia vna Schola conſtituit libertatem per excluſionẽ determinationis ab alio; & altera per ſubiectionem ad aliud, vt primum determinans; & nequit certum de fide affirmare, nec excluſionem, nec ſubiectionem: Conſeq. infertur; tùm à pari, tùm à priori; quia ſi evidentèr ſcimus id ipſum, quod fide credimus, cùm credimus libertatem exiſtere; ſcimus libertatem exiſtere; & non ſciemus conſtitutiva illa, quæ non credimus fide certa; ergò ad ſcientiam, ſeù evidentiam exiſtentiæ libertatis non exigitur ſcientia illorum conſtitutivorũ.

58 Dices: Eſſe evidens libertatem exiſtere, eſt eſſe evidens nullum conſtitutivum phyſicum ipſius deficere; ergò eſt eſſe evidens omnia exiſtere; Conſeq. patet. Anteced. prob. Vno conſtitutivo libertatis deficiente, licèt omnia alia exiſterẽt, libertas deficeret; ſed eſſe evidens libertatem exiſtere, eſt eſſe evidens exiſtere omnia, quæ exiguntur vt libertas exiſtat; ergò eſſe evidens libertatem exiſtere, eſt eſse evidens nullum conſtitutivum phyſicum ipſius deficere; ergò ſi B. conſtituit libertatem, erit evidens B. non dèficere, ſed exiſtere. Conf. Hìc ſyllogiſmus eſt rectus: *Evidens eſt exiſtere libertatem; ſed B. conſtituit libertatem*; ergò *eſt evidens exiſtere B.* Quia non apparet defectus; ergò ſi præmiſſæ ſunt veræ, conſequens eſt verum; ergò à contradictorio conſequentis

rectè infertur contradictorium antecedentis: Et ita nullum porerit assignari constitutivum libertatis, quod non sit evidens existere.

59 Respondeo: Esse evidens experientia, scientia, & fide certum; existere libertatem; id est, indifferentiam obiectivam iudicij, & indifferentiam subiectivam dominij electivi voluntatis ad oppositа; sed sublitè esse, prædicata, quæ hanc indifferentiam constitnunt, quæ nec sciẽtia, nec experientia, nec fide decidi-tur; vndè concedo antec. & Conseq. primam; quia omninò certum est, omnia constitutiva huius indifferentiæ existere, & nullum deficere; & distinguo secundum consequens; ergò si *B.* constituit libertatem est evidens existere *B.* si ly *evidens* appellet suprà conditionalem, concedo: si appellet suprà conditionatum; nego: Est dicere hanc conditionalem esse evidentem; *si B. constituit, existit*: Sed non esse evidens existere *B.* seù conditionatatũ. Dices, quòd si conditionalis est evidens, erit evidens existere *B.* seù conditionatum purificata conditione, hoc est, si *B.* constituit Respondeo: Quod vt sit evidens *B.* existere, nõ sufficit, quod *B.* constituat, si non sit evidens *B.* cõstituere, sed solùm probabilè, aut verùm, quia tunc solùm erit verùm, aut probabilè *B.* existere, non tamen scientia, aut fide certum; sicut licèt sit evidens hæc conditionalis: *Si Petrus currit movetur*, non est evidens Petrum moveri, si non est evidens, quod currat; vnde Hęretici asserentes libertatem constitui per prædicata, quę non existunt; cùm scientia, & fide pugnant; quia negant expressè libertatem; Nos dicimus aliqua prædicata constituere libertatem, & exindè scientia, & fide cogimur asserere ea prædicata existere, sed potest esse tantùm probabilis illius prędicati existẽtia, quia est tantùm probabilè illud prædicatum libertatem constituere. Vndè ad confirmationẽ respondeo syllogismum esse defectuosum, quia infert evidentiam in consequenti, quin affirmet evidentiam in minori; vndè vt syllogismus sit rectus minor debet ita enuntiare; sed est *evidens, quod B. constituit libertatem*, & tunc minor est falsa, sicut & consequẽs, & si est minor evidens, consequens similitèr erit evidens, quod patet in hoc syllogismo: *Evidẽs est existere hominem; sed vnio realiter distincta à corpore, & anima constituit physicè hominem: ergò evidens est existere vnionem realiter distinctam à corpore, & anima.* Nullus consequentiam concedet, & tamen plures concedunt præmissas, quia cùm non sit evidens, sed solùm probabilè, vnionem realitèr distinctam constituere hominem, non est evidens, sed tantùm probabilè vnionem realiter distinctam existere.

QVÆS-

# QVÆSTIO SECVNDA.

## AN ARBITRIVM HOMINIS LAPSI SIT LIBERVM, NON solùm à coactione, sed etiam à necessitate?

### SECTIO PRIMA.

*Termini explicantur, Iansenij error refertur, & iudicium, quo eum censuravit Doct. Angelicus demonstrandum suscipitur.*

60 NEcesse est, vt difficultas percipiatur has voces: *Voluntarium, Coactũ, Violentum, & Necessarium*, accuratè exponere: voluntarium est, *quod est à principio intrinseco cùm cognitione finis*: Vndè, quia in brutis, pueris, & amentibus non est cognitio propria finis; non est in illis voluntarium perfectum, sed imperfectum, quòd solet spontaneum vocari. ¶ Coactum est, quod fit *à principio extrinseco passo nihil conferente, sed potiùs repugnante*: Vndè actio coacta, & debet esse ab extrinseco; ita vt ad eam passum reluctetur, nec confundendum est, si propriè loquimur violentum cum coacto, nec coactum cum involuntario: quia violentum exigit esse contra inclinationem rei, sivè inatã, sivè elicitam; & ita lapis violentiam patitur; sed propriè non cogitur, licèt surſum moveatur, quia coactio exigit esse contra inclinationem elicitam rei; & sic propriè opponitur spontaneo, & convenit brutis, dum moventur contra inclinationem appetitus sensitivi; involuntarium est, quòd est contra inclinationem elicitam voluntatis, vt quando homo ab extrinseco impelitur vbi non vult; vndè omne involuntarium est coactum, sed non è contra; quia bruti actiones possunt esse coactæ, sed non involuntariæ; omne coactum est violentum, sed non è contra, quia motus lapidis, v. g. potest esse violentus, sed nullo modo coactus, quia res inanimata est coactionis incapax: Necessarium verò est, *quod ita est, vt nõ possit non esse*: vndè volitionem esse voluntati necessariam est, quòd voluntas sit ad illam determinata, ita vt sit impotens non se determinandi ad illam.

61 2. Vt indubium supponendũ est voluntatem in actibus ad ipsa elicitis cogi non posse. Ita communiter Theologi cum D. Thoma, & omnes Philosophi cum Aristotele, excepto inter eos, quos videre potui, P. Arriaga: Div. Anselmus sic convincit, quod homo non potest deserere rectitudinem invitus: *Nemò illam deserit, nisi volendo. Si ergò invitus dicitur volens, nemò deserit illam invitus: ligari enim homo potest, & invitus, quia nolens: potest torqueri invitus, quia nolens potest occidi: velle autem non potest invitus, quia non potest velle nolens velle, nam omnis volens ipsum suum velle vult.* Evidẽtemquè huius veritatis rationẽ edocuit D. Thom. dum inquirens: *Vtrùm violentia voluntati possit inferri?* Conclusionem negativam sic convincit: *Et huius est ratio, quia actus voluntatis nihil est aliud, quàm inclinatio quædam procedens ab interiori*

*D. Tho. 1. p. q. 82. art. 1. & q. 105. art. 4. ad 1. & 1. 2. q. 6. art. 4. & q. 22. de verit. art. 8. & in 4. dist. 29. art. 1. Aristot. 3. Æthic. c. 1. Arriaga, c. 12. de actib. human. disp. 10. num. 26. D. Anselm. Dialog. de Lib. Arb. c. 5. D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 4.*

*riori principio cognoscente: sicut appetitus naturalis est quædam inclinatio ab interiori principio, & sine cognitione. Quòd autem est coactum, vel violentum, est ab exteriori principio. Vndè contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus, vel violentus; sicut etiam est contra rationem naturalis inclinationis, vel motus lapidis, quod feratur sursum. Potest enim lapis per violentiam ferri sursum: Sed quod iste motus violentus sit ex eius naturali inclinatione, esse non potest. Similiter etiam potest homo per violentiam trahi; sed quod hoc sit ex eius voluntate, repugnat rationi violentiæ.* Quam rationē expendit etiam Doctor Sanctus in Disputatis. In hacquè veritate illustranda frustrà immoraremur, cum nil certiùs apud Jansenistas, cū quibus in hac quęst. pugnamus. Imò ex terminis ipsis videtur notum, quòd volitio, quæ est ex se voluntatis inclinatio non potest esse contra inclinationem voluntatis, vndè nec coacta, nec violenta, quia coactum est contra omnem inclinationem coacti. Cùr verò voluntas cogi possit in actibus imperatis? Consulantur Theologi specialitèr M. Ioannes à S. Thoma.

*Theologi in 1.2.q.6.art. 4.*

*M.Tho.1. 2.q.6.d.4. art.1.ad primam instantiam.*

62 Tertiò supponimus Deum posse voluntatē necessitare ad actus ab illa elicitos: quòd tàm certum est, quod nullum Theologorum contrarium dixisse sciam; licèt sub litè sit, an talis necessitas possit induci à Deo stante indifferentia iudicij? Et à D. Thoma probatur, quia cum Deus sit supremus Dominus voluntatis nostrę, & aliàs voluntati non repugnet necessariò agere, potest illā immutare, vt naturalitèr determinetur ad obiectum. Quòd planum fit, cum tollit indifferentiam iudicij, & proponit voluntati obiectum omninò sub ratione boni. Vndè, quòd in dubium vertitur est. An arbitrium solum sit liberum à coactione sibi repugnante, an etiam à nēcessitate sibi possibili?

*D. Thom. q. 22. de verit. artic. 8.*

63 Jansenij sententia, vel potiùs error est: actionem voluntariam esse prorsus liberam ea libertate, quæ necessaria est ad imputabilitatē meriti, & demeriti; eo ipso, quòd non sit invita, & coacta: vndè libertatem pro qua tamdiù Ecclesia cum Hęreticis conflixit, nihil aliud esse statuit, quàm perfectum voluntarium, adeòquè contendit stare cum simplici necessitate, quę voluntatem ad vnum aliquid addicit, & cum potestate ad oppositum pugnat, & sola illa coactione violari, quàm impossibilem esse actibus elicitis voluntatis fatetur, vndè pugnat; fieri non posse actum voluntatis non esse liberum.

Quo fundamento innixus docet: quòd homo in statu naturę integræ libero arbitrio sano poterat velle bona, & mala, eoquè indifferentiam potestatis habebat, qua erat à necessitate liber; in statu verò naturæ lapsæ ſęcluſa gratia medicinali, & sanāte solùm potest velle mala, vndè non habet indifferentiam potestatis ad bonum, sed necessariò peccat, licèt, liberè, quia non coactè: Posita verò gratia sanante, & reparante, arbitrium solùm potest velle bonum, vndè non habet indifferentiam potestatis ad malum, sed necessariò rectè operatur, licèt libere, quia non invitum, & coactum.

Adstruit nullum esse auxilium gratiæ interioris *sufficiens*, sed omne esse *efficax*, hocquè constitutivum potestatis ad salutaritèr operandum; vndè qui succumbit tentationi, concupiscentię consentiens, peccat, & est semper destitutus auxilio gratię sufficientis ad non peccandū: illi verò, qui meritoriè operari possunt, semper meritoriè exercentur, & necessariò, quia gratia interior dat posse, simulquè est efficax, & necessitans ad merendum: Hoc est Jansenianum Dogma; quòd Jansenij Discipuli tenacitèr

*Vincēt. Lerinis in Thes. de Lib. Arbit. lib. 1. c. 6*

hacitèr propugnant, ſpecialitèr Vincentius Lenis.

D. Thom. q. 6. de Elect. humana, ſeù Lib. Arbit. artic. 1. & vnico.

64 Sed hanc opinionem tractavit D. Thomas inquirens: *Vtrùm homo habeat liberam electionem actuũ, vel ex neceſsitate eligat?* Vbi opponit ex neceſsitate eligere, cùm liberè eligere in dubij titulo; neceſſariũ verò confundit cum libero Janſenij doctrina: rationes dubitandi, vt ſolet opponit Doct. Sanctus: *Et videtur, quod non liberè, ſed ex neceſsitate eligat*, quaſi idem ſit ſtatuere electionem eſſe neceſſariam, ac non eſſe liberam.

Reſpondet in corpore: *Reſpondeo dicendum, quòd quidam poſſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſsitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum; ſed ſolùm id cuius principium eſt extrà. Vndè, & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſarij, non tamen violenti, violẽtum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario; quia vtriuſquè principium eſt intrà, violenti autẽ principium eſt extrà.* Non alijs verbis exponunt ſuam opinionem Janſeniſtæ; ſed optarem, quòd iudicium D. Thomæ ſuſciperent: *Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quòd aliquis ſic ex neceſsitate agit, quòd vitare non poſsit.* Quid hìc ambiguũ! nota Hæreſis ſententiam notat, quã Catholicam, & Auguſtinianam Janſenius vociferat: & eſſe hæreticam ratione convincit; ſed non ſiſtit Angelicum iudicium, ſed progreditur: *Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolùm contrariatur fidei; ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid ãn nobis, ſed ex neceſsitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit. Huiuſmodi autem opiniones, quæ deſtruũt principia alicuius partis Philoſophiæ dicuntur poſitiones extraneæ; ſicut nihil moveri, quòd deſtruit principia ſcientiæ naturalis.* En vbi nuperum dogma Philoſophorum iudicio damnatum proſcribit: adhùc progreditur ad cauſas ita opinandi exponendas: *Ad huiuſmodi autem poſitiones ponẽdas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter proteruiam, partim propter aliquas rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerunt*, vt dicitur in 4. Metaphyſ. Vtraquè ex cauſa Novantes in Belgio ad ſuum dogma accedere prævium eſt. Reſolutionem Angelicam per ſequentes Sectiones demonſtrandã ſuſcipimus.

## SECTIO SECVNDA.

*Sententiam Janſenij eſſe hæreticam probatur 1. quia in antiquis Hæreticis fuit ab Eccleſia proſcripta.*

65 PRima pars concluſionis D. Thomæ eſt *opinio ſtatuẽs, quod voluntas licèt non coacta ex neceſsitate movetur ad eligendum, eſt hæretica.* Probatur 1. Quia opinio adſtruens, arbitrium noſtrum non eſſe à neceſsitate liberum fuit ab Eccleſia in antiquis hoſtibus libertatis damnata; ergò eſt hæretica. Probo anteced. 1. Dum Eccleſia definiens liberum arbitrium damnat Hæreticos debet libertatem ſtatuere, quàm Hæretici negabant, aliàs nec contra illos proſcriberet, nec Eccleſiæ fulminibus convulſi fuiſſent, ſed nullus ex antiquis Hæreticis, noſtræ libertatis hoſtibus, arbitratus fuit arbitrium noſtrum non eſſe à coactione liberũ; nullus enim iudicabit voluntatem non velle dum vult, nec ita fatuè deceptus fuit, vt voluntarium ab actibus

bus noſtræ voluntatis auferret, arbitrium verò eſſe à neceſsitate liberum negabant; ergò dum Eccleſia liberũ arbitrium definit, & Hæreticos damnat, arbitrium non eſſe à neceſsitate liberum condemnat. ¶ Alitèr: liberum Janſenianum nihil eſt aliud quã perfectum voluntarium, ſed Priſci Hæretici non abſtulerunt perfectum voluntarium; ergò nec liberum Janſenianum; ſed liberum Catholicum abolerunt, aliàs non eſſent damnati vt inimici libertatis; ergò liberum Janſenianum non eſt Catholicum. ¶ Alitèr, qui non adſtruit in re aliquid cum libertate Catholica pugnans non deſtruit in re libertatem Catholicam, ſed Hæretici abolerunt libertatem Catholicam ab actibus noſtræ voluntatis, & coactionem nõ ſtatuebant; ergò aliquid prẽter coactionem pugnat cum libertate Catholica, ſed nihil præter coactionem pugnat cum libertate Janſeniana, ſeù à coactione; ergò libertas Janſeniana non eſt Catholica.

*Ianſenius, lib.6.de Gratia Chriſti, cap.5.*

Reſpondet Janſenius 1. à veteribus Hæreticis deſidere, quòd illi propriè dictam coactionem inducerent, quod ſuadet, quia Auguſtinus, vt ſalvet libertatem cum præſcientia nihil aliud probat, quàm eſſe voluntatem: & dum ſe à Manichæiſmo imputato diſiungit, nihil aliud reſpondet, quàm voluntatem non cogi vt libertatem ſalvet; & ideò libertatis hoſtes eſſe ab Eccleſia damnatos, illum verò ſolùm ſimplicem neceſsitatem ſtatuere, quæ cum libertate non pugnat.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arb.*

Sed quod de libertate à coactione Eccleſia non dimicavit cum antiquis Hæreticis conſtat ex Ruardo Tappero adverſus Calvinum ſcribẽte: *Hanc libertatis voluntatem; quæ coactionem excludit, nec Manichæi, nec Valla, nec vlli Hæretici negaverunt.*

*Ruardus Tapperus, pag.237.*

Et 1. Aſtrologi Iudiciarij, expoſitione ſyderum non ſtatuebant voluntates noſtras propriè cogi, ſeù nolentes velle, ſed tantum neceſſariò velle id, ad quod ſydera movent; & primò: illam ſolam neceſsitatem ſtatuebant, qua futura ſine erroris periculo prædicerent, ſed ad hoc ſufficit ſimplex neceſsitas, ſine coactione, vt patet; ergò. ¶ Secundò: quia PP. qui Aſtrologos impugnarunt, vt libertatis deſtructores, non alia ratione fecerunt, niſi quia neceſsitatẽ ſimplicem ſtatuebant; Euſebius: *Multi ex fidelibus conturbantur* (aſſerit) *impoſsibilè alitèr fieri credentes, quàm Stellarum curſus effecerit. Vndè ſequitur nullam in nobis eſſe libertatem.* Auguſtinus: *Nos quidem* (ait) *ſub fato Stellarum nullius hominis Geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè vivitur, ab omni neceſsitatis vinculo vindicemus*: ergò fatum reijciebant, vt humanæ libertatis inimicum, non quia voluntarium auferebat coactione, ſed quia arbitrium illo non eſſet vinculo neceſsitatis ſolutum, & quia impoſsibilè credebant alitèr fieri.

*Euſeb. lib.6. de Præparatione, cap.9.*

*Aug. lib.2. contra Fauſtum, cap.5.*

Quod Manichæi, qui liberum arbitrium convellebant, non adſtruerent coactionem propriè ſumptam, ſed tantùm ſimplicem neceſsitatem, vel ab anima bona ad rectè operandum, vel ab anima mala ad pravè agendum; appertiſsimum eſt in eo, qui impugnationes ſui peſtiferi erroris in Auguſtino conſpexerit. Et 1. Auguſtinus, ſic Manichęos convincit: *Peccati reum teneri aliquem, quia nõ fecit, quòd facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura, non voluntate faciunt; ideſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent: ſi denique abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur peccato eorum teneri non poſſumus.* Vbi Manichæi extincti liberi arbitrij idcircò ſolùm damnantur, quia neceſsitatem ſimplicem

*Auguſt. in lib. de duab. animab. cap. 12.*

plicem peccandi adſtruebant, qua ſcilicèt voluntas non fecit, quod facere non potuit, & fecit id, à quo abſtinere non potuit. 2. Quia Manichęi affirmabant animam bonam eſſe partem Dei boni, & animam malam principij mali, quod fingebant; non ergò poterant ſtatuere animam bonam ab bonum movere, dum victrix erat, niſi modò, quo Deus vult bonum, Deum tamen velle bonum cũ neceſsitate; hoc eſt, ſine poteſtate ad malum, & ſine coactione, & violentia, appertiſsimum eſt.

Quod Vicleſiſtæ, qui libertatem ex præſcientia Dei auferebant, non negarẽt libertatem à coactione: evidentiſsimè conſtat: 1. Quia ſolùm aſſerebant: *Quod res præſcita alitèr evenire non poteſt*; vt vidimus ex Valdenſi. Vel vt refert Auguſtinus: *Si præſciùs eſt Deus peccaturum eſſe hominem, neceſsè eſt vt peccet.* Vndè ſolùm libertatem oppugnabant, vi cuius res præſcita alitèr eſſe poſsit, & non neceſſariò eſſet, quę eſt libertas à neceſsitate. 2. Hæretici libertatem abolebant vt certitudini divinæ præſcientię conſulerent, ſed inter certitudinem præſcientię, & libertatem à coactione, nec levis diſcordia fingi poteſt, quis enim licèt inſanus poſſet iudicare, derogari certitudini Divinę ſcientiæ, quia ſciret Deum ſe ipſum amare, qui amor eſt à coactione liber; ergò hanc libertatem Vicleſiſtæ non ogpugnarunt, ſed libertatem à neceſsitate. 3. Evidens hoc eſt, ſi attendamus Conſtantienſe Concilium, & Decretum Martini V. Vbi proſcripti fuerunt; in articulo ſcilicèt 27. in quo ſtatuebant: *Omnia de neceſsitate abſoluta eveniunt*, vt inimici ergò libertatis ſunt damnati, quia neceſsitatem abſolutam in actibus omnibus noſtræ voluntatis ſtatuebant.

*Supra n. 6.*

Nec hoc in dubium verti poteſt conſulenti Thomam Valdenſem, qui à cap. 21. vſque ad 31. de hoc errore Vicleſi triumphavit, vbi multis in locis exprimit Vicleſiſtas velle liberum arbitrium ſalvare, quia licèt neceſsitetur, non cogitur; ſic ait cap. 23. *Reſpondent communitèr Vicleſiſtæ trutinantes gloſſam evaſoriam, quod Deus non neceſsitat, neceſsitate coactionis; quia illa ſolà tollit arbitrij dignitatem; non autem alia neceſsitas prævenieus abſolutè futuritionem effectus.* Et cap. 24. impugnans, quod aſſererent hominem peccare, & non poſſe impedire peccatũ; ait: *Ergò in vite peccavit* (dicunt Vicleſiſtę) *non, quia voluntate ſua neceſſariò peccavit*, nil clariùs.

*Thom. Vald. t. 1. doctrinalis fidei, lib. 1.*

## SECTIO TERTIA.

*Refelluntur alia diſcrimina, quibus Ianſeniſtæ ſe ab Antiquis Hæreticis, & Calvino, ſecernunt.*

66 SEcundò intendit Janſenius opinionem ſuam ſegregare ab antiquis Hęreticis, quia licèt non admitterent coactionem rigoroſam, ſed neceſsitatem abſolutam, illa erat neceſsitas naturalis, quæ cũ libertate pugnat, orta ſcilicèt, vel ex ſyderum poſsitione, vel ex anima mala, aut ex pręſcientia; neceſsitas verò, quàm introducit Janſenius eſt ex primi parentis peccato contracta, quæ neceſsitas liberum arbitrium non interimit.

Sed ſimili reſponſione Calvinus ſe à veteribus Hæreticis diſcrepare nititur; ſic enim aſſerit: *Dixi quam putida ſit calumnia, qua nos Marcioni, & Manichæis ſubindè adiungit, à quibus non minus diſsidemus, quàm Pighius ipſe à nobis. Nàm cum illi eſſentialem in natura malitiam conſtituant, eamquè ab ipſo creationis initio imaginentur: Noſtri ex naturæ corruptione, vitium eſſe definiunt.*

*Calvinus, lib. 5. in Pigh. pagin. 182.*

Et primò. Solutio appertè de-

monstrat argumentum nostrum esse invictissimum: non enim de causis diversis, ex quibus necessitas provenire potest, sed de essentia libertatis verę, & de necessitate, quæ cum libertate pugnabat, procedebat; Jansenius sola coactione libertatē violari statuit; & tandem fatetur hoc falsum esse; quia necessitas Manichęa veram libertatem extingueret, vt de fide credit, sed necessitas Manichæa, v.g. non erat coactiva, vt tandem fatetur, & probatum manet; ergò non sola necessitate coactiva libertas vera extinguitur.

Statuit Jansenius liberum in perfectò voluntariò consistere; & iam ex ipso evidentèr convincitur esse falsum: Nam necessitas Manichæa pugnat cum libertate vera, & ab Ecclesia definita, vt fide certum credit, sed necessitas Manichæa non extinguit perfectum voluntarium, vt fatetur; ergò libertas vera, & ab Ecclesia definita non consistit in perfectò voluntario.

Jansenius tenetur ad adstruendam libertatis essentiam inimicam necessitati Stoicæ, Manicheæ, & Viclefistę, non verò Jansenistæ, huius notionem inquirimus; si libertas per exclusionem coactionis constituitur, nec cum necessitatibus à primis hostibus libertatis introductis pugnat; si vlteriùs libertas addit exclusionē necessitatis simplicis, & absolutę, quia potestatem ad oppositum exigit, à necessitate Jansseniana extinguitur. ¶ Delirant Manichęi (idem de Stoicis dicendum) in causa ex qua necessitatem voluntati inferebant; & ideò illorum erat *hominum damnare naturam*; vt ait D. Hieronymus; sed vlteriùs errabant: *Quia liberum arbitrium auferebant*; fatemur in primo errore Jansenium à Manichęo discrepare, cùr verò segregetur à secundo errore? Inquirimus: si necessitatem simplicem, licèt non coactivam in nostra voluntate fatetur, sicut Manichæi; quòd enim ex diversis causis proveniat, necessitas non potest causare, quod vna libertatem perimat, & non alia; sed quod diversis ex causis libertas sit extincta. ¶ Addo: Viclefistæ, Manichęi, & Stoici, Lutherani, & Calvinistæ diversis ex causis destruunt libertatem, quia necessitatem in voluntate diversis ex causis statuebant, & tamē Viclef. fuit à Catholicis accusatus coincidentiæ cum Manichæis, & Lutherani cum Manichæis, Viclefistis, & Stoicis: vt constat ex Concilio Senonensi; vbi asseritur de Luthero: *Auferт etiam ipse, vt Manichæus liberum arbitrium.* Et infrà: *Lutheranæ Sectæ fons, & origo Viclefus, cuiquè Lutherus per omnia fermè consentit.* Sed Vvaldēsis postquàm veteres Authores Hęresis Viclefistæ referret; sic ait de Viclefo: *Ecce vna est radix errorum eius, & omnium prædictorum, necessitas absoluta futurorum eventuum, hæc est grata Hæresis Manichæis, Iovinianistis, Iacobitis, Prædestinatis, Vvicleffistis, & Paganis: Propter necessitatem istam destruxerūt hi prædicti liberum arbitrium.* Vt enim asserit Innocentius III. *Hæretici facies quidem diversas habent, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipsum.* Quid ergò prodest Jansenio, quòd habeat faciem absimilem, quia diversa ex causa necessitatem absolutam nostrorum actuum statuit, sicut & veteres Hæretici habent simili ratione diversas facies inter se, si tamen habet caudam colligatam, quia de vanitate convenit in grata omnibus Hæresi, necessitatis absolutæ fururorum eventuum, propter quàm destructores fuerunt liberi arbitrij?

67 Vltimò deniquè laborem Jansenij incassum esse, quo ab Hæreticis damnatis violatæ libertatis se iungere se nititur: appertissimè cōvincitur in Calvino, qui vt vidimus ad-

*Hieron. in prolog. Adversus Pelagianos.*

*Conc. Senon. in Præfat.*

*Vvaldensis, lib. 1. Doctrinalis fidei, cap. 22.*

*Innoc. III. in Concil. Lateran. & refertur in c. Excommun. extrà de Hæretic.*

*Calvin. vbi sup.*

adſtruebat neceſsitatem non naturalem, & cum natura inſitam, ſicut Manichæi; ſed ex vitio originalis culpę ortam; nec neceſsitatem dicebat eſſe coactivam, potiùs expreſsimè arbitrium eſſe liberum à coactione profitetur, inquit enim: *Non adeò ſuperſtitioſus ſum in verbis, vt eius cauſa vellim contentionem aliquam movere modò intelligentia ſana maneat; ſi coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium, & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro Hæretico habeo quiſquis ſecus ſentiat.* Et alibi: *Liberi arbitrij hoc modò dicitur homo, quod voluntate agat, non coactione.* Nulluſquè eorum, qui Calvinum debellavit de hoc dubitavit.

*Calvinus, lib. 2. de Lib. Arbit. pag. 153.*

*Calvinus, lib. 2. inſtitutionū, c. 2. num. 6.*

Vndè hoc ſyllogiſmo diſputo. Neceſsitas Calviniſta pugnat cum libertate vera, & Catholica, alias iuſtè damnaretur Calvinus, vt poſtratæ libertatis reus; ſed neceſsitas Calviniſta non eſt coactiva, nec cum natura inſita, ſed ex vitio naturæ orta, vt indubium; ergò neceſsitas nec coactiva, nec cum natura inſita; ſed ex vitio naturæ orta, pugnat cum libertate vera, & Catholica: Pergo; ſed talis eſt neceſsitas Janſeniana; ergò, & cum libertate pugnans, ſicut Calviniſta.

Sed non ſiſtit Janſenius, ſed adhùc ſe ſeiungere à Calvino nititur, quia Calvinus abſolutè negat liberū arbitrium, quòd expreſsè profitetur Janſenius. ¶ In felicitèr tamen; quia Calvinus negat liberum arbitrium à neceſsitate ex vitio naturę orta, hāc libertatem ſimilitèr negat Janſenius: Jānſenius affirmat arbitriū noſtrū eſſe à coactione liberum, & eſſe liberum à neceſsitate naturali, ſeu cum natura inſita; ſimilitèr affirmat Calvinus; ergò nullatenus diſiungi in hac ſententia poſſunt, cùm vterquè eandem nobis libertatem tribuat, eandem adimat.

(((o)))

## SECTIO QVARTA.

*Ianſenij opinio à Tridentino in Calvino damnata, & à Pio V. & Gregorio XIII. in Baio proſcripta.*

68 NOn poteſt Calvinus illeſo Janſenio anathematè Concilij Tridentini feriri; ſic enim definit: *Si quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, &c. Anathema ſit.* Sed Concilium loquitur de arbitrio libero à neceſsitate; ergò adhùc poſt Adæ peccatum manet arbitrium liberum à neceſsitate, & ſic neceſsitas à peccato Adę orta illud non extinguit. Min. prob. 1. quia aliàs Concilium non damnaret ſuo decreto Calvinum, qui ſolùm liberum à neceſsitate adſtruebat eſſe per peccatum amiſſum: vndè ſic infert Bellarminus; Concilium ſine dubio aliquid voluiſſe declarare adverſus errores nuper exortos; nullus autem eſt, nec fuit, qui doceret hominem non eſſe liberum à coactione, ſed tota quæſtio eſt de libertate à neceſsitate, quàm ſolam Hæretici negant; igitur hanc ipſam adſtruere voluit Concilium, etiam poſt Adæ peccatum; & quidem illud *recipere inſpirationem, & poſſe abijcere*, & illud: *Cooperari aſſentiendo Deo excitanti, & poſſe diſſentire*, quæ docet Concilium de arbitrio noſtro lapſo, evidentèr demonſtrant indifferentiam poteſtatis, & libertatem à neceſsitate.

*Trid. Seſſ. 6. Can. 5.*

*Bellarm. lib 3. de Græ tia, & Lib. Arb. cap. 5.*

*Trid. Seſſ. 6. c. 5. & Can. 4.*

2. Quia cum Concilium imbecillitatem naturæ, & legis ad iuſtificandos homines poſt peccatum lapſos declarat; ſubiungit: *Tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licèt attenuatum, & infirmatum*; & in margine adducit Concilium Arauſicanum; ergò illa libertas, de qua definivit Concilium Arauſicanum contra Pelagianos

*Trid. Seſſ. 6. cap. 1.*

*Concilium 2. Arauſic. 25.*

eſſe per peccatum infirmatam, & attenuatam, de ipſa declarat Sancta Synodus Tridentina nõ eſſe per peccatum extinctam, & amiſſam; ſed Arauſicanum loquitur de libertate à neceſsitate, quia hanc integram, & ſanam adhùc poſt Adę peccatum prędicabant Pelagiani, quos damnat; ergò libertatem à neceſsitate declarat Tridentinum non eſſe extinctam. ¶ Veritas ergò Catholica media eſt inter Pelagianos, & Calviniſtas errores; Pelagiani adſtruebant liberum arbitrium à neceſsitate eſſe integrũ, & ſanum, quia peccatum originale negabant; Calviniſtę docent eſſe extinctum, & amiſſum, ſed à via veritatis recedunt, quia arbitrium à neceſsitate liberum poſt peccatum eſt infirmum, & attenuatum; vndè nec ſanum, nec amiſſum eſt in nobis.

3. Coactio eſſentialiter repugnat in ſuis actibus elicitis voluntati; ergò libertas à coactione non poteſt in voluntate infirmari, & attenuari, quia ſi nullo modò poteſt eſſe coacta ſemper eſt ab omni coactione immunis; poteſt verò voluntas eſſe neceſsitati ſubiecta; & ideò clamat Deo Propheta: *A neceſsitatibus meis erue me*; ergò libertas à neceſsitate poteſt infirmari, & hæc eſt, quæ per peccatum fuit vulnerata. ¶ Si ergò arbitrium liberum vulneratum fuit, non amiſſum, libertas à neceſsitate non fuit amiſſa: quæ ratio ex Div. Thoma deducitur aſſerente: *Liberũ arbitrium ſecundùm quod dicitur liberum à coactione nõ ſuſcipit magis.* Et alibi: *Libertas à coactione non patitur aliquam permixtionem. Vndè nec augetur, nec minuitur, nec totaliter tollitur.*

*Pſalm. 24.*

*D. Thom. q. 24. de verit. artic. 10. ad 5. 2. ad Anib. d. 25. artic. 3. ad 3.*

69 Janſenij opinionem cum Baio damnatam eſſe ex Bullis Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. quas contra aſſerta Baij ediderunt, manifeſtè convincitur; has enim ſententias confingunt: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali, Quod voluntariè fit, etiam ſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* Vbi expreſsè definitur non ſolam coactionem repugnare cum libertate; quid ergò aliud præter coactionem libertatem oppugnat niſi neceſsitas? ¶ Deniquè in ſecunda propoſitione appertè dãnatur ſufficere, vt aliquid ſit liberũ, quòd ſit voluntarium, ſi neceſſariò fit; ergò ad liberum, voluntarium non ſufficit, ſed exigitur eſſe a neceſsitate immune.

*Propoſitio 66. in Baio dãnata, & Prop. 39.*

Vrgeo, inquirendo, quem ſenſum habet hęc ſecunda propoſitio damnata? Vel hunc: *Quod voluntariè, &c. liberè fit à coactione*; & in hoc ſenſu damnari non poteſt, cum ſit ex terminis vera, eo enim ipſo, quòd detur voluntarium eſt à coactione liberum; vel ita: *Liberè fit à neceſsitate.* Et in hoc ſenſu ita eſt ex terminis falſa, vt nec à Baio edoceri poſsit, quis enim ita inſiperet, vt neceſſarium diceret à neceſsitate liberum; ergò ſenſus eſt: *Quod voluntariè, &c. libere fit, libertate quidem vera, & ad imputabilitatem meriti, & demeriti ſufficiente*; ſic enim eſt falſa, & à Baio aſſerta, qui proferebat: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* Sed in hoc ſenſu eadem propoſitio traditur à Janſenio, qui aſſerit ad libertatem veram ſufficere voluntariè fieri, licèt neceſſariò fiat; ergò Janſenius à proſcripta Baij ſententia ſeiungi non poteſt.

*Propoſitio 67. damnata.*

Janſenius ſe à Baio diſcrimari nititur, quia aſſerit hanc ſententiam fuiſſe damnatam in Baio, quia in illa comprehendebat motus indeliberatos voluntatis, quos voluntarios adſtruebat, & liberos, quod falſum eſt, cum fiant ſine plena rationis advertentia; non tamen damnari, quod voluntarium perfectum cum plena cognitione, ac iudicio, etiam ſi neceſſariò fiat, ſit liberum. ¶ Quod Baius motus improviſos voluntatis liberos affirmaret ex eo oſtendit, quia

fuiſſe

*Propositio 48. damnata.*

fuisse peccata affirmabat, vt constat ex propositione damnata, in qua dicit: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita, præcepto non concupisces.*

*Ripalda dis. 13. contra Baium, sect. 2. num. 5.*

Sed hæc responsio falsam continet doctrinam; 1. quia vt benè notat Ripalda, propositio vera damnari nequit propter abusum illius ad prava dogmata statuenda, semper enim ex propositionibns Catholicis inferunt Hæretici fallacitèr suos errores; ergò si illa propositio: *Quod voluntariè, &c.* continet verùm propter Baianum abussum proscribi non posset. ¶ 2. Quia falsum est Baium assererè motus improvisos voluntarios esse, convenit enim cum Calvino in essentia voluntarij, & in exigendo præeuntem cognitionem, vt actus voluntarius sit, vt probat P. Decamps. Nec ex eo, quod peccata dicantur potest colligi motus improvisos esse voluntarios, & liberos in Baij sententia, quia erat illius opinio: *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Ergò potest motus subitus iuxtà Baium, licèt involuntarius, esse peccatum; immo ideò voluntarium à ratione peccati excluśit, vt defenderet improvisos animi motus, etsi voluntarij non sit, vera esse peccata.

*P. Decamps lib. 2. disp. 2. cap. 9.*

*Propositio 40. in Baio damnata.*

Addo: Quod si Ecclesia solùm intenderet damnare motus improvisos esse liberos; ita proscriberet: *Quod voluntariè fit, etiam si sine advertentia rationis fiat, liberè fit.* Sic enim declararet ad liberum exigi voluntarium cum advertentia; sed ita damnavit: *Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè fit*; ergò damnata fuit illa sententia, quia non exigebat ad liberum præter voluntarium necessitatis, exclusionem; cùm hęc ergò, sit ipsa Jansenij sententia; Pij V. & Gregor. XIII. Decretis appertè est damnata.

## SECTIO QVINTA.

*Ex Sacra Scriptura convincitur in homine lapso libertas à necessitate.*

70 OMnia argumenta, quibus ex Sacra Scriptura Calvinus erroris cõvincitur, æquè evincunt Jansenium; & ideò nè actum agam ab hac sectione brevitèr me expediam. ¶ 1. Inquiro; illud Ecclesiastici: *Deus reliquit hominem in manu consilij sui*, &c. Vel appertè convincit libertatem à necessitate, vel non? Si 2. dici non potest, quia nullum esset Scripturę Sacræ testimonium, quòd convinceret libertatem à necessitate in homine innocẽte, quàm esse de fide fatetur ipse Jãsenius; si primum vlterius inquiro, illud testimonium est solùm referendum ad primum hominem in statu innocentię à Deo conditum, vel etiã pertinet ad nostram vitiatam naturam? Si secundùm; ergò cum testimonium libertatem à necessitate evincat, si ad nos pertinet, in nobis illam convincit. ¶ Si primum, quod à Jansenistis obtenditur; duo restant, quibus satisfacere non possunt. Primò si illud testimonium ad hominem lapsum non pertinet, absurdè Concilium Senonense, & Ecclesiæ SS. PP. illud producunt ad libertatem hominis lapsi convincendam; quòd concedere nefas est. ¶ Secundò demonstra, quid in illo testimonio de homine integro affirmetur, quòd de homine lapso affirmari in alijs plurimis Scripturæ testimonijs, non sit suprà convictum?

*Eccl. 15.*

*Suprà à n. 17. vsque ad 22.*

*Iansenius, lib. 6. de Gratia Christi, cap. 34.*

Sed Jansenius locum istum Ecclesiastici expendens asserit ex illo, & ex alijs omnibus, in quibus libertas indifferentiæ indicari videtur, nil aliud deduci, quàm voluntatem nostram esse liberam non solùm à coactione, sed etiam à necessitate *immutabili voluntaria*, quia in hoc statu

tu arbitrium est mutabilè, flexibilè, & vertibilè tàm in bonum, quàm in malum, licèt semper necessariò agat quidquid agit.

Sed nil absurdiùs hac solutione excogitari potuit; quia nullus fuit ex antiquis Hæreticis, qui negaret arbitrium nostrum esse mutabilè, & flexibilè, vt aliquando, in hoc statu viæ, rectè, aliquando pravè ageret, vt ex suprà dictis constat: & Lutherus solùm censebat loco liberi arbitrij substituendum esse: *Arbitrium vertibile*, quòd scilicèt, modò virtuti, modò peccato adhæreat, sed semper necessariò; vndè 1. insurgo: hoc testimonium solùm convincit arbitrium nostrum in hoc statu esse vertibilè, sed Hæretici veteres non negabant arbitrium vertibilè esse in hoc statu viæ; ergò hoc testimonio frustrà vt capitali vtuntur PP. ad veteres Hæreticos profligandos. ¶ 2. fingamus voluntatem necessitatam ad malum, necessitate Stoica, Manichæa, aut Vviclefista, non verò immutabili, quia necessitati ad malum, possit posteà succedere necessitas ad bonum, vel ex diverso stelleram influxu, vel quia ex pugna animarum bona victrix evaderet, vel quia Deus præsciret posteà bonum, sicut nunc malum; posset Deus in hoc casu ita increpare hominem illum? *Reliqui te in manu consilij tui: Apposui tibi aquam & ignem, vt ad quod volueris manum porrigeres: cùr igitur malum eligis?* Si affirmes, præterquàm quod nil absurdiùs dici potest, cum necessitas illa agendi malum, hominem iustè excusaret, quomodò hoc testimonio, seù increpatione iusta ex illo deducta configuntur à SS. PP. Hæretici antiqui nullam aliam necessitatem in re adstruentes, nisi illam quàm fingimus? si neges: iam iustitia illius increpationis suadet, nõ solùm voluntatem esse liberam à necessitate immutabili, sed ab omni necessitate simplici, & absoluta, licèt mutabili.

*Subr à n. 1. vsq; ad 12.*

3. Quia si hoc sacrum testimonium non designat voluntatem nostram nulla prorsus necessitate absoluta constrictam esse, quis Sacræ Paginæ locus convincet voluntatem Adami, ita fuisse indifferentem, & liberam, vt illius libertas non solùm coactionem, & necessitatem immutabilem, sed omnem necessitatem absolutam, licèt mutabilem, removeret? Nullum enim clariùs pro indifferentia occurrere potest.

## SECTIO SEXTA.

*Probatur voluntatem lapsam esse à necessitate liberam, quia aliàs non esset capax meriti, aut demeriti.*

RAtio, qua Doctor Sanctus convincit, quòd opinio adstruens voluntatem nostram licèt non coactam ex necessitate moveri ad eligendum, est hæretica; est: *Quia tollit rationem meriti, & demeriti in humanis actibus.* Quam rationem invincibilem esse, in hac sectione contendo.

*D. Tho. q. 6. de electione, art. vnico.*

71 1. de evidentia huius illationis iam dubitare non licèt, postquàm SS. Innocentius X. hanc propositionem, vt hæreticam contra Jãsenium damnavit: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione. Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Si enim est de fide, quod ad meritum, & demeritũ in statu naturæ lapsæ, non sufficit libertas à coactione, sed esse necessariam libertatem à necessitate, si voluntas licèt non coacta, seù cum libertate à coactione, necessariò eligeret, sine libertate, scilicèt, à necessitate, tolleretur ratio meriti, & demeriti in nostris humanis actibus.

*Innocentius X. in Constitution. quæ incipit: Cum occasione.*

2. assumptum probat D. Thomæ ratio: *Non enim* (asserit Doct. Sanctus)

*D. Tho. vbi sup.*

ctus) *videtur esse meritorium, vel demeritorium, quòd aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non possit.* Ergò si homo necessariò ageret, nec meritoriè, nec demeritorie operaretur. Antec. probatur, ex propositione in Baio damnata: *Homo damnabiliter peccat in eo, quod necessariò facit*; ergò homo damnabiliter peccans, potest vitare peccatum, quia aliàs necessariò peccaret.

*Prop. 67. in Baio damn.*

3. probatur, ex communi SS. PP. sententia; sed mihi satis erit ex ingenti testimoniorum sylva, quàm in hac quæstione coniecerunt Controversistæ pauca, sed illustriora delibare. Et 1. ex Græcis produco Cyrillum Hierosolymitanum de libero arbitrio, ita differentem: *Liberum arbitrium habet anima, & potest quidem Diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem omninò non potest. Sibijcit tibi scortationis cogitationes, si vis probas; si non vis improbas: si enim ex necessitate scortareris, cuius gratia gehennam Deus paraſſet? Etsi natura, non voluntate ageres iustè, cùr Deus coronas pararet?* Ergò ex Cyrillo, quòd necessariò fit non est meritorium, aut demeritorium, hoc est, dignum corona, aut pœna. Accedit Chrysostomus asserens: *Si velle, aut nolle, vestrum non esset, hoc est, si vivendi rectè, an secus libertas adempta nobis fuisset, nec bonus, vnquam cœleste munus dignè perciperet, nec malus supplitium competens inveniret.* Et post pauca: *Legis propositus tenor sit, ex quo, quod vellit, eligat; & quod nolit, contemnat: vt iudicio hominis Dei iudicium celebretur; vt qui libertatem concessam in obsequium dederit, muneretur, qui in contemptum duxerit, condemnetur.* ¶ Demum Basilius Magnus acquiescit, ita enim loquitur: *Malum propriè peccatū, hoc verè dignum appellatione, à nostra voluntate pendet, propterea, quòd in nobis situm est, vel abstinere à malitia, vel malum committere.* Quomodò ergò erit peccatum illud, à quo abstineri non possumus?

*Rivalda cōtra Bai. disp. 13. l. 2. ass. 4. vsq; ad 8.*

*Coccius t. 2. Thesauri, l. 1 artic. 5.*

*Cyril. Hieros. Cathec. 4. de stat. hominis Chrysost. t. 1. ser. in verba Isaiæ; si volueritis.*

*S. Basil. Magnus, homil. 9. quod Deus non sit Author malorum.*

Ex Latinis, Tertullianus ita asserit: *Nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Asimilis est S. Hylarij sententia, dicentis: *Vnicuique nostrū libertatem vitæ, sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens.* Et infrà reddit rationem: *Quid enim* (asserit) *honoris, & præmij bonitatis necessitas meretur, cū malos nos esse, vis quædam nobis cōserta non sineret?* ¶ Adhæret, & Hieronymus, tùm expressè loco suprà relato; tùm in illa sententia ab Augustino laudata: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas est, nec condemnatio, nec corona est.* ¶ Demum acquiescit D. Bernardus, ita asserens: *Cæterùm, quòd sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto, vel bonum ei, vel malum imputatur? Excusat nempè vtrùmque necessitas. Porrò vbi necessitas ibi libertas non est; vbi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec iudicium.* Nescio, quid hìc Jansenius comminisci possit. Nullū enim cavillis locum verba SS. PP. relinquunt.

*Tertullianus lib. 2. adversus Marcionem, cap. 5.*

*Hilarius in expositione 2. Psalmi.*

*Hieron. lib. 2. ad Iovinian. cap. 2.*

*Aug. de natura, & gratia, cap. 5.*

*D. Hieron. sup. num. 27.*

*D. Bern. lib. de grat. & libero Arb.*

72 4. Probatur ratione, tùm, quia meritum nil est aliud, quàm obsequium, obsequitur autem nemò per actus omninò necessarios, quia obsequium exigit, quòd conferatur aliquid in bonum alteriùs, nullus tamen dat nisi illud, cuius est Dominus, & actus necessarij sub dominio nostro non sunt. ¶ Tùm: quia meritum (idem de demeritò servandū) exigit bonitatem moralem penes conformitatem cum regulis morum, sicut bonitas artificialis exposcit cōformitatem cum regulis artis; sed actus necessarius solùm potest habere bonitatem naturalem, non moralem

lem per subiectionē ad regulas moris; ergò. Prob. min. quia id, quod ex sua natura est determinatum vt fiat, non indiget regula illius existētiam dirigente, & regulante. ¶ Accedit efficax ratio ex Illust. Godoy desumpta; libertas illa, quæ non sufficit, vt bene facienti sit debita gratiarum actio, non sufficit, vt merenti sit debitum præmium, nec demerenti pœna, sed libertas à coactione in perfectò voluntariò consistens non sufficit, vt sit debita gratiarum actio, quia, vt fatetur Jansenius, hac libertate procedit Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, & tamen, quia accipit esse ab illis, non ob id debet eis gratias referre; ergò. ¶ Numquam Jansenius maiori audacia cum veritatis luce pugnabit, quàm adstruendo peccatum inevitabilè, & meritum necessarium; postquàm Ecclesiæ PP. ex meritò, & demeritò convincerūt antiquos Hæreticos ossores libertatis, omnes ferè Theologi, vt fide certum tradunt libertatem à necessitate esse ad meritum, & demeritum exactam, & omnes Controversistæ, qui de Hæresi Lutherana, & Calviniana triumpharunt; ex meritò, & demeritò libertatem à necessitate evincant, quàm solam denegabant Lutherus, & Calvinus.

*Godoy de Meritochristi, disp. 3. sect. 7.*

*Theologi in 1.2. q. 112. artic. 1. Sot. de natura, & grat. l. 1. c. 15. l. 3. cap. 7. Vega in Trident. l. 11. in cap. 11. Rusensis, artic. 36. Tapperus, artic. 7.*

## SECTIO SEPTIMA.

### *Opinio Iansenij est annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones.*

*D. Thom. q. 6. de Elect. art. vnico.*

73 HAnc conclusionem demonstrat D. Tho. *Quia si voluntas ex necessitate movetur ad aliquid volendum subvertuntur omnia principia Phylosophiæ moralis, tollitur enim deliberatio, exortatio, præceptum, & punitio, laus, & vituperium.* Quòd ita certum videtur, vt ipsa scintilla rationis mentibus nostris impressa satis sit ad expugnādum tàm cassum errorem. Quæ enim gens fuit tàm barbara, vt iudicaret se in crimine esse propter ea, quæ vitare non posset? Præter ea tamen, quæ suprà dicta sunt hęc manifesta veritas vlteriùs probanda suscipitur. *Suprà n. 142*

1. omne peccatum est iustè reprehensibilè, aliàs peccatum non esset, sed non potest, quis iustè reprehendi, quia facit, quod vitare non potest; ergò. Prob. min. Non potest iustè reprehendi, quòd potest iustè excusari; sed increpanti: *Cùr hoc fecisti?* Iustissima esset ista responsio: *Feci, quia ita vinculum necessitatis me obstrinxit, vt nulla vera potentia possem non facere.* Ergò. ¶ 2. Quia si anima actu necessariò, & inevitabili posset peccare, & illud peccatum posset iustè puniri, quia peccatum ex terminis, est pœna dignum, & nō potest quis iustè conquæri, quia propter peccatum punitur; sed possit quis iustè conquęri de addictione æternis pœnis propter actum necessarium, quem vitare non posset; ergò. Prob. min. Augustinus introducendo animam, quæ ita de Deo conquæratur: *Quid peccavi? Quid cōmerui? Quid me expulistis de regnis tuis, vt contra nescio, quàm gentem pugnarem? Depressa sum, permixta sum, corrupta sum, non est mihi servatum liberum arbitrium, tu nosti necessitatem, qua pressa sum; cùr mihi imputas vulnera, quæ suscepi?* Et infrà: *Cùm ergò noveris necessitatem, qua hic oppressa sum, qua respirare non potui, cui resistere non potui; cùr me accusas, quasi peccantem? Aut quid promittis indulgentiam peccatorum?* Certè iustior quærela esse non potest; quia vt asserit idem S. P. *Quis enim non clamet, iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere?*

*August. ad versus Fortunatum, lib. vnico.*

74 Jansenius, quem eius sequūtur discipuli, quibus adscire dolco P. Rosende, vt verū peccatum æternis supplicijs vindicandum, licèt inevitabilè, & cum concupiscentia simpli-

*Iansenius, lib. 4. de statu naturæ lapsæ, c. 25.*

plicem necessitatem inducente, sustineant, futilem responsionem cavillantur; asserunt enim; impotentiam vitandi peccatum esse à peccato primi parentis propagatam. Quæ impotentia cum fluat ex suppositione nobis voluntaria imputabilitatem non aufert, cùm enim ortum ducat ex culpa, non est vndè excusetur à culpa; vndè infert iure damnatos esse Manichæos, Vviclefistas, & eiusdem insaniæ Hæreticos, quia necessitatem peccandi invehebant, non à corruptione naturæ, sed à Deo, ab Stellis, vel ab anima mala, vel ab aliqua alia causa, distincta ab Adæ culpa, profectam, dicerent; à quibus erroribus multum se abesse putat, quia necessitatem peccandi, à concupiscentia per Adę peccatum transfussa, oriri defendit.

Sed hæc solutio, in qua suę doctrinę præsidium collocant Jansenistæ; multis flagitijs est plena, & licèt alibi ex professo castiganda sit, discutiendo, quę nam impotentia ex suppositione libera, excusat à culpa, quæ secus? Quantum fraudis, & erroris habeat, per transelam indicabo.

1. hæc responsio est ex Calvino deprompta, & in illa erroris sui arcem collocavit, testante Bellarmino, sic enim Calvinus Catholicorum argumentum, hoc principio innixum: *Nemò peccat damnabilitèr in eo, quòd necessariò facit* eludere connatur: *Nego* (inquit) *peccatum, ideò minus debere imputari, quòd necessarium est, si quis enim disceptare cum Deo vellit, & hoc prætextu iudicium subterfugere, quoniam alitèr non potuerit, habet paratam responsionem, non ex creatione esse, sed naturæ corruptela, quòd homines peccato mancipati nihil velle possunt, nisi malum. Vndè enim ista, quàm improbi vehementèr prætexerent, impotentia, nisi quod Adam vltrò se Diaboli tyrannidi addixit?* Jansenistæ ergò Calviniano dogmati omninò assentiunt, & causam Calvini agit Jansenius, dum se à veteribus Hæreticis seiũgere, nititur.

*Bellarm. lib. 5. de Gratia, cap. 14.*

*Calvin. lib. 2 instit. cap. 5.*

75 2. hæc responsio, iam est omninò, vt Hęretica reijcienda postquã SS. D. Innocent. X. hanc primam Jansenij propositionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis, vo ẽ ibus, & connantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Hæreticam declaravit & vti talem damnavit.* ¶ Vndè de fide est hominem iustum secundũ præsentes, quas habet vires posse adimplere præcepta, sed idem est posse præcepta adimplere, ac posse peccata vitare; ergò iustus secundùm prę-sentes, quas habet vires potest peccata vitare; ergò nulla ex causa potest habere necessitatem peccandi, & impotentiam vitandi peccata, quia impotentia vera evitandi peccata pugnat cum vera potestate ea cavendi.

*Innocẽt. X. in Constitut. quæ incipit: Cum occasione.*

Nec effugium, quòd cavillantur Jansenistæ audiri debet, sustinent enim, quòd præcepta debent dici absolutè possibilia, & peccata absolutè impedibilia, licèt detur impotentia vera ad illa præcavenda, quia impotentia ortum ducens ex suppositione voluntaria, & imputabili, qualis est suppositio culpæ originalis, non pugnat cum absoluta possibilitate.

Quia contra est 1. Innocentius vt fide certum statuit, homini iusto de facto esse prę-cepta Dei possibilia, in eodem sensu, in quo Tridentinum definivit: *Præcepta homini iustificato non esse ad observandum impossibilia; nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & adiuvat vt possis.* Tridentinum verò damnavit præcepta esse impossibilia adhùc impotentia profecta ex corruptione naturæ per peccatum; ergò. Prob. min. Tridentinũ illam impotentiam observandi præcepta, & vitandi peccata damnavit,

*Trid. Sess. 6. cap. 11.*

quàm edocebant Lutherus, & Calvinus, aliàs fluminibus Tridentini obtriti non fuiſſent, ſed Lutherus, & Calvinus præcepta eſſe impoſsibilia ſolùm admittebant impotentia orta ex corruptione naturę; ergò.

76 2. poſt Bullam Alexandri VII. qui immediatè ſucceſsit Innocentio X. hoc effugium audiri non poteſt; declaravit enim: *Quinque illas propoſitiones* (ab Innocentio X. proſcriptas) *ex libro Cornelij Ianſenij excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe. Et iterùm ab ipſo* (Alexandro ſcilicèt) *damnari.* Ergò in ſenſu à Ianſenio intento fuit damnata illa propoſitio: *Aliqua Dei præcepta, &c.* Sed Janſenius ſolùm adſtruebat impotentiam obſervandi prȩcepta ex ſuppoſitione culpæ originalis profluentem; ergò hęc impotentia in homine iuſto, adimplendi præcepta, & vitandi peccata, eſt proſcripta, vt hæretica.

*Alexand. VII. in Conſtitutione.*

3. Inhorret ānimus peſtiferam illam reſponſionem, quia ex illa naſcuntur innumera abſurda; primum, quod opera, quæ fiunt ab amētibus; frȩneticis, & cæcis, verè ſint peccata, quibus poſsit eos Deus iuſtè ętернis cruciatibus damnare; quòd ita diſſonum eſt, & à communi ſenſu abhorrens, vt ſine indignatione audiri non poſsit. Sequela prob. Ideò impotentia vitandi malum ex concupiſcentia orta non excuſat à culpa, quia eſt profluens ex culpa originali, cuius pœna eſt concupiſcentia ipſa, ſed impotentia vitandi peccatum, procedens ex amentia, frȩnetidè, &c. profecta eſt ex originali culpa, cuius hæc omnia mala effectuus ſunt; ergò. ¶ 2. Conſequitur; motus rebelles concupiſcentiæ, qui vſum rationis prȩveniunt verè eſſe peccata, quod eſt anathematizatum in Tridētino. Conſectarium ſic infertur: ſtat, quod ſit peccatum inevitabilè, ſi cōſequitur ex Adami peccato, nobis voluntario, & libero; ſed motus cōcupiſcentiæ in pœnam culpę originalis inflicti proficiſcuntur; ergò ſunt nobis voluntarij, & liberi ſufficientèr, vt ſint verè peccata. ¶ Si tamen Janſeniſtæ elabi poſſe arbitrentur aſſerendo motus illos non eſſe volūtarios, & exindè, nec verè peccata. ¶ Contra eſt. 1. quia ſi ſufficit ad peccatum eſſe evitabilè, & liberum in cauſa, cùr non ſufficiet eſſe in cauſa voluntarium? ¶ 2. quia ſaltim motus illi voluntatis, qui prȩveniūt vſum rationis vera erunt peccata, quia voluntarij ſunt, & in Adamo fuit liberum ab eis abſtineri; quod prohibitum etiam eſt contra Calvinum.

*Trid. Seſſ. 5. Can. 5.*

*A Trident. vbi ſup.*

77 Vltimo ad erroris convincendum præfatum effugium Achylleum eſt argumentum, à quo Janſeniſtæ nunquàm ſe extrincari poterunt; pro cuius evidentia ſuppono, quod Eccleſiæ PP. veteres Hæreticos everſores libertatis oppugnarūt non ſolùm, quia auferebant peccatum, ex eo, quòd nullus peccat in eo, quòd neceſſariò facit, ſed etiam, quia de medio deſtruebant meritum, quia nullus eſt mercede, & retributione dignus ex eo, quod fecit, quod non facere non potuit: hoc quidem luce clariùs eſt; tùm ex PP. ſuprà allatis Seſsione 6. tùm ex M.P. Auguſtino, qui ſemper hoc medio vſus fuit, illum adduco ſpecialitèr in illa diſp. 1. contra Fortunatum, vbi ſic diſputat: *Animæ enim rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberū arbitrium. Sic enim poſſet habere merita, ſi voluntate, non neceſsitate, boni eſſemus.* Et in diſputatione ſecunda: *Liberum arbitrium, ſi non dediſſet Deus, iudicium puniendi nullum iuſtum eſſe poſſet, nec meritum rectè faciendi.* Et infrà: *Ego dico peccatum non eſſe, ſi non propria voluntate peccetur: hinc eſſe, & præmium, quia propria voluntate recta facimus, aut ſi pœnam meretur, qui peccat invitus,*

*Auguſt. in lib. 1. diſp. 1. contra Fortunatum. Aug. ibi, diſput. 2.*

*tus, debet, & præmium mereri, qui benefacit invitus. Quis autem dubitet non deferri præmium, nisi ei, qui bona voluntate aliquid fecerit?* Nil ampliùs desiderari potest.

Hinc ergò, si à Jansenistis exigimus, cùr necessitas Manichæa, Vviclefista, aut Stoica libertatem addimant, ad demeritum exactam: Et non necessitas Jansseniana? Cùr si hæc necessitas absoluta auferens potestatem ad oppositum esset in statu innocentię peccatum destrueret, & non esset punitione dignum; & in hoc statu similis necessitas cum peccato non pugnabit? Hoc vnicum est effugium: quod hæc necessitas peccandi ex peccato Adæ profecta est, & exindè ex suppositione nobis libera in qua liberè amisimus potestatem non peccandi, quàm in Adamo habuimus: Necessitates verò, Manichæa, &c. & necessitas absoluta, si foret in statu innocentiæ non essent profectæ ex suppositione libera in qua peccatum evitari posset; esto, hoc posset esse discriminis, licèt ex illo evidentèr inferatur, quod posset quis impunè defendere necessitatem Manichæam dummodò illam temperaret, vt ex peccato Adæ, & suppositione libera profectam adstrueret; quòd nullus Catholicorum cum pace audiet.

Esto, inquam, hoc sit discriminis, in necessitate peccandi; in necessitate rectè operãdi, & merendi, quæ erit differentia? SS. PP. necessitates illas oppugnant, quia ex illis consequitur nulla esse merita, & bona opera non esse præmio afficienda: iam inquirimus; cùr illę necessitates absolutæ meritum tollerent, & si necessitas esset ex gratia in statu innocentiæ nullum esset Adę meritum, & in hoc statu lapsus stat verum meritum, & opera bona præmio digna cũ necessitate merendi, & rectè operãdi? Nonnè, sicut peccandi necessitas trahit libertatem ex peccato Adæ nobis voluntario, ex quo propagata est, quæ sit sufficiens ad pœnam promerendam, ita contendes necessitatem absolutam benè operandi, à suppositione nobis libera derivari, vt libertatem adducat ad promerendũ prȩmium? Si ita non est, in quo hæc necessitas differt à necessitate Manichæa, & à simili necessitate status innocentiæ, vt illę meritum auferrent, & hæc non adimat? Si ita cavillaris, assigna suppositionem nobis liberã, ex qua manet necessitas benè operandi?

Nonnè ad meritum Adæ aufugies, in quo habuimus libertatem? Vndè in aliquo opere Adæ benè egimus omnes, potentes peccare, sicut in peccato Adæ omnes peccavimus, potentes non peccare, quo nil absurdiùs. Et meritum Christi, quale erit? Cùm necessitas merendi nõ profluat ex suppositione, qua potuit in Adamo peccare. ¶ Si contendis; meritum mortis Christi esse suppositionẽ liberam, ex qua manat necessitas merendi, quæ meritum non perimat. ¶ Contra est, quia nunquid in Christo omnes benè egimus quemadmodum in Adamo omnes peccavimus? Tùm, quia si meritum Christi non fuit à necessitate liberum iuxtà Jansenium, quomodò erit suppositio libera nobis, vt necessitas benè agendi, indè profluens, nostrum meritum non auferat? Si vt contendit Jansenius, peccatum Adæ debet esse liberum à necessitate, vt sit suppositio nobis libera, ex qua profluat necessitas pravè operandi, quę peccatum non adimat.

## SECTIO OCTAVA.

*Mens M.P. Augustini exponitur, & præcipuum Iansenij argumentum conteritur.*

78 STupeor, cùm hanc Jansenij dementiam evidentèr Ecclesiæ fulminibus obtritam, contra

communem omnium Catholicorum ſenſum, tàm altas radices in Belgio mitteret, vt nuperum dogma etiam noſtris temporibus, licèt fucatis coloribus delinitum, impunè in vniverſitatibus Catholicis, quæ valdè de nomine Chriſtiano gloriabantur, ſuſtineatur, & defendatur, vt demonſtrant Eminent. Aguirre, & Rev. Tyrſo; miror magis dum argumẽta, quibus innititur attente inſpicio, cum non ſolùm ſint ex Hęreticis deprõpta, ſed omninò inefficacia, & evidẽtèr ipſum errorem redarguant: Argumenta, quæ libertates peculiares Dei, Chriſti, Beatorum, & damnatorum concernunt in peculiaribus tractatibus (Deo favente) expendemus; quę libertatem, cum ſimplici neceſsitate componere nituntur, per varias quæſtiones in diſcurſu tractatus convellentur: nunc duo Capitalia argumenta proponemus, vt Eccleſiæ lumina Auguſtinum, & Thomam à Janſenij erroris inſana calumnia; vindicemus.

*Aguirre cont. declarat. Gallic. diſp. 21. per totam.*

*Tyrſo, t. 4. diſp. 4. ſect. 64. & ſeq.*

1. opponit Janſenius: omne, quòd eſt in noſtra poteſtate eſt liberum, ſed omne voluntarium eo ipſo, quòd eſt à coactione immunè eſt in noſtra poteſtate; ergò, & liberum. Mai. prob. plurimis Auguſtini teſtimonijs, ſufficiat illud: *Voluntas igitur noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò, quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum, quòd in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe, quod habemus.* Min. Prob. Tùm, quia ex verbis Auguſtini voluntas noſtra voluntas non eſſet niſi eſſet in noſtra poteſtate; ergò voluntas quælibet in noſtra poteſtate eſt. ¶ Tùm ex illo Auguſtini: *Non enim poſſum aliud ſentire, eſſe in poteſtate noſtra, niſi, quòd cum volumus facimus, quapropter nihil tàm in noſtra poteſtate, quã ipſa voluntas eſt.* Et mox ſubdit: *Dũ autem volumus, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, non vtiquè volumus. Quod ſi fieri non poteſt, vt dum volumus, non vellimus, adeſt vtiquè voluntas volentibus: nec aliud quidquam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt.* Ex quibus ſic colligitur. 1. illud eſt in noſtra poteſtate, quòd cum volumus facimus, ſed omnis volitio fit cum volumus, implicat enim, quòd volentes non vellimus, aliàs poſſemus nolle dum volumus; ergò omnis volitio eſt in noſtra poteſtate. ¶ 2. ex Auguſtino, nihil tàm in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas, quia ſemper volentibus adeſt, ſed omnis volitio volentibus adeſt, & voluntas eſt; ergò omnis volitio in noſtra poteſtate eſt, & exindè libera.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arb. cap. 3.*

*Aug. vbi ſup.*

79 Hoc argumentum, in quo arcem ſuæ doctrinæ Janſenius conſtituit, convincitur evidentèr ineffi-caciæ: fatemur maiorem; quàm fruſtrà repetitis Auguſtini ſententijs fundare nititur; ſcilicèt: *Liberum eſt, quòd in noſtra eſt poteſtate.* Minorem tamen omninò falſam, iudicamus; & eſſe talem multis modis convincitur. 1. volitio ex neceſsitate Manichæa, aut Vvicleſiſta profecta libera non eſſet, nec exindè in noſtra poteſtate, vt indubium eſt, & tamen voluntas eſſet, & non poſſet elici à voluntate niſi volente, nec poſſet illa velle, nolens velle; ergò volitionem eſſe in noſtra poteſtate, aliud exigit prẽter eſſe volitionem, & fieri à voluntate volente, ſcilicèt ita fieri, vt poſsit non fieri.

2. Quia ita definit Philoſophus: *Quibus in rebus noſtra in poteſtate ſitum eſt agere, in ijs, & non agere, & in quibus non agere, in ijs eſt, & agere.* Quæ verba ita exponit D. Sanctus: *Si operari eſt in noſtra poteſtate, oportet etiam, quod non operari ſit in noſtra poteſtate: ſi enim nõ operari non eſſet in poteſtate noſtra impoſsibilè eſſet nos non operari; ergò neceſsè eſſet nos operari, & ſic operari non eſſet ex nobis, ſed ex neceſsitate. Et ſimilitèr dicit, quòd in quibus*

*Ariſt. l. 3. Ethic. c. 5.*

*Div. Thom. ſect. 11. in lib. 3. Ethic. cap. 5.*

*bus rebus non operari est in potestate nostra, perconsequens etiam operari sit in potestate nostra; si enim operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos operari; ergò necesse esset nos non operari; & sic non operari, non esset ex nobis, sed ex necessitate.* Ergò ex Div. Thom. & Arist. agere, & operari sunt in nostra potestate, quia nō ex necesitate agimus, seù, quia possumus non agere, & non operari.

3. Quia idem est actum esse in libera potestate, ac esse in dominio voluntatis, sed agere, necessariò non est in dominio voluntatis, sed solùm sumus Domini actionum, quatenus possumus non agere; ergò. Mai. nec ab Adversarijs negatur. Min. Prob. 1. ex D. Thom. asserente: *Dominiū, quod habet voluntas suprà suos actus, per quod in eius potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exteriùs agentis*; ergò cum actus necessarius solùm excludat violentiam, & non determinationem virtutis ad vnum; voluntas non habet in suo dominio, & potestate actus necessarios. ¶ 2. Quia sequeretur, quod productio Spiritus Sancti verè sit sub dominio Patris, & Filij, quia est volitio non coacta, & exindè in potestate, quod, quàm absurdum sit, ex eo constat, quia aliàs Pater, & Filius verè dicerentur Domini Spiritus Sancti; quę fuit Hęresis Eunomianorum, & Macedonianorum, vt deducitur ex Basilio, Nazianceno, & Epiphanio. ¶ Explicatur; illud est in nostro dominio, quod volentes facimus, nec aliud exigitur iuxtà Jānenium, sed Pater, & Filius dum volunt producunt Spiritum S. ergò sunt Dominus, vel Domini Spiritus S.

*D. Tho. l. 1. cōtra gent. cap. 68.*

*Basil. Epist. 78. Nazianc. orat. 34. Epiphan. Hæres. 34. Lenis in Epist. Prodō. ad Petavium.*

Respondet Vincentius Lenis, quòd sicut hęc verba: Generare, spirare, & producere, possunt Divinis Personis applicari, si ab imperfectionibus depurantur; ita dominari potest ab imperfectionibus denudari, & applicari Divinis Personis. ¶ Sed huius solutionis audaciam iustè castigant M. Gonet, & M. Ferre; quia implicat, quod dominium depuretur ab imperfectione ex parte termini, quia vt ait Gregorius: *Dominari nihil aliud est, quàm subditum quemq; possidere.* Et D. Thom. asserit: *In significatione domini clauditur, quod habeat servum, & è converso.* Vndè statim deducit: *Deus non fuit Dominus antequàm haberet creaturam sibi subiectam.* Vndè evidenter infertur, quod Pater non sit Spiritus S. Dominus, quia aliàs Spiritus S. esset subditus, & servus Patris, & Pater esset Dominus ante creaturam subiectam; quòd est fidei evidenter dissonum.

*Gonet, disp 2. de volun tario artic 3. s. 1. Fer. tract. 3 de voluntario, q. 6. s. 3. D. Gregor. hom. 34. in Evangel. D. Tho. 1. p. q. 13. art. 7. ad 6.*

Addo: ex D. Thoma, Deum esse realiter Dominum creaturæ, propter relationē realem subiectionis creaturæ ad ipsum: *Quia* (vt ait Doct. S.) *eo modò dicitur Dominus, quo creatura ei subiecta est.* Ergò, vt sit Pater verè Dominus respectu Spiritus S. exigitur vera relatio subiectionis Spiritus S. ad Patrem; quòd blasphemum est asserere. 2. Quia, cum dominium non possit à superioritate præscindi, non posset Pater esse Dominus Spiritus S. quin esset illo superior; vndè tres Personæ Divinæ non essent sibi coæquales, contra symbolum. ¶ 3. Quia denominatio generantis, ideò convenit soli Patri, & denominatio spirantis Patri, & Filio, quia in prima explicatur oppositio relativa Patris cum Filio, & in secunda oppositio relativa Patris, & Filij cum Spiritu S. sed in ratione dominij non explicatur aliqua oppositio inter Divinas Personas, quia sunt ex fide vnus Dominus, sicut, & vnus Deus; ergò nil potest dici absurdiùs, quàm adstruere verùm dominium in Patre, & Filio respectu Spiritus S. quod in Spiritu S. non sit.

*D. Tho. vbi sup. solut. ad 5.*

80 3. Probat. principalis min.

ex

D.Th. 1.p.q. 82. artic. 1.

ex D. Thom. disputante: *Vtrùm voluntas aliquid ex necessitate appetat?* Et sic 3. proponit argum. *Secundùm voluntatem sumus domini nostrorum actuum. Sed eius, quod ex necessitate est, non sumus Domini; ergò actus voluntatis non potest de necessitate esse.* Si S. Doctor Jansenij dogmati auxiliaret, facilè responderet, actum necessarium esse in nostra potestate, & dominio, quia est cum voluntas vult; sed inspicite verba Div. Thomæ expressè contrarium definientia; sic enim respondet: *Ad 3. dicendum, quòd sumus domini nostrorum actuum, secundùm quod possumus hoc, vel illud eligere. Electio autem nõ est de fine; sed de his, quæ sunt ad finem, vt dicitur in 3. Ethyc. Vndè appetitus vltimi finis non est de his, quorum Domini sumus.* Asseruit D. Thom. *Quod sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principijs, ita voluntas ex necessitate inhæret vltimo fini.* Vndè 1. observa, quòd expressè asserit appetitum vltimi finis non esse de his quorum Domini sumus, quia voluntas ex necessitate inhæret vltimo fini; ergò appetitus, qui ex necessitate est in voluntate, non est sub dominio voluntatis. ¶ 2. appetitus vltimi finis non est sub dominio voluntatis; ergò, nec in illius potestate; ergò falsum est, quod omnis volitio in potestate voluntatis sit. ¶ 3. Quia D. Thom. ideò excludit dominium erga vltimum finem, quia nõ possumus illum, & eius oppositum eligere, sed omnes vna voluntate, ex Augustino, beatitudinem appetunt; ergò indifferentiam potestatis exigit D. Thom. in voluntate ad dominium suorum actuum.

D. Thom. in corp. artic.

D. Thom. ex August. in argum. sed contrà.

4. Princeps assumptum probat. Illud solùm est in potestate nostra, quòd in liberam electionem cadit, sed nullum necessarium in liberam electionem cadit; ergò. Præmissæ videntur ex terminis notæ; Mai. concedunt Adversarij, quàm vidimus ex D. Thom. qui constituit dominiũ voluntatis per posse hoc, vel illud eligere; illam exprimit Eusebius, his verbis: *In nostra positum est potestate, quòd ex propriæ electionis motione fit.* Et prima lux rationis suadet dominium, & libertatem voluntatis nil aliud esse, quàm facultatem electivam. ¶ Min. etiam facilè probatur; ex ipsa electionis natura, quæ exigit plura nobis proponi, vt volũtas pro suo nutu eligat; hoc est, vnũ acceptet altero recusato, quòd posset pari iure optare, & primum respuere; ergò, quod voluntatem ad vnum necessitat potestatem eligendi adimit. ¶ Quòd exprimunt Ecclesiæ PP. vt notum; D. Tho. inquit: *Homo non ex necessitate eligit, & hoc ideò: quia quòd possibile est non esse, non necessè est esse. Quòd autem possibile sit non eligere, vel eligere, huius ratio ex duplici hominis potestate accipi potest. Potest enim homo velle, & non velle, agere, & non agere: potest etiam velle hoc, aut illud.* Et suprà dixit: *Cùm electio sit præacceptio vnius respectu alteriùs, necessè est, quòd electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt. Et ideò in his, quæ sunt determinata ad vnum electio locum non habet.* Quàm sentẽtiam alibi his expressit verbis: *Electio semper fit per liberum arbitriũ, & est respectu eorum, quæ non necessitate quis vult.* Et ideò dixit Anastasius Synaita: *Quomodò enim libera constabit electio, vbi contrariorum, nulla est incursio?*

Div. Thom. vbi suprà. Euseb. l. 6. de Præpar. Evang.

D. Tho. 1. 2. q. 13. art. 6. in corp.

D. Tho. vbi suprà, art. 2. in corp. D. Thom. 1. contra gent. cap. 88. art. 3.

5. & vltimo assumptum prob. Ea in nostra libera potestate habemus, de quibus consultamus, sed solùm consultamus de his, quæ possunt sic, vel alitèr se habere, non de necessarijs; ergò. Mai. non negant Adversarij, quia actiones liberæ, ideò deliberatæ dicuntur, quia ex consilio, & deliberatione rationis procedunt. Min. etiam constat; tùm ex supradictis, ¶ Tùm, quia vt ait Eusebius:

Supr. n. 22.

Con-

*Euseb. de Præparat. Evang. l. 6. cap. 7.*

*Consilium hominis esset frustrà, si homo necessariò ageret, quæ agit.* Cùm enim consultatio sit inquisitio rationum, quæ ad prælationem vnius partis præ alia conducunt frustrà esset, si vna pars ita esset nobis necessaria, vt alitèr se habere nõ posset; quia vnius partis electio non ex consultatione, sed ex antecedenti illa necessitate proficisceretur; & ita ait Doct. S. *Consilium esse inquisitionem viam habentem ad opposita; virtute cuius voluntas seipsam mouet non necessitate, sed cum potestate eligendi, aut nõ eligendi, hoc, vel illud.* Etsi ab Aduersarijs quęramus, an seriò deliberent, sine volitione velle? Et an consultent, debeant nè sine visione videre, aut non? De his non deliberare respondent nè vt fatui habeantur; cũr ergò? Nisi, quia hæc ipsis impossibilia, & non in sua potestate.

*D. Thom. de malo, q. 6*

## SECTIO NONA.

### *Ex Augustino Ianseni error expugnatur, & triplex Augustini sententia exponitur.*

QVam falsum sit actum necessarium esse in nostra potestate sect. prętérita evidentèr demonstrauimus, nunc ex Augustino inuictissimè idem assumptum conuincendum est; & tres propositiones August. per tres conclusiones exponendæ; istæ scilicèt: *Voluntas est in nostra potestate. Voluntas adest nobis cum volumus. Voluntas eo ipso, quòd voluntas est libera est.*

81 Dico 1. *Agere, & velle est in nostra potestate iuxtà Augustinũ dum possumus non velle, & non agere*: ex hac veritate Machina Jansenianí erroris omninò ruit; & quia Argum. desumunt ex August. in lib. de Libero Arbitrio, ex illo principem rationem desumam, vt euidentiùs demonstrem Jansenium ad violentos sensus August. detorquere.

August. cùm in fine lib. 2. de Libero Arbitrio asseruisset, motum aversionis ab incommutabili bono esse peccatum, & defectivum; sic mox progreditur: *Qui tamen defectus, quoniam est voluntarius, in nostra est posítus voluntate, si enim times illum, opportet vt nolis, si autem nolis, non erit.* Ergò ex August. illud dicitur in nostra potestate, quòd si nolumus non erit, sed solùm de his, quæ possumus velle, & nolle, potest cum proprietate dici, quòd si nollumus non erunt, vt ex communi omnium hominum sensu constat, & alibi, ex Concilio Tridentino, & Ecclesiæ PP. demonstrabitur; ergò.

*Aug. lib. 2. de Lib. Arbit. in fine.*

*Disp. 3. q. 1.*

Progreditur M.P. in lib. 3. ad explicandum, vndè existat motus, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono; & in principio ita supponit: *Dixisti enim* (loquitur cum Evodio) *si ita data est voluntas libera, vt naturalem habeat istum motum, iam necessitate ad hæc conuertitur, neq; vlla culpa deprehendi potest, vbi natura, necessitasque dominatur: nullo modò autem dubitare debuisti, non esse ita datam, quandò istum motum culpabilem esse, non dubitas.* Ergò ex August. motum defectivum esse culpabilem idem est, ac voluntatem liberam non esse ita datam, vt cum necessitate habeat istum motum, sed ex August. quia, *iste motus auersionis voluntarius est digna, & iusta, eum miseriæ pœna subsequitur.* Et aliàs ex ipso, *quoniam voluntarius est, in nostra est posítus potestate.* Ergò ex August. idem est motum esse in nostra potestate, ac voluntatem, sine necessitate posse illum habere, quòd est posse non habere.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arbitr. in initio.*

Mox subdit: Motum istum aversiuum esse animi, & voluntatis, quia illo mouetur voluntas, sicut motu lapidis mouetur lapis, sicquè edisserit: *Qui motus, si culpæ deputatur, non est naturalis, sed voluntarius; in eoquè similis est illi motui, quo deor-*

*sum*

*ſunt verſus lapis fertur, quòd ſicut iſte proprius eſt lapidis, ſic ille animi. Verùmtamen in eo diſſimilis, quòd in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferiùs; animus dū non vult, non ita movetur, vt ſuperioribus deſertis, inferiora diligat. Et ideò lapidi naturalis eſt ille motus, animo verò iſte voluntarius. Hinc eſt, quòd lapidem ſi quis dicat peccare, quòd pondere ſuo tendit in infima, nō dicam ipſo lapide ſtolidior, ſed profectò demens iudicatur. Animum verò peccati arguimus, cùm eum convincimus ſuperioribus deſertis, ad fruendum, inferiora præponere.* Vbi licèt plures differentias inter motum lapidis, & averſionem à Deo; aſſignare poſſet, quia inquirit, cùr ſit culpabilis motus averſivus animi? Præcipuam, & vnicam cauſam aſſignat, quia lapis non poteſt cohibere motum, ſicut animus; ergò ex Auguſt. motum voluntatis eſſe voluntariū, & in poteſtate, eſt voluntatem poſſe cohibere motum, & non neceſſariò moveri. Vnde ſtatim ita colligit: *Motus autem quo hùc, atquè illùc voluntas convertitur, niſi eſſet volūtarius, atquè in noſtra poſitus poteſtate, nequè laudandus cum ad ſuperiora, nequè culpandus, homo eſſet cum ad inferiora detorquet, quaſi quendam cardinem voluntatis.* En vbi motum eſſe in noſtra poteſtate eſt eſſe voluntarium, & eſſe voluntarium, dixit Auguſt. eſt voluntatem poſſe illum cohibere; ergò motum eſſe in poteſtate voluntatis eſt volūtatem poſſe cohibere motum. ¶ Et deniquè aſſerit, motum voluntatis eſſe laudandum, ſi cardinem voluntatis ad ſuperiora diligenda moveat, culpandum verò, ſi ad inferiora detorqueat; ergò ſupponit, quòd cardo voluntatis eſt flexibilis, & indifferēs, vt motus illius ſit culpandus.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arb. c. 1. in medio*

*Aug. in eodem, c. 1. in fine.*

Vltimo aſſumptum convincitur, & Janſenij fraudes diſcutiuntur: Auguſt. intendit, quòd ex certitudine

*Vide n. 6.*

præſcientiæ Dei non infertur nos nō peccare, & argum. Evodij ex Ciceronē deſumptum, deducens ex præſcientia Dei inevitabilem, & fixam neceſsitatem; inefficaciæ convincere; quòd oſtendit, quia præſcientia non tollit, quòd peccatum ſit in poteſtate, potiùſquè hoc ex præſcientia colligi; vndè ſic concludit: *Non igitur per eius præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præſcientia non fallitur, affuturam mihi eſſe præſcivit.* Moxquè ſubdit Evodius: *Ecce iam non nego Deum peccata noſtra præſcire, vt maneat tamen nobis voluntas libera, atquè in noſtra poſita poteſtate.* Vndè ſic evidenter colligo: Auguſt. intendit, quòd ex præſcientia, nō infertur neceſsitas peccati; tùm, quia aliàs Argum. non ſolveret, ſed convinceret, quia ſolam neceſsitatem ex præſciētia inferebat. ¶ Tùm, quia aliàs peccatum cum præſcientia non conciliaret, quia adhùc iuxtà Janſenium cū peccato pugnat neceſsitas ex præſcientia orta; ſed hoc Auguſt. infert, quia præſcientia non tollit peccatum eſſe in noſtra poteſtate; ergò idem eſt iuxtà Auguſt. mentem; peccatum eſſe in noſtra poteſtate, ac eſſe ſine neceſsitate.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arb. cap. 3. in fine.*

Illuſtratur hæc ratio: in tantum peccatum eſt, in quantum eſt in noſtra poteſtate, ſed peccatum eſt, quia caveri poteſt; ergò eſt in noſtra poteſtate, quia caveri poteſt. Mai. nota, & Min. ita elegantèr ibi edocet M.P. *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene. Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergò caveat nè fallatur. An tanta fallacia eſt, vt caveri omninò non poſsit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quòd nullo modò caveri poteſt? Peccatur*

*Lib. 3. de Liber. Arbit. cap. 18. in principio.*

catur autem, caveri igitur potest. Ex Augustin. ergò peccatum non est, si resisti, & caveri non potest.

82 2. Dico: *Voluntas adest nobis cùm volumus*; ex Augustin. *Dum ita adest, vt sit in nostra potestate non adesse.* Et 1. idem est fieri aliquid cum volumus, ac pro ut volumus; sed fieri aliquid pro ut volumus est non necessariò fieri, seù fieri sine necessitate; sic enim D. Ambrosius exponit ly pro ut volumus; explicando enim illa verba Apostoli: *Omnia operatur vnus, atque idem spiritus dividens singulis, pro ut vult.* Sic asserit: *Hoc est pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio*; ergò voluntatem esse cùm volumus est non necessariò esse; sed ita esse, vt sit in nostra potestate, & libertate non esse.

*D. Ambros. lib. 2. de Fide, cap. 3.*

2. Quia cùm dicimus illud est in potestate nostra, quòd cùm volumus facimus, ex communi consuetudine; oppositum quoque includimus, & cùm nolumus non facimus; & ideò licèt D. Augustinus aliquando vnam solam partem commemoret, sæpè vtramquè exprimit, vt liberæ potestatis essentiam tradat; vndè sic scribit contra Felicem: *Qui legem servare non vult, in potestate eius est servare, si vellit.* Et alibi: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quòd si vult, facit, si non vult, non facit.* Ergò apud Augustin. idem est aliquid fieri cùm volumus, ac nos ita velle, vt possimus non velle.

*Aug. lib. 3. contra Felic. cap. 3.*

*Aug. lib. de spirit. & liter. cap. 31.*

3. Quia si per hoc, quod est fieri cùm volumus, nõ importaretur posse non velle, motus indeliberati voluntatis fierent cùm volumus, & sic essent in nostra potestate, & possent esse peccata. Patet sequela; quia quilibet motus voluntatis fit volendo, seù à voluntate.

4. Quia iuxtà commune Theologorum, & Philosophorum proloquium, *habitibus vtimur cùm volumus*; & ideò dicitur habitus esse in nostra potestate; vndè asserit Commentator: *Habitus est, quo quis agit, cùm voluerit.* Et Div. Thomas: *Habitus est, quo quis vtitur, cùm voluerit.* Sed in hoc, quòd est habitibus vtimur cùm volumus, nil aliud explicatur, quàm voluntatem nulla necessitate obstringi ad vtendum habitu, sed posse pro suo nutu illo non vti, vndè si habitus necessitaret voluntatem, vt illo vteretur, nec esset in potestate voluntatis, nec de voluntate verificaretur, quòd illo vtitur cum vult, licèt eo non vteretur, nisi volendo: quòd ex communi omnium sensu constat, nec Jansenio dissentiente; ergò dum dicitur, volitio adest voluntati cum vult, debet intelligi, quia nulla est necessitas in voluntate, vt volitio ei adsit; nullus enim percipiet differentiam, quoad sensum, inter has propositiones: *Vsus habitus, adest voluntati cùm vult: volitio, adest voluntati cùm vult.*

*Comment in 3. de anim. text. 18. D. Tho. 1. 2. q. 50. art. 5.*

*Iansen. l. 5. de Hæresi Pelag. c. 19.*

5. Nam ex Augustino: Voluntas, seù volitio adest Adamo cùm vult, sicut, & nobis; sumpsit enim Adamus ex visis, quę non habuit in potestate, quòd voluit; quid ergò est volũtatem adesse Adamo cùm vult? Non aliud, quàm esse in Adami potestate, voluntatem illam nõ adesse, nec dissentiente Jansenio; vel vt Augustinus ait *esse in potestate Adami visa sumere, vel respuere*; si ergò volitionem adesse Adamo cùm vult: est ita adesse, vt possit non adesse, cùr volitionem adesse nobis, cùm volumus; non debet intelligi, non necessariò nobis adesse; sed ita adesse, vt sit in nostra potestate non adesse? ¶ Vrgetur: Gratię sanitatis vsum esse in potestate Adami, est Adamum, ita vti gratia pro ut vult, quòd in sua potestate habeat, vt deserat gratiam, & illa non vtatur; ita Jansenius, dum constituit, gratiam sanitatis determinationi voluntatis Adæ subiectam; si ergò hæc Phrasis, *gratia sanitatis vtitur Adamus cùm vult*; explicat Adamum posse non vti illa gratia,

*Aug. lib. 3. de Lib. Arb. cap. 25.*

*Iansen. lib. de gratia primi hominis, c. 14. & 15.*

ſeù nulla neceſsitate eſſe adſtrictum ad vſum gratiæ, cùr hęc loquutio: *Voluntas, ſeù volitio adeſt nobis cùm volumus*; non declarabit nulla neceſsitate eſſe nos adſtrictos ad exiſtentiam volitionis, ſeù eſſe in noſtra poteſtate volitionem non eſſe?

83 Dico tertiò; dum aſſerit Auguſtinus: *Voluntas eo ipſo, quòd voluntas eſt, libera eſt. Per ly voluntas, non intelligitur omnis volitio, ſed ſolùm illa, quæ procedit à voluntate, cùm indifferentia poteſtatis ad oppoſitum.* Prob. 1. ex Auguſt. Voluntas eſt libera eo ipſo, quòd voluntas eſt, quia eo ipſo, quòd voluntas eſt in noſtra poteſtate; & adeſt nobis volentibus, ſeù cùm volumus; ſed vt voluntas ſit in noſtra poteſtate, & adſit nobis, cùm volumus, non ſufficit, quod ſit volitio, ſed exigitur, quod ſine neceſsitate fiat, ita vt ſit in noſtra poteſtate non velle, & quod ita adſit, vt poſsit non adeſſe, vt conſtat ex præiactis concluſionibus; ergò vt voluntas ſit libera non ſufficit, quod ſit voluntas, ſeù volitio, ſed debet eſſe volitio à voluntate, ſine neceſsitate proveniens.

2. Quia Auguſtinus in toto illo libro de Libero Arbitrio, motum voluntarium contraponit naturali, cui neceſsitas dominatur: & vocat voluntarium motum, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono, ad diſtinctionem motus naturalis, quo lapis movetur deorſum, quia lapis non poteſt cohibere ſuum motũ; verba Auguſtini ſuprà tradidi; ergò Auguſtinus per voluntatem, ſeù voluntarium motum non intelligit omnem volitionem, ſed illam, cui nulla dominatur neceſsitas, & quàm voluntas cohibere poteſt. *In hac ſect. à num. 81.*

3. Quia manifeſtum eſt Auguſtinum in libro illo de Libero Arbitrio pugnare contra Evodium, & in libro de Civitate contra Ciceronem, qui ex præſcientia Dei fixam, & inevitabilem neceſsitatem in noſtris actibus *Vide n. 6.* iuducebant; nec enim in illorum mẽtem venit, quòd præſciẽtia Dei pugnet cum eo, quòd volitio ſit volitio, ſolùm incompoſsibilia iudicabant, Deum eſſe præſcium peccaturum eſſe hominem, & non eſſe neceſsè vt peccet, ſeu non eſſe peccati fixam, & inevitabilem neceſsitatem: & exindè cum preſcientia, non conciliabant Deum iuſtè peccata punire: Argumentumquè Evodij de peccato, etiã primi hominis procedebat, ſic enim diſputat: *Quapropter ſi præſcibit Deus peccaturum eſſe primum hominem, neceſsè erat id fieri, quòd futurum eſſe præſciebat Deus: quo modò eſt igitur voluntas libera, vbi tàm inevitabilis apparet neceſsitas?* Sicq; diſputationem Evodius auſpicatur: *Quo modò fieri poſsit, vt & Deus ſit præſciùs omnium futurorum, & nos nulla neceſsitate peccemus?* *Aug. lib. 3. de Lib. Arb. cap. 2. Aug. ibidẽ.*

Inquiro ergò: vel Auguſt. dum impugnat Evodium, & Ciceronem, intendit preſcientiam Dei non inferre, quòd volitio fiat cum fixa neceſsitate, ac perindè, Adamum nec nos aliqua neceſsitate peccare, vel ſolùm contendit præſcientiam Dei non impedire, quòd volitio noſtra ſit volitio, ſeù exiſtens ſine coactione; ſi primum. Sed Auguſtinus aſſumptum convincit, ex eo, quòd præſcientia Dei non pugnat, ſed potiùs infert noſtram voluntatem; quòd nec Janſenius renuit; ſic enim ediſſerit: *Cùm enim ſit præſciùs voluntatis noſtræ, cuius eſt præſciùs, ipſa erit. Voluntas ergò erit, quia voluntatis eſt præſciùs.* Ergò Auguſt. per voluntatem non intelligit omnem motum voluntatis, ſed volitionem ſine neceſsitate. ¶ Si ſecundùm (quod intendit Janſenius) eſt, quòd Auguſtin. in illa diſputatione convincit. Primò: Argumentum Evodij, Auguſt. non refelleret, ille enim ex preſcientia non inferebat volitionem non eſſe volitionem, ſed volitionem cum neceſsitate fieri; vndè tota illa diſputatio- *Aug. lib. 3. de Lib. Arb. c. 3. in fine.*

ne

ne hostes, nec vinceret, nec læderet.

¶ Secundò: Quia non exponeret, qualiter cum Dei præscientia conciliaretur primum hominem verè peccare, & iustè ob peccatum puniri, quia ad peccatũ primi hominis exigitur volitio omnem necessitatem excludens, etiam iuxtà Jansenium: imò nec Augustin. demonstraret, qua iustitia Deus puniat peccata hominis lapsi, quæ futura esse præscibit, quia etiam iuxtà omnes, non renuente Jãsenio, non solùm coactio, sed etiam simplex necessitas, quæ ortum duceret ex Dei præscientia cum peccato pugnaret.

*Iansen. l. 4. de statu naturæ lapsæ, cap. 14.*

84 Vltimo deniquè: assumptum evidentèr demonstrat: quod Augustinus voluntatem, de qua eddisserit in illo libro de Libero Arbitrio, nunquàm opponit violentiæ, sed necessitati, sed voluntas necessitati opposita, nequit esse quælibet volitio etiam necessaria, & inevitabilis, sed volitio evitabilis, quæ sit à voluntate cùm potestate ad oppositum; ergò D. Augustinus per volũtatem non intelligit omnem volitionem, quamvis necessariam. Min. ex terminis nota: & Mai. ex ipso Augustino clarè convincitur, sic enim proponit disputationem: *Hoc nè times, vt aut Deus futurorum præsciùs impiè negetur, aut fateamur non volũtate, sed necessitate peccari.* Respondet Evodius: *Nihil interim aliud.* Et ait Augustinus: *Res ergo vniversas, quarum Deus est præsciùs, non volũtate, sed necessitate fieri putas?* Et rursus repetit: *Nonnè igitur caves, nè tibi dicatur, etiam ipsum quæcũq; facturus est, non voluntate, sed necessitate facturum, si omnia quorum Deus præsciùs est necessitate fiunt, non voluntate?* Et infrà: *Si enim necessè est vt velit, vndè volet, cùm voluntas non erit?* Ergò Augustinus loquitur de voluntate, vt necessitati opposita.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 3.*

Vt ergo hęc notio voluntatis percipiatur, præ oculis est habendũ, quòd voluntas potest considerari, vt *natura*, quędam est; vel formaliter, vt *voluntas*; quos conceptus ita mirificè exponit Doctor Angelicus: *Sciendum est, quòd in rebus ordinatis opportet primum modum includi in secundo, & in secundo inveniri, non solùm id, quòd sibi competit secundùm rationem propriam, sed quod competit secundùm rationem primi, sicut homini convenit, non solùm ratione vti, quòd ei competit secundùm propriam differentiam, quæ est rationale, sed vti sensu, vel alimento, quod ei competit secundùm genus suum, quod est animal, vel vivum. Natura autẽ, & voluntas, hoc modo ordinata sunt, vt ipsa voluntas quædam natura sit, quia omne, quod in rebus invenitur, natura quædam dicitur. Et ideò in voluntate opportet invenire, non solùm id, quod voluntatis est, sed etiam, quod naturæ est: hoc autem est cuiuslibet naturæ creatæ, vt à Deo sit ordinata in bonum, naturalitèr appetẽs illud. Vndè, & voluntati ineſt, naturalis, quidam appetitus sibi conveniẽtis boni. Et præter hoc habet appetere aliquid, secundùm propriam determinationem, non ex necessitate, quòd ei competit in quantum voluntas est.* Et S. Doctor asserit à voluntate vt natura, etiam removendam esse necessitatem coactionis, vndè à voluntate, vt voluntas est, omnem necessitatem excludit etiam non coactivã.

*D. Th. q. 2. 2. de volunt. artic. 5.*

¶ Hanc differentiam in modo operandi voluntatis, vt naturæ, à voluntate, vt voluntas, tradit etiam Div. Thomas in plurimis alijs suæ doctrinæ locis: illamquè vsurparunt Ecclesiæ PP. qui cum Arrianis confixerunt. Interrogantibus enim, an nolens, aut volens Pater genuerit Filium? S. Epiphanius respondebat: *Neque volentem, neque nolentem genuisse, sed in natura.* Quia vt ait S. Cyrillus: *Quæ ex natura prodeunt, neque velle, neque nolle admittunt;*

*D. Th. 1. p q. 41. artic. 2. & q. 2. de Potent. art. 3.*

*S. Epiphan. Hæres. 64.*

*S. Cyril. Thesauri 7.*

*in rebus verò, quæ extrà nos, & in noſtra poteſtate ſunt, aut volumus, aut nollumus.* Docetquè D. Thomas Spiritum Sanctum naturalitèr procedere, quia non procedit per voluntatem, vt voluntas eſt: *Quia omne, quòd ſic procedit, poſsibilè eſt eſſe, vel non eſſe, & omne increatum neceſsè eſt eſſe.* Sicquè D. Athanaſius negat: *Eſſe bonum adeſſe Deo ex voluntate; quia ſi ex voluntate; ergò ante oculos patet, cum incepiſſe bonum eſſe, ac fieri poſſe, vt non ſit bonus.* Eccleſiæ ergo PP. non ſu nunt voluntatem in illa ampla ſignificatione, qua comprehendit omnem volitionẽ, ſed illam, quæ procedit à voluntate, vt voluntas eſt, & vt libera eſt, ac perindè, quando non eſt neceſsè illam eſſe, ſed eſt poſsibilè, ſeù in poteſtate voluntatis non eſſe.

*D. Tho. q. 2. de Pot. art. 3. in corp.*

*D. Athan. orat. 4. contra Arrianos.*

Sicquè exponendi ſunt: D. Damaſcenus, qui dicit: *Arbitrij libertas nihil aliud eſt, quàm voluntas.* D. Anſelmus, qui ait: *Ex libertate fit, quòd fit ex voluntate.* D. Bernardus, qui ſic ediſſerit: *Ibi ergò conſenſus, vbi voluntas: porrò vbi voluntas ibi libertas.* Loquuntur enim de voluntate, vt voluntas eſt: non vt natura eſt, quia vt voluntas habet velle ſecundùm propriam determinationem, non ex neceſsitate.

*D. Damaſc. lib. 3. fideic. 14.*

*D. Anſelm. de Concord. cap. 2.*

*D. Bern. de Grat. & Libero Arbit.*

Lux huius Angelicæ Doctrinę tenebras omnes Janſeniſmi depellit: ſciat Janſenius nomine voluntatis, non omnem volitionem comprehẽdi, ſed illam, quæ ſine ſimplici neceſsitate à volũtate procedit; & vt exẽplo Angelico vtar; licèt homo ſecũdùm propriam differentiam ſit rationalis, non omnis actus hominis eſt actus rationis, ſed ſolùm ille, qui procedit ab homine, vt homo eſt, nõ verò ſi ab ipſo egreditur, vt animal eſt; ita licèt voluntas ſecundùm propriam differentiam libera ſit, nõ omnis volitio libera eſt, ſed ſolùm illa, quę procedit à voluntate, vt voluntas eſt; non vt natura eſt. Hoc enim eſt proprium *voluntatis, in quantum voluntas*, (aſſerit Doct. Sanct.) *quod ſit domina ſuorum actuum*, non ergo ſemper voluntas cùm hoc dominio vult, quia illud cuius Domini ſumus poſſumus velle, & non velle, & ita dum operatur, vt voluntas, non ex neceſsitate aliquid vult.

*D. Tho. q. 22. de verit. artic. 4.*

*Div. Th. ibi ſolut. ad vlt.*

## SECTIO DECIMA.

*Teſtimonia S. Thomæ, quæ Ianſeniani obijciunt, ex ipſo S. Doct. exponuntur, & D. Thomam libertatem voluntatis à libertate arbitrij diſtinguere; demonſtratur.*

85 LIcèt tàm evidentibus Angelici Doctoris teſtimonijs veritas Catholica noſtræ cõcluſionis in diſcurſu huius quæſtionis ſit comprobata, imò cum D. Thomæ aſſertum, in quo Hæreticam vocat ſententiam, quæ ſtatuit, homines licèt non cogi ex neceſsitate eligere, & Philoſophorum iudicio damnatam proſcribit, demonſtrare ipſius S. Doctoris rationibus, ſuſcipimus: Adhùc tamen ſuo errori S. Doctorem patrocinari, Janſeniani vociferantur: ad quod confirmandum plura teſtimonia adducunt, quæ ad duas claſes reduci poſſunt: In prima colocandæ ſunt ea, in quibus S. Doctor affirmat neceſsitatem non coactivam, ſed naturalem, non repugnare libertati voluntatis: In ſecunda ea, in quibus videtur aſſerere hominem eſſe liberi arbitrij, per libertatem à coactione.

Inter primæ claſis teſtimonia, principem locum tenet, quòd deſumitur ex quęſt. de potentia; vbi ſic aſſerit: *Ad quintum dicendum, quòd naturalis neceſsitas ſecundùm quàm voluntas aliquid ex neceſsitate velle dicitur, vt fœlicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Auguſt. docet in 5. lib. de Civit. Dei. Libertas enim voluntatis, violentiæ, vel coactioni opponitur. Non eſt autem violen-*

*D. Th. q. 10. de Pot. art. 2. ad 5.*

*lentia, vel coactio in hoc, quòd aliquid secundùm ordinem suæ naturæ movetur, sed magis in hoc, quòd naturalis motus impeditur: sicut cum impeditur grave nè descendat ad medium. Vndè voluntas libere appetit fœlicitatem, licèt necessariò appetat illam. Sic autem & Deus sua voluntate libere amat seipsum, licèt de necessitate amet seipsum. Et necessarium est, quod tantùm amet seipsum, quantùm bonus est; sicut autem intelligit seipsum, quantùm est. Libere ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter; sed ex necessitate.*

D. Th. q. 22. de verit. artic. 5. in 3. arg. sed cõt.

Eandem Doctrinam tradit Doct. S. alijs in locis; dum enim aliquando sibi opponeret: *Libertas opponitur necessitati; sed voluntas est libera, ergò non de necessitate aliquid vult.* Ita respondet: *Ad tertium dicendum, quòd libertas secundùm Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Alibiquè sic format idem argumentum:

D. Thom. 1. p. q. 8. art. 1.

*Dicit Augustinus quod si aliquid est necessarium, non est voluntarium, sed omne, quòd voluntas appetit, est voluntarium; ergò nihil est necessariò desideratum.* Sicquè respondet: *Ad 1. D. quod verbum Augustini est intelligendum de necessariò necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis.*

Hæc testimonia continuò crepant Jansseniani, & semper in ore habent: *Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis, & libertas*, secundùm August. & Thom. *opponitur necessitati coactionis, non naturalis inclinationis*: libertas enim voluntatis, violentiæ, vel coactioni opponitur, triumphumquè canunt illis verbis: *Voluntas libere appetit fœlicitatem, licèt necessariò appetat illam.* Vndè libere agere non pugnare cùm necessariò agere, statuitur, & quod appetitus fœlicitatis licèt necessariò fiat; libere tamen fit.

86 M. Gonet primo respondet: Quod quando S. Doctor ait, quod naturalis necessitas non aufert libertatem voluntatis, loquitur de libertate *potentiæ*, non de libertate *actus*; vndè solũ intẽdit, quòd etsi voluntas eliciat aliquos actus necessarios; etiã elicit alios actus liberos; non verò, quia in eodem actu possit libertas cũ necessitate coniungi. ¶ Sed licèt verum sit, & traditum à D. Tho. *Quod voluntas quandoquè dicitur ipsa potentia, qua volumus: quandoquè autem ipse voluntatis actus.* Et nihil sit notius apud D. Thomam, quòd licèt voluntas, aliquid ex necessitate appetat, non tamen omnia, quæ vult ex necessitate vult. Tamen in his testimonijs, D. Thom. necessitatem naturalem cum libertate actus videtur coniungere, specialitèr, dum asserit: *Quod voluntas libere appetit fœlicitatem, licèt necessariò appetat illam.*

*Gon. disp. 2. de Voluntario libero §. 6.*

*D. Thom. 1. 2. q. 8. art. 2.*

*D. Thom. 1. p. q. 82. art. 1. & 2. 1. 2. q. 10. art. 1. & q. 22. de vit. artic. 5. & 6.*

87 Vndè 2. respondet adducendo expositionẽ Caietani, qui sic explicat locum 1. p. *In responsione ad primum nota, quod cum dicitur, quòd necessitas naturalis non aufert libertatem, potest benè & malè intelligi. Malè quidem si intelligatur, quod necessitas naturalis tàm obiectivè, quàm elicitivè stat cum libertate illius; hoc enim non est intelligibilè. Benè verò intelligendo, quòd naturalis necessitas actus quoad specificationem, seù obiectivè, non aufert libertatem eiusdem: quia stat, quòd libere eliciatur.* Non enim opponuntur, voluntatem necessariò, quoad specificationem velle beatitudinem, & libere quoad exercitium.

*Caiet. in 1. p. q. 82. art. 1. in resp. ad 1.*

Hęc etiam doctrina vera est, & expressa N. Angelici Doctoris, sic enim edocet: *Homo ex necessitate appetit beatitudinem. Dico autem ex necessitate, quantùm ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum, non autem quoad exercitium actus, quia potest aliquis non velle tunc cogitare de Beatitudine, quia etiam ipsi actus intellectus, & voluntatis*

*D. Tho. q. 6. de electione, seù lib. arb. artic. vnico in corp.*

*tatis particulares sunt.* Sicquè eandem veritatem expresiùs concipit, loquendo de bono perfectò beatitudinis: *Quod voluntas non potest non velle, ita scilicèt, quod vellit eius oppositum: potest tamen non velle actu, quia potest avertere cogitationem Beatitudinis, in quantum movet intellectum ad suum actum, & quantũ ad hoc, nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult. Sicut etiam aliquis nõ ex necessitate calefieret, si posset calidum à se repellere, cum vellet.* Vbi etiam Jansenianum dogma confutat; cum appetitum beatitudinis constituat à necessitate liberum, quatenus potest voluntas non velle actu beatitudinem, avertendo beatitudinis cogitationem; vbi per indifferentiam potestatis exponit voluntatem, adhùc erga beatitudinem, non ex necessitate agere.

*D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 2. in corp.*

Idem docet Doct. S. dum inquirens: *An voluntas movetur ex necessitate à suo obiecto?* Sic respondet: *Quod voluntas movetur dupliciter; vno modò quoad exercitium actus, alio modò quoad specificationẽ actus, quæ est ex obiecto: primò ergo modò voluntas à nullo obiecto ex necessitate movetur: potest enim aliquis de quocumque obiecto non cogitare, & perconsequens, neque actu velle illud.* Statim sub infert, à bono beatitudinis volũtatem necessariò quoad specificationem moveri, quia non potest velle oppositum; vndè Doctor S. asserit, non esse electionem perfecti boni, quod est beatitudo, quia *ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle, non esse beatus, aut miser*, vbi primo noto: volitionem necessariam non esse electivam iuxtà Doct. S. & ita à sua mente sumè distare Jansenianum errorem.

*D. Th. 1. 2. q. 13. art. 6. in corp.*

¶ Secundò: necessitatem voluntatis erga beatitudinem non probari, quia voluntas non potest non velle beatitudinem; quia hęc esset necessitas, quoad exercitium actus; sed exponi, quia homo, nec potest velle non esse beatus, aut miser; in quo sola necessitas quoad specificationẽ, seù determinationem actus exprimitur. ¶ Tertiò adverto: hanc potestatem voluntatis ad non velle beatitudinem, non inducere, beatitudinem ipsam, quæ est vniversale bonum, sub electione voluntatis, quia electio non est de fine, sed de medijs; tantumquè constituere sub electione, & dominio voluntatis, ipsum actũ volitionis beatitudinis, qui actus est particulare bonum.

Hæc ita diffusè ex D. Tho. proposui, vt demonstrem, quàm facilè evanescat locus ille Augustini, de quo Jansenius post Calvinum gloriatur, & ex quo colligunt August. docere libertatem cum simplici necessitate conciliari; cum enim diceret Pelagius: *Voluntatis arbitrio, ac deliberatione privari quidquid naturali necessitate constringitur.* Sic Augustin. respondet: *Et hìc nonnulla quæstio est. Per quam enim absurdum est, vt ideò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omninò nolle non possumus, nescio, qua, & bona constrictione naturæ.* Quam sententiam sic alibi profert M. Pater: *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nollimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Rectè enim docet August. voluntatem beatitudinis esse liberam, licèt nec possimus nolle beatitudinem, nec possimus velle miseriam; necessitate quidem quoad specificationem, & determinationem actus; sed hoc non ideò est, quia omnimoda necessitas cum vera libertate concordet; sed quia cũ hac necessitate possumus, non velle beatitudinem, quàm non possumus nolle, & possumus, non nolle miseriam, quàm non possumus velle: sic fallaciam Calvini, ante exortum Jansenij, detegit Bellarminus.

*August. de natura, & gratia, c. 46*

*August. in Enchyr. cap. 105.*

*Bellarm. lib. 3. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 6.*

Hæc

Hæc verò doctrina non est sufficiens ad exponendum testimonium Angelicum, quòd exagitamus; dum enim ait Doctor S. *Voluntas libere appetit fœlicitatem, licèt necessariò*; non fuit, quia necessitas quoad speciem nõ pugnat cum libertate exercitij; sed quia *necessitas naturalis, secundùm quàm voluntas, vult fœlicitatem, libertati voluntatis non repugnat.* Et hoc ideò: *Quia libertas voluntatis violentiæ, vel coactioni opponitur.* Si ergò necessitatem cum libertate voluntatis concordat, quia non opponuntur; adhùc intrà idem genus possunt simul subsistere.

Quòd confirmant exempla Div. Thomæ: *Deus libere amat seipsum licèt de necessitate, & Spiritus Sanctus libere procedit à Patre, sed ex necessitate.* Sed amor, quo Deus se amat, est necessarius quoad speciem, & exercitium, & similiter processio Spiritus S. est omninò necessaria; ergò Doctor S. non solùm conciliat libertatem quoad exercitium, cum necessitate quoad speciem, sed omnimodam necessitatem, cum libertate componit.

88 Vndè respondendum est solutione illa, qua Controversistæ Calvino eundem locum pro sua opinione confirmanda adducente, satisfaciunt, vt apud Guillelmum Estiũ, & Bellarminum, conspicitur. ¶ Summa ergò solutionis est, quod Doctor S. libertatem *voluntatis*, à libertate *arbitrij* distinxit; libertati *voluntatis* solùm opposuit coactionem, quia hæc libertas in voluntario, seù spontaneo consistit, seù in eo, quòd actus libenter fiat; & hanc libertatem cum necessitate naturali componit, in appetitu beatitudinis, amore Dei respectu sui ipsius, & processione Spiritus Sancti: Ad libertatem verò *arbitrij* semper exigit, indifferentiam potestatis pugnantem non solùm cũ violentia, sed etiam cum necessitate; ita communiter Doctores.

*Estius in 2. dist. 2. Bellarm lib. 3. de Libero Arb. cap. 6.*

*Decamps, l. 3. disp. 2. c. 21. Gonet vbi sup. in solut. 3. Ferre in 1. 2. tr. 3. q. 6. art. 12.*

Quàm doctrinam alijs verbis expono iuxta mentem Div. Thomæ. ¶ Primò; libertas voluntatis, vt *natura* est solùm excludit coactionẽ, & cum necessitate naturali coniungitur; libertas verò voluntatis, vt *voluntas*, etiam cum necessitate pugnat: *Quia appetere aliquid non ex necessitate ei competit in quantum voluntas est.* ¶ Secundò: quod voluntas potest considerari, vt *intellectualis* potestas, vel vt *rationalis*: vt intellectualis, potest aliquid naturaliter velle, & correspondet intellectui primorum principiorum, & ideò necesse est, quòd sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principijs, ita voluntas ex necessitate inhęreat vltimo fini, qui est beatitudo: & hoc modò libertas voluntatis cũ sola coactione pugnat; voluntas autem vt rationalis potestas, correspõdet rationi, & *ratio circa contingentia habet viam ad opposita*, ex Divo Thoma; vndè libertas voluntatis, vt rationalis potestas, non solùm excludit coactionem, sed etiam necessitatem naturalem: quę doctrina est ex D. Thoma transcripta.

*D. Th. q. 22. de verit. art. 5. verb. sunt allata, n. 84.*

*D. Th. 1. p. q. 83. art. 1. verba sunt allata, nu. 15.*

Et hanc esse manifestam Divi Thomę mentem, sic efficacitèr colligo: D. Thomas cùm simplici necessitate libertatem voluntatis componit. Sed ad libertatem arbitrij simplicem necessitatem excludit; libertas ergò arbitrij, & libertas voluntatis, apud Div. Thomam distinguntur. ¶ Min. Prob. 1. in generali: voluntas per liberum arbitrium est domina suorum actuum, & eos habet in potestate, sed hoc dominium voluntatis non solùm excludit *violentiam, sed etiam determinationem virtutis ad vnum*, apud D. Thomam, in qua determinatione consistit necessitas; ergò. ¶ 2. Agere est in libertate arbitrij nostri, quatenus est in nostra potestate, sed agere est in nostra potestate, secundùm D. Thomam, *quia est in nostra potestate non agere*, &

*D. Th. 1. p. q. 82. art. 1. in corp. & ad 2.*

*D. Thom. 1. cõtra gent. c. 68. verba sunt allata, n. 74. D. Tho. lect. 1. in lib. 3. Ethycor. c. 5. relatus, nu. 79.*

hoc

hoc est agere non esse necessarium; ergò agere solùm est in nostra potestate, quatenus non est necessarium. ¶ 3. Quia hoc expressè à D. Thoma docetur, dum inquit: *Proprium liberi arbitrij est electio. Ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimus, quod possumus vnum recipere alio recusato, quod est eligere.* Et alibi clariùs tradit: *Quod liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu.*

D.Th.1.p.q. 83.art.3. in corp.

D.Th.1.p.q. 19.art.10.

Probatur Min. illa in particulari, & primo de appetitu beatitudinis: D. Thomas libertatem voluntatis cũ necessitate conciliavit erga beatitudinem, sed D. Thom. nunquàm edocuit libertatem arbitrij in beatitudinem; ergò. Prob. Min. 1. quia ita expressè Doctor S. *Non enim ad liberũ arbitrium pertinet, quòd volumus esse fœlices, sed ad naturalem instinctum.* ¶ 2. quia vt ex D. Thom vidimus, proprium liberi arbitrij est electio, sed ex ipso D. Thoma: *Electio cum non sit de fine, sed de his, quæ sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo.* Ergò. ¶ 3. ex D. Thom. *Appetitus vltimi finis non est de his, quorum Domini sumus.* Sed sumus Domini actuum pertinentium ad libertatem arbitrij; ergò. ¶ Sed quid in exploranda mente Doctoris S. immoror, si clarissimè hanc distinctionẽ expressit, vt exponeret, qualiter cum necessitate volitionis beatitudinis sit ad illam libertas; sic affatur: *Sicut de primis principijs non iudicamus ea examinantes, sed naturaliter eis assentimus, & secundùm ea, omnia alia examinamus, ita, & in appetibilibus de fine vltimo nõ iudicamus iudicio discussionis, vel examinationis; sed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio; sed voluntas. Habemus ergo respectu eius liberam voluntatem, cùm necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet secundùm August. 5. de Civit. Dei; non autem liberum iudicium propriè loquendo, cùm non cadat sub electione.* Non potuit manifestiùs distinguere liberam voluntatem à libero iudicio erga beatitudinem; nec expressiùs negare appetitum beatitudinis esse electivum, & liberi arbitrij.

D. Tho. vbi suprà.

D. Tho. 1.2. q.13. art.6.

D.Th.1.p.q. 82.art.1.ad 3.

D.Th.q.24. de Lib. Arb. art.1.ad 20

Probatur 2. Min. in particulari de amore Dei erga seipsum; & Deũ non habere liberum arbitrium ad amorem sui; est manifestum in Div. Thoma, sic enim edocet: *Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem vellit; alia verò non ex necessitate, respectu illorum, quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet.* S. hęc duo principia D. Thomæ coniungis, Deus ex necessitate suam bonitatem vult, sed Deus habet liberum arbitrium respectu eorum, quę nõ ex necessitate vult; evidenter inferes; ergò respectu suæ bonitatis non habet Deus liberum arbitrium.

D.Th.1.p.q. 19.art.10.

Appertissimum testimonium est etiam, vndè Doct. S. probat liberum arbitrium in Deo, sic enim loquitur: *Oportet dicere in Deo liberum arbitrium inveniri, & similitèr in Angelis. Non enim ipsi ex necessitate volunt, quidquid volunt.* Vbi causam libertatis arbitrij assignat non ex necessitate velle. ¶ Alibi verò ita edisserit: *Deus tanquàm proprium finem naturalitèr vult suam bonitatem, nec potest non velle eam. Sed quia ad bonitatem eius ordinari possunt diversi modi, & ordines rerum, voluntas eius non sic fertur ad vnum in suis effectibus, quin quantum est de se possit ferrè in aliud, & secundũ hoc competit Deo libertas arbitrij.* Vbi manifestè edocet S. Doctor Deo competere liberum arbitrium in ordine ad suos effectus, qui ad manifestationem suæ bonitatis ordinantur, non in ordine ad suam bonitatẽ, quàm naturalitèr vult, & non potest non velle: & ideò vt rectè post Bellarminum obsservavit Mag. Ferre, quod

D.Th.q.24. de Lib. Arb. artic. 3.

D.Th.q.16. de malo artic. 5.

Bellarm. vbi sup. Ferre 1.2. q.6. f.12.

quod D. Thom. In disputatis Spiritũ Sanctum *libere procedere*, in suma à vocabulo libertatis abstinens dixit Spiritum S. procedere *per modum voluntatis*, vt explicaret amorem, seu processionem Spiritus S. non esse liberam libertate arbitrij, sed solùm libertate, quę in perfectò voluntariò consistit: qui hæc attentè conspexerit appertè inspiciet, quantùm distet à Jansseniano errore Angelicum lumen Ecclesiæ.

*D. Thom. 1. p. q. 81. art. 2. ad 3.*

## ADDITIO.

89 HAnc distinctionem libertatis *voluntatis* à libertate *arbitrij*, vt eruditè à nobis ex mente D. Thomæ demonstratam laudat SS. Palanco. Sed Doctor Rios, mihi amicissimus, scripsit non attingere, qualiter illa Doctrina de differentia voluntatis, vt *natura*, & vt *voluntas* illic adducatur, cùm distinguamus libertatem *voluntatis* à libertate *arbitrij*, simulquè asseramus libertatem voluntatis, vt *voluntas*, excludere necessitatem, sicut libertas arbitrij: Sed doctrinam illam adduximus, & adducimus, vt necessariam ad mentem Angelicam percipiendam: quia & distinguit voluntatem, vt *natura*, & ita necessitatem non excludit; & vt *voluntas* qualiter cum necessitate pugnat; similitèr etiam dividit voluntatem, vt *voluntas*, & ita necessitatem non excludit; & vt *arbitrium* qualiter cum necessitate pugnat; quę in D. Tho. nullatenus, nec in me opponuntur, sed mens S. Doct. declaratur, quia in eius phrasi, *voluntas*, vt contraponitur arbitrio sumitur vt *natura*: & *voluntas*, vt contraponitur naturæ sumitur vt *arbitrium*: vndè si inquiras; voluntas ex mente D. Thom. excludit necessitatem? Resp. Si voluntas contraponitur sibi ipsi, vt *natura* excludit necessitatẽ; quia ita sumpta est arbitrium: si verò voluntas contraponitur sibi ipsi, vt *arbitrium* non excludit necessitatem, quia ita sumitur vt *natura*.

*Palanco de Fide, q. 10. num. 79. Rios de Libertate ad fidem, disp. 1. dub. 2. nu. 140.*

## SECTIO VLTIMA.

*Idem assumptum prosequitur, & quod dum D. Thomas libertatem arbitrij per exclusionem coactionis exponit, per coactionem, non solùm violentiam, sed necessitatem intelligere, appertè convincitur.*

90 TEstimonia secundæ classis, quæ ex D. Thoma desumunt Jansseniani sunt ea, in quibus arbitrij libertatem docet coactionẽ excludere; sic enim affirmat: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest.* Vbi non solùm libertatem voluntatis, sed etiam libertatem arbitrij per exclusionem coactionis exponit; & alibi ita edisserit: *Ad 3. dicendum, quod homo peccando, liberũ arbitrium dicitur perdidisse, non quantùm ad libertatem naturalem, quæ est à coactione, sed quantùm ad libertatem, quæ est à culpa, & à miseria.* Vbi affirmare videtur libertatem à coactione esse libertatem naturalem per peccatum non extinctã.

*D. Thom. 2. sent. d. 22. q. 1. artic. 4.*

*D. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3.*

Sed his testimonijs etiam Calvinistæ perperam abvtebantur, vt liberum arbitrium sola coactione deleri confirmarent; apud Estium, & Bellarminum, sed Catholici genuinam S. Doctoris mentem clarissimè exposuerunt: vndè omissa solutione M. Ferre, qui D. Thom. exponit, licèt intelligatur de coactione stricta pro violentia: communis, & vera solutio est D. Tho. in his, & alijs locis, in quibus idem indicat, non sumere coactionem proùt dicit violentiam, sed etiam necessitatem, vndè idem est in phrasi D. Thom. liberum esse arbitrium, quia non cogitur, ac quia non necessitatur.

*Estius, & Bellarm. vbi sup.*

*M. Ferre in 1. 2. q. 6. sect. 5. tract. 3.*

Et 1. super testimonium ex sententiarijs deductum audiamus P. Nicolai; sic illud annotantem: *Quis nõ meritò indignetur hæc tantum prima verba tam fraudulentèr à Iansenio*

*P. Nicol. in notis marginalibus, tomo 8.*

*nio vsurpari, vt libertatem soli coactioni, non etiam necessitati oppositam, velut ex mente S. Thomæ concludat? Audeatque interim subiungere, quod in eadem distinctione hoc sæpiùs repetat S. Thomas? Nec duplicem coactionem, tàm expressè hìc indicatam, & expressiùs explicatam anteà, vel tenuitèr insinuet; ex qua peremptoriè non eius tantum error, sed perfidia convincatur: cùm superiùs art. 2. tàm apertè dixerit S. Doctor inferiores, quidem vires cogi subiectivè, quia violentiam pati possunt; & intellectum cogi obiectivè, quia necessariò assentitur; sed neutro modò voluntatem, quia in eius potestate remanet eligere, vel non eligere: ò fiduciam Ianſenianam?*

*D. Thom. in hoc loco.*

Ratio hæc evidenter convincit, quòd apud Doctorem S. arbitrium non cogi, sit non necessitari, seù retinere facultatem ad oppositum; sic enim addit immediatè post verba argumenti: *Coactio autem (vt priùs dictum est) est duplex; vna compellens, & alia inducens, vel impellens: hoc autem est essentiale, & naturale libero arbitrio, vt sufficienter non cogatur coactione compellente.* In artic. verò secundò, vbi exponit, quid sit coactio sufficiens; asserit, quòd vires animæ organis affixę coguntur subiecto, intellectus tamen compellitur obiecto, *quia vi demonstrationis cogitur*; sicquè subdit: *Voluntas autem neque subiecto cogi potest, cùm nõ sit organo affixa, neque obiecto: Quãtumcumque enim aliquid ostendatur esse bonum, in potestate eius remanet eligere illud, vel nõ eligere.* Vbi postquam exponit, quod in his, quæ ad vltimum finem, nil est adeò malum, quod non habeat permixtum bonũ; sic concludit: *Vndè quantumcumque ostendatur bonum, vel malum, semper potest adhærere, & fugere in contrarium, ratione alteriùs, quòd in ipso est. Et inde est, quòd in omnibus, quæ sub electione cadunt, voluntas libera manet; in hoc solo determinationem habens, quòd fœlicitatem naturalitèr appetit.*

*D. Thom. 2. sent. dis. 22. artic. 4. in corp.*

Non potuit D. Thomàs graviorem plagam Jensenij dogmati imponere, quàm in hoc testimonio: asserit, coactionem compellentem non posse convenire arbitrio ex obiecto, sicut convenit intellectui, quia vi demonstrationis cogitur, sed intellectus vi demonstrationis, non cogitur per violentiã, sed per necessitatem; ergò per coactionem compellẽtem, repugnantem arbitrio, non intelligit violentiam, sed necessitatem. ¶ 2. Voluntas non cogitur obiecto, quia est in potestate eius, quodlibet bonũ eligere, vel non eligere, sed coactio, quę per hanc indifferentiam potestatis excluditur; est necessitas; ergò, ¶ 3. Fœlicitatem naturalitèr appetit voluntas, & sic circa illam patitur coactionem compellẽtem, secus verò circa ea, quæ sub electione cadũt; ergò (1) fœlicitas non cadit sub electione, & sic non omnis actus voluntatis est electivus; ergò (2) D. Tho. per coactionem compellentem intelligit necessitatem, non violentiam, quia voluntas erga fœlicitatem, violentiam non patitur. ¶ 4. In omnibus, quæ sub electione cadunt potest voluntas iuxtà D. Thom. adhærere, & fugere in contrarium, sed quæ sub electione cadunt subsunt libero arbitrio, & ad ea, quæ voluntas potest adhærere, & fugere nulla necessitate opprimitur; ergò necessitatem, & nõ solùm violentiam Doctor S. à libero arbitrio excludit.

91 Sed duo possunt opponi: 1. Sic enim ibi edisserit de libero arbitrio Doctor S. *Deus potest quidem immutare, sed non cogere; eo modò, quo dicitur non posse facere, vt duo contradictoria sint simul.* Sed Deus potest cogere voluntatem necessitando, & solùm implicat, quod illam cogat violentiam inferendo, vt ex D. Thom. suprà notavimus; ergò D. Thom.

*D. Tho. ibi. art. 2. ad 3.*

*D. Th. ibi artic. 4. in corp. sup. n. 61.*

Thom. per coactionem, quàm removet à libero arbitrio, non intelligit neceſsitatem, ſed violentiam. ¶ 2. Doctor S. loquitur de libertate à coactione: *Quæ non augetur, nec diminuitur*; ſic enim expreſsè aſſerit; ſed libertas à violentia ſolùm nõ augetur, libertas verò à neceſsitate augeri poteſt, & minui, imò ex eo colligebamus ex Tridentin. libertatem à neceſsitate non eſſe extinctã, quia hęc libertas per peccatum fuit infirmata, & attenuata; ergò Doct. S. per libertatem à coactione, non intelligit libertatem à neceſsitate, ſed violentia.

*Sup. nu. 68.*

Sed 1. Replica confundit voluntatem, cum libero arbitrio: D. Tho. ſemper docuit, quòd Deus poteſt voluntatem neceſsitare, & poteſt ſine contradictione coniungere volũtarium cùm neceſſariò; ſecus verò cùm violento: Deus verò, nec violentum, nec neceſſarium poteſt coniungere cum libero, ſicut enim implicat voluntarium eſſe violentum, ita repugnat liberum eſſe neceſſariũ; vndè rectè docet Div. Thom. Deum nõ poſſe cogere arbitrium, licèt coactionem pro neceſsitate vſurpet; quia ſi Deus neceſsitaret voluntatẽ, vt certum eſt poſſe, actus ille voluntarius eſſet, ſed non ſub electione, aut dominio libero voluntatis. ¶ Et D. Thom. coactionem pro violentia ſumere dum repugnare volũtati docet, & coactionem pro neceſsitate, dum in hoc articulo impoſsibilem eſſe libero arbitrio affirmat, clarum erit, ſi rationes inſpiciamus: quia coactionem repugnare voluntati, ex eo probat, quod volitio eſt voluntatis inclinatio, & implicat, quod voluntas nollit velle dũ vult, vt ſuprà vidimus; vndè quia repugnat voluntatem velle contra ſuam inclinationem eſt impoſsibilis coactio, vndè ſumit coactum pro violẽto, quod eſt contra inclinationem: Coactionem verò eſſe impoſsibilem libero arbitrio ex eo convincit in hoc articulo, quia eſt: *In poteſtate arbitrij quodlibet bonum eligere, vel non eligere, poteſt adhærere, vel fugere in contrarium.* Sed huic indifferentiæ poteſtatis opponitur neceſſarium, vt patet; ergò coactum pro neceſſariò opponit libero arbitrio.

*Num. 61.*

Ad 2. replicam reſp. Libertatem à neceſsitate infirmari, & attenuari, non quia cum coactione compellente, ſeu ſimplici neceſsitate poſsit cõiungi: *Quia* (ait Doct. S.) *liberum arbitrium nũquàm ita vincitur paſſionibus peccati, vt ad peccandum compellatur, quia iam ei in peccatum non imputaretur.* Sed eſt infirmum, quia poteſt coniungi cum coactione impellente, & inducente, quæ nullã neceſsitatem inducit, & ideò, proſequitur S. Doctor: *Liberum arbitriũ dicitur ſubiectum peccato, in quantũ ex peccato inclinatur ad peccandum, ſicut à diſponente, non ſicut à compellente*; quę libertas, *à diſpoſitionibus ſecundùm diverſitatem actuum, & habituum variatur*, quia poteſt, *inclinari ad agendum aliquid per aliquas diſpoſitiones, & habitus, ex quibus pronior efficitur ad eligendum alteram partem.* Hæc omnia D. Th.

*D. Thom. 2. ſent. diſt. 15. art. 4. ad 4.*

*D. Thom. vbi ſuprà.*

*D. Thom. vbi ſup. ad 1.*

*D. Tho. vbi ſup. artic. 2. in corp.*

92 Nec mirum eſt, quod Doct. S. coactionem ſumeret pro neceſsitate antecedenti, quia Eccleſiæ PP. in eodem ſenſu coactionem vſurparunt, vt eruditione ſolita probat P. Ripalda ſatis difuſe; & conſtat ex Cyrillo Hieroſolymitano ſupra adducto: & in eodem ſenſu accepit Auguſtin. coactionem illo libro tertio de Libero Arbitrio, ſicut enim voluntatem accepit in ſenſu ſtricto pro volitione ab omni vinculo neceſsitatis ſoluta, & coactionem pro neceſsitate accepit, vt opponitur voluntati, vt voluntas; & hoc clarè cõſpicitur in illis Auguſt. verbis: *Deus neminem ad peccatum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cùr ergò non iudicet iuſtus,*

*P. Ripald. adv. Baian. lib. 2. diſp. 14. Seſſ. 11. & 12.*

*Div. Cyrill. allatus, nu. 71.*

*Aug. lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 4.*

ſtus, quæ ſic ri non cogit præſciùs? Et ly (*non cogit*) idem debet eſſe apud Auguſt. ac *non neceſsitat*, quia ſi neceſsitaret Deus præſciùs, licèt violentiam non induceret, adhùc apud Janſenium, non iudicaret iuſtus.

Et quod D. Thom. coactionem communiter pro neceſsitate vſurpet: & per libertatem à coactione neceſsitatem excludat, ſuadetur 1. quia ita ediſſerit: *Dicendum, quòd libertas in ſui ratione negationem coactionis includit, omnis autem privatio diſtinguitur ſecundùm ea, quæ privantur; vndè ſecundùm ea, quæ cogere poſſunt, vel impedire opportet libertatis diſtinctionem ſumi, vt autem prius dictum eſt, duplex eſt coactio, quædam perfecta, quæ quidem ſimpliciter coactio dici poteſt, & quædam, quæ eſt imperfecta, quæ potiùs impulſio, quàm coactio dicitur; ſi ergò conſideretur libertas, ſecundùm quod removetur perfecta coactio ſic erit libertas à coactione, & à neceſsitate, quæ quidem per ſe, & ſemper liberum arbitrium conſequitur; vndè in littera dicitur, quòd in omnibus invenitur, ſine qua peccatum imputari non poſſet.* En expreſſum Div. Thomæ teſtimonium, vbi per libertatem à coactione aſſerit intelligi libertatem à neceſsitate, & hanc eſſe propriam liberi arbitrij, ſine qua peccatum imputari non poteſt, & poſteà in eodem articulo aſſerit Div. Thom. habitus, & paſsiones aliquo modò cogere, & tamen ſolùm inclinant, quantò magis propriè cogere dicetur, quod neceſsitat?

*D. Thom. 2. ſent. diſt. 25 q. 1. art. 5. in corp.*

*D. Thom. in corp. art.*

93 Vltimo adduco illuſtre Div. Thom. teſtimonium, in quo nullus eſt Janſenianis tergiverſandi locus; ſic enim docet: *Ad ſecundùm dicendum, quòd in ſcientia duo poſſunt cõſiderari, ſcilicèt, ipſe aſſenſus ſcientis ad rem ſcitam, & conſideratio rei ſcitæ, aſſenſus autem ſcientiæ non ſubijcitur libero arbitrio, quia ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciã demonſtrationis, & ideò aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius, ſed conſideratio actualis rei ſcitæ ſubiacet libero arbitrio, eſt enim in poteſtate hominis conſiderare, vel non conſiderare, & ideò conſideratio ſcientiæ poteſt eſſe meritoria, ſi referatur ad finem charitatis.* In quo aureo loco multa præpondero. ¶ 1. *Sciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis*, & tamen in hoc nullam patitur violentiam, quia non eſt à principio extrinſeco, nec paſſo non conferente vim; ergò D. Thomas ly *coactum* non ſumit pro eodem, ac violentum, ſed pro eodem, ac neceſſarium. ¶ 2. ex eo, quòd ſciens cogatur *aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius*, ſed non cogitur ex violentia, ſed ex neceſsitate; ergò ad meritum non ſufficit non violentum, ſed exigitur non neceſſarium. ¶ 3. Conſideratio ſubiacet libero arbitrio, quia *eſt in poteſtate hominis conſiderare, vel non conſiderare*; ergò vt aliquid libero arbitrio ſubiaceat exigitur poteſtas indifferentiæ ad vnum, & alterum. ¶ 4. Conſideratio ſcientiæ poteſt eſſe meritoria, quia eſt in poteſtate hominis conſiderare, vel non conſiderare; ergò ad meritum exigitur hæc indifferentia poteſtatis erga actum. ¶ Vltimo, quia aſſenſus ſciẽtiæ caret indifferentia ſciens cogitur ad illum, ſed quòd careat indifferentia, non probat quod ſit violentum, ſed quod ſit neceſſarium; ergò Div. Thomas non ſumit coactum pro violento, ſed pro neceſſariò.

*D. Thom. 2. 2. q. 2. artic. 10. ad 2.*

Ex quibus omnibus ita concludo; ſicut D. Thomas aliquando aſſerit aliquid eſſe meritorium, quia liberum à coactione, ita hìc aſſerit aſſenſum ſcientiæ non eſſe meritoriũ, quia coactum, ſed coactionem, quàm ponit repugnantem meritò non eſt coactio, quæ ſit violentia, ſed quæ ſit neceſsitas; ergò libertatẽ à coactione, quàm adſtruit ſufficientẽ ad meritum, non eſt libertas à violentia, ſed à neceſsitate.

*D. Thom. in 3. ſent. diſt. 18. art. 2. ad 5.*

AD-

## ADDITIO.

94 NOvissimè ad manus meas pervenit Tractatus de Libertate ad meritum anno currente excussus, à perdocto Doct. D. Eusebio de los Rios in Vniversitate Cõplutensi Primario Scoti Professore, & meæ, olim Magistralis Ecclesiæ Thesaurario, in quo cum hanc conclusionem: *Non adest libertas ad meritum, vbi non est libertas à necessitate*, vt fide certam fundat; Postea pro vltimo Corolario, hęc dolens lego: *Vltimo collige*: *Conclusionem à nobis propugnatam à num.* 4. (& quã ibi diximus esse de Fide) non esse de Fide, si loquatur de omni merente, sed tantum, vt intellecta de homine in statu naturæ lapsę; quia de hoc dumtaxàt loquitur Innocentius X. in sua contra Jansenium Bulla, per Alexandrum VII. confirmata; & iuxtà quam loquuntur Theologi celebriores nostri temporis, dum dictam conclusionem, tanquàm de Fide, statuunt.

*Doct. Rios in tract. de Libertate ad meritum disp. 1. dub. 1. Ibi. num. 78 fol. 234.*

Quapropter Christus Dominus (dum fuit in statu merendi) Sancti Angeli (dum in via extiterunt) nostri Parentes (in sua innocentia ante primum peccatum,) & Beata Virgo MARIA (ab statu naturæ lapsæ omninò immunis) non sunt subiecta merentia, de quibus fatur prędicta doctrina; & sic, si aliquis diceret, quòd per actus strictè purè spõtaneos meruerunt, non se opponeret nostræ fidei. Licèt per hoc non asseramus talia merentia ita meruisse; sed solùm intendimus declarare, quid *dicit nostra conclusio, dum exprimit esse de fide id, quod ipsa dicit, & hæc de hoc dubio.*

95 Sed hoc falsissimum est, est enim fide certissimum, in omni merente esse necessariam libertatem à necessitate ad meritum, & demeritum; vndè vt ab Adamo in statu innocentiæ, seù ante lapsum incipiam, si quis diceret, meruisse per actus purè strictè spontaneos, manifestè se opponeret nostræ fidei.

Nec obest fundamentum, in quo innititur assertum, ita difficilè, scilicèt, quod Innocentius X. in sua contra Jansenium Bulla ab Alexandro VII. confirmata dumtaxàt loquitur de *statu naturæ lapsæ*, vndè de natura hac Theologi celebriores nostri temporis loquuntur, dum libertatẽ à necessitate exactam ad meritum, vt certum de fide statuunt. P. Non inquam obest; quia Bulla Innocentij X. fuit contra Jansenij sententias in libro, cui titulus *Augustinus*, vulgatas, ex quo fuisse desumpta illa dogmata fluminibus obtrita, declaravit Alexander VII. Theologi celebriores nostri temporis, vel Jansenium oppugnant, vel, si mavis, Lutherum, aut Calvinum errorum nostri sæculi Hæresiarcas; illorum tamen error fuit *per Adæ peccatum fuisse amissum, aut extinctum liberum arbitrium*; vndè Calvinus, Lutherus, & Jansenius vt fide certum supponebant; hominem in statu innocentiæ esse liberum à necessitate ad meritum, & demeritum, in hocquè cum Catholicis conveniebant; Catholici igitur Hęreticorum impugnatores libertatem à necessitate in statu innocentię non propugnant, sed cum Hæreticis supponunt, vt libertatem à necessitate in statu lapsus contra ipsos, vt Orthodoxam fundent; nec Innocentius X. dum Jansenij errores damnat, debuit damnare, non esse libertatem à necessitate in statu innocentiæ, quod esse Hęreticum fatebatur Jãsenius; vndè verisimè scripsit P. Patel illa verba Constit. Innocẽt. *in statu naturæ lapsæ*; nõ esse *restrictiva*, sed *ampliativa*; quasi diceretur, *etiam in statu naturæ lapsæ*, quòd patet ex scopo Pontificis ibi damnantis Jansenium, qui docebat in statu naturæ *integræ fuisse libertatem à necessitate*.

*P. Patel in Synopsi, p. 3. cap. 7.*

Jan-

Jansenium, libertatem à necessitate in statu innocentiæ desiderasse ad meritum, & demeritum; constat ex tota hac quæstione; idem de Calvino, & Luthero adductis à Soto, & Bellarmino dedimus manifestum, versando illud Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, &c.* vbi ex August. *Appertissimè exprimitur liberum humanæ voluntatis*, à necessitate quidem ad meritum, & demeritum *arbitrium*: quod nec Hæretici nostri temporis negant, sed asserũt Sacrum textum loqui de primo homine, vt constat ex illis verbis: *Deus ab initio constituit hominem*, quòd appertissimè convincit etiam P. Decamps, ex Calvino, Chamiero, & Vvilleto; ex quibus ait hanc solutionem Jansenistas sumpsisse; alibi disputat cum Vincentio Lenis, qui Jansenij solutionem defendit, de *homine*, scilicèt, *tantum stante, & recens à Deo creato*, verba Ecclesiastici esse interprætanda; quia Author Hypognostici, si non Augustinus, totus tamen Augustinianus, hunc locum de primo homine interprætatur; & quia D. Thomas ait: *Dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in Hypognosticon, verbum illud, intelligitur de homine, secundùm statum naturæ integræ, quando nondum erat servus peccati, vndè poterat peccare, & non peccare.*

*Suprà num. 18.*

*Decamps, lib. 1. disp. 2. cap. 6.*

*Decamps, lib. 2. disp. 2. cap. 7.*

*August. Hypognost. lib. 3. cap. 2.*

*D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 8. ad 3.*

Sed impugnat hanc solutionem cum omnibus Controversistis, quos ibi designat, non vexari Calvinistas, & Jansenistas à Catholicis, quod illum Ecclesiastici locum homini innocenti accomodent; sed quod ad vitiatum pertinere nolint; & ita impugnavimus solutionem illam suprà; vndè difficultatis cardo in eo est positus; an ad lapsos quoque pertineãt verba Ecclesiastici? Certissimum igitur est, ex illo Sacro testimonio in homine innocente esse libertatem à necessitate exactam ad meritum, & demeritum, ita vt nec Hæretici nostri temporis reclament.

*Suprà à nu. 19.*

96 Addo, si quis diceret, quod per actus purè, & strictè spontaneos in statu innocentię homo potest peccare manifestè se opponeret nostræ fidei; ergò, & qui diceret, quod per actus purè, & strictè spontaneos in statu innocentiæ, homo posset mereri manifestè se opponeret nostræ fidei. Antec. constat 1. ex illa propositione in Baio damnata: *Homo damnabiliter peccat in eo, quod necessariò facit*; ergò nec in statu innocentiæ esset peccatum necessarium. Secundò: Quia hoc principium fidei: *Deus impossibilia non iubet*; est verùmetiã in statu innocentię; & idem est necessarium esse peccatum, ac impossibilè esse præceptum. Tertiò, quia peccatum inevitabilè esse impossibilè ex terminis, manifestũ fecimus. Conseq. verò probatur: Quia ex Sacra Scriptura, & SS. Patribus, non minus exigitur ad meritum libertas à necessitate merendi, quàm ad peccatum libertas à necessitate peccandi, vt cõstat ex testimonijs adductis.

*Propos. 67. in Baio damnata.*

*Trident. Sess. 6. cap. 11.*

*Suprà à nu. 73.*

*Suprà à nu. 71. & 77.*

97 Vndè esse de fide, libertatem à necessitatè esse exactam ad meritũ Christi, & Angelorum, supposuit Gonet, & de Christi meritò consule Illust. Godoy, vbi in 1. impugnatione asserentium Christi meritũ per actus purè, & strictè spontaneos, ita concludit: *Ergò asserere liberum à sola coactione, etsi necessariò factum, esse liberum absolutè, & sufficienter ad meritum, est à Pontificibus damnatum.* Et rectè quidem in damnatione illius propositionis: *Libere fit, quòd voluntariè fit, etiam si necessario fiat.* Quia vt superiùs arguebam, sensus propositionis damnatæ; nequit esse, quòd voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, *libere fit à coactione*; quia hoc est verisimum, voluntarium enim, licèt sit necessarium, est liberum à coactione; neque sensus, propositionis damnatæ, potest esse; quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat.

*Gonet. de meritò, art. 2. Sess. 1. Godoy, disp. 48. Sess. 7.*

*Propos. 39. in Baio damnata. Sup. nu. 69.*

fiat, *libere fit à necessitate*; quia hoc ita ex terminis, est evidenter falsum, vt in mentem Baij non venerit, quis enim seriò diceret: *Necessarium est liberum à necessitate.* Sensus, ergo, indubitabilis propositionis damnatę, est; quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, libere fit, *libertate vera arbitrij, seù sufficienti ad imputabilitatem meriti, aut demeriti.*

D. Tho. sup. num. 64.

Additquè; ex illo vulgari D. Th. vbi de opinione asserentium voluntatem sine coactione omnia necessariò eligere; ita iudicat: *Hæc autem opinio est Hæretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus, non enim videtur esse meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* Addit, inquam, Illust. Godoy: *Quæ ratio vniversalis est, & omnes hominis status comprehendit.* Hæreticum igitur est, esse meritorium actum purè, & strictè spontaneum in omni statu hominis; non enim est meritorium, quod ex necessitate fit, ita vt vitari non possit.

Lorca 3. p. disp. 72. n. 3.

M. Lorca referens affirmantes ad meritum Christi, non exigi libertatem contradictionis, sed sufficere, vt actio sit libera, quod sit actio voluntatis, & voluntaria; scripsit: *Sed hanc doctrinam reiecimus 1. 2. neque secundùm fidem admitti debet: quoniam nullum est meritum, vbi non est libertas indifferentiæ.* Eandem sententiam, vt omninò falsam, improbabilem, & contra fidem reijcit P. Suarez, consule P. Decamps, & RR. Thyrso, adversus P. Rosende, Mag. Ferre impugnantem ipsum P. Rosende, & P. Esparça.

Suarez, t. 1. in 3. p. disp. 37. sect. 2. conc. 1. & 2.

Decamps de Her. Iansl. lib. 3. disp. 2. cap. 14.

Thyrso, t. 1. disp. 17. sect 18. s. 10. & 16.

Ferre, tract de Voluntario, q. 6. à sect. 8. vsque ad 16. specialiter à num. 710.

98 Deniquè; ad meritum Angelorum, etiam exigi libertatem à necessitate; & ex indè Angelos per actus purè, & strictè spontaneos; non potuisse mereri; ita esse certum, vt qui contrarium assereret, se opponeret nostræ fidei: Constat 1. quia hìc Author in suo perdocto libro de Iudicio indifferenti, nobiscum supponit esse certum de fide in Angelis esse arbitrium liberum à necessitate, & hęc veritas fidei solùm ex merito Angelorum, & demerito; colligi potest, vndè debet esse de fide meritũ, & demeritum non potuisse esse in Angelis, nisi per actus arbitrij à necessitate liberos; & ideò rectè scripsit Zumel exponens articulum, in quo Div. Thom. inquirit: *Vtrùm in Angelis sit liberum arbitrium? Conclusio est affirmativa, & de fide. Quia in Angelis, secundùm fidem est meritum, & demeritum præmiũ, & pœna.* Et rectè (inquam,) quia Deus iustus, & pius nequit remunerare actus purè, & strictè spontaneos, seù necessarios, sicut nec punire; quia hoc principium fidei: *Deus impossibilia non iubet*; est verissimum pro omni subiecto, & pro omni statu.

P. Esparça de Incarnat. q. 33. art. 1. Rios de Iudicio indiff. q. 1. num. 1.

Zumel in 1. p. q. 59. artic. 3. D. Tho. ibi.

Vltimo omnia comprehendo hoc syllogismo: Nullum est meritum, nisi per actum liberi arbitrij; in eo enim solùm potest esse obsequium remuneratione dignum, seù ius ad pręmium; sed solùm actus à necessitate liber, est actus liberi arbitrij; vt eruditione solita convincit Bellarminus; ergò solùm in actu à necessitate libero potest esse meritum.

Bellarm. lib. 3. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 5.

99 De Sanctissima Deipara; non est specialis difficultas: disputant Theologi: An in ipsa fuerit potentia peccandi, seù libertas contrarietatis? Aliqui negant, specialitèr in secunda eius sanctificatione, pro qua sententia stat D. Thom. Et in hac sententia debet discurri de merito SS. Virginis, sicut de merito Christi, quia post hoc fuit supremum; non ergò habuit illud meritum, quo laudatur, *qui potest transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; nec per actus purè, & strictè spontaneos meruit, sed per actus arbitrij à necessitate liberos, libertate contradictionis; alij verò concedũt SS. Virgini potentiam peccandi, quia hęc

D. Tho. in 3. dist. 3. p. 3. q. 3.

Eccles. 31.

hæc auferri non potuit, nec per perfectiſsimam gratiam ipſi præ Angelis collatam, nec per donum perſeverantiæ, ſeù confirmationis in bono, vt iudicare videtur D. Thom. & in hac ſententia SS. Deipara meruit per actus liberos libertate contrarietatis: In nulla tamẽ ſentẽtia per actus purè, & ſtrictè ſpontaneos potuit mereri SS. Virgo: ſicut nec Chriſtus.

*D. Thom. q. 24. de veritate, art. 9.*

100 In huius ſingularis opinionis confirmationem, cuius Author videtur P. Roſende, ſolùm opponi poteſt: D. Thom. teſtimonium, quod vocat planè invincibilè (niſi dicamus S. Thomam erraſſe, & non intellexiſſe libertatis eſſentiam.) Ita enim in ſe opponit: *Naturalibus non meremur, quia ſunt determinata ad vnum; ſed liberum arbitrium Chriſti erat determinatum ad bonum: ergò Chriſtus non meruit per liberum arbitrium.* Huic argumento reſpondet Angelicus Magiſter per hęc verba: *Dicendum, quòd liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad vnum ſecundùm numerum, ſed ad vnum ſecundùm genus, ſcilicèt ad bonum; quia in malum non poteſt; ſed tamen hoc poteſt facere, & non facere: & hoc non excludit libertatem arbitrij, quia poſſe peccare, nec eſt libertas arbitrij, nec pars libertatis, vt dicit Anſelmus. Et hæc quidem determinatio ex perfectò* (forsàn ex perfectione) *liberi arbitrij contingit, ſecundùm quod per habitum gratiæ, & gloriæ terminatur in eo, ad quod eſt naturalitèr ordinatum, ſcilicèt in bono: quia liberum arbitrium quamvis in nobis ſe habeat ad bonum, & ad malum, non tamen eſt propter malum, ſed propter bonum. Vel dicendũ, quod ſi etiam eſſet determinatum ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt: tamen ex hoc non amittit libertatẽ, aut rationem laudis, ſivè meriti, quia in illud non coactè, ſed ſpontè tendit: & ita eſt actus ſui dominus.*

*Roſende de Iuſt. orig. diviſ. 13. num. 162. pag. 117.*

*D. Thom. in 3. Sent. diſt. 18. art. 2. ad 5.*

Vbi ex illis verbis: *Vel dicendum, &c.* videtur clarè colligi, libertatem à coactione in Chriſto ad meritum diligendi Deum ſufficere; quia 1. admittit determinationem in Chriſto ad vnum numero, quàm in priori reſponſione negaverat. 2. ait, hanc determinationem nihil officere libertati, aut merito. 3. Rationem ſubijcit indè petitam, quòd hęc determinatio non impediat quominùs ſponte agat, & non coactè.

Hoc D. Thomæ teſtimonium in ſui erroris patrocinium adduxit Calvinus apud Guillelmum Eſtium, & eius fautores opponunt apud Ruiz, eundem locum importunè opponere Janſenium, docet P. Decamps; ſed hoc teſtimonio minimè obſtante, vt certum de fide, aſſerunt eſſe in Chriſto libertatem à neceſsitate, & non ſolùm à coactione, Iſambertus, Peſantius, & Cabrera, apud P. Decãps.

Multiquè ex Scriptoribus Catholicis vtriuſquè Scholæ de hoc teſtimonio tractant, vt Angelicum Eccleſię lumen ab infami Janſeniſmi nota liberum pugnent: illud explicant ex Jeſuitis P. Decamps, P. Ruiz, P. Annatus, RR. Thyrſo, & alij. Ex Thomiſtis de hoc teſtimonio tractãt Ill. Godoy, M. Ferre, Lemos, & noviſsimè P. Bolibar.

101 Sed vt hæc authoritas exponatur, quę vt ait Ferre Crux Theologorum facta eſt ob ſui ingentem difficultatem omiſsis explicationibus, quas facilè eſſet reijcere; dico illa verba Angelici Doctoris: *Tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem meriti, quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui Dominus.* Non ſic explicari debere, quaſi ad libertatem, & meritum dicat ſufficere carentiam coactionis ſtrictę, ſed per ly *non coactè*, idem intelligit, ac ſine violentia, & neceſsitate. Primò, quia multis probabimus apud D. Thom. *cogere* accipi pro *neceſsitare*; vndè nõ coactè,

*Eſtius in 2. diſt. 24.*
*Ruiz de Scientia, diſp. 45. ſect. 4.*
*Janſenius, lib. 6. de Gratia Chriſti, cap. 24.*
*Decamps, lib. 3. diſp. 1. cap. 21.*
*Decamps, vbi ſup.*
*Ruiz vbi ſupra.*
*P. Annatus de Libertate incoacta, pag. 236.*
*Thyrſo, diſp. 17. ſ. 16.*
*Godoy vbi ſuprà.*
*Ferre de Volunt. q. 6. ſ. 14.*
*Lemos, t. 2. tract. 5. cap. 12.*
*Bolibar de Merito Chriſti, dub. 1. cap. 3.*
*Suprà a. n. 92.*
*D. Thom. 1. contr. gent. cap. 68.*
*D. Tho. in 3. Sent. diſt. 12. q. 2. artic. 1. ad 2.*
*D. Tho. ibi ad 3.*

ctè, idem erit in Phraſy D. Th. ac non neceſſariò. Secundò, quia ex eo, quòd arbitrium non coactè tendit, infert D. Sanctus: *Et ita eſt actus ſui Dominus*: Et nil certiùs apud Div. Thomam, quàm *Dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in eius poteſtate eſt velle, vel nõ velle, excludere determinationẽ virtutis ad vnum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis.* ¶ Tertiò, & vrgentius, quia Doct. Sanct. in corpore illius articuli, numerans requiſita ad meritum, aſsignat, his verbis: *Secũdùm eſt, ex comparatione agentis ad actionem, vt videlicèt ſit Dominus ſuæ actionis, aliàs per actionem ſuam non dignificatur ad aliquid habendũ: nec laudatur; & ideò ea, quæ agunt per neceſsitatem naturæ, vel etiam per violentiam, non merentur*: Vbi ad laudem, & meritum expoſcit *Dominium actionis*, & excludit non ſolùm *violentiam*, ſed etiam *neceſsitatem*; ergò dum in eodem articulo ait, *non amittit rationem laudis, aut meriti*, quia arbitrium *non coactè tẽdit, & ita eſt actus ſui Dominus* per ly *non coactè* excludit *violentiam, & neceſsitatem*. Nè Doct. Sanctus in ſolut. ad 5. manifeſtè contradicat corpori articuli.

*D. Th. 1. cõtra gent. c. 68.*

Et in eodem ſenſu eſt exponendus Angelicus Præceptor cum ad verificandam libertatem in Chriſto ad excluſionem coactionis recurrit. Ita ait: *Quamvis removeatur à Chriſto potentia peccandi, non tamen ponitur coactio, quæ voluntariò contrariatur, & laudis rationem tollit.* Et infrà: *Impotentia coactionis, quæ opponitur voluntariò, tollit rationem meriti, & demeriti*: in ijs enim teſtimonijs, ſicut vſurpat voluntarium pro libero, ita coactionem, non ſolùm accipit pro violentia, ſed etiam pro neceſſitate.

*D. Tho. in 3. ſent. diſt. 12 q. 2. art. 1. ad 2. D. Tho. ibi. ad 3.*

102 Sed in illa ſecunda ſolutione; laudem, libertatem, & meritum Chriſti; componere Doct. Sanct, cum neceſsitate, per ſolam excluſionem coactionis; duo vrgentiſsimè probare videntur. Primum, quia D. Th. in prima ſolutione docet liberum arbitrium Chriſti eſſe determinatũ ad vnum, ſecundùm genus, ſcilicèt ad bonum, cum impotentia ad malum, ſalvat verò meritum per indifferentiam contradictionis, quia *bonum poteſt facere, & non facere*; ergò vt ſolutio ſecunda Doctoris Angelici, aliquid diverſum importet à prima, quia ſi hoc ita nõ eſſet per illud, *vel dicendum*, aut nos deciperet, aut ignorantèr loqueretur, S. Thom. interprætandus eſt, vt meritum ſtatuat cum neceſsitate, & abſque contradictionis indifferentia.

Secundùm. Quia D. Thom. aſſerit; arbitrium Chriſti non amittere libertatem, aut rationem meriti, ex eo, quòd ſit determinatum ad vnum numero, *ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt*. Ergò expreſsè coniunxit meritum cum neceſsitate; & abſque contradictionis indifferentia; Patet Conſeq. Quia quod arbitrium non poteſt non facere, neceſſariò facit; ſi enim indifferens eſſet, poſſet facere, & poſſet non facere.

103 Reſpondeo, quod D. Sanctus, quando in ſecunda ſolutione admiſsit libertatem in Chriſto, & meritum, & quod eſſet *ſui actus Dominus, etiam ſi eſſet determinatum ad vnum numero*, intelligitur ad vnũ numero obiectum, non ad vnum numero actum; & in eo differt ſecunda ſolutio à prima, quia in prima docet, libertatem Chriſti, licèt eius arbitrium determinatum ſit *ad vnum ſecundùm genus, ſcilicèt, ad bonum, quia in malũ non poteſt, quia non erat determinatum ad vnum, ſecundùm numerum*. In ſecunda docet, meritum Chriſti, licèt arbitrium *ſit determinatum ad vnum numero*, obiectum quidem, quia adhùc *non coactè* tendit, hoc eſt, non neceſſariò; & ita eſt

*dominus ſui actus*, quia in illud numero obiectum, poteſt quemlibet actum exercere, vel ſuſpendere; in qua exercitij indifferentia ſtat ratio laudis, & libertatis ad meritum exacta; vndè infringitur ſecunda inſtantia.

Verùm enim eſt arbitrium Chriſti eſſe *determinatum ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quòd non facere non poteſt*, & exindè neceſſariò fertur in Deum, nec eſt Dominus obiecti; ſed eſt *Dominus, ſui actus*, quia facere nõ poteſt quẽlibet ex actibus, quibus fertur in Deum, & ſic in actu eſt libertas ad meritum ſufficiens, eſt enim excluſio neceſsitatis actus.

Aſſumptum ſolutionis fundatur primo: Quia non aliter conciliari poſſunt duo teſtimonia Div. Thomæ iam adducta; in quorum vno, ait: *Dominium, quod habet voluntas ſuprà ſuos actus, excludit determinationem virtutis ad vnum.* Et in alio, quod verſamur, aſſerit: arbitrium Chriſti eſt *Dominus ſui actus, etiam ſi ſit determinatum ad vnum numero*; niſi dicendo; Dominium actus excludere determinationem ad vnum numero actum, minimè verò excludere determinationem ad vnum numero obiectum.

Secundò: in illo D. Thomæ teſtimonio, vbi triplicem libertatem ſtatuit per excluſionem triplicis neceſſitatis; ita inquit: *Cùm autem voluntas dicatur libera, in quantum neceſſitatem non habet; libertas voluntatis in tribus conſiderabitur, ſcilicèt, quantum ad actum, in quantum poteſt velle, vel non velle; & quantum ad obiectum, in quantum poteſt velle hoc, vel illud, & eius oppoſitum; & quantum ad ordinem finis, in quantũ poteſt velle bonum, vel malum, ſed quantum ad primum horum, ineſt libertas voluntati in quolibet ſtatu naturæ, reſpectu cuiuslibet obiecti. Secundùm verò horum, eſt reſpectu quorumdam obiectorum, ſcilicèt, reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, & non ipſius finis, & etiam ſecundùm quemlibet ſtatum naturæ. Tertium verò non eſt reſpectu omnium obiectorum, nec reſpectu cuiuslibet ſtatus naturæ, ſed illius tantum, in quo natura deficere poteſt.* Ex hac doctrina D. Thomas proceſit, ſupponit in Chriſto nõ eſſe libertatem *quantum ad ordinem finis*; quia natura eius non *poteſt deficere*. In prima verò ſolutione ſtatuit libertatem Chriſti, quia non habet neceſsitatem *quantum ad obiectum*; quia poteſt hoc, vel illud amplecti; in ſecunda ſolutione, licèt non ſit in Chriſto libertas per excluſionem neceſsitatis quantum ad obiectum, eam ſtatuit per excluſionem neceſsitatis actus, cum indifferentia ad velle, & non velle per hunc actum; quia *hæc libertas ineſt voluntati in quolibet ſtatu naturæ, reſpectu cuiuslibet obiecti.* Et exindè ineſt voluntati Chriſti Beati reſpectu Dei, & in ordine ad diligendum Deum, & meritum dilectionis, quia Chriſtus erat Viator, & Beatus.

*D. Thom. q. 22. de verit. art. 6. in corpore.*

Hæc diffuſiùs, Deo favente, tractabimus, exponẽdo meritum Chriſti in actu Charitatis, pro nunc certum ſit, nunquàm Div. Thomam docuiſſe meritum Janſenianum, ſeù ſolùm à coactione liberum, & quod qui adſtrueret meritum, ſivè in Chriſto, ſivè in Angelis, ſivè in hominibus in ſtatu innocentiæ, per actus purè, & ſtrictè ſpontaneos; manifeſtè ſe opponeret noſtræ fidei,



QVÆS-

# QVÆSTIO TERTIA.

## AN LIBERVM ARBITRIVM SIT POTENTIA, AN SIT actiua, appetitiua, & realitèr distincta à voluntate?

### SECTIO PRIMA.

*Liberum arbitrium non est actus, nec habitus.*

*D.Th.1.p.q. 83.artic.2. & q.24.de verit.art.4. & 2. sent. dist.24.q.1. artic. 1.*

104 LIberum arbitriũ non esse actum docet D. Thomas plurimis in locis, quem sequuntur Scholastici omnes, Herbeo solo excepto, & probatur à S. D. quia licèt liberum arbitrium, si vis vocabuli attendatur, nominet actum, ex vsu loquendi tractum est, vt significet principium actus, cùm enim dicimus hominem esse liberi arbitrij, non intelligimus, quòd actu libere iudicet, sed quod habeat in se, vndè possit liberè iudicare; ergò liberum arbitrium non cõsistit in actu, sed in principio actus. ¶ Confirmatur ex D. Thoma, si liberum arbitriũ nominaret actum, non semper maneret in homine, quia homo potest cessare ab actu, & non semper libere iudicat, sed hoc absurdum videtur cõtra communem omnium sensum, & modum loquendi SS. PP. pluries repetitum à D. Bernardo, sic enim de voluntate loquitur: *Ipsam verò, quia impossibilè est de se ipsa sibi non obedire, etiam impossibilè est sua privari libertate.* Et infrà: *Voluntas pro sui ingenita libertate*; ergò liberum arbitrium non consistit in actu.

*Herbeus Quodlib. 1. quæst. 1.*

*D. Thom. 1. p.q.83. art. 2. ad 1.*

*D. Bernard. tractat. de Lib. Arbit.*

Confirmatur ex Suarez; si liberum arbitrium esset actus, vel esset actus liber, vel necessarius; si liber; ergò à principio libero, & sic supponitur libertas ante illum in potentia; si necessarius, quomodò erit in illo libertas? Quia si est intellectus, non dependet à voluntate, & sic non est liber, nec actus liberi origo, nisi applicativè; & si est volũtatis, quomodò ex se indifferens ad plura? Quod exigit libertas arbitrandi.

*Suarez disp. 14. Metaphys. sect. 5.*

Nec obstat si opponas 1. Augustinum asserentem: *Liberum arbitrium est vitalis animæ motus.* Vbi arbitrium expossuit per motum animæ, seù actum. ¶ 2. Quia iudicium ex Boëtio, est actus iudicantis, arbitrium idem est, quod iudicium; ergò est actus, nec id, quod additur, liberum extrahit arbitrium à ratione actus, quia actus liberi dicuntur, qui sunt in potestate agentis. ¶ Quia ad 1. respondet D. Thomas, quòd Div. Augustinus expossuit liberum arbitrium per actum, quia potentiæ cognoscuntur per actus, & sic illam prædicationem non esse essentialem, sed causalem. ¶ Ad 2. respondet etiam D. r S. quòd licèt liberum arbitrium nominet propriè actum, iam translatum est ad significandum principium actus, quod ex eo suadet, quia, cùm dicimus hominem esse liberi arbitrij non intelligimus, quòd actu libere iudicet, sed quod possit libere iudicare, nec incongruum est potentiam nomine actus significari, quod constat ex hac voce *intellectus*, quæ à Philosopho text. 21. Metaphysicæ, sumitur pro actu, seù cognitione indivisibilium, in qua non est verùm,

*Aug. lib. 3. Hypognost. non longè à principio.*

*D. Th. q. 24. de veri. art. 4. ad 12.*

*D. Tho. vbi sup. ad 13. D. Thom. vbi sup. in corp. D. Thom. 2. dis. 24. q. 1. a. 1. in corp.*

aut falſum. Text. 5. pro potentia intellectiva, & in 2. poſteriorum; habitum principiorum indemonſtrabilium, nominat intellectum.

105 Secundam partem concluſionis, ſcilicèt, liberum arbitrium non eſſe habitum; docet etiam Sanct. Thomas, plurimis in locis, quem ſequuntur ferè omnes Scholaſtici, licèt pro contraria ſententia referatur S. Bonaventura, illam probat D. Tho. ex Auguſtino, Bernardo, Anſelmo, & Magiſtro Sententiarum. Ex Auguſtino quatenus aſſerit; *gratiam eſſe in libero arbitrio, & illud perficere*; ſed vnus habitus non eſt ſubiectum alterius, habitus enim non eſt habitus, ſicut nec potentiæ potentia; ergò liberum arbitrium non eſt habitus. Ex Bernardo aſſerente: *Tolle liberum arbitrium non erit, quod ſalvetur, tolle gratiam non erit, vndè ſalvetur*; ſed id, quod ſalvatur eſt anima, vel animæ potentia, non habitus; ergò. Ex Anſelmo dicente: *Quod liberum arbitrium eſt poteſtas cõſervandi rectitudinem voluntatis propter ſe*, & ex Magiſtro aiente: *Illa animæ rationalis potentia, qua velle bonum, vel malum poteſt vtrùmque diſcernens, liberum arbitrium nuncupatur*: quibus adde, quòd ex D. Thoma, & Ariſtotele, vt ſuprà vidimus: *Habitibus vtimur, cùm volumus*, vndè vſus habitus eſt in libertate arbitrij, poſſe tamen vti, & non vti habitu, nequit eſſe per habitum, ſed per potentiam.

*D. Thom. in Summa, diſput. & ſent. vbi ſuprà.*
*D. Bonav. in 2. d. 25. art. 1. q. 4.*
*D. Tho. q. 24 de verit. ar. 4. in arg. ſed contra.*
*Aug. lib. 3. Hypognoſt.*
*D. Bernard. lib. de Grat. & Lib. Arbitrio.*
*D. Anſelm. de conc. gra. & Lib. Arbitr. cap. 1.*
*Magiſt. 2. ſent. d. 24. q. 2. ſect. 10.*
*Sup. nu. 82.*

Probat D. Thomas concluſionem duplici ratione, prima eſt, ſi liberum arbitrium eſſet habitus, eſſet habitus naturalis, quia naturale eſt homini, quod ſit liberi arbitrij, nec poſſet eſſe acquiſitus, medijs actibus neceſſarijs, aut liberis, quia illi non poſſunt libertatem acquirere, iſti verò debent libertatem ſupponere, ſed liberum arbitrium non eſt habitus naturalis; ergò. Probat min. ad ea, quæ habemus habitus naturales naturaliter inclinamur, vt patet in aſſenſu primorum principiorum, ſed ea, ad quæ naturaliter inclinamur non ſubſunt libero arbitrio, vt patet in beatitudine vt ſic; ergò. ¶ Vndè concludit D. Thomas, liberum arbitrium non eſſe habitum: non naturalem, quia naturalitèr ineſt, nec naturalem, quia opponitur libero.

*D. Th. 1. p. q. 83. art. 2. in corp.*

Si verò opponas rationi D. Thomæ; non eſt contra rationem liberi arbitrij, quòd ſit potentia naturalis; ergò nec quod ſit habitus naturalis, cùr enim libertati opponetur naturalitas habitus, & non naturalitas potentię? ¶ Reſpondet Caietanus, quod naturalitas, vel poteſt eſſe *adhæſionis* per hoc, quod aliquid naturalitèr ineſt, & hæc eſt propria potẽtiæ non repugnans libero arbitrio, vel eſt naturalitas *determinationis* ad vnum, hęc eſt propria habitus, & repugnans indifferentiæ liberi arbitrij. ¶ Sed adhùc eſt difficultas, cùr repugnat libero arbitrio eſſe habitũ naturalem, & non naturalem potentiam? Quia vtriuſquè naturalitas per adhęſionem libero arbitrio non repugnat, & vtriuſquè naturalitas per determinationẽ libero arbitrio opponitur. ¶ Reſpond. Quod habitus ſi eſt naturalis in adhæſione, cùm de ſua ratione ſit determinatio, erit in determinatione naturalis, & cum hęc naturalitas repugnet libero arbitrio, illi repugnat eſſe habitum naturalẽ, potentia verò de ſe eſt indifferens, vndè poteſt eſſe naturalis adhęſivè, & in determinatione libera, & ſic libero arbitrio non repugnat naturalitas potentię.

*Caietan. in 1. p. q. 83. art. 2.*

106 Secunda ratio D. Thomæ eſt; potentia ſe habet indifferentèr ad oppoſita, habitus tamen eſt determinatus ad vnum, quia ſi eſt virtus, nullus illa malè vtitur (effectivè, non obiectivè, quia de virtute ſupervire poſſumus) ſi eſt vitium; nullus illo benè vtitur (intelligitur etiam effectivè, qui enim vitia deſpicit benè operatur,) quod patet in omnibus vir-

*D. Tho. vbi ſup.*

virtutibus; sed liberum arbitrium est indifferens ad malè, vel benè eligendum; vt ait D. Augustinus: *Liberum arbitrium voluntatis est, quo benè, vel malè vivitur*; illo etiam meremur benè operando, de meremur faciendo malum, iuxtà illud: *Declina à malo, & fac bonum*; ergò liberum arbitrium non est habitus, sed potētia. Confirm. D. Thomas probat; caracterem esse potentiam, & non habitum, quia quis caractere potest vti benè, vel malè; ergò pariter.

*Aug. lib. 2. cont. Faustū cap. 5.*

*Psalm. 33.*

*D. Tho. 3. p. q. 63. art. 2.*

Sed contra hanc rationem Div. Thomæ opones: Scientia est virtus, & se habet indifferentèr ad bonum, & malum; ergò indifferentia liberi arbitrij ad bonum, & malum nō pugnat cum ratione habitus, & sic falsa erit maior D. Thomæ. ¶ Si dicas cum ipso Div. Thoma, quòd scientia non est virtus voluntatis in ordine ad verùm, & ita licèt possit quis scientia malè vti; non falso intelligere; vndè non est indifferens, vt potentia, sed determinata, vt habitus. ¶ Contra insurgo, opinio licèt secundū D. Thomam nō sit virtus intellectus est habitus intellectualis, & tamen se habet indifferentèr ad verùm, vel falsum, cùm intellectus per opinionem verò, & falso assentiatur; ergò indifferentia ad verùm, vel falsum, non opponitur habitui intellectus, & exindè, nec indifferentia ad bonum, & malum opponetur habitui voluntatis. ¶ Nec valet dicere, quòd licèt per opinionem assentiatur intellectus, falso est, vt probabilitèr verò, & sic opinionem esse habitum determinatum ad verùm. ¶ Quia contra est: hanc determinationem etiam convenire potentiæ, quia intellectus non potest assentiri adhùc per errorem falso, vt falso, sed vt apparentèr verò, sicut nec voluntas potest eligere malum, nisi vt apparentur bonū.

*D. Tho. q. 1. de Virtutib. art. 7.*

Quod argumentum vrgeo afferendo Div. Thomæ difficilè testimonium; sic asserentis: *Sed notandum, quòd habituum operativorum, aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi, aliqui verò quandoquè ad bonum, & quandoquè ad malum: sicut opinio se habet ad verùm, & ad falsum, virtus autem est habitus semper se habens ad bonum, & ideò vt discernatur virtus ab his, quæ semper se habent ad malum, dicitur, qua rectè vivitur, vt autem discernatur ab his, quæ se habent quandoquè ad bonum, quandoquè ad malum, dicitur, qua nullus malè vtitur.* Ex quo sic discurro 1. D. Thom. fatetur habituus operativos, qui se habent quandoq; ad bonum, & quandoquè ad malum; ergò indifferentia ad bonum, & malum non pugnat cùm ratione habitus; ergò non rectè colligit, liberum arbitrium non esse habitum, quia est ad bonum, & malum indifferens. ¶ 2. Quia Doct. S. hanc rationem illustrat, quòd sicut habitus opinionis est indifferens ad verùm, & falsum; ita potest dari habituus indifferens ad bonum, & malum. ¶ 3. Quia ratio, quę movet Doct. S. ad hanc distinctionē habituum inducendam, videtur efficax, si enim habitus nequit esse indifferens, si semel habitu rectè vivitur, nullus poterit illo malè vti, & sic illa particula, *qua nullus malè vtitur*, frustrà adderetur ab August. in definitione virtutis.

*D. Tho. 1. 2. q. 55. art. 4. in corp.*

Hanc difficultatem attingit Petrus Bergomensis, & intendit testimonia hæc D. Thomæ concordare, asserendo, *quòd idem habitus se habet ad vtrùmquè, non quidem per se, & directè semper, sed per abusum, vt habetur apud D. Thom. 2. 2.* ¶ Sed hæc solutio omninò ad rem nō est; Doct. enim S. in illo loco solùm asserit: *Quòd superbia corrumpit quamlibet virtutem in quantum scilicèt ex ipsis virtutibus sumit occasionem superbiendi*, vndè virtutibus apud D. Th. solùm potest quis malè vti per abusum obiectivè; & difficultas est, cùm

*Petrus Bergom. in Concordantijs, verbo habitus, dub. 692.*

*D. Tho. 2. 2. q. 162. art. 2. ad 3.*

D.

D. Tho. perpetuò doceat, quòd nullus poteſt malè vti virtutibus; vt principijs, nec rectè vti vitijs, quia indifferentia efficiendi rectè, vel pravè, eſt propria potentię, vt ab habitibus diſtinctæ, quomodò in illo teſtimonio 1. 2. aſsignat habitus operativos indifferentes, & adducit exemplum opinionis, quę eſt indifferens ad verùm, quòd eſt bonum intellectus, & ad falſum, quòd eſt malum intellectus? Imò hoc adducit, vt neceſſarium ad rectè exponendam definitionem virtutis.

*Prado 3. p. q. 63. dub. 2. ſect. 4. Caietan. in 3. p. q. 63. artic. 2.*

Vndè meliùs reſp. cùm M. Prado, ſolutione à Caietano indicata, quòd habitus opinionis in particulari eſt bonus, ſi opinio eſt vera; malus, ſi opinio eſt falſa; vndè nullus habitus opinionis in particulari eſt indifferens ad vtrùmquè, ſed quidam boni, & quidam mali. ¶ Licèt opugnari poſsit colligendo; ergò dũ opinio eſt vera, habitus bonus opinionis erit virtus. Prob. ſequelam. 1. Opinio non eſt virtus, ait Doct. S. *Quia habitus virtutis determinatè ſe habet ad bonum, nullo autem modò ad malum. Bonum autem intellectus eſt verùm; malum autem eius eſt falſum. Vndè ſoli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus ſemper dicitur verùm, & nunquàm falſum. Opinio verò, & ſuſpicio poſſunt eſſe veri, & falſi, & ideò non ſunt intellectuales virtutes*; cùm ergò ille habitus opinionis eſſet determinatè ab bonum, cùm illo ſemper diceretur verùm, eſſet virtus. ¶ 2. Quia illi habitui conveniret definitio virtutis. ¶ 3. Quòd ſemper reſtat difficultas, ad quid additur illa particula: *Qua nullus malè vtitur*, in definitione virtutis, ſi nullus habitus operativus eſt in particulari indifferens?

*D. Th. 1. 2. q. 57. art. 2. ad 3.*

Sed reſp. neg. ſequelam, & ratio eſt: quia licèt opinio ſit vera, nõ eſt, quia ex modò reſpiciendi obiectum repugnet falſitati, cùm tendat in illud cùm formidine veritatis, & abſquè certitudine; ſolùmquè eſt ad verùm, quia obiectum quòd reſpicit, eſt in re verùm; virtus verò intellectualis debet habere determinationem ad verùm, non ſolùm ex obiecto inſpecto, ſed ex modò intrinſeco, quo habitus reſpicit obiectum, vt in virtutibus moralibus conſpicitur; vndè rectè D. Thom. opinionem non eſſe virtutem ex indifferentia ad verùm, & falſum colligit, quia ex modò tendendi eſt indifferens, licèt ex obiecto, vt in re ſemper determinationẽ potiatur. Vndè ad 2. & 3. ſimul reſp. quod virtus ex modò, quo perficit potentiam in ordine ad obiectũ, exigit quòd nullus illa abuti poſsit, opinio verò licèt in re ſemper ſit determinatè vera, aut falſa, quia tendit in obiectum ſine certitudine, ex ſua intrinſeca tendentia non repugnat falſitati; vndè non eſt virtus, & rectè apponitur illa particula: *Qua nullus malè vtitur*, in definitione virtutis, qua virtus differat ab habitibus, qui licèt in re ſemper ſint determinati, ex ſuo modò intrinſeco reſpiciendi obiecta, indifferentia gaudent.

## SECTIO SECVNDA.

### *Liberum arbitrium non eſt potentia cum habitu, ſed ſola potentia, & vna potentia.*

107 QVod liberum arbitrium non dicat potentiam ſimul cum habitu, ſed ſolam potentiam docet D. Thom. quem ſequuntur communitèr Scholaſtici; licèt pro contraria ſententia referatur Albertus M. & probat elegantèr Div. Thom. hac ratione, libere iudicare, non dicit aliquid, quòd vim potentiæ excedat, ſed libere iudicare eſt actus liberi arbitrij; ergò liberum arbitrium nominat ſolam potentiã, probat conſequentiam, quia enim moderatè iraſci nominat aliquid, quod excedit vim iraſcibilis, principium

*D. Th. 1. cõtragent. c. 68.*

pium illius non est sola potentia, sed perfecta per habitum iram passionis moderantem; quia verò irasci nõ excedit vim potentię irascibilis illius principium solam potentiam nominat: probat mai. Quia iudicare solũ non excedit vim alicuius potentiæ scilicèt rationis, & illud, quod additur libere, etiam vim potentiæ non excedit, quia per hoc aliquid libere fit, quia est in potestate facientis facere, vel non facere; esse autem aliquid in potestate est per aliquam potentiam; ergò libere iudicare non dicit aliquid, quòd vim potentiæ excedat. Ratio etiam D. Thomæ, vt liberum arbitrium non sit habitus, quia nequit esse habitus, nec naturalis, nec acquisitus, eadem efficacia suadet, liberum arbitrium non esse potentiam affectam habitu, quia nec habitu naturali, nec acquisito.

*Sup. n.* 105.

108 Ex quibus patet liberum arbitrium esse solam potentiam, quia non est actus; ergò principium actus; non principium, quòd sit habitus; ergò potentia. ¶ Aliter posse agere, & non agere, est libertas arbitrij, & posse solùm dici potentiam. ¶ Deniquè, quia est differentia notanda valdè inter habitum, & potentiam, quod potentia denominatur operans ab actu, quem elicit, secus habitus, habitus enim non agit, sed potentia per ipsum; scientia non est sciens, sed intellectus per ipsam; intellectus per lumen videt Deum, sed lumen non est videns; fides non credit, nec amat charitas, licèt intellectus per fidem credat, & voluntas per charitatem amet; sed liberum arbitrium denominatur absolutè eligens, merens, & peccans, & non solùm per ipsum eligimus, licèt hoc verè etiam dicatur, sicut quod intelligimus per intellectum; ergò liberum arbitrium potẽtia est, & non habitus; minor non solùm est communitèr ab omnibus admissa, sed à PP. communitèr prolata, sufficiat Div. Bernardus dicens: *Et ita gratiæ operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit.*

*D. Bern. de Lib. Arbit.*

Nequè obstat si opponas, potentia cùm facilitate est potentia cùm habitu, quia habitus est facilitas, sed liberum arbitrium dicit potentiam facilem ad actus liberos; ergò liberũ arbitrium est potentia cùm habitu. ¶ Quia respondet D. Thom. *Quod aliquid dicitur esse facilè dupliciter, vno modò, propter remotionem impedimenti; alio modò, propter appositionem adiutorij: Facilitas igitur pertinens ad habitum est per adiutorij appositionem: nam habitus inclinat potentiam ad actum. Hanc autem facilitatem non nominat liberum arbirrium, eo quod quantum est de se non inclinatur in vnum magis, quàm in aliud; sed nominat facilitatem, quæ est per remotionem impedimenti, eo quod liberum arbitrium non impeditur aliquo cogente à propria operatione. Et ideò Augustinus propriè liberum arbitrium facultatem nominavit, non facilitatem; quia facultas hoc importare videtur, vt aliquid sit in potestate facultatem habentis.*

*D. Tho. q. 24 de verit. artic. 4. ad 1.*

109 Liberum arbitrium esse vnam potentiam particularem, & nõ esse potentiam vniversalem continẽtem sub se plures potentias docet D. Thom. quem sequuntur Scholastici omnes, contra aliquos, qui contrarium oppinati sunt, & suppresso nomine refert idem Doctor S. & probatur illius ratione, quia liberum arbitrium esse plures potentias solũ posset esse, vel quia esset totum vniversale respectu omnium potentiarum, vel quia esset totum integrale continens, vt partes plures potẽtias; sed vtrùmquè repugnat: primum, quia cum in nobis sint plures potentiæ essent plura libera arbitria, sicut quia animal est totum vniversale respectu hominum; plures homines sunt plura animalia: Secundùm, quia vnus actus non potest à pluribus po-

*D. Tho. q. 24 de verit. artic. 5. Et 2. sent. d. 24. art. 2. D. Thom. in sent. vbi sup.*

ten-

tentijs immediatè procedere, sed actus liberi arbitrij, qui est eligere, est vnus; ergò liberum arbitrium non est totum integrale, continens plures potentias.

## SECTIO TERTIA.

*Liberum arbitrium concurrit effectivè physicè ad suas operationes, ita vt implicet principium purè passivum esse liberum.*

110 LIberum arbitrium effectivè concurrere ad suas operationes, est veritas de fide certa, in Concilio Tridentino contra Lutherum expressè diffinita, vt suprà diximus: in illam cõspirant omnes Ecclesię PP. sufficiat Augustinus, dicens: *In voluntatis potestate positum est, ita mutari, vt bonum possit operari,* & ex scriptura; clarè colligitur, nostram libertatem positam esse in potestate agendi, & non agendi, ex illo Ecclesiastici: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Et ex illo Matth. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* ¶ Est etiam, hęc veritas evidenti ratione, nota; quia voluntatem non agere, dum libere eligit, ita absurdum videtur, vt non sit impugnatione dignum; à Philosophis tamen, duplici ratione, influxus voluntatis in actus liberos, demonstratur: Prima, quia electio libera est actio immanens, & in voluntate eligente manet; ergò ab ipsa efficitur, Consequentia patet; quia si in vno esset, & ab alio principio efficeretur, transiret de vno in alterum. ¶ Secunda, quia electio est actus vitalis eligentis, sicut intellectio intelligentis, sed actio vitalis efficitur à principio intrinseco, quòd per ipsam vivit; ergò.

*Trid. sup. n. 11.*

*Aug. cõtra Manich. c. 26.*

*Eccles. 31.*

*Matth. 12.*

111 Pater Arriaga distinguit duplex principium passivum, vnum, quod recipiat formam, & illam materialiter causet: aliud verò purè passivum, quòd nullo modò causet physicè formam, asseritquè, quòd licèt principium purè passivũ, quòd nullã habet causalitatem, non possit esse liberum, secus principium passivum materialiter causans, hocquè certissimum vocat, licèt à nullo doceatur ante ipsum. ¶ Hæc tamen cogitatio omnibus etiam suæ Scholæ Doctoribus valdè displicet, vt videre est apud Patrem Oviedo, Suarez Lusit. Patrem Quirós, qui refert Patrem Pontium, qui sequuntur omnes Antiquos Scholasticos, qui liberum arbitrium esse principium activum sup posuerunt, vt videre est apud Patrem Suarez.

*P. Arriaga, disp 8. de anima, sect. 1.*

*P. Oviedo, contr. 12. de anim. p. 3.*

*Suar. Lusit. disp. 2. de anim. sect. 1. Quirós, disp. 88. sect. 1. P. Pontius, disp. 64. Suar. prolog. 1. cap. 2.*

Vndè, pro conclusione statuimus, quòd principium non activum, implicat, quòd sit liberum, quòd efficacitèr probatur, primo ex Concilio Tridentino, quòd vt libertatem nostrę voluntatis definiat, damnat asserentes, volũtatem nihil omninò agere, dum inspirationem Divinam recipit, & merè passivè se habere, dum assensum Deo excitanti præstat; ergò ex mente Tridentini, idem est voluntatem libere inspirationem Divinam recipere, & Deo excitanti assentire, ac voluntatem aliquid agere, & non merè passivè se habere, & exindè repugnat principium merè passivum, quòd sit liberum.

*Conc. Trid. Sess. 6. c. 5. & Can. 4.*

Sed respondet Arriaga; Concil. passionem nullam includentem causalitatem opponere libertati, quia hęc explicatur per *purè passivè*; secus, passionem coniunctam cum causalitate materiali. Sed hanc Doctrinem absurdè Concilium explicare docet P. Oviedo. Quia ex Illa sequitur, nil cõtra Concilium asserturum, qui modò defenderet voluntatem ad actus supernaturales concurrere libere, & solùm per passionem coniũctam, cum causalitate materiali. ¶ Et ideò

*P. Arriaga vbi suprà.*

*Oviedo vbi suprà.*

Ripaldat. 1 disp. 30. sect. 6.

ideò ſcripſit Ripalda : *Si quis tueretur poſſe libertatem merè patienti adſquè vlla actione convenire, apertè repugnaret Tridentino.* Et idé ſupponit P. Lince. ¶ 2. Quia explicat Cõcilium de paſsione ſine cauſalitate, quàm nullus ex Scholaſticis ante Concilium cognovit, cuiuſquè notitia ſolùm P. Leſsio illuxit, teſte ipſo Arriaga, & Concilium debet loqui de illa paſsione, quæ tunc agnoſcebatur, quàm talem eſſe Scholaſtici credebant, non quàm vnus, vel aut alter poſt Concilium invenit, omnibus alijs diſſentientibus, qui chimeram iudicant, paſsionem ſine cauſalitate materiali. Addo 1. Concilium exigere ad libertatem, quòd voluntas aliquid agat, vt conſtat, quia damnat aſſerentes, *nihil omninò agere*; ſed cùm cauſalitate materiali ſtat voluntatem nihil agere, quia actio eſt cauſalitas efficientis; ergò. 2. Concilium exigit ad libertatem cauſalitatem pugnantem cum principio merè paſsivo, & inanimi, ſed cum hoc pugnat cauſalitas efficiens non materialis, vt conſtat in materia reſpectu formarum; ergò.

P. Lince, lib. 7. tract. 9. c. 8.

Probò 2. Si principium paſsivum cauſans materialitèr eſt liberũ; ergò capax meriti, ſi ex alio principio ei meritum non repugnat. Conſeq. mihi evidens, quia actus meritorius, ſolùm exigit libertatem ad imputabilitatem, vndè cauſalitas ad libertatem ſufficiens, & ad meritum. Tunc ſic; ergò licèt motus voluntatis humanę, in Chriſto actio non eſſet, ſed paſsio; Chriſtus mereri potuiſſet ſecundùm humanam naturã: Collectio eſt certa, ſed nimis abſurda, cùm D. Thom. impugnet quoſdam irrationabilitèr dicentes, motum voluntatis humanæ in Chriſto non eſſe actionem, quia mereri non potuiſſet, ſicquè concludit : *Conſequẽs eſt quòd motus voluntatis humanæ in Chriſto actio ſit, & non ſolùm paſsio: alioquin ſecundùm humanam naturam mereri non potuiſſet.*

D. Thom. q. vnic. de vnione verbi, ar. 5. in corp.

112 Ratio verò Philoſophica huius veritatis eſt; quia ad libertatẽ non ſufficit indifferentia indeterminationis, quæ conſiſtit in capacitate ad oppoſita, ſed exigitur indifferentia Dominij, & poteſtatis, ſeù vis determinandi exiſtentiam vnius oppoſiti præ alio, ſed principium paſsivũ licèt materialiter cauſans, nequit habere vim determinativam vnius præ alio; ergò nec eſſe liberum Mai. conſtat, quia aliàs lignum libere caleſieret, quia eſt frigoris capax, & lapis libere moveretur ſurſum, & tardè, quia eſt capax motus deorſum, & velocis. Tùm, quia aliàs principium paſsivum, quod ſine cauſalitate materiali, Arriaga finxit, liberum eſſet, quia cauſalitas materialis non conducit ad indifferentiam, & capacitatem ſuſcipiendi oppoſita. Prob. Min. Quia vis determinandi hoc exiſtere præ altero ad efficiens, ſeù agens expectat; quis enim intelliget principium aliquod determinare *A* eſſe præ *B*, & nihil efficere, nec agere? Imò cùm determinare *A* eſſe, ſit oppoſitũ eius impedire, creditur principium nihil agens, vnum ad exiſtendum determinare, & eius oppoſitum ab exiſtendo impedire.

Sed opponit Arriaga: Quia quando duo principia neceſſariò exiguntur ad aliquem effectum, vnò ceſſante, alterùm non cauſat, ſed ad effectum non ſolùm exigitur cauſa efficiens, ſed etiam materialis; ergò ſi cauſa materialis non influit, nec effectus erit, nec efficiens operabitur; ergò ſufficientem influxum habet cauſa materialis, vt poſsit eſſe in manu eius, quòd effectus ſit. Confirm. Quia cauſa efficiens ſolùm differt à materiali, quia hæc influit cum mutatione intrinſeca ſui, ſecus illa, hæc autem differentia extra conceptum libertatis eſt, non enim conducit, vt vna cauſa poſsit cohibere actionem, vel in eam prodire, & non altera, in quo ſtat libertatis eſſentia. ¶ Reſp.

ex dictis: cauſam materialem ad effectum exigit, ſed determinari, vt cauſet ab efficiente, vndè quòd præſtet ſuum concurſum eſt, ex determinatione efficientis, hęc enim eſt cauſalis vera: *Materia recipit hanc formam præ altera, quiâ ab efficiente determinatur*, & è contra eſt falſa, *efficiens agit, quia materia recipit*; priùs enim intelligitur actionem eſſe à principio, quàm eſſe in ſubiecto, & determinare exiſtentiam eſt propriũ efficientis, ſeù agentis. Per quòd pãret ad conf. Quia cauſa efficiens, non ſolùm habet agere ſine mutatione intrinſeca, ſed etiam determinare materialem, vt intrinſecè mutetur.

## SECTIO QVARTA.

*Liberum arbitrium verè eſt potentia paſsiva, licèt non expediat ſine reſtrictione ipſum ita nominare.*

113 OTioſum fortè videbitur hoc in dubium vertere; quia ſi liberum arbitrium eſſe principium activum, ita eſt ſtabilitũ, vt implicet principium paſsivum eſſe liberum, & liberum arbitrium non eſt habitus, ſed potentia, iam deciſum videtur; liberum arbitrium eſſe principium activum, quòd eſt potentia, ac perindè eſſe potentiam activam. Deniquè, vt fide certum, & Philoſophis lumine naturę notum tradidimus, liberum arbitrium eſſe principium phyſicè effectivum ſuarum operationum, ſed non aliud eſt potentia activa, quàm potentia ſuarum operationum effectiva; ergò liberum arbitrium eſt potentia activa; & ita eſſe docent, Scotus, Bellarminus, & Suarez.

*Scotus 2. diſ. 25. Bellarmin. lib. 3. de Lib. Arb. c. 10. Suar. diſp. 19. Meth. à num 19. M. Lemos, lib. 3. tract. 2. cap. 16.*

Sed SS. M. Lemos, ſuſtinet, vt veritatem clariſsimè edoctam à D. Th. & Ariſtotele, quos ſequuntur Antiquiores Thomiſtæ, voluntatem, ſeù liberum arbitrium eſſe potentiã paſſivam, & fundatur in eo, quia illa eſt potentia paſsiva, quæ à ſuo obiecto patitur, quia quòd convenit potentiæ ex obiecto vt eſſentialiter competit; vndè ſi potentia ad ſuum obiectum paſsivè ſe habet, erit paſsivâ; ſed licet voluntas, & liberum arbitrium, ſuas operationes activè producat, vt veritas fidei clamat, Concilia prędicant, & omnes SS. Doctores affirmant; tamen à ſuo obiecto patitur, & movetur, quia appetibile apprehenſum movet appetitum; ergò voluntas eſt potẽtia paſsiva. Quę eſt expreſſa D. Thom. ſententia; ſic enim aſſerit: *Potentia enim appetitiva eſt potentia paſsiva, quæ nata eſt moveri ab apprehenſo. Vndè appetibile apprehenſum eſt movens non motum, appetitus autem movens motum, vt dicitur in tertio de anima, & octavo Metaphyſicæ*; vbi potentiam appetitivam vocat potentiam paſsivam, & appetitum ſenſitivum ab intellectivo differre, ex eo colligit, quòd appetibilia ſunt diverſa, & paſsivè diſtinguntur, ſecundùm diſtinctionem activorum, & ita appetitum eſſe potentiam paſsivam, vt in dubiam Div. Thomę mentem, ſupponit Caietanus.

*D. Thom. 1. p. q. 80. art. 2. in corp.*

*Caietan. in Comm. illius artic.*

Si tamen opponas; appetibile apprehenſum non movere voluntatem efficienter, ſed finaliter, vt docet D. Thomas; ergò appetibile non eſt verè, & propriè activum, reſpectu voluntatis; ergò nec voluntas erit propriè potẽtia paſsiva, quia illa eſt verè potentia paſsiva, quę à ſuo obiecto patitur, quòd eſt verè activum. ¶ Reſpondet M. Lemos, quòd appetitus eo ipſo, quòd à ſuo obiecto moveatur; eſt potentia paſsiva, ſivè obiectum moveat ipſum effectivè, ſivè in genere finis, quia eo ipſo ſe habet paſsivè, vt mota, reſpectu obiecti, præſcindendo à modò motionis; de quo eſt gravis concertatio inter noſtros Doctores, vt videre eſt apud Caietanum, & Lemos. ¶ Quòd explicari poteſt in intellectu, qui communiter

*D. Thom. 1. p. q. 82. art. 4.*

*M. Lemos vbi ſup.*

*Caietan. vbi ſuprà. Lemos vbi ſup. c. 17. & 18.*

nitèr dicitur potentia paſsiva, quia à ſuo obiecto patitur, licèt aliàs, ſit inter Doctores diſsidium; an obiectum moveat intellectum effectivè, & propriè, vel, an ſolùm moveat in genere cauſæ formalis?

114 Sed in hoc dubio parum de re invenio, & vt aſſerit Auguſt. *Non ſolùm approbo, verùmetiam moneo, vt ſemper rerum curam magis, quàm verborum, te habere deleclet.* Et alibi rationem tradit: *Quid eſt enim contentioſius, quàm vbi de re conſtat, certare de nomine?* Si enim voluntas vitaliter elicit ſuam operationē, quòd eſſentialitèr exigitur ad libere eligere, & aliàs voluntas non mutat obiectum, ſed potiùs antecedenter ad volitionem à ſuo obiecto movetur, ſolùm poteſt eſſe diſsidium de nomine; an debeat denominari potentia activa, ab elicientia operationis, vel paſsiva, à motione obiecti?

*Auguſt. de quant. animæ, lib. vn. cap. 6.*

*Aug epiſt. 174.*

Sed adhùc in denominationibus debet prævalere D. Thomæ ſententia; iuxtà quàm voluntas ex paſsiva motione obiecti, debet vocari potētia paſsiva, & rationem tradit D.r S. ita aſſerens: *Non enim diſtinguitur potentia activa à paſsiva, ex hoc, quòd habet operationem, quia cùm cuiuslibet potentiæ animæ, tàm activæ, quā paſsivæ, ſit operatio aliqua, quælibet potentia animæ eſſet activa. Cognoſcitur autem eorum diſtinctio, per comparationem potentiæ ad obiectum. Si enim obiectum ſe habeat ad potentiā, vt patiens, & tranſmutatum, ſic erit potentia activa: ſi autem è converſo ſe habet, vt agens, & movens, ſic erit potentia paſsiva, & indè eſt, quòd omnes potentiæ vegetabilis animæ ſunt activæ, quia alimentum tranſmutatur per potentiam animæ, tàm in nutriendo, quàm in generando: ſed potentiæ ſenſitivæ omnes ſunt paſsivæ, quia per ſenſibilia obiecta moventur, & fiunt in actu. Circa intellectū verò aliqua potentia eſt activa, aliqua paſsiva.*

*D. Th. q. 16. de verit. artic. 1. ad ſolut. ad 13.*

Vndè ex Div. Thom. evidentèr colligitur, quòd potentia activa non dicitur ab operationis efficientia, quia omnes potentiæ animæ eſſent activę, & nulla paſsiva, cùm omnes vitalitèr ſuas operationes efficiant; potentia ergò eſt activa, quia obiectum ſe habet ad ipſam, vt patiens, & tranſmutatum, & ideò potentiæ vegetativę, & intellectus agēs ſunt potentiæ activæ: ſi verò obiectum cōparatur ad potentiam, vt agens, & movens, eſt potentia paſsiva, & ideò potentiæ ſenſitivæ, & intellectus paſſibilis, ſunt potentiæ paſsivæ, licèt vitalitèr efficiant ſuas operationes, ſed voluntas, & liberum arbitrium, licèt efficienter ſuas operationes producant, obiectum non comparatur ad illud, vt patiens, ſed potiùs vt movens; ergò voluntas eſt potentia paſſiva, ſicut potentiæ ſenſitivæ, & intellectus poſsibilis.

Iudico tamen, nunc poſt exortum Lutheri caſſum errorem, non expedire, liberum arbitrium nuncupare potentiam paſsivam abſolutè, & ſine reſtrictione: Ducor ex eleganti D. Thomæ doctrina: *Cùm Hæreticis, nec nomina debemus habere communia, nè eorum errori favere videamur*, ex quo principio infert Doct. S. non eſſe abſolutè proferendum: *Chriſtum eſſe creaturam, & minorem Patre*; ſed cùm hac reſtrictione, *ſecundùm humanitatem*, nè videamur convenire cum Arrianis: ſimilitèr non eſſe dicendum: *Chriſtum eſſe incorporeum, & impaſsibilem*, ſine determinatione hac, *ſecundùm divinitatem*, ad evitandam coincidentiam, adhùc in nomine, cum Manichæis; ſed qui abſolutè diceret, liberum arbitrium potentiam paſsivam, ſaltem in modò loquendi conveniret cum Lutheri ſtultiſsimo errore, qui, ita vocabat arbitrium, quia merè paſsivè, vt inanimatum, ducebatur à gratia; ergò, vt longiſsimè, vt decet, adhùc in modò loquendi diſtemus à tàm fatuo erro-

*D. Th. 3. p. q. 16. art. 8.*

re, qui, & diſcipulis ipſius, Lutheri diſplicuit, non ita abſolutè potentiam paſsivam, nominare liberum arbitrium, expediet.

Reſtrictiones verò ita poſſunt adhiberi; vel dicendo: *Liberum arbitrium, licèt effectivum ſuarum operationum, eſt potentia paſsiva*, vel ita: *liberum arbitrium eſt activum, comparatum ad ſuas operationes, ſed potentia paſsiva, vt reſpicit obiectum*: vel meliùs poſſet dici, ſupponendo cum M. Prado, ex Ferrara, apud S. Thom. non eſſe idem; potentiam operativam, ac potentiam activam, operativa enim eſt, quæ operationes efficit, & activa, quæ in ſuum obiectum agit; vndè potentiæ ſenſitivæ, & intellectus ſunt operativæ, non activæ, ſed paſsivę; vndè ſi aſſeras: *Liberum arbitrium eſt potentia operativa, ſed paſsiva*, longè diſtas in modò adhùc loquendi à Lutheri dementia, quin recedas, nec reſtringas loquutiones noſtri S. Doct.

*Prado l. 2. de anima, q. 21. ſ. 1. n. 5. Ferrar. de anim. q. 8. c. 2.*

## SECTIO QVINTA.

*Liberum arbitrium non eſt potentia diſtincta ab intellectu, & voluntate, nec identificatur cum intellectu, ſed eſt potentia realiter identificata cum voluntate.*

115 LIberum arbitriũ eſſe potentiam ab intellectu, & voluntate diſtinctam, docuit Alenſis: eſſe, non ſolùm formaliter in voluntate, ſed etiam in intellectu, aſſeruit Durandus; nec deffuerunt Authores, qui ſuſtinuerunt in ſolo intellectu eſſe libertatem formaliter, vt Poſsivinus, & Mirandulanus, apud Soares Luſitanum: communis tamen Scholaſticorum ſententia, vt indubium docet cũ D. Thom. liberum arbitriũ eſſe potentiam realiter identificatam cum voluntate, & in ipſa ſola eſſe libertatem formaliter.

*Alexand. de Aleſ. 1. p. q. 72. mẽb. 2. Durand. in 2. diſt. 24. q. 3. Poſsivin. & Mirãd. apud Soares Luſit. de anima, tract. 6. ſect. 2.*

Primam partem, ſcilicèt, liberum arbitrium non eſſe aliam potentiam diſtinctam ab intellectu, & voluntate. Prob. S. Thomas primò: *Quia Philoſophi, qui potentias animæ ſubtiliter ſcrutati ſunt, nullam potentiam in intellectiva parte, præter voluntatem, & rationem poſſuerunt.* Secundò; ex actu liberi arbitrij, qui eſt electio, colligitur, quia electio eſt actus voluntatis, & non actus alterius potentiæ, ab intellectu, & ratione, diſtinctę.

*D. Thom. in 2. diſt. 24. art. 3.*

116 Libertatem verò non eſſe formaliter in intellectu, ſed ſolùm in voluntate; colligitur ex Sacra Scriptura, in qua ſemper libertas voluntati tribuitur; patet ex illo: *Non habens neceſsitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* ¶ Conſtat ex Tridentino, aſſerente hominem non poſſe ſine gratia moveri ſe ad iuſtitiam, *libera ſua voluntate*, & poſteà, dum exponit libertatem in cooperando gratiæ; aſſerit *liberum arbitrium poſſe diſſentire, ſi vellit*, vbi expreſsè liberum arbitrium velle, & voluntatem eſſe liberam docet. Ex SS. PP. appertè colligitur, dum liberum arbitrium cùm addito *voluntatis*, ferè ſemper tradunt; ſufficiant D. Damaſcenus, aſſerens: *Liberum arbitrium nihil aliud eſt, niſi voluntas.* Et Div. Bernardus dicens: *Id, quòd dicitur in nobis liberum arbitrium, ideſt, humana voluntas.* Confirmat etiam hanc concluſionem, cunctorum hominum ſenſus, ſi enim petas, cùr rem hanc faciant, cùm poſsint non facere? Vno ore reſpondent, quia volumus. ¶ Probatur ratione D. Thomę; principalis actus liberi arbitrij eſt eligere, ſed electio eſt actus voluntatis; ergò liberum arbitrium formaliter eſt voluntas. Probat minorem, electio reſpicit pro obiecto bonum, vt vtilè, quia eſt in media, vt ad finẽ; ſed circa bonum formaliter, vt tale ſolùm fertur voluntas, quia eſt eius proprium obiectum; ergò,

*Paulus 1. ad Corint. 7.*

*Tridẽt. Seſſ. 6. cap. 5.*

*D. Dam. in 3. lib. c. 14. D. Bern. lib. de Grat. & Lib. Arbit.*

*D. Th. 1. p. q. 83. art. 3.*

Pro-

D.Tho. 1.2. q.9.art. 1.

Probatur etiam alia ratione D. Thomę; illa ſola potentia eſt formaliter libera, quæ habet alias movere quoad exercitium, hoc habet ſola voluntas; ergò Mai.patet; quia libere exerceri eſt determinari, ſeù moveri ad vnum potiùs, quàm aliud; ergò illa potentia, quę ſola hoc poteſt, eſt ſola formaliter libera; prob.Min. Omne agens,& movens agit propter finem,& ex ipſo movetur; ergò, quod primo reſpicit finem, primò movet, ſed voluntas primò movetur ex fine, quia obiectum proprium illius; ergò.

117 Vltimam deniquè concluſionis partem, ſcilicèt, liberum arbitrium non diſtingui realiter à voluntate; præter quod conſtat ex modò loquendi Scripturæ, Conciliorum,&

D.Tho. 1.p. q.83.art. 4.

PP. probo ratione D. Thomæ: ſicut ſe habet in potentia apprehenſiva intellectus,& ratio; ſe habent in appetitiva voluntas,& liberum arbitriũ, ſed intellectus, & ratio ſunt realiter vna potentia apprehenſiva; ergò voluntas,& liberum arbitriũ ſunt realiter, vna potentia appetitiva. Prob. Mai. D. Thomas, quia ſicut intelligere eſt ſimplex, quia erga principia, quę ratione ſui cognoſcuntur, & ratiocinare eſt cognoſcere vnum ex alio; ita velle eſt erga finem, qui ratione ſui amatur, & eligere (in quo ſtat libertas) eſt erga media, quæ amantur propter finem. ¶ Tùm, quia ex Ariſtotele ſicut ſe habet principiũ in ſpeculativis, ſe habet finis in practicis. ¶ Tùm, quia ſicut intellectus quieſcit in principijs,& movetur ad concluſiones; voluntas quieſcit in fine,& movetur ad media; ſed eiuſdem potentię eſt quieſcere,& moveri; ergò ſicut vna potentia eſt intellectus,& ratio; ita eſt vna potentia, voluntas,& liberum arbitrium. ¶ Nota tamen, quòd licèt ex eo, quòd intellectus,& ratio ſint vna potentia cognoſcitiva, inferat Doct.S. voluntatẽ, & liberum arbitrium eſſe vnam potentiam appetitivam; ex diſtinctione intellectus,& rationis in ratione potentiæ, non colligeretur voluntatẽ, & arbitrium eſſe diverſas potentias, quòd expreſsè docet, & probat D.r S. ſic enim aſſerit: *Vel meliùs dicendum, quòd ſi etiam ratio, & intellectus diverſæ potentiæ ponantur, non tamen propter hoc ſequitur, quod voluntas, & liberum arbitrium ſint diverſæ potentiæ: Nihil enim dividitur eſſentialiter, per id, quòd eſt accidentale ſibi, ſed per id, quod eſt eſſentiale: conferre autem, & ordinare virtuti apprehenſivæ per ſe convenit; appetitivæ autem non niſi per accidẽs; ſecundùm quod eſt in ea vis apprehenſivæ: & ideò virtus apprehenſiva convenienter dividitur in virtutem, quæ abſolutè accipit verùm (ſicut eſt intellectus,) & quæ eſt cum collatione (ſicut eſt ratio,) ſed appetitiva nõ debet dividi in eam, quæ accipit bonũ abſolutè, & in eam, quæ accipit bonum in ordine ad aliud; quia ille ordo non eſt à voluntate, ſed à ratione; vndè voluntas eſt magis ordinati, vel collati, quàm conferens, ſeù ordinans.*

D.Thom. 2. ſent.diſt.24 art. 3. ad 4.

## SECTIO SEXTA.

*Implicat intellectum eſſe formaliter liberum.*

118 PArriaga, & P. Izquierdo aſſerunt, quòd licèt intellectus de facto non ſit formaliter liber, non repugnare intellectum liberum à ſe,& independenter à volũtate: Hæc tamen cogitatio communitèr diſplicet etiam ſuę Societatis DD. contrarium enim ſentiunt. P. Oviedo, P. Lince, Spinula, Soares Luſit. qui omnes ſequuntur Exim. Suarez. Cùm quibus vt certum defendo.

Repugnare intellectum eſſe formaliter liberum. Et prob. 1. Si intellectus de facto non eſt liber, debet illi intellectui poſsibili, aſsignari formalitas de facto in intellectu non exiſtens, ratione cuius libertate gauderet;

Arriaga de act. human. diſp. 5. ſect. 3. & diſp. 8. de anima, ſect. 2. Izquierd. de Deo, diſp. 30 q. 4. prop. 6. Oviedo cont. 12. de anima, punct. 3. Lince, lib. 7. tract. 9. c. 8. Spinula de anima, diſp. 5. ſect. 2. Soar. Luſit. t. 6. de Volu. diſp. 2. ſ. 2. Suarez diſp. 14. Met. ſ. 5.

ret: & hoc erit ſanè difficilè. ¶ Explicatur: in tantum intellectus ille poſsibilis eſſet formaliter liber, iuxtà hos Authores, quatenus poſſet, ex duobus obiectis propoſitis probabilibus, determinari ex ſe ad aſſenſum vnius præaltero, quòd non habet de facto intellectus, niſi ex motione voluntatis; quæ ergo formalitas eſſet in illo intellectu poſsibili, qui non eſſet voluntas, ratione cuius haberet, ita ex ſe determinari, quæ non ſit in intellectu, qui defacto eſt?

Secundò: potentiam eſſe formaliter liberam, non eſt tantum eſſe indifferentem ad oppoſita, ſed eſt poſſe ſe determinare ex duobus ad vnũ, & non ad aliud, ſed hoc repugnat intellectui, aliàs indifferenti ad oppoſita; ergò. Prob. Min. determinari ad vnum, & non ad aliud, eſt ex terminis eligere vnum præ alio, hoc eſt velle hoc, & non illud, ſed repugnat intellectui velle vnum præaltero, & ſi hoc non repugnat, erit voluntas, & exindè erit formaliter liber, ſed non quia intellectus; ergò. ¶ Confirmo. Sicut iudicare eſt intelligere ex terminis, ita eligere eſt velle, ſed repugnat voluntatem iudicare, quin intelligat, ergò, & intellectum eligere, quin vellit. ¶ Explico hoc: intellectum elicere hunc actum præ altero, vel erga hoc obiectum præalio, ex terminis debet provenire ex inclinatione aliqua intellectus ad hunc actum, vel hoc obiectum, omnis inclinatio eſt naturalis, vel elicita; ſi intellectus ſe movet ex inclinatione naturali; ergò naturalitèr, vel neceſſariò ſe inclinat, ad id, quòd libere elicit, quòd eſt terminis implicare; ſi eſt inclinatio elicita, eſt appetitus elicitus, qui eſt idem ac voluntas; niſi terminis ludimus; ergò non poteſt intellectus determinari ad vnum præ alio, niſi ex motione voluntatis, & ſic non eſt formaliter à ſe liber.

119 3. Poſsibilis eſt intellectus à ſe formaliter liber; ergò, & intellectio à ſe formaliter libera, vtpotè exercitium immediatum potentiæ liberæ, ſed hoc implicat; ergò. Prob. Min. 1. Intellectio formaliter libera poſſet eſſe formaliter bona, dum ſcilicèt eſſet præcepta, nil enim exigit bonitas formalis præter libertatem, & conformitatem cum lege Dei, ſed implicat intellectio formaliter bona; ergò. Prob. Min. Actus formaliter bonus, habet pro obiecto bonitatem obiectivam, ab illa enim deſumi debet bonitas formalis, ſed implicat intellectio habens pro obiecto bonitatem obiectivam, bonum enim eſt obiectum voluntatis; ergò. Vrgeo: ſicut veritas formalis actus deſumitur à veritate eius obiectiva, ita bonitas formalis actus deſumitur ab eius bonitate obiectiva, ſed repugnat volitio formaliter vera, quia nequit habere pro obiecto veritatem obiectivam; ergò, & intellectio formaliter bona.

P. Min. 2. Si eſſet intellectio formaliter libera, & eſſet peccaminoſa caſu, in quo eſſet prohibita, actus enim liber contra legem, eſt formaliter peccatum, ſed implicat intellectio, quę formaliter peccatum ſit. Vt enim ait Auguſtinus: *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, vt nullo modò ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium, & hoc quidem manifeſtũ eſt adeò, vt nulla hic Doctorum paucitas, nulla in doctorum turba diſſentiat, & quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum eſt, habere animas liberum volũtatis arbitrium*; ergò. ¶ Scio P. Izquierdo concedere intellectum poſſe peccare; & P. Arriaga, explicare Auguſt. de facto, non de poſsibili. Sed hoc pluſquàm falſum mihi videtur, vel quia peccatum eſſe voluntarium, vt principium lumine naturæ notum, tradit Auguſt. ſic enim aſſerit: *Peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe, omnis mens, apud ſe divinitus conſcriptum legit.* Et iam oppoſitum legimus, ſcilicèt,

*Aug. de vera Relig. c. 14.*

*Aug. lib. de duabus animab. cap. 11.*

licèt peccatum ſine voluntate eſſe poſſe. ¶ 2. D. Auguſt. vt indubiam ſubſtinet conſequentiam, ex peccato inferentem, *liberum voluntatis arbitrium*, & hæc collectio eſſet ineffi-

*Aug. verbis ſup. adductis. Propoſ. 46. in Baio à Pio V. & Greg. XIII. damnata.*

cax, ſi ſine arbitrio voluntatis, peccatũ eſſe poſſet. ¶ 3. In Baium fuit hæc propoſitio damnata; *ad rationẽ, & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Et vera eſſet, ſi ſine voluntate eſſet peccatum, nil enim poteſt exiſtere ſine eo, quòd ad ſui rationem, & deffinitionem expectat. ¶ Et ratio à priori eſt, quia intellectio, non mota à voluntate eſt purè ſpeculativa, vnde ſiſtit in cognitione veri, & non afficitur erga malum, & abſque affectu mali, peccatum nõ poteſt eſſe. ¶ Si dicas, Deum poſſe prohibere intellectionem, & tunc intellectionem formaliter peccaminoſam fore, ſicut, & prohibitam. ¶ Æquè colligeres; viſum poſſe ex ſe peccare, ſi Deus prohiberet viſionem, quo nil abſurdiùs. Vndè ſi Deus prohiberet intellectionem, intellectio eſſet obiectivè mala, & illius volitio mala formalitèr, actus enim ſolùm eſt formaliter malus, quia reſpicit pro obiecto malitiam obiectivam.

120 Ratio autem Philoſophica, à priori huius veritatis, deſumitur ex diverſitate obiecti intellectus, ab obiecto voluntatis; obiectum enim voluntatis eſt bonum; & quodlibet bonum creatum habet rationem mali, & diſconvenientis admixtam, vndè ex ſua ratione nõ determinat potentiam ad amorem, nec odium, ſed potiùs ſuam indifferentiam, potentiæ determinandam relinquit. Obiectum verò intellectus eſt verum, & veritas cum in indiviſibili conſiſtat, non habet permixtam rationem falſi, nec poteſt obiectum eſſe verum, & falſum, ſecundùm diverſas rationes; ergò obiectum intellectus non habet indifferentiam, vt à potentia determinetur, ſed potiùs ex ſua ratione determinat intellectum, vel ad aſſenſum, vel ad diſſenſum. ¶ Reſp. Arriaga: Aſſumptum eſſe verum; dum obiectum evidentèr intellectui proponitur, quandò verò, evidenter nõ apparet verum, non determinat intellectum ad aſſenſum, vt in opinionibus probabilibus. Etſi inſtes, cum Suarez, quòd indeterminatio, quæ eſt in intellectu ad aſſenſum, dum obiectum non apparet evidenter verùm, provenit ex defectu applicationis obiecti, vndè non inferre libertatem in potentia. ¶ Reſp. Arriaga, quòd dum indeterminatio ſit in intellectu, licèt ex defectu applicationis obiecti, poteſt intellectus ſe libere determinare. 1. Quia hæc indeterminatio ſufficit, vt voluntas poſsit libere determinare intellectũ; ergò, & vt intellectus ſeipſum. 2. Quia in via circa Deum eſt voluntas libera, & tamen indeterminatio, quæ eſt in voluntate, provenit ex defectu applicationis obiecti, quia Deus clarè viſus neceſsitaret ad amorem, ſicut verum evidenter cognitum, neceſsitat ad aſſenſum.

*Arriaga vbi ſup.*

*Suarez vbi ſup.*

Sed, ex non penetrata efficacia huius rationis, ſolutiones iſtæ procedunt, & præcaventur, ita colligendo: Potentia illa, quæ quando manet indeterminata ad actum, eius indeterminatio, vnicè provenit ex imperfecta applicatione obiecti, nequit eſſe formaliter libera, ſed intellectus talis eſt; ergo: Min. certa, quia dum intellectui proponitur obiectum, vt in ſe, ſemper apparet verũ, vel falſum, ita vt determinet intellectum ad aſſenſum, vel diſſenſum, ſecus in volũtate, quia licèt bonum proponatur, vt in ſe, ſi non eſt infinitum, vt Deus, ſemper voluntas, indeterminata manet, vt in voluntate divina conſpicitur: Mai. ſit diſcurro: Indeterminatio potentiæ liberæ, eſt perfectionis, & Dominij ipſius potentiæ ſupra ſua exercitia, ſed indeterminatio vnicè proveniẽs, ex imperfecta applicatione obiecti, eſt imperfectionis in ipſa potentia; ergò.

QVÆ-

# QVÆSTIO QVARTA.

## IN QVIBVS SIT, QVID SIT, ET QVOTVPLEX SIT, liberum arbitrium?

### SECTIO PRIMA.

*Libertas, quæ in Deo, & Angelis, vt fide certa ſupponitur, brutis denegatur.*

121  Vpponimus, vt omninò certum, cauſam non cognoſcitivam, non eſſe liberam: quomodò enim cauſa poterit determinari ad actum præ omiſsione, ſi nulla cognitione ducitur ad agendum? Et quomodò poterit vnum prælatero eligi, ſi non cognoſcũtur extrema inter, quę electio verſatur? Cognitione carentia non habent arbitrium, quomodò libertate arbitrij gaudebunt?

122 In Deo eſſe libertatem à neceſsitate, non ſolùm eſt fide certũ, ſed etiam lumine naturæ evidenter notum: ſufficiat hæc demonſtratio: Deus plura non fecit, quæ potuit facere; ergò liber à neceſsitate non fecit. Prob. antec. Plura ſunt poſsibilia Deo, non facta à Deo; ergo. Prob. antec. Quia plura non ſunt facta, quæ non ſunt impoſsibilia, quæ enim cõtradictio, vel chimęra foret, ſi Petro v.g. deficeret vnus capilus determinatus? Aliter; plura non ſunt facta contra exigentiam naturæ, aliàs nulla eſſet violentia, ſed natura non poteſt exigere impoſsibilia; ergò plura non facta; ſunt poſsibilia.

123 In Angelis eſſe arbitrium à neceſsitate liberum; eſt etiam veritas fide certa: quia ad peccatum exigitur libertas à neceſsitate, vt iuſtè puniatur; vt eſſe de fide probavimus, ſed fides docet, quòd Angeli peccaverunt, & quòd ſui peccati pœnas luunt; ex illo Petri: *Angelis peccantibus non pepercit*; ergò. ¶ Suppoſita etiam exiſtentia Angelorum, illorum libertas evidenter demonſtratur; in homine enim ex intellectu demonſtratur libertas, ſed Angeli, nõ ſolùm ſunt intellectuales, ſed perfectiores hominibus, ex illo: *Minuiſti eum, paulominùs ab Angelis*; ergò.

*Suprà num.* 73. *D. Petri* 2.

*Pſalm.* 8.

124 In Brutis vero non eſſe liberum arbitrium, eſt veritas certiſsima, & ex principijs fidei evidenter deducitur, aliàs Bruta eſſent capacia virtutis, & vitij, ſi libertate gauderent, vt enim aſſerit Bernardus: *Propterea, quæ ſunt ratione carentia animalia, nihil merentur, quia ſicut deliberatione, ita, & libertate carent.* Et ideò docuit: *Quòd homo habet liberum arbitrium, cùm Angelis, & Deo ſolùm.* ¶ Et in hac ſententia ſunt Scholaſtici omnes, cum D. Thom. qui illam duplici ratione fundavit; quarum prima, ſic ad formam reducitur.

*Div. Bern. ſerm.* 81. *in Cantic. D. Bern. de Grat. & Lib. Arbit.*

Ratione carentia non poſſunt libere agere, ſed bruta carent ratione, ex illo: *Nolite fieri, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*; ergò. Mai. Prob. quæ ratione carent non poſſunt libere iudicare; ergò. Conſeq. patet. Quia appetitus cognitionem ſequitur, cùm non ſit niſi boni, quòd per cognitionem proponitur,

*D. Thom. q. 24. de verit. artic. 2.*

*Pſalm.* 31.

nitur, & ideò si iudicium non sit in potestate alicuius, nec appetitus erit in potestate eius. Prob. anteced. Non potest libere iudicare, nisi quod potest iudicare de iudicio suo, sed sola rationalia possunt iudicare de iudicio suo; ergò: Mai. videtur constans: Quomodò enim agens pro suo nutu determinabitur ad hoc iudicium præ altero, si non cognoscit iudicia? Si enim non potest determinari ad hoc obiectum præ altero, nisi agens, quod obiecta cognoscit, & ideò, quæ cognitione carent, & libertate; quomodò ad vnum iudicium præ altero determinabitur agens, quod non cognoscit iudicia?

Minorem supponit Dr. S. quia sola ratio, super actum suum reflectitur, sed illam ita elegantèr tradidit D. Augustinus: *Quorum ergò, cùm colorem sentimus, non itidem sensu ipso, nos sentire, etiam sentimus: neque cũ audimus sonum, nostrum etiã audimus auditum; neque cum olfacimus rosam, olet nobis aliquid, & ipsæ olfatus; neque quicquam gustantibus, sapit in ore, ipse gustus, nec tangentes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum, possumus tangere: manifestum est quinque istos sensus, nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis eis, corporalia quæque sentiantur; ratio verò non alia re seipsam, nisi seipsa, id est, ratione, comprehendit? An aliter scires, te habere rationem, nisi id ratione perciperes?* Et ratio Philosophica huius veritatis, quæ experientia comprobatur, ex eo desumitur; quia potentia solùm percipit, quę sub obiecto suo continentur, & sub obiecto nullius potentiæ materialis continẽtur ipsius potentiæ actus, visio enim v.g. non est color; potentiæ verò immateriales habent obiecta vniversalia, & transcendentia, vndè sub suo obiecto, comprehenduntur sui actus, sicut intellectio est ens, & quoddam verùm, solùm ergò potentiæ immateriales possunt de suis actibus reflexe iudicare.

*Aug. lib. 2. de Lib. Arbit. cap. 3.*

## SECTIO SECVNDA.

*Idem assumptum prosequitur, & Iansenij error ex Div. Thom. redarguitur.*

125 SEcunda ratio D. Th. valdè notanda, cùr in brutis nõ sit libertas arbitrij, his verbis traditur: *Et similiter est in eis, quædam similitudo liberi arbitrij, in quantũ possunt agere, vel non agere vnum, & idem, secundùm suum iudicium, vt sic sit in eis, quasi quædam conditionata libertas, possunt enim agere, si iudicant esse agendum, vel non agere, si non iudicant; sed quia iudicium eorum est determinatum ad vnum, per consequens, & appetitus, & actio ad vnum determinatur. Vndè secundùm August. 11. super Genes. ad litteram,* moventur visis, & *secundùm Damas.* aguntur passionibus: *Quia, scilicèt, naturaliter de tali viso, & de tali passione, sic iudicant. Vndè necessè habẽt ab ipsa visione alicuius rei, vel à passione insurgenti moveri ad fugiendũ, vel prosequendum, sicut ovis viso lupo necessè habet timere, & fugere, & canis insurgente passione iræ, necessè habet latrare, & prosequi ad nocendum; sed homo non necessariò movetur ab his, quæ sibi occurrunt, vel à passionibus insurgentibus: quia potest ea acsipere, vel refugere, & ideò homo est liberi arbitrij, non autem bruta.*

*D. Thom. q. 24. de verit. art. 2. in corpore.*

¶ Hanc rationem docuit Div. Bernardus. Ita de brutis scribens: *Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu, neque enim iudicium habẽt, quo se diiudicent, sivè regant, sed nè instrumentum quidem iudicij, id est, rationẽ: indè est, quod non iudicãtur. Quanam quippè ratione ab his exigatur ratio, quàm non acceperunt? Hanc vim à natura solus homo non patitur, & ideò solus inter animantia liber.*

*D. Bernard. Serm. 81. in Cantica.*

Sed opponit Dr. S. *Hoc est signum, quòd homo sit liberi arbitrij, vt*

*D. Tho. q. 24 de verit. artic. 2. arg. 7.*

*Sancti dicunt; quia præceptis ad bonum inſtigatur, & à malo retrahitur: videmus autem bruta allici beneficijs, & moveri præceptis, aut terreri minis ad aliquid agendum, vel dimittendum; ergò bruta ſunt liberi arbitrij.* ¶ Reſp. Dr. S. *Quòd tàm homines, quàm bruta beneficijs inducuntur, & flagellis prohibentur, vel præceptis, & prohibitionibus; ſed diverſimodè; quia in poteſtate hominum eſt, vt eiſdem rebus ſimiliter repræſentatis, ſivè ſint præcepta, & prohibitiones, ſivè ſint, beneficia, & flagella eligant, vel fugiant, iudicio rationis. Sed in brutis eſt iudicium naturale determinatum ad hoc, quòd id, quòd vno modò proponitur, vel occurrit, eodem modo accipiatur, vel fugiatur.*

*D. Thom. ibi ſolut. ad 7.*

126 Hinc infero duo: 1. Quàm futilè ſit argumentum, quòd Janſeniani deſumunt ex carentia libertatis in brutis; ad inferendum liberum conſiſtere in perfecto voluntario, & non in poteſtate indifferenti ad vtrũlibet; ſic enim colligunt: rationalia differunt à brutis in perfectione libertatis; ergò, & in conſtitutivo huius perfectionis; ſed non differunt à brutis in indifferẽtia poteſtatis, quia bruta etiam habent indifferentiam ad extrema oppoſita, ſolùmquè differunt in ratione voluntarij, quia in brutis eſt voluntarium imperfectum ſine advertentia rationis; ergò.

*Roſende t. 2. diſp. 2. diviſione 3. n. 31*

Sed quis non videat, aut nullius eſſe momenti difficultatem hanc, aut ea Janſeniani pariter implicari: cùm enim doceant, libertatem hominis innocentis per indifferentiam poteſtatis conſtitui, quomodò ergò bruta differunt ab hominibus in illo ſtatu in perfectione libertatis, ſi cõveniũt in indifferentia ad oppoſita, libertatis conſtitutiva? Non poterit Adverſarius ſe expedire, quin, & ſuum argumentum diſſolvat; vnum reſpõdebit, quòd libertas hominis integri prẽter illam indifferentiam perfectũ voluntarium includebat, quod brutis repugnat; ſi ergò hęc duo nos ad libertatem hominis lapſi neceſſaria ſtatuimus, licèt per indifferentiam poteſtatis conſtituatur libertas, iuſtè à brutis relegatur.

Hoc argum. ſibi oppoſuit Dr. S. his verbis: *Illud dicitur eſſe liberum, quòd non eſt obligatũ alicui, ſed anima bruti non eſt obligata ad alterum oppoſitorum, quia potentia ipſius non eſt determinata ad vnum; ergò anima bruti habet liberum arbitrium*, locus erat denegandi brutis libertatẽ vnicè propter defectum cognitionis; cõcedendo brutis veram indifferentiã poteſtatis; ſed aliter docet Dr. S. *Quòd quamvis in brutis ſit quædam indifferentia actionum, tamen non poteſt propriè dici, quòd ſit in eis libertas actionum, ſivè agendi, vel non agendi ::: quia quamvis ſit indifferentia ad agere, & non agere in bruto, conſiderata ipſa actione ſecundùm ſe ipſam, tamen conſiderato ordine eius ad iudicium, à quo provenit, quòd eſt determinatum ad vnum, etiam ad ipſas actiones obligatio quædam derivatur, vt non poſsit in eis inveniri ratio libertatis abſolutè*; vndè evidẽtem rationem tradit Div. Thom. cùr indifferentia, quæ eſt in brutis ad libertatem non ſufficiat; quia eſt indifferentia ad actionem ſecundùm ſe, non comparatione ad iudicium, cui bruta reluctari non poſſunt. Et ideò ſicut in nobis eſt neceſsitas conditionata cum libertate abſoluta, in brutis aſſeruit Dr. S. eſſe libertatem conditionatam, quia poſſunt ſic, vel aliter iudicare, ſed neceſsitatem abſolutam, quia à iudicio poſito neceſſariò rapiuntur. ¶ Quàm alij non immeritò vocant indifferentiam *obiectivam*, non Dominij, & *electivam*, in qua libertas conſiſtit, cuius ſignũ eſt, quòd omnia animalia eiuſdem generis ſemper vno modò operãtur, vt omnes apes vno modò melificant, omnes formicę ſibi provident, & om-

*D. Tho. q. 24 de verit. argum. 3.*

*D. Tho. ibi, ſolut. ad 3.*

omnes oves viſo lupo fugiunt, &c. Cuius oppoſitum experientia docet in hominibus. Vel vt alij dicunt; bruta carent *indifferentia*, non *contingentia*, ambiguitas enim, quæ ſuboritur ex contingentia, non determinatur intrinſecus ab ipſo appetitu, ſed extrinſecus ab apprehenſione obiecti.

127 Infero 2. Validiſsimè Janſenianum Dogma confutari ex hac 2. D. Thom. ratione: ſic enim 1. diſcurro: Neceſsitas illa, qua appetitus bruti à paſsione inſurgente movetur eſt inimica libertatis, quia ex illa, & non ſolùm ex defectu rationis Dr. S. brutis denegat libertatem, ſed neceſsitas illa non eſt coactio interna, ſed ſimplex auferens poteſtatem ad oppoſitum, vt indubium, ergò non ſola neceſsitas coactionis eſt libertati inimica. ¶ 2. Bruta neceſſariò moventur à paſsionibus inſurgentibus, non homo, ſed cùr homo non neceſſariò movetur? *Quia poteſt ea accipere, vel refugere, & ideò homo eſt liberi arbitrij, non bruta*; ait Dr. S. ergò neceſsitas libertati opponitur, & homo eſt liberi arbitrij, quia habet indifferentiam poteſtatis ad oppoſita. ¶ 3. In hominibus ex præceptis demonſtratur libertas, *quia in poteſtate hominum eſt eiſdem rebus ſimiliter repræſentatis, quod eligant, vel fugiãt*, cuius oppoſitum accidit in brutis; ergò eſſe in poteſtate, obiectum propoſitum eligere, vel fugere; libertatem arbitrij demonſtrat. ¶ 4. Quia in brutis *ex iudicio determinato deriuatur obligatio quædam ad actiones, nõ poteſt in eis inueniri ratio libertatis*, vbi brutis; Dr. S. non ſolùm abiudicat libertatem ex imperfectione cognitionis, ſed etiam, quia ex iudicio determinato obligantur ad agendũ; ſi agens liberum poteſt ex iudicio neceſsitari ad agendum, hæc obligatio in brutis, cùr libertatem oppugnat? Etſi obligatio actionis, ex iudicio proueniens, libertatis eſt inimica, quomodò cùm obligatione, quæ eſt in Deo ad amorem ſui, & in beatis ex viſione ad amorem Dei, erit amor Dei liber in Deo, & in beatis; vt Janſenius defendit?

*D. Thom. vbi ſup. in corp.*

*D. Tho. vbi ſup. ſolut. ad 3.*

*D. Tho. vbi ſup. ſolut. ad 3.*

## SECTIO TERTIA.

*Liberi arbitrij notio, & libertatis ſpecies, iuxtà mentem Angelici Doctoris explicantur.*

128 INter varias liberi arbitrij definitiones rectè extollunt N. Thomiſtę, quàm tradidit M. Sententiarum, & illuſtravit plurimis in locis D. Thom. & his terminis circunſcribitur: Liberum arbitrium eſt *facultas voluntatis, & rationis habens ſe ad vtrùmlibet*, quàm notionẽ libertatis mirificè expoſſuit D. S.

*M. Sent. in 2. diſt. 24. D. Thom. a. 24. de verit. art. 1. arg. 6 & in argu. ſed cont. 3. & art. 3. in principio, & alibi.*

Primam particulam ſic explicat: *Facultas, nominat quandoquè poteſtatem expeditam ad operandum, & ſic ponitur in definitione liberi arbitrij*; vndè non quælibet poteſtas ad libertatem ſufficit, nec ſub nomine facultatis comprehenditur, ſed ſolũ illa, quæ eſt expedita, & ideò homo ligatus non eſt liber ad ambulãdum, licèt enim habeat potentiam deambulandi, non *facultatem*, quia poteſtas non eſt expedita; quòd alibi, ita elegantèr exponit Dr. S. *Facultas, ſecundùm communem vſum loquendi, ſignificat poteſtatem, qua aliquid habetur ad nutum*; *vndè poſſeſsiones, facultates, dicuntur, quia in Dominio ſunt poſsidentis*; *& ideò liberum arbitrium facultas dicitur, quia actũ ſuum in libera poteſtate habet.*

*D. Tho. in 2. diſt. 24. art. 1. ad 2.*

Nec liberum arbitrium eſt aliquid ſuperadditum voluntati, & rationi: *Imò* (ait Dr. S.) *eſt per eſſentiam ipſa voluntas, vt Damaſc. dicit; differt tamen à voluntate, ratione. Nam voluntas dicitur ſecũdùm quod aliquid abſolutè appetit, liberum verò arbitrium, ſecundùm quod eligit, aliquid propter finem: hic enim eſt*

*D. Tho. 2. ad Anib. d. 24. art. 2. ad 2.*

*actus proprius liberi arbitrij, vndè quòd dicitur, quòd libertas eſt facultas, &c. intelligendum eſt*, intranſitivè, *ideſt, ratio, & voluntas, faciles ad efficiendum.*

Cùr verò liberum arbitrium, vnum cùm ſit, definiatur per voluntatem, & rationem, quæ ſunt potentiæ diverſæ? Reſp. D.r S. *Quia ratio & voluntas habent ordinis vnitatẽ, in quantum ratio dirigit voluntatẽ, & electio non completur ſine iudicio rationis, & appetitu voluntatis, ipſa tamen electio eſt appetitus rei conſiliatæ, vndè liberum arbitrium eſſentialiter eſt voluntas, & non ratio.* ¶ Alibi verò docet, eſſe facultatem voluntatis liberum arbitrium, quia voluntas, eſt formaliter libera; rationis verò, quia ratio eſt libertatis radix, & cauſa; ſic enim affatur: *Radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubiectũ, ſed ſicut cauſa eſt ratio; ex hoc enim voluntas poteſt libere ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni, & ideò Philoſophi definiunt liberum arbitrium, quòd eſt liberum de ratione iudicium, quaſi ratio ſit cauſa libertatis.*

D. Tho. vbi ſup. ad 3.

D. Tho. 1. 2. q. 17. art. 1. ad 2.

Si tamen opponas, rationem non rectè poni in definitione liberi arbitrij, quia ratio nominat cognitionem diſcurſivam, quæ non reperitur in Deo, & Angelis, quibus competit liberum arbitriũ. ¶ Reſp. D.S. *Quòd ratio quandoquè ſumitur large pro omni immateriali cognitione, & ſic ratio invenitur in Deo, vndè Dionyſius inter divina nomina, rationem ponit, 6. cap. de Divinis nominibus. Alio modò accipitur propriè pro vi cognoſcitiva cum diſcurſu, & ſic ratio, nec in Deo, nec in Angelis invenitur; ſed in hominibus tantum. Poteſt ergò dici, quòd ratio indefinitione liberi arbitrij ponitur ſecundùm primam acceptionem.*

D. Th. q. 24. de verit. artic. 3. ad 1.

Vltima denique definitionis particula, indifferentiam liberi arbitrij exprimit, quàm indifferentiam facultatis, hoc eſt, poteſtatis expeditæ, ſemper edocuit D. Thom. & illã, ita mirificè expoſſuit, dicens: *Cùm autem voluntas dicatur libera, in quantum, neceſſitatem non habet, libertas voluntatis in tribus conſiderabitur, ſcilicèt, quantum ad actum, in quantum poteſt velle, vel non velle, & quantum ad obiectum, in quantũ poteſt velle hoc, vel illud, & eius oppoſitum, & quantum ad ordinem finis, in quantum poteſt velle bonum, vel malum.*

D. Th. q. 22. de verit. artic. 6. in corpore.

129 Ex his indifferentijs, quas edocuit D.r S. libertas communitèr dividitur; alia enim eſt libertas quoad exercitium, & dicitur etiam contradictionis, quia eſt dum voluntas, non habet neceſsitatem quantũ ad actum, ſed eſt indifferens ad velle, & non velle: Proùt hæc libertas nominatur quoad exercitium; dividitur contra libertatem, quoad ſpecificationem, quæ eſt quantum ad obiectum, dum, ſcilicèt, voluntas caret neceſsitate, erga illud obiectum, ſed eſt potens velle oppoſitum, ſeù contrarium, & ſic ſolet vocari contrarietatis, quia poteſt verſari erga contraria bona; quæ libertates ita ſe habent; vt libertas quoad ſpeciem ſemper ſit libertas quoad exercitiũ, ſi enim voluntas poteſt velle *A*, & eius oppoſitum, poterit velle, & non velle *A*, non enim vellet *A*, dum vellet, quòd ei opponitur: Poteſt verò libertas quoad exercitium dari ſine libertate quoad ſpeciem, quia ſtat voluntatem poſſe velle, & non velle *A*, quin poſsit velle oppoſitum, vt reſpectu beatitudinis in cõmuni, in voluntate accidit.

Proùt verò libertas quoad actus vocatur, contradictionis, opponitur libertati, quantum ad ordinem finis, quæ vulgò dicitur contrarietatis, & eſt dum voluntas, non habet neceſsitatem ad bonum, ſed poteſt velle bonum, & malum; quæ libertas non poteſt dari ſine libertate contradictio-

ctionis, qui enim potest velle bonũ, & malum; potest velle, & non velle bonum, dum enim vellet malum, nõ vellet bonum; libertas verò contradictionis, sine libertate contrarietatis accidit; vt in impeccabilibus, plura enim bona, imò, & omnia creata potuit Deus v. g. non velle, impotens velle malum.

## SECTIO QVARTA.

*Definitio altera liberi arbitrij, quæ sic describitur, causa libera est, quæ positis omnibus requisitis, &c. solùm debet admitti in sensu composito, potestatis non agendi, cum requisitis ad agendum, in quo sensu coincidit cum definitione D. Thomæ.*

130 CAusa libera, sic definiri solet; est, *quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere*, hanc definitionem, ita extollunt DD. Societatis, vt quàm plurimi de alia non curent, sed potiùs omnes Authores, qui hanc approbarunt, vsque ad sacietatem referant, vt videri potest apud P. Ruiz, & P. Ripalda, solentquè increpare N. Thomistis, quòd definitionem, ita communitèr receptam, non admittimus, vt nostra prædiffinitiva decreta, & gratiam ex se efficacem, cum libertate conciliemus.

*P. Ruiz de Scientia, disput. 50. s. 4.*

*Ripalda cõt. Baian. l. 2. d. 14. s. 12.*

Sed nullus, quem viderim ex N. Thom. hanc definitionem reijcit, sed potiùs vno ore ab omnibus admittitur, solùmquè oppugnant sinistram intelligentiam, qua ab Adversarijs exponitur; quia P. Suarez hanc definitionem esse intelligendam in sensu composito, substinet, & diffusè probat, ex quo sicut sententiam, & alij rationes desumpserunt: summa tamen illarum ad hæc reducitur: causa necessaria positis requisitis ad agendum potest non agere in sensu diviso, vt constat in brutis, respectu suarum actionum: in intellectu, respectu assensus, & in Beatis in amore Dei; ergò vt hæc definitio causam liberam exponat, debet intelligi in sensu composito, ita vt non agere possit esse simul cum requisitis ad agendum.

*Suarez Prolog. 1. de Gratia, cap. 3. n. 8.*

Hanc ergò intelligentiam latè impugnant Thomistæ, & probant esse intelligendam definitionem in sensu diviso, quia aliàs falsum sensum contineret, nec posset convenire causę secundæ liberæ, quia hęc exigit ad operandum Dei prædiffinitionem, & motionem præviam, cum quibus nõ stat non agere in sensu composito, quòd ex professo propugnant Mag. Alvarez, Serra, & novissimè, & diffusè M. Lemos. Sententiamquè hanc, ita veram esse velim, vt circa essentiam arbitrij à necessitate liberi, nullam esse quæstionem de re inter vnã, & aliam Scholam desiderarem: & ita mentem meam expono.

*Alvar. l. 4. Responsionũ c. 1. & lib. 12. de Auxilijs, disp. 115. Serra 1. p. q. 83. art. 4. Lemos t. 3. l. 3. art. cap. 4.*

131 Asserendo 1. Hæc liberæ causæ definitio, debet intelligi in sensu composito potestatis non agẽdi, cum prærequisitis ad agendum, & sic intellecta, ita convenit cum prima ex D. Thoma exposita, & desumpta, vt in re omninò coincidant, & solùm in verbis, sit differentia: In secũda parte huius asserti dubium esse nõ potest; quia idem est voluntatẽ habere facultatem, seù potentiam proximam indifferentem, ac habere potestates ad oppositа compositas. In 1. parte huius asserti omnes Thomistæ conveniunt, & nullus ex contrarijs dissentire potest, non solùm enim hãc compositionẽ ad libertatem exposcunt, sed aliam desiderant: Illam, vt certam supponunt. Mag. Alvarez, & Lemos: & probatur 1. Arbitrium liberum est facultas indifferens ad oppositа; ergò simul habet potestatem agendi, & non agendi; aliàs indifferentiam potestatis non haberet; ergò componit potestatem non agendi cũ potestate agendi, & exinde cùm pręre-

*Alvarez, & Lem. vbi suprà.*

prærequiſitis ad agendum, quæ conſtituunt poteſtatem agendi. 2. Poſſe agere cauſę liberæ eſt poſſe agere nō neceſſariò, ſed tale poſſe eſt compoſitum cùm poſſe non agere; ergò. Prob. Min. Poſſe, quòd non eſt compoſitum cum poſſe non agere, eſt cōpoſitum cum non poſſe non agere, quia idem eſt non eſſe compoſitum cum vno contradictorio, ac eſſe cōpoſitum cum alio, implicat enim diviſio realis à duplici contradictorio, ſed poſſe compoſitum cum non poſſe non agere, non eſt poſſe agere non neceſſariò, ſed potiùs eſt poſſe agere neceſſariò, quòd enim ita eſt, vt non poſsit non eſſe, neceſſariò eſt; ergò. Et hoc probat fundamentum P. Suarez: cauſa enim neceſſaria, & non libera poteſt habere poteſtatem non agendi diviſam à requiſitis ad agendum, vt in brutis ex Div. Thoma ſupra docuimus; ergò ad eſſentiam cauſæ liberæ ad agendum non ſufficit poteſtas non agendi, ita diviſa, ſed debet eſſe cum prærequiſitis ad agēdum compoſita, aliàs ſolùm habebit indifferentiam actionum, non libertatem agendi.

*Sup. à num. 125.*

132 Aſſero 2. De eſſentia cauſæ liberæ non eſt poſſe componere non actionem cum omnibus prærequiſitis ad agendum: Ita docent omnes Thomiſtæ; quia hoc non convenit omni cauſę liberæ, ſed potiùs repugnat ſecundo libero, quod prærequirit motionem primi liberi ad agendum, & vt aſſerit Dr. S. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibilè eſt poni, quòd voluntas ad illud non moveatur*, ſed hoc fundamentum nunc non expendo, quia tractatum omnem in hac Sect. conſtringerem: Concedo pro nunc omni cauſæ liberæ convenire poſſe componere non actionem cum omnibus prærequiſitis ad agendum, licèt hoc, quod falſum eſt, verùm foret, hæc poteſtas non eſſet de eſſentia cauſę liberæ, nec pro illius definitione adducēda eſſet.

*D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.*

Ducor 1. Quia definitio, cùm ſit prærequiſita ad ſcientiam comparandam, non debet involuere difficultates in diſcurſu ſcientiæ reſolvendas, ſed communi recte philoſophantiū, & Graviorum Authorum conſenſu, ſtabilita eſſe debet; nec enim invenietur definitio alicuius rei, de cuius convenientia, aut repugnantia ſit inter Sapientes controverſia, licèt ſæpè ſit diſidium, an prædicatum definitionis ſit primordiale, vel ſecus? Sed eſt quæſtio difficillima, an cauſę omni liberę conveniat poteſtas componendi non actionem cum omnibus prærequiſitis ad agendum? Sap. & graviſsimis Authoribus renuentibus, & pro viribus ſubſtinentibus hanc poteſtatem cauſæ ſecundæ liberę repugnare, ita vt nulla acrior controverſia vnquam fuerit; ergò hæc poteſtas nequit, vt prima notio cauſæ liberę aſsignari.

Addo: Notionem liberi arbitrij agnovit, & Calvinus, ſolùmquè aberravit, quia illam communem definitionem nobis convenire negavit; ſic enim aſſerebat: *Quæſo quiſque eſt, qui dum aſsignari homini liberū arbitrium audit, non ſtatim concipit illum eſſe mentis ſuæ, & voluntatis Dominum, quæ flectere ſe in vtramvis partem à ſeipſo poſsit?* Et mentē ſuam clariſsimè expoſſuit ibidem, dū actiones noſtras eſſe in noſtra poteſtate in eo, ait conſiſtere: *Quod ſi quid boni agimus, poſſumus id omittere: ſi quid mali perpetramus, poſſumus id quoque refugere.* Et ideò Tridentini PP. hanc eandem notionem libertatis nobis convenire definierunt, dum *liberum noſtrum arbitrium, quòd cooperatur aſſentiendo, poſſe diſentire ſi velit* declararunt. Similitèr Janſenius nobiſcum convenit in notione libertatis à neceſsitate, fatetur enim in indifferentia illa poteſtatis ad oppoſita conſiſtere, à veritate verò Catholica receſsit, quatenus hanc indifferentiam, quæ

*Calvinus, l. 2. inſtit. c. 2. num. 7.*

*Calvin. ibid. num. 3.*

*Trident. ſeſſ. 6. Can. 4.*

ho-

homini integro conceſsit, nobis lapſis denegavit,& ſine illa noſtrũ meritum,& demeritum ſubſiſtere, abſurdè propugnavit; ſi ergo notio, & eſſentia liberi arbitrij fuit Hæreticis, & Catholicis communis, & controverſia ſiſtebat, an nobis conveniret, vel ſecus; illa liberi arbitrij communis conceptio? Cùr Catholici in prima notione libertatis non conveniemus,& controverſia ſit, an voluntati prædeterminatę conveniat,vel non, hęc libertatis eſſentia?

133 Ducor 2. Per componere cum requiſitis ad agendum poteſtatem proximam nó agendi differt cauſa libera, à cauſa neceſſaria, nulla enim cauſa neceſſaria habet ſimultatem poteſtatum ad oppoſita; ergò hęc ſola compoſitio poteſtatum ſufficit ad conſtituendam cauſam libere agentem.¶ Explicatur hoc: ſuppone voluntatem cum omnibus requiſitis ad conſenſum,& cum prædeterminatione compoſita cum poteſtate diſſenſus,& incomponibili cum diſſenſu,ſicut defacto conſenſus inconiungibilis cum diſſenſu,apud omnes; componitur cum poteſtate diſſenſus: & inquiro; in hoc caſu voluntas prædeterminata foret libera,vel non?Si 2. in contra eſt. 1. Quomodò non foret libera, ſi ita conſentiret, vt poſſet diſentire ſi velit? Nil enim ampliùs Tridentinum ad libertatem expoſcit.¶ 2. Cùr non eſſet libera ſi nulla neceſsitate ſimplici oppreſſa conſentiret? Implicat enim neceſsitas conſenſus, quæ ſimplex, & vera ſit; vbi eſt vera,& proxima poteſtas diſſenſus: Si 1. & tamen tunc non eſſet poteſtas coniungendi diſſenſum cum requiſitis ad conſenſum, ſed ſolùm eſſet poteſtas diſſenſus compoſita cum requiſitis ad conſenſum; ergò hęc ſola compoſitio poteſtatum ſalvat libertatis eſſentiam.¶ Dices; hypotheſin eſſe chimæram, & implicare libertatem conſenſus, dum non eſt poteſtas componendi diſſenſum cum re quiſitis ad conſenſum,& rationem eſſe, quia ſine hac poteſtate nequit, dum adſunt requiſita ad conſenſum, eſſe poteſtas diſſenſus.¶ Sed cõtra. Veritatem ſolutionis non diſputo, ſed ita ſubſumo; ergò colligis in voluntate ſic prędeterminata non eſſe libertatem,dum non poteſt componere cum prędeterminatione diſſenſum, quia non poteſt eſſe in illa vera poteſtas diſſenſus; ergò ſupponis eſſentiam libertatis conſiſtere in requiſitis ad conſenſum,& poteſtate diſenſus. P. Conſeq. Quia ſolùm ex defectu eſſentię rei probatur à priori, deficere rem.¶ Vndè non ſit diſſidium circa eſſentiam libertatis, ſed eſſentia libertatis ſuppoſita,vertatur in dubium: An in voluntate ſic prædeterminata reperiatur ſine contradictione libertatis eſſentia, vel non? Dum enim controverſia dirimenda ſit per eſſe, aut non eſſe poteſtatis ad diſenſum, iam ſupponitur, eſſentiam libertatis in coniunctione harum poteſtatum conſiſtere, etſi vlteriùs libertas exigit hęc,vel illa prędicata; erit, quia ſimultas poteſtatum, illa deſiderat.¶ Quod ipſi Adverſarij inter ſe diviſi ſuadent, alij affirmant non eſſe libertatem,dum volũtas, non poteſt cõponere diſſenſum, cum requiſitis mediatis ad conſenſum; alij dicunt ſufficere ad libertatem, poteſtatem ad componendum diſſenſum cùm prærequiſitis immediatis, non mediatis: Alij ſubſtinent, omnia antecedentia conſenſum debere eſſe coniungibilia cum diſſenſu, alij dicunt ſufficere eſſe impedibilia per diſenſum: Nonnè hoc eſt diſputare de eſſentia libertatis? Minimè; ſed in dubium vertere, an in his,vel illis circunſtantijs,inveniatur libertatis eſſentia aliundè ſuppoſita? Ergò in cõtroverſijs cùm extraneis, idem accidere debet,& non graviſsimam difficultatem, ex communi notione libertatis,velle reſolvere.

ADDI-

## ADDITIO.

134 Doctor Prado, Complutenſis, meæ, olim, Magiſtralis Eccleſiæ SS. Martyrum Iuſti, & Paſtoris Archipresbyter, & Canonicus, in ſuo perdocto libro de Libero Arbitrio, noviſsimè edito, quia ſcripſi, illam definitionem cauſæ liberę, *quæ poſitis omnibus requiſitis, &c. nullum ex Thomiſtis, quem viderim, reijcere*: Sed omnes eam admittere, ſolùmquè oppugnare intelligentiâ, qua à PP. Societatis exponitur: Poſtquàm retulit M. Sendin, ex Familia Seraphica, ſcribẽtem, Dominicanos, Alvarez, Ledeſma, & Cabeçudo: aſſeruiſſe, veram libertatis definitionẽ, apud antiquos Authores, non reperiri; ita ait: *Non itaque fruſtraneus eſt labor impenſus prædictæ definitioni, ratione, & authoritate firmandæ: ſiquidem nonnullis Thomiſtis, & quidem nobilibus, diſplicuiſſe conſtat; vt etiam tradiderat P. Izquierdo; apud quem, ſi legere placuiſſet, potuiſſet reperire* D. Caſtell *Thomiſtas huic deſcriptioni refragantes; vt etiam oſtendit P. Echeverria.*

*Sendin, tract. 4. de Libero Arbit. diſp. 1. ſect. 2. num. 9.*

*Prado de Libero Arbit. diſp. 1. ſect. 1. num. 4.*

*Izquierdo de Deo vno, diſp. 30. q. 6. num. 4. & q. 10. n. 443*

*Echeverria de Angelis, diſp. 8. c. 2. num. 18.*

Mihi placuit legere P. Izquierdo, vt ſcirem ſententias P. Izquierdo, vt ſcirem ſententias Thomiſtarũ, ſecuriùs iudicavi legere, & conſulere Thomiſtas ipſos: legi *DD. Societatis*, vt ſcriberem, *ſolent increpare Thomiſtas, quia definitionem, ita communitèr receptam, non admittimus.*

135 Vndè dico: Thomiſtis, nullatenus conſtat, illam definitionem diſplicuiſſe; nec potui reperire Thomiſtas ei refragãtes: Thomiſtæ enim ſolùm reijciunt illius definitionis intelligentiam, quàm ſiniſtram, iudicant, & tradunt DD. Societatis.

Primam partem probo. 1. Quia M. Sancto Thoma, aſſerit *illam definitionem eſſe communitèr, apud omnes, receptam.* Mag. Medina; aſſerit: quòd *cauſa libera ſic definitur ab vniverſis Theologis*; Nazarius ait, *in ſenſu diviſo, omnes hanc definitionem admittere.* Illuſt. Caramuel, ſcribit; *Faſolus talem explicationem cauſæ liberæ, dicit* receptiſsimam definitionem cauſæ liberę, quàm omnes Theologi recipiunt: *Et eam appellat*, vulgatiſsimam definitionem cauſæ liberæ, & *affert pro ſe, inter alios, Zumel, & poſſet vniverſos, ſi vellet*: Quomodò hæc aſſerunt, Authores eruditiſsimi, ſi *conſtat nonnullis nobilibus Thomiſtis definitionem diſplicuiſſe*, & facilè eſt *reperire Thomiſtas ei refragantes?*

*Ioan. à Sãct. Th. q. 12. de Anima, artic. 3.*

*Medina in 1. 2. q. 10. artic. 4.*

*Nazarius in 1. p. q. 19. artic. 10. folio 716.*

*Caramuel Theol. Fundam. lib. 1. num. 21.*

*Faſolus, q. 14. art. 13. dub. 9. n. 100*

*Oviedo cont. 11. de Anima, punt. 2.*

Probo 2. Quia lego P. Oviedo, aſſerentem: *Potentia libera ab omnibus definitur*, quæ poſitis, &c. *Hæc eſt omnium Philoſophorum mens, qui vno ore definitionem adductam proferunt*: ſi omnium Philoſoph. mens; omnium erit nobilium Thomiſtarũ. ¶ Addo 1. RR. Thyrſo per tres Sectiones increpat Gummarũ Huigens, celebrem Doctorem Lovanienſem, quia intrepidè negat illam definitionem libertatis *ab omnibus Theologis, Scholaſticis, & Patribus admiſſam.* Imò, & quam; *Catholici omnes amplectuntur*: Vndè 1. Omnes Theologi, Scholaſtici, & Catholici definitionem iſtam amplectuntur, ergò, & omnes Nobiles Thomiſtæ; qui Catholici, Theologi, & Scholaſtici ſunt. 2. Quia ſi verùm eſt, quòd ait Doctor Prado: facilè reijceret Gummarus, increpationem RR. Thyrſo, aſſerens, quid mirum me non admittere definitionem: *Siquidem nonnullis Thomiſtis, & quidem nobilibus diſplicuiſſe conſtat, vt tradiderat P. Izquierdo apud quem, ſi legere placuiſſet, potuiſſet reperire* RR. Thyrſo, *Thomiſtas huic deſcriptioni refragantes.* ¶ Addo 2. Doct. Prado feſtinanter legiſſe M. Sendin, ex Familia Seraphica pietate, accumine, & eruditione clarum; iſte enim M. ſupponit, nulli ex Thomiſtis, definitionem diſplicuiſſe; ita enim ait: *Explananda venit definitio libertatis, quæ, etſi ab omnibus ad-*

*Thyrſo de Statu naturæ puræ, diſp. 4. ſect. 64. & 65. & 66.*

*Ibi ſect. 64.*

*Ibi ſect. 66.*

*Sendin vbi ſuprà, n. 8.*

*admittatur, non tamen in eodem sensu*: Et postquàm assignavit definitionem; ait: *Hæc definitio admittitur ab omnibus, tàm Recentioribus, quàm Aut quis.* Et ideò exponit sensum, in quo definitio admittitur ab *Alvarez, & Ledesma.*

*Sardin ibi. num. 12.*

*Martinez de Prado, Metaph. 2. p. contr. 11. num. 81*

Etiam olim M. Ioannes Martinez de Prado Dominicanus, & Complutensis Primarius, probavit Thomistas, *Alvarez, Ledesma, & Nuño Cabezudo*, non reijcere illam definitionem, sed solùm nõ admittere sensum, in quo ab aliquibus explicatur: clarissimis horum Authorum verbis: omnes igitur Thomistæ definitionem admittimus in sensu composito *potestatis non agendi* cùm requisitis ad agendum; Et illam reijcimus, in sensu cõposito *non actionis* cùm requisitis ad agendum; In hoc secundo sensu negamus apud Authores antiquos reperiri. In primo solùm negari à Jansenio, & eius discipulis; vndè non est *inutilis concertatio*, multum enim Jansenistis favet, qui eis adiungit, in reijcienda definitione illa, nonnullos nobiles Thomistas.

*Iansenius, lib. 8. de Gratia salvatorius, cap. 9. col. 866.*

136 Vt secundam partem suadeam, controversiam, scilicet, inter Thomistas, & PP. Societatis, non fuisse de definitione, sed de illius sensu; prætermitto, quæ adducit M. Martinez de Prado, ex Capreolo, Deza, Soto, Ferrara, Bañez, Nazario, Medina, & Sancto Thoma; Et transcribam SS. Lemos, qui postquàm definitionem ex P. Molina, & Suarez, explicuerat; ait: *Prædicta definitio, & eius prava intelligentia impugnatur.* Itaque scripsit: *Si prædictam arbitrij definitionem, ita intelligerẽt ij Authores, quòd de ratione libertatis sit, vt positis omnibus antecedentibus requisitis, etiam ipsa prævia Dei motione*, possit arbitrium operari, & non operari, ad hunc sensum, quòd semper retineat, quacumque prævia Dei motione præhabita, potentiam, & liberam facultatem ad operandum, & non operandum, licèt defacto semper velit operari id, ad quod Deus ipsum movet, congruè arbitrij libertatem explicarent, & commodè libertatis rationem definirent, & per definitionem talem, non solùm damnatam Hæresim Pelagianorum effugerent, sed etiam Calvinistarum, & Lutheranorum impios errores evitarent; & rectè in hoc sensu possent Theologi hac definitione vti, etiam si illa alia, quæ ex Sancto Augustino, & Sancto Thoma habetur, non vterentur, quia tunc non de re ipsa, sed de verbis dumtaxàt esset differentia, quia verò, non in hoc sensu illam introduxerunt, sed in alio valdè diverso, atquè contrariò, iam suprà a nobis relato, quòd videlicèt, de ratione libertatis sit, vt omnibus illis antecedentibus requisitis, etiam illa prævia Dei motione, ita arbitrium possit operari, & non operari; vt simul stet, quòd illa Dei prævia motio in libero arbitrio ponatur, & quod arbitrium non operetur; & iste sensus inflexibilis sit, nec in hoc sensu, nisi à Nominalibus tradita fuerit talis definitio: ideò omnibus modis talis definitio reijcienda est, tanquã plurimarum falsitatum origo. Non ergo *contra illam definitionem, vt iacet instamus, sed contra illius falsam intelligentiam, & explicationẽ.* Hucusquè Sapientissimus Lemos.

*Martinez de Prado vbi suprà.*

*Lemos, lib 3 part. 1. tract. 2. c. 4.*

A principio igitur controversiæ inter Dominicanos, & Jesuitas, nulla fuit concertatio de præiacta definitione: sed de illius sensu; An, scilicèt, debeat intelligi in sensu composito, vel diviso? Vel clariùs, omnes supponimus causam liberam exigere *compositionem*, seù *simultatem potestatum* ad agere, & non agere, quia per talem compositionem, & simultatem differt à causa necessaria, in dubium vertitur vnicè; An causa libera exigat potentiam componendi non agere, cùm omnibus requisitis ad agendum? Negamus: Quia sicut

non exigit causa libera potestatem componendi *non agere*, cùm *agere*; ita nec cum omnibus requisitis ad agere, quia plura connectuntur cum agere; vndè quia multifariam, sensus *compositus*, & *divisus* accipitur; clariùs erit exprimere compositionem, quàm fatemur, & quàm reijcimus.

## ADDITIO.

137 RAtiones adductas, vt nō sit de essentia causæ liberę: *Potestas componendi non actionem, cùm omnibus requisitis ad agere*, examinant; P. Aranda, & Doctor Prado; P. Aranda ait: *Sunt sine nucleo, quæ Castell opponit ... singula lego, & valdè miror singula in Viro aliàs ingenioso.* Ad rem accedamus.

*P. Aranda, disp. 13. de Scientia, sect. 3. à n. 107. Doct. Prado disp. 1. de Libero Arbit. sect. 1. à n. 7. Vbi suprà, num. 132.*

Ad id, quo Ducor 1. Resp. *Aliud est dubitare de definitione aliqua, ante animum præoccupatū, & cum attentione ad antiquitatem Scholasticam: & aliud inducere dubitationē, ex opinione nova, animū præoccupante, & cogente deserere definitionem; hoc video in prædeterminantibus; & non illud.* Sine nucleo est argumentum, talem extorquens solutionem? Scholas, Prędeterminantium, & Scientiæ Mediæ, doctrina nobiles, quarum tanta gloria est; vt nullius laudibus crescat, vituperatione vè minuatur, calumnijs agere, est eas ignorare, non opprimere. Vtiliùs est eas discere, quàm dicterijs onerare; densa caligine obscuravit gloriam, eruditi Authoris, facilitas censurandi; sed de his satis. Pro me, cùm Augustino, dicam: *Sic audire debeo contumelias tuas, quomodò laudes tuas.*

*Aug. lib. 3. contr. Iul. oper. imperf. cap. 10.*

Sed instauro Argumentum: Nequit esse prima notio, aut definitio, quòd probabilitèr affirmatur repugnare definito; sed probabilitèr affirmatur, repugnare causæ liberæ componere non operationem, cùm omnibus requisitis ad operandum; ergò potestas componendi non operationem, cùm requisitis ad operandū, nequit esse prima notio, aut definitio causæ liberæ. Mai constat: Quia Aristoteles definitionem vocavit, principium demonstrationis, aut conclusionem: Nec facilè erit invenire, in vniversa Theologia, definitionem, de qua probabilitèr asseratur repugnare definito. Min. est indubia, quia opinio, quàm novam vocas, & animum præoccupantem, est certo probabilis, & eam censurare ab Ecclesia prohibitum.

*Phi. lib. 1. post. cap. 2. & lib. 2. c. 10.*

138 Alitèr Resp. D. Prado: Omnes debere convenire, in conceptu libertatis obscuro, independente ab opinionibus probabilibus, & indigēti expositione; non esse autem necessè, vt quando accedimus ad expositionem definitivam libertatis, in sensu illius, conveniamus; sicut non omnes convenimus in sensu exhibendò definitioni generationis, aut substantiæ, licèt in definitionibus, omnes cōveniamus. Sed contra; Ita explicare definitionem, non est essentiam libertatis declarare; quia *essentia cuiuslibet rei declaratur per aliqua certa, quibus, nec addere opportet, nec subtrahi.* Ait Div. Thom. sed non est *certum* causam liberam, posse componere non agere, cùm omnibus requisitis ad agendum; necessèque est huic conceptui addere, aut subtrahere, cùm non sit in causa libera potestas componendi non actionem, cùm requisitis ad agere impedibilibus; vt ipse Prado fatetur; ergò per talem potestatē non declaratur essentia libertatis; potiùs certa, cùm incertis confunduntur. Explicatur: Definitio generationis, aut substantiæ, nequit exponi per prædicata, quæ non conveniant *certo* definitis; ergò similitèr.

*D. Thom. lib. 2. poster. lect. 4.*

*Prado vbi suprà.*

Ad id, quòd addo: Resp. Ita P. Aranda: *Quod additur de Calvino, & Iansenio taceri potuisset: Dicimus eos se gessisse, ac si quis fateretur, aliquod ens esse hominem, & negaret esse*

*P. Aranda vbi sup.*

*esse animal rationale; hæc tàm stupida, nolumus dici de Catholicis adeò doctis.* Solutio manifestat Authorem adeò doctum non legisse argumentum. Vis eius erat, Hetherodoxos intellexisse per arbitrium esse liberum, esse in potestate indifferens ad oppositа; vndè non se gesserunt, ac si quis fateretur aliquod ens esse hominem, & negaret esse animal rationale; sed vtrùmquè negarunt, nobis lapsis convenire libertatem à necessitate, eiusque notionem, & definitionem: Ex Calvini testimonijs cõvincimus, indifferentiam potestatis relegare à nobis, cùm libertatem nobis addimit; Consule Illust. Caramuel; id suadentem, ex alijs Calvini verbis, ex Luthero, ex Chamiero, & Bucero immò hoc exigitur; vt Controversia inter Catholicos, & Hæreticos, de libertate à necessitate hominis lapsi, sit de re, & non de nomine; dum nos affirmamus, & illi negant, vt de re litigemus, in re significata per nomen libertatis, convenire debemus; Jansenius similitèr in notione *libertatis à necessitate*, nobiscum convenit, vt multis probat Caramuel; sed nobis eam negat, exclamat enim: *Paradoxum est, & in Augustini doctrina inauditum, quòd aliquis actus voluntatis, propterea liber est, quia ab illo desistere voluntas, & non agere possit.* In notione verò, *liberi arbitrij*; non convenit cum Calvino; ideòquè licèt Jansenius profiteatur libertatem arbitrij, expræsè à Calvino negatam; concertatio inter Calvinum, & Jansenium est solùm de nomine: Vterquè enim ab arbitrio excludit coactionem, & arbitrium necessitati subijcit; vt superiùs probavimus: sicut ergò in notione libertatis à necessitate convenimus cùm Hetherodoxis, vt de re Controversia sit. An per peccatum libertas à necessitate sit extincta? Similitèr Catholici in definitione libertatis convenire debemus, vt de re disputemus; An per prædeterminationem libertas à necessitate auferatur?

*Caramuel in Theol. fund. n. 1361.*

*Caram. in Theol. fund. num. 27.*

*Jansen. t. 3. lib. 6. cap. 8. colum. 646.*

*Supr. nu. 67.*

139 Ad id, quo ducor 2. Resp. Dr. Prado, ad libertatem sufficere, requisita ad agere esse compatibilia, cùm potestate non agendi, quia est certũ libertatem non deficere, nisi deficiat, vel potestas ad agere, vel potestas ad non agere; sed requisita ad agere esse coniungibilia cum ipso, non agere requiritur ad claram libertatis expositionem. Contra: Quia iam requisita ad agere esse coniungibilia, cum non agere; non erit prima libertatis notio; quia supponis, libertatem extituram deficiente tali prædicato; efficacitèr enim arguitur, risibilè v. g. non constituere hominem, quia rationale non risibilè, esset homo; Et si dicas, risibilè exigi ad claram hominis expositionem; erit explicatio prædicatorum ex essentia proveniẽtium, non tamen, exindè erit primordiale hominis constitutivum; Ergò; requisita ad agere esse coniungibilia cum non agere; non est prædicatum ad essentiam, seù primam notionem libertatis expectans; si exigitur ad eius explicationem, quasi in essentia libertatis radicatum; nunc non disputamus.

*Supr. n. 133. Prado vbi sup. num. 10*

Alitèr Resp. Aranda: negando, consensum esse liberum, in casu prædeterminationis ad consensum compositè cum potestate proxima dissensus: quia ad essentiam libertatis non sufficit ea compositio potestatum: Quod auditurus posteà Thomistas, ita firmat: *Agere necessariò*, tàm venire potest à defectu optionis ad agere, quàm à defectu potestatis ad non agendum. Ergò sine defectu potestatis ad non agendum, stare potest in causa *agere necessariò*: Ergò, & defectus libertatis, cùm compositione potestatum: Consequentiæ sunt evidentes. Et antec. patet: Quia defectus optionis ad agere est defectus libiti in agendo, seù est non agere,

*Aranda vbi sup. n. 109.*

quia vult, quòd eſt defectus libertatis in agendo; ſed ad defectum optionis ad agere, ſufficit defectus cuiuſvis eſſentialis prærequiſiti ad agere, quòd non cadat in optionem, & libitum agentis; ergò à defectu optionis ad agere, ſine defectu poteſtatis ad non agendum, ſtat cauſam *agere neceſſariò*. Iſta (ait) nolunt recentes Thomiſtæ meditari. Vndè ad 1. noſtrã probationẽ Reſp. *Poſſe diſſentire, ſi velit*: eſſe poſſe diſſentire ex libito, & optione operantis; quæ optio deficere poteſt in cõſenſu, ſine defectu poteſtatis diſſenſus. ¶ Ad 2. Quòd neceſsitas ſimplex, ideſt antecedens, eſt ea omnis, quæ non deſcendit ab ipſa voluntate, vt teſtatur Anſelmus.

Sed audiat nos meditantes; defectum optionis in agendo eſſe defectum libertatis, ſed per defectum poteſtatis ad non agendum; meditari enim in voluntate poſſe non agere, & ſine optione in agendo, eſt complicatorium, quia ſi poteſt voluntas nõ agere, & agit; agit, quia vult; & optat agere. ¶ Aſſumptum probo 1. Philoſop. ait: *Quibus in rebus noſtra in poteſtate ſitum eſt agere, in his & non agere; & in quibus non agere, in his & agere.* Super qua verba, Div. Thom. ita ſcripſit: *Si operari eſt in noſtra poteſtate, oportet etiam, quod non operari ſit in noſtra poteſtate, ſi enim non operari non eſſet in noſtra poteſtate, ſic impoſsibilè eſſet non operari; ergò neceſsè eſſet nos operari, & operari non eſſet ex nobis, ſed ex neceſsitate. Quando ergò actus ex omnimoda neceſsitate fit, talis actus, quod fiat, ex nobis non eſt, & ſic liber eſſe non poteſt.* Ex qua doctrina: colligo 1. In quibus *ſitum eſt in noſtra poteſtate non agere*, ſitum eſt & *agere*; ſed *agere* eſt nobis liberum dum in noſtra eſt poteſtate; ergò dũ nõ *agere* in noſtra eſt poteſtate, *agere* eſt nobis liberũ; ſed dum eſt in nobis poſſe non agere; non agere eſt in noſtra poteſtate; ergò dum adeſt poſſe non agere, non eſt *agere neceſſariò*: Subſumptæ patent: Maior eſt in terminis D. Thom. & Philoſophi: Minor eſt expreſſa D. Auguſt. Illamque ſupponũt Theologi impugnantes Janſeniũ, vt ſuprà vidimus; ſufficiat illud: *Quia voluntas eſt in poteſtate, libera eſt nobis. Non enim eſt nobis libernm, quòd in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe, quòd habemus.* Colligo 2. Dum non agere non eſt in noſtra poteſtate; agere eſt neceſſarium: quia non agere eſt impoſsibilè; vt expreſsè ait D. Thom. Ergò dum non agere eſt in noſtra poteſtate, agere non eſt neceſſarium, quia non agere eſt nobis poſsibilè. Conſeq. conſt. Quia ſicut impoſsibilitas vnius contradictorij eſt alteriùs neceſsitas; ita poſsibilitas contingens vnius contradictorij, eſt contingentia alteriùs; vnde meditamur recentes Thomiſtæ cum D. Thom. non poſſe dari *agere neceſſariò*: niſi ſit impoſsibilè non agere; eſt, ergò, optio in agendo, dum adeſt poſſe non agere.

Aſſumptum probo 2. *Sumus Domini noſtrorum actuum*, (ait D. Tho.) *ſecundùm quod poſſumus hoc, vel illud eligere.* Quia in hac indifferentia poteſtatis conſiſtit electivum dominium: *Ex hoc enim liberi arbitrij eſſe dicimus, quòd poſſumus vnum recipere, alio recuſato, quòd eſt eligere*; Ait Dr. S. Vndè *liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus*; docet idem S. Dr. Ergò datur in nobis optio, & electio reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus; ſed ex ipſo D. Th. *Quod poſſibilè eſt non eſſe, non neceſsè eſt eſſe.* Ergò ſi poſsibilè eſt nobis non agere, dabitur in nobis optio, & electio in agendo: Quia *electio ſemper fit per liberum arbitrium, & eſt reſpectu eorum, quæ non neceſsitate, quis vult.*

Aſſumpt. prob. 3. ex Aug. Omiſſis teſtimonijs ſuperiùs allatis, in quibus Auguſt. ſtatuit: *Velle eſſe in poteſtate, dum poſſumus nolle; & mo-*

*Supr. n. 78. & 79.*

*Aug. lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 3.*

*Ariſt. 3. Ethyc. cap. 5.*

*D. Tho. ibi, lect. 11.*

*D. Th. 1. p. q. 82. art. 1. ad 3.*

*D. Th. 1. p. q. 83. art. 3.*

*D. Th. 1. p. q. 14. art. 10.*

*D. Tho. 1. 2. q. 13. art. 6. in corp.*

*D. Thom. 1. cont. gent. c. 88.*

*Vide à num. 81.*

*motum*, esse liberum, si in potestate est *cohibere motum*: M.P. adduco, vbi ait de natura nostra, *quæ cum potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria voluntate se subdidit*; ergò natura nostra, sponte, cum libito, & optione deceptori se subdidit, quia habebat potestatem non delinquendi; ergò semper quod adest potestas nõ agendi, datur optio, & libertas in agendo; ergò *agere necessariò* nequit esse ex defectu optionis ad agere, nisi simul sit, ex defectu potestatis ad nõ agere.

*August. ad artic. 5. sibi falso impositum.*

140 Instauratis iam fundamentis adductis, *vt posse componere non agere, cum requisitis ad agere*, non sit prima notio, aut definitio libertatis: adhùc admisso, quòd omni causæ liberę conveniat: Addo aliud motivum mihi efficax: est certum de fide, scientia demonstratum, & evidenti experientia convictum, existere libertatem in nobis: vt ferè omnes Theologi fatentur; ergò, licèt non sit fide certum, &c. existere omnia constitutiva physica libertatis, vt probavi adversus P. Palanco: debet esse fide certum, &c. existere in nobis constitutiva metaphysica libertatis nostræ: Alitèr, nec credemus, nec demonstravimus, nec experiemur libertatem nostram; sed fide credimus, scientia demõstramus, evidenti experientia convincimus, esse in nobis indifferentiam potestatis, seù dominij electivi ad oppositа; nullatenus tamen, fide credimus, scientia demonstramus, aut evidenti experientia convincimus, esse in nobis potestatem cõiungendi vnum exercitium cum requisitis ad oppositum: vt est indubium; ergò posse componere non agere, cùm requisitis ad agere non est constitutivum metaphysicum libertatis nostræ, expectans ad eius definitionem, seù primam notionem; licèt admittatur, quòd ad nostram libertatem exigitur.

*Vide q. 1. Sup. n. 55.*

# QVÆSTIO QVINTA.

## VTRVM INDIFFERENTIA IN ORDINE AD FINEM ad libertatem sit exacta?

CVm omnem indifferentiam voluntatis liberæ Dr. S. reduceret ad indifferentiam, vel in ordine ad actum, vel obiectum, vel *quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum, vel malum*, de indifferentia quantum ad ordinem finis, constituta per posse peccare, seù velle malum; nunc agimus; postèà verò de indifferentia, quantum ad actum disputabimus.

*D. Thom. adductus, n. 128.*

***

SECTIO

## SECTIO PRIMA.

*Posse peccare non exigitur ad libertatem, potiùs est libertatis defectus.*

141 HANC conclusionē, ita certā iudico, vt otio sum sit pro illa D. D. adducere: Illam prob. 1. ex D. Anselmo asserente: *Si posse peccare esset pars liberi arbitrij, Deus, & Angeli liberum arbitrium non haberent, quòd est absurdum*, ex qua authoritate 1. ita discurro: Deus habet omnem perfectionem libertatis, solùmquè caret libertatis defectu; sed Deus caret potestate peccandi, vt est de fide; ergo potentia peccandi non est libertatis perfectio, sed defectus: Mai. videtur certa, quia Deus habet omnem perfectionem, solùmquè caret imperfectionibus; ergò si habet libertatem, & hac potestate caret, hæc potestas non est libertatis perfectio. Vel alitèr; omne quod est in Deo, est infinite perfectum; sed quod caret aliqua perfectione non est infinite perfectū; ergò libertas Dei potestate peccandi carens, nulla caret libertatis perfectione.

*D. Anselm. de Lib. Arb. cap. 1.*

2. Beati, & Angeli boni āmisserunt per beatitudinem potestatem peccandi, sed non amisserunt perfectionē aliquam per beatitudinem, sed solùm defectus; ergò hęc potestas nō est libertatis perfectio. ¶ Vel alitèr posse peccare est ex terminis imperfectio, libertas est ex se perfectio simplicitèr simplex, sed id, quòd ex terminis est imperfectio, non est perfectio, sed defectus qualitatis, quæ ex terminis est perfectio simplex; ergò.

142 2. Ostendo conclusionem ratione D. Thom. posse peccare non est voluntatis perfectio, sed defectus, sed de perfectione voluntatis est libertas; ergò. Prob. Mai. sicut est proprium intellectus ex principijs procedere ad conclusiones, ita est proprium voluntatis ex fine moveri ad media; sed posse attingere conclusiones prætermisso ordine principiorū est defectus intellectus, quia est posse errare; ergò posse attingere media, prætermisso ordine finis, est defectus voluntatis, sed hoc est posse peccare; ergò. Et hanc doctrinam multoties inculcat D. Thomas.

*D. Th. 1. p. q. 62. a. 8. ad 3.*

*D. Th. q. 24. & 26. de verit.*

## SECTIO SECVNDA.

*Impotens peccare, non solùm perfectiorem, sed maiorem sortitur libertatem.*

143 PEtrus à S. Ioseph, asserit beatos impeccabiles esse, magis liberos, quàm viatores, libertate à peccato, & à miseria: viatores verò esse magis liberos, quàm beatos, libertate à necessitate; quòd ex eo suadet: quia viatores sunt liberi saltem quoad exercitium, erga beatitudinem in communi, & absolutè ab omni necessitate ad amandū Deum, absoluti; sed beati necessariò absolutè amant Deū, & adhùc quoad exercitium, beatitudinem in communi; ergò viatores sunt magis liberi à necessitate, quàm beati. ¶ Tùm, quia beati non habent libertatem à necessitate non peccandi, quia necessariò non peccant, secus viatores; ergò maiorem habent libertatem à necessitate.

*Petrus à S. Ioseph in Opusc. defensionis. Div. Thom. disp. 2. sect. 8.*

M. Gonet, cùm hanc sententiam referat, & impugnet, tandem defendit, in nobis viatoribus potestatem peccandi esse partem, & extensionē libertatis: Quòd prob. 1. Quia, Scriptura, Concilia, & SS. PP. explicant libertatem hominis viatoris per potesta-

*Gonet. disp. 2. de volūt. lib. art. 3. s. 3. in fine.*

testatem extendendi manum ad bonum, & malum; ergò hæc potestas pertinet ad libertatem nostram, vt pars, vel extensio illius. ¶ 2. Peccare est libere agere, sed actus secũdus nequit dari sine actu primo proportionato; ergò posse peccare est libertas inadęquata in actu primo. ¶ 3. Potentia abstinendi à peccato, seù non peccandi est pars nostrę libertatis; ergò, & potentia peccandi, Conseq. Prob. Quia libertas vnius contradictorij per libertatem alteriùs constituitur; vndè S. Dr. ex Aristotele probavit, quòd, si operari est in nostra potestate, & non operari, & ècontra.

*D. Thom. allatus, num. 139.*

144 Hanc tamen sententiam seiungere à prima, quàm impugnat Gonet, arduum mihi videtur, idem enim est dicere, potestatem peccandi esse extensionem libertatis viatorum, ac nostram libertatem, esse extensivè maiorem, libertate beatorum, quæ hac extensione non gaudet, nec credo, quòd prima sententia, maioritatem intensivam, intendat, quia perfectiorẽ crederet libertatem nostram, libertate Dei, & beatorum.

Illustrari etiam potest alijs formis, hęc opinio; quia libertas in indifferentia potestatis consistit: Sed qui habet potestatem peccandi, maiorem habet indifferentiam potestatis; ergò maiorem libertatem. Min. constat, quia, qui habet potestatem peccandi, habet indifferentiam potestatis ad peccandum, & non peccãdum; qui tali potestate caret, talem indifferentiam potestatis non habet; ergò. ¶ Vel aliter; indifferentia opponitur determinationi, qui non habet potestatem peccandi, habet determinationem ad non peccandum; qui potestatem peccandi habet tali determinatione, caret; ergò. ¶ Et difficilè valdè videtur, quòd per beatitudinem, nulla libertas accrescat, & quòd libertas à necessitate non peccandi pereat, quin libertas à necessitate sit diminuta. Quòd per beatitudinem, seù impeccabilitatem, adveniat necessitas simplex, cùm libertate pugnans, & quòd maior tunc sit libertas.

Sed licèt hęc, ex prima apprehensione vera videantur, omninò falsa sunt; per impeccabilitatem enim nõ solùm est perfectior libertas, sed maior, necessitas enim non peccandi, illius extensionem, non minuit, sed auget; potestasquè peccandi non est in nobis viatoribus, libertatis extensio, sed imperfectio, & defectus; ita supponunt Ferrara, & Bañez.

*Ferrara in 3. cõt. gent. cap. 73. & Bañez in 1. p. q. 19. art. 10.*

145 Assumptum probet Augst. qui, cũ Julianus vrgeret: *Liberum non est, nisi, quòd duo potest velle, idest bonum, & malum*; Sic eum arguit: *Liber ergò Deus non est, quia malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, Deus esse, nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?* Sicut ergò hęc collectio Augst. est recta: posse malum exigitur ad libertatem; ergò Deus liber non est, etiam hęc erit recta; posse malum est extensio libertatis; ergò in Deo non est tota extensio libertatis; vndè verba Augst. objicere possumus: *Siccine Deum laudas, vt ei auferas maiorem libertatem?* ¶ 2. Sic loquitur M. P. de Christo: *Nunquid metuendum fuit, nè accedente ætate homo ille, libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat?* ergò ex Augst. voluntas Christi per non posse servire peccato, magis libera erat, & libertate arbitrij, quę est libertas naturę, seù à necessitate; impotentia ergò peccandi libertatẽ arbitrij auget; vndè potentia peccãdi non est libertatis extensio. ¶ Expresse idem edocet M. P. dum de beatis, sic edisserit: *Nec ideò liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterũt, magis quippe erit liberum à delectatione peccãdi*

*Aug. lib. 1. operis imperfect. contr. Iud. f. 150.*

*D. Aug. de Prædestin. Sanctor. cap. 11.*

*Aug. lib. 23. de Civit. Dei, c. vltimo.*

*di, vsque ad delectationem non peccãdi, indeclinabilem libertatem; nam primum liberum, quòd homini datum est, quãdo primum creatus est rectus, potuit nõ peccare, sed potuit, & peccare; hoc autem noviſsimum, eo potẽtius erit, quo peccare non poterit*; vndè in beatis, quia peccare non poſſunt adſtruit arbitrium eſſe magis liberum; & quod intelligi debeat de libertate à neceſsitate; conſtat 1. Quia loquitur de libertate arbitrij, quæ eſt libertas naturæ, ſeù à neceſsitate; 2. Quia poſteà, ita libertatem arbitrij in beatis infert: *Certè Deus ipſe nunquid, quia peccare non poteſt, ideò liberum arbitrium habere negãdus eſt?* Et Deo per impeccabilitatem, libertas à neceſsitate non denegatur.

*Aug. vbi ſuprà.*

146 Idem aſſumptum, confirmat Dr.S. qui rationem ex ipſo deductam; ſic concludit: *Vndè maior libertas arbitrij eſt in Angelis, qui peccare non poſſunt, quàm in nobis, qui peccare poſſumus.* Quomodò in Angelis impeccabilibus erit maior arbitrij libertas, ſi illis deficit poteſtas peccandi, quę adſtruitur extenſio, & pars noſtræ imperfectæ libertatis? ¶ Vndè ratio D. Thomæ non debet proponi, qualiter opponitur contra ſe, ab ipſo Gonet: Poſſe errare (aſſerit) non eſt pars, vel extenſio ſcientiæ; ergò ſimilitèr poſſe peccare, adhùc in nobis, non eſt extenſio libertatis. ¶ Reſp. enim rationem diſcriminis eſſe, quia errare nõ eſt actu ſcire, & ideò non eſt extenſio ſcientiæ, peccare verò cùm ſit libere agere, eſſe libertatis extenſionem. ¶ Sic enim efficacitèr inſtauratur: licèt errare ſit actu intelligere, poſſe errare non eſt extenſio intellectus, ſed illius imperfectio; ergò licèt peccare ſit actu velle, poſſe peccare non eſt extenſio voluntatis, ſed illius imperfectio, & exindè non eſt extenſio libertatis; patet Conſeq. quia ex Div. Thom. ſicut poſſe errare, ſe habet reſpectu noſtri intellectus, & poſſe peccare reſpectu noſtræ voluntatis.

*D. Th. 1. p. q. 62. art. 8. ad 3.*

*Gonet vbi ſuprà.*

147 Ratio autem à priori huius veritatis, tenebras ſophiſmatum depellens, ſic efformatur: libertas noſtra in vera poteſtate, & dominio voluntatis conſiſtit, ſed impeccabilitas veram poteſtatem auget, & non minuit; ergò. P. Min. Impeccabilitas ſolùm pugnat cum poteſtate peccandi, ſed potentia peccandi non eſt in re poteſtas, ſed potiùs eſt impotentia, ſeù potentiæ defectus; ergò: Min. in qua eſt difficultas nõ ſolùm edocuit Dr.S. ſed probavit, & illuſtravit exẽplis; ſic enim ediſſerit: *Quædã ſunt, quæ ſecundùm nomen potentiam important, quæ ſecundùm rem ſunt potentiæ defectus, ſicut multæ negationes ſunt, quæ affirmationibus includuntur, vt cùm dicitur, poſſe deficere, videtur ſecundùm modum loquendi, quædam potẽtia importari; cùm magis potentiæ defectus importetur, & propter hoc potentia aliqua dicitur eſſe perfecta, ſecundùm Philoſophum 5. Metaphyſicorum, quando iſta non poteſt, ſicut enim illæ affirmationes habent vim negationum ſecundùm rem; ita iſtæ negationes habent vim affirmationum; & propter hoc dicimus, Deum non poſſe deficere*; & ideò aſſerit abſolutè concedendum eſſe: *Deum non poſſe peccare*; quia hæc impotẽtia, ſecundùm nomen eſt perfectio potentię, ſecundùm rem, & in *poſſe peccare*, ſicut in poſſe deficere, ſecundùm nomen, potentia importatur, & defectus potentię ſecundùm rem.

*D. Tho. q. 1. de pot. art. 6. in corp.*

Hanc doctrinam didicit Dr.S. ex veteribus Eccleſiæ PP. perpetuò enim illam, docuerunt, & probarunt: D. Ambroſius, vt explicet quomodò eſt Deo impoſsibilè mentiri; ſic aſſerit: *Impoſsibilè eſt ei mentiri: impoſsibilè iſtud, non infirmitatis eſt, ſed virtutis, & Maieſtatis*; vndè poſſe mentiri, ſeù peccare potiùs eſt infirmitas virtutis, quàm virtus; quod dixit

*Div. Amb. lib. 6. Ep. 37.*

Theophilat. ad Mar. c. 10.

xit Theophilatus, reſolvens, quomodò omnia poſsibilia ſunt Deo, cùm Deus peccare nequeat; his verbis: *Dicimus, itaquè peccatum non eſt potentiæ, ſed infirmitatis, ſicut, & Apoſtolus dixit: Chriſtus, cùm nos infirmi eſſemus, mortuus eſt.* Idem edocuit Euthymius, eam dem difficultatem verſans; ita enim ait: *Nos dicimus, quòd facere mala non eſt potentiæ, ſed impotentiæ. Ideò etiam David, peccata appellavit imbecillitates, ſivè infirmitates, dicens: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.*

Euthym. ad c. 19. Matthæi.

Nec deſunt huius veritatis in Auguſt. præclara teſtimonia: 1. Exponens Omnipotentiam Dei; ſic aſſerit: *Non poteſt mori*, Deus ſcilicèt, *non poteſt peccare, non poteſt mentiri, non poteſt falli. Tanta non poteſt, quæ ſi poſſet, non eſſet Omnipotens*; ergò hæc poſſe, impotentia eſt. ¶ 2. Ex ſententia illa, ſupra allata, vbi ait in beatis: *Arbitrium eo potentius erit, quo peccare non poterit*; ſed arbitrium ſolùm poteſt eſſe potentius per defectum impotentię, non per defectum poteſtatis veræ; ergò poſſe peccare eſt vera impotentia. ¶ 3. Ex illa Auguſt. ſententia: *Omnium poteſtatum dator eſt Deus, non voluntatum. Malæ quippè voluntates ab illo non ſunt*, cùm enim ex D. Thoma, quem communitèr ſequuntur Theologi: *Quod voluntas ſit flexibilis ad malum, non habet ſecundùm quod eſt à Deo; ſed ſecundùm quod eſt ex nihilo*, ſi poſſe peccare vera poteſtas eſſet; Deus non eſſet dator omnium poteſtatum, ſicut non eſt dator omnium voluntatum, quia voluntas mala, quæ verè eſt voluntas, ex Deo non eſt.

Aug. ſerm. 119. de tempore: & lib. de Civ. Dei, cap. 10.

Aug. ſupr. allatus, nu. 145.

Auguſt. de Civit. Dei, cap. 9.

D. Thom. q. 22 de verit. art. 6. ad 3.

D. Anſelmus hanc veritatem eſſe admittendam contra improprium, & vſitatum modum loquendi, ſic probat, diſſerendo de poſſe corrumpi, aut mentiri: *Qui hæc poteſt, quòd ſibi non expedit: & quòd non debet, poteſt: quæ quantò magis poteſt, tantò magis adverſitas, & perverſitas poſſunt in illum, & ipſe minus, contra illas. Qui ergò ſic poteſt, non potentia poteſt, ſed impotentia. Non enim dicitur poſſe, quia ipſe poſsit. Sed quia ſua impotentia facit, aliud in ſe poſſe, ſivè aliquo alio genere loquendi, ſicut multa impropriè dicuntur, vt cùm ponimus eſſe, pro non eſſe: & facere pro eo, quòd eſt non facere, aut pro nihilo facere. Sic itaquè, cùm quis dicitur habere potentiam faciendi, aut patiendi, quod ſibi non expedit, aut quod non debet, impotentia intelligitur per potentiam; quia quo plus habet hanc potentiam, eo adverſitas, & perverſitas, in illum, ſunt potentiores, & ille contra eas impotentior.* Nil expreſsiùs.

D. Anſelm. in Proſolog. cap. 7.

148 Vndè iam facilè ſolvuntur fundamenta M. Gonet. Ad 1. Verùm eſſe, quòd libertas noſtra explicatur per poteſtatem extendēdi manum ad bonum, vel malum; ſed hoc non eſt, quia poteſtas ad malum ſit noſtrę libertatis extenſio, ſed vel, quia eſt impotētia quędam in re, nomine poteſtatis ſignificata, & imperfectio noſtræ libertatis; vel, quia vt ait Dr. S. *Velle malum eſt quoddam libertatis ſignum, licèt nec ſit libertas, nec pars libertatis*, poſſe enim peccare evidēter infert libertatem, quia eſt impotentia exigens coniungi, cùm poteſtate vera impediendi peccatum. ¶ Ad 2. Quod ex eo, quòd peccare ſit libere agere, ſolùm infertur, quòd in actu 1. libero, eſt peccandi poteſtas; ſed non vt libertatis extenſio, ſed potiùs vt impotentia, & imperfectio: ſicut actu errare eſt intelligere, & tamen ſolùm infert, quòd poſſe errare ſit in intellectu, non vt extenſio virtutis, ſed vt imperfectio. ¶ Ad 3. Indubium eſſe, quòd dum eſt liberū abſtinere à peccato, ſeù non peccare, eſt peccandi poteſtas, vt conſtitutiva talis libertatis; ſed quod negamus eſt, hanc poteſtatē eſſe libertatis extenſionem, & ſolùm defectum eſſe,

Gonet ſupr. allata, n. 1.

D. Th. q. 22 de verit. art. 6. in corp.

asseveramus, quia est vera impotentia, Dominium, & libertatem voluntatis non augens, sed minuens: & vt exemplo Augustin. vtar, non mori fuit liberum Adamo; vndè fuit in ipso posse mori, novissima verò immortalitas erit, non posse mori. Nulla tamen vera potestas, exindè deficiet, sed tantum vera impotentia, & potestatis imperfectio.

*Aug. de Civit. Dei, lib. 22, cap. vlt.*

Ad alias formas, quibus vrgetur difficultas ex eadem doctrina facilis insurgit solutio: Ad 1. Quòd etiam probaret potestatē peccandi augere rationem formalē libertatis, quia cōstituit indifferentiam peccandi, & nō peccandi, quæ est indifferentia contradictionis, constitutiva libertatis. Sed dices, quòd secundùm modum loquendi, est indifferentia contradictionis, sed in re, est contrarietatis, quia habet pro termino malum. Ita dicimus, vbi est potestas peccandi, est maior indifferentia potestatis, in modo loquendi, sed in re, est minor potestas, quia potestas peccandi est in re, Dominij voluntatis impotentia, poti ìs, quàm potestas; sicut intellectus, dum est potens errare, est in re, minus potens. ¶ Ad 2. verùm esse, quòd per impeccabilitatem datur vera determinatio, & necessitas simplex non peccandi, pugnans cùm potestate peccandi, sed ex hac necessitate, non rectè statim inferes, potestatem, seù libertatem voluntatis esse diminutam, sed priùs inspicies: An potestas illa, cùm qua hęc necessitas pugnat, sit in re potestas vera? Si enim est in re impotentia voluntatis, sicut est potentia peccandi, potiùs ex necessitate simplici, libertas, Dominium, & potestas voluntatis augetur; & insiste in adductis exemplis.

* * * * * * * * * * * * * * * *

## SECTIO TERTIA.

*Quoddam argumentum Iansenij, conteritur, & amplius declaratur, quòd per impeccabilitatem vera libertas deficit, absque defectu veræ potestatis.*

149 IAnsenius ex impeccabilitate Dei, & beatorum, libertatem, cùm simplici necessitate conciliari, colligit: si enim impeccabiles, libere agunt rectè, licèt non possint agere pravè; Cùr, & nos, non possumus libere agere pravè, licèt cùm impotentia agendi rectè? Vndè ex impeccabilitate infert, simplicem necessitatem recte agendi, si verò cùm impeccabilitate, stat libertas rectè agendi, cùm simplici necessitate actionis, rectè stabit illius libertas.

Qui verò Iansenium debellarunt 1. demonstrant, hoc argumentum esse ex Calvino, & illius sequacibus desumptum; sic enim Catholicis opponebat Calvinus: *Si liberam Dei voluntatem in agendo, non impedit, quòd necessè est illum bene agere: quis hominem, ideò minus libere peccare dicet, quòd, sit peccandi necessitati, obnoxius?* ¶ 2. Evidenter, inefficaciæ argumentum convincunt; quia per impeccabilitatem, solùm amittitur indifferentia contrarietatis ad bonum, & malum, non verò indifferentia contradictionis erga bonum; vndè impeccabilitas, non pugnat cùm indifferentia, quæ constituit libertatem, quia hęc non est indifferentia contrarietatis, seù in ordine ad finem, sed contradictionis, in ordine ad actum, vndè omnes Catholici, cùm D. Thom. resp. *Vbi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest; quia imperfectum esse non potest; sed hoc ad libertatem arbitrij pertinet, vt actionem aliquam facere, vel non facere*

*Calvin. lib. 2 instit. c. 3 num. 5.*

*D. Thom. 2. sent. d. 20. art. 1. ad 2.*

*cere posit; & hoc Deo convenit: bona enim, quæ facit, potest non facere; nec tamen facere malum potest.* ¶ Quod potest alitèr explicari; impeccabiles non possunt velle malum, sed hoc non infert, quòd necessariò velint bonum, sed possunt non velle bonum; sicut in nobis, vt suprà vidimus, stat non posse velle miseriam, & posse non velle fœlicitatem. ¶ Vel alitèr: impossibilitas ad agendum pravè, in qua stat impeccabilitas, non est necessitas absoluta agẽdi rectè, sed solùm conditionata, quæ in nulla sentẽtia, cum libertate pugnat, & ratio est, quia esse impossibile actionem pravam esse, solùm infert, quòd si est actio, est recta, nullatenus verò infert, actionem esse rectã, quia potest actio non esse, & dum actio nõ est non est recta: vndè hæc valdè diversa sunt: *Actionem esse non rectam; & actionem non esse rectam*: 1. est voluntati impeccabili impossibile: 2. verò est in sua potestate, sicut, & actionem non esse: in simili, suprà demonstravimus, quòd licèt voluntati vt liberæ, sit impossibilis actio non libera, non est tamen necessaria actio libera, quia actionem esse, & non esse liberam, est impossibilè, esse verò actionem liberam, non est absolutè necessarium, quia actio potest non esse, & dum non est actio, non est actio libera.

*Supr. n. 87.*

*Supr. n. 43.*

150 Jansenius autem, evidentiam huius solutionis agnoscens, intendit, ex vi impeccabilitatis, libertatem adhùc sine indifferentia contradictionis, deducere; quia, cum Augustinus asserat, Deum, & beatos habere liberum arbitrium, licèt peccare non possint, ipsum non peccare, constituit sub libero arbitrio, & tamen sine indifferentia contradictionis, seù potestate ad peccandum; ergò, stat vnum oppositum esse in libertate arbitrij, sine potestate ad aliud.

Sed Div. Augustinus solùm docuit: *Liberum esse Deum, etsi peccare non possit*, tamen quis ex hac sententia, ita deducet; ergò: *Deum non peccare, pertinet ad liberum arbitrium*: omnes Ecclesiæ PP. clamant, Deum esse liberum, licèt sit immutabilis, & tamen, insana esset collectio; ergò immutabilitas convenit Deo, ex libero arbitrio. ¶ Falsissimum enim est, & ab August. mente valdè remotum, non peccare ad liberum Dei arbitrium pertinere: Nam vt ait M. P. *Deus natura sua, nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare*; vndè ad Dei naturam, non ad electionem arbitrij, refert, Deum peccare non posse. ¶ Imò; libertatem Jansenianam esse in Deo ad non peccandum, debet à Jansenio negari, vt videatur, quàm absurdè, ex impotentia Dei ad peccandum, colligat libertatem veram, cùm simplici necessitate, conciliari: Assumptum prob. Liberum Jansenianum, licèt necessarium sit, debet esse voluntarium, nequit enim esse liberum, quòd non est in potestate voluntatis, & adest nobis cùm volumus, sed Deum non peccare, licèt sit volitum, nequit esse Deo voluntarium; ergò. Prob. Min. 1. Hæc est differentia inter voluntarium, & volitum, quòd volitum non exigit à voluntate procedere, voluntarium verò est à voluntate dependens, sed Deum non peccare, non dependet à voluntate Dei, sicut nec Deum esse Deum, aut esse bonum, in quo stat impotentia peccandi, hęc enim omnia ex sua natura cõveniunt Deo, non ex eius voluntate; ergò. ¶ 2. Antequam intelligatur, Deus agens per voluntatem, convenit Deo esse impeccabilem, sicut esse bonum, quia debent priùs intelligi ea, quæ naturalitèr Deo conveniunt; ergò Deus non est impeccabilis per voluntatẽ; & idẽ argumentũ in Christo, & beatis militat, quia Christus est impeccabilis, ex vnione hypostatica,

*Aug. lib. 3. cont. Maximinum, cap. 12.*

& beati ex visione beata, quę formæ omnem actum voluntatis præcedunt.

151 Vndè discipuli Jansenianierroris, sic alitèr, ex impeccabilitate beatorum; v.g. libertatem, cùm simplici necessitate coniungi, colligere, connantur: per impeccabilitatem advenit voluntati aliqua simplex necessitas, cùm indifferentia potestatis pugnans, sed per impeccabilitatẽ, nulla amittitur libertas; ergò simplex necessitas cùm libertate non pugnat. Mai. certa, quia ex impeccabilitate visionis oritur necessitas nõ peccandi, & amandi Deum, quia bonitas infinita totas ad se rapit, appetitus rationalis vires. Prob. Min. Libertas est perfectio intrinseca voluntatis, sed per visionis impeccabilitatem, nihil perfectum evacuatur, sed potiùs elevatur, & perficitur; ergò.

*V. Rosende, pag. 75. nu. 40.*

Sed hoc argumentum valdè inefficax est, fatemur, per visionem everti libertatem peccandi; sed licèt libertas hęc sit perfectio, est inmixta imperfectioni, dicit enim posse bene agere, & posse pravè operari, quæ potestas est vera impotentia, & potentiæ defectus, per visionem non deficit libertas ea parte, qua dicit perfectionem, & potestatem, sed ex illa potiùs, potestas accrescit, & augetur, sed tantum evacuatur, imperfectio, & impotentia; vndè nulla perfectione deficiẽte volũtati, evertitur per visionem aliqua libertas, quia non amittitur ex conceptu perfectionem exprimente, sed potiùs imperfectionem. Et inquiro: per visionem evertitur aliqua perfectio intrinseca intellectus, vel non? Si 1. Quid mirum, quòd etiam amittatur aliqua perfectio intrinseca voluntatis? Si 2. Et tamen amittitur fides, quæ est perfectio intellectus intrinseca; ergò stabit, quòd evacuetur libertas peccandi, quę est perfectio intrinseca voluntatis, & quod nulla perfectio voluntatis minuatur; & eadem ratione; quia fides est cognitio certa Dei, qua parte perfectionem explicat, & est cognitio enigmatica, & obscura, & ita exprimit defectum, per visionem non evacuatur formalitas cognitionis certę; sed potiùs augetur, sed obscuritas, quæ est imperfectio fidei, evertitur; ita similitèr est de libertate peccandi; vndè, an amittatur per visionem aliqua perfectio intrinseca voluntatis? Est disidium de nomine; quia quod de re est, amitti perfectionem immixtam imperfectioni, ea ratione, qua imperfectionem exprimit; sicut dicendum est, de fide per visionem evacuata.

152 Sed insurges 1. Libertas peccandi, est vera libertas, aliàs peccatum non esset verè liberum; ergò potestas peccandi est vera potestas, & ita per visionem dum hęc amittitur, aliqua perfectio, vt talis evacuabitur: cętera patent, & 1. Conseq. prob. Quia libertas per potestatem, & dominium constituitur; vndè libertas, vera potestatem in re veram, exposcet. ¶ 2. Quia si potestas peccandi, libertatem non peccandi constituit, ita vt impeccabilitas auferat libertatem non peccandi, quia cum potestate peccandi pugnat, sequitur, quòd potentia peccandi, sivè sit in re potentia, sivè in modo loquendi, sit extensio, & pars libertatis in viatoribus, & non tantum libertatis defectus. Prob. sequela: Potestas peccandi est pars, seù constitutivum inadæquatum, libertatis peccandi, seù non peccandi, sed libertas, in nobis viatoribus, est libertas peccandi, & non peccandi; ergò.

3. Quia licèt componatur, quòd ex beatitudine nulla deficiat perfectio libertatis, licèt deficiat libertas peccandi, vt includit potestatem peccandi, quę in re est impotentia, & libertatis defectus; tamen debet deficere libertatis perfectio, dum evertitur libertas erga amorem Dei, & voli-

volitionē beatitudinis; ergò nè hoc ſequatur, libertas erga Deum, & beatitudinem, componitur cum ſimplici neceſsitate: Aſſumptum. Prob. poſſe non amare Deum, & nō velle beatitudinem, eſt in re vera poteſtas, ſed hoc poſſe per beatitudinem evacuatur, & quęlibet vera poteſtas, eſt vera libertatis perfectio; ergò. ¶ 4. Quia eſto per impeccabilitatem, nulla amittatur vera poteſtas; ſed ſolùm potentia peccandi, quæ eſt in re impotentia, tamen reſtat ſcire; vndè ex illa libertas perfectior evadat? Quia vt libertas ſit perfectior, non ſufficit, quòd nulla vera poteſtas evacuetur, ſed exigitur, quòd aliqua vera poteſtas, ſeu perfectio augeatur.

Sed licèt, hęc difficilia videantur, veritatem noſtræ doctrinæ illuſtrabunt. Ad 1. reſp. Quod, vt libertas peccandi, ſit vera libertas, non exigitur poteſtatem peccandi, eſſe verā poteſtatem; ſed ſufficit, potentiam non peccandi, eſſe veram poteſtatē, & nulla neceſsitate non peccandi informatam; poſſe enim voluntatem non peccare, & ſine neceſsitate non peccandi, eſt poſſe libere non peccare, omni alio ſecluſo, & eſt verè libere peccare, dum peccat: licèt peccando, nullam veram poteſtatem, ſed infirmitatem ſuæ poteſtatis, exerceat: voluntas enim vt à Deo, ex nihilo facta, eſt libera ad peccandum, ſi ab aliquo dono excellentioris gratiæ ad non peccandum non neceſsitetur; ex Deo vera poteſtas non peccandi procedit, qui eſt dator omniū poteſtatum; poteſtatem verò peccādi habet voluntas, vt ex nihilo, & ex nihilo, nihil verę poteſtatis, oriri poteſt. ¶ Ad 2. reſp. Quòd dum diſputatur; An poteſtas peccandi ſit pars noſtrę libertatis, vel defectus? Non loquimur de noſtra libertate, vt libertas peccandi eſt, ſic enim non poteſt dubitari, quòd ſit pars huius libertatis poteſtas peccādi, cùm enim hæc libertas explicet imperfectionē libertatis: quid mirum, quòd conſtituatur per poteſtatem, quę ſit libertatis imperfectio? Loquimur, de libertate noſtræ voluntatis abſolutè, vt libertas eſt; ſicut poſſe errare, eſt imperfectio, non extenſio intellectus noſtri, abſolutè; ſi verò de intellectu noſtro, vt falibili, fiat ſermo, tàm longè abeſt, quòd poſſe errare, non ſit illius pars, quòd eſt conſtitutivū; & hoc conſtat ex ipſo Gonet, qui negat, poteſtatem peccandi eſſe rationem formalem noſtræ libertatis, etſi dubium procederet de libertate peccandi, negari non poſſet, quia nihil certiùs, quàm poſſe peccare eſſe rationem formalem conſtitutivam libertatis peccandi.

Ad 3. neg. anteced. & ad prob. dupliciter reſp. poteſt 1. Quòd poſſe non amare Deum, non eſt poſſe diſtinctum à poteſtate amandi, vt immixta imperfectioni, quia poſſe non amare; nil eſt aliud, quàm poſſe amare, ſine ſimplici neceſsitate ad amandum, poteſtas enim amandi ſine neceſsitate amoris, omni alio ſecluſo, eſt poteſtas omittēdi amorem, quòd verò in poteſtate ad amorem Dei, non ſit neceſsitas ad amandum Deū; eſt illius imperfectio, & ratio eſt; quia voluntatem non neceſsitari ad amandum Deum eſt, quia cognitio Dei, quę prędit, eſt abſtractiva, imperfecta, & confuſa, ipſius Dei, quia intuitivè videns infinitam Dei pulchritudinem neceſſariò rapitur in amorem, quòd verò poſſe amare, per cognitionem imperfectam obiecti conſtituatur, imperfectio eſt, quæ per cognitionem perfectam amittitur; vt ergò per beatitudinem auferatur poſſe non amare Deum, non exigitur, quòd auferatur aliqua poteſtas, & libertatis perfectio; ſed ſufficit, quòd à poteſtate amandi, aliqua imperfectio auferatur. ¶ Vel 2. reſp. poteſt: Quòd poſſe non amare Deum non eſt perfectio, ſed defectus noſtrę libertatis, & ideò Deus,

quī

qui est summè liber, non est potens seipsum non amare, & ratio est; quia libertas cum sit vis electiva non versatur erga finem, vt enim ait Dr. S. *Electio non est de fine, sed de his, quæ sunt ad finem*; vndè sicut intellectus, vt ratio, non versatur erga principia, sed conclusiones; voluntas vt libera non respicit finem, sed media; non ergò, per defectum potestatis non amandi Deum, potestas aliqua electiva deficit, vt exindè minuatur libertatis perfectio. ¶ Ad 4. resp. potest 1. Quòd, vt per impeccabilitatē, libertas maior, & perfectior evadat, sufficit, quòd expellat potestatem peccandi, quæ revera impotentia est, eo enim ipso, quòd minus habet impotentiæ, potentior libertas, & perfectior est. ¶ 2. Quòd dum potestas peccandi deficit, est libertas perfectior, quia est ordinatior, vt enim asserit Dr. S. *Quòd liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius*, quòd ita expressit D. Bernardus: *Libertas voluntatis, vbi fit captivitas mentis in bonis, ordinatior.* ¶ 3. Quòd libertas à necessitate fit maior ex impeccabilitate, & beatitudine, quia faciliùs exercetur per actum, dum libertas gratiæ, seù à peccato, & libertas gloriæ, seù à miseria; illi subsidium ferunt. Quòd expressè edocuit Div. Bernardus: *Libertas arbitrij cunctis paritèr ratione vtentibus convenit; sed, & hoc apertè monstratum esse puto; quòd hæc ipsa tamen libertas, tam diù, quodammodò captiva tenetur, quam diù illam, duæ aliæ libertates, minimè, aut minus plenè, comittantur*; maior ergò libertas à necessitate evadit, dum ex consortio aliarum libertatū, à vinculis captivitatis, absolvitur.

*D. Tho. supr. allatus, nu.*

*D. Th. 1. p. q. 62. art. 8.*

*D. Bern. de Lib. Arbit.*

*D. Bernard. vbi sup.*

153 Nota tamen, ex his principijs evidentèr colligi, impeccabilitatem voluntatis creatæ esse conciliandam, cùm libertate à necessitate ad actus præceptos, & ratio est; quia per impeccabilitatem, nulla perfectio, aut vera potestas libertatis evertitur; sed potiùs libertas ab imperfectionibus liberatur, sed si per impeccabilitatem, libertas à necessitate ad actus præceptos amitteretur, aliqua vera potestas, & perfectio, libertatis everteretur; ergò: Min. ex eo constat: quod ad perfectionem libertatis expectat à nullo obiecto finito quoad exercitium necessitari; hoc enim est proprium soliùs Dei clarè visi, cuius infinita bonitas intuitivè cognita, ad sui amorem rapit voluntatis vires; & ideò Deus, qui est perfectissimè liber, à nullo obiecto extrà se, necessitatur; ergò si ex impeccabilitate, voluntas ab obiecto finito honesto, licèt præcepto, necessitaretur, aliqua perfectio libertatis periret; quomodò verò libertas ista, cùm impeccabilitate concilianda sit? Ad Tractatum de Libertate Christi expectat.

## ADDITIO.

154 CVm hęc scripserim, vt necessaria ad infringenda argumenta, ex Jansenio deprompta, contra libertatem in indifferentia constitutam, & ad clarè exponenda testimonia SS. PP. quibus Jansenius abutitur, indicantia, indifferentiam, seù flexibilitatem, potiùs esse libertatis defectum, quàm essentiam; hæc enim verissima sunt, de indifferentia in ordine *ad finem*, per posse peccare, seù velle malum constituta, minimè verò, de indifferentia potestatis, necessitati oppositа, quę est essentia libertatis arbitrij. Novissimè hæc impugnat Dr. Prado Complutensis, mihi amicitiæ vinculis coniunctus, in suo ingenioso Tractatu de Libero Arbitrio. Vbi duo intendit; primum hanc conclusionem fundare: *Existimo libertatem peccandi, non esse purū defectum potestatis, & libertatis; sed veram libertatem, & potestatem se-*

*Prado de Libero Arb. disp. 1. sect. 2.*

cun-

*cundùm rem, & non ſolùm in nomine; huic concluſioni aſſentiri* diſcurſum omnium Scholaſticorum, teſtatur P. Ruiz, referens plures pro illa. 2. Fundamenta pro noſtra concluſione adducta infirmare; vndè duo exhibeam; & ſuis argumentis, reſpõdere, & noſtras rationes, roborare.

*P. Ruiz de Volunt. Dei diſp. 38. n. 21.*

Sed illam concluſionem, quàm probare intendit, non ſolùm eſſe cõmunem, ſed omninò certam, aſſero, & ſuppoſui, quid enim veriùs, quàm *libertatem peccandi eſſe veram libertatem, & poteſtatem ſecundùm rem*, aliàs peccatum non eſſet verè liberum, quia peccatum eſt liberum, à libertate peccandi. Libertatem peccandi eſſe veram libertatem, & poteſtatem, ſupponimus, ſed aſſerimus, vt communiſsimam, SS. PP. & Scholaſticorum, ſententiam, quòd libertas vera peccandi nõ dicit veram poteſtatem ſecundùm rem, ea ratione, qua includit poteſtatem peccandi; quia hæc in re eſt in poteſtate defectus, ſed ea ratione, qua includit poteſtatem non peccandi, hæc enim eſt in re vera poteſtas.

*Sup. n. 152.*

155 Sed poteſtatem peccandi eſſe veram poteſtatẽ: Probat. 1. Poteſtas radicalis peccandi eſt poteſtas vera, & poſitiva, quia identificatur realiter, cum voluntate, & cum entitate poſitiva, non poteſt identificari purus defectus, & carentia; ergò pariter poteſtas proxima peccandi; quia hęc includit illam, licèt etiam includat cętera comprincipia, & carentiam neceſsitatis antecedentis.

Probat. 2. Impoſsibilè eſt, quòd terminus producibilis, per aliquam poteſtatem ſit re vera ens poſitivũ, & non pura carentia; poteſtas verò productiva illius non ſit vera poteſtas, ſed purus defectus, & carentia poteſtatis; ſed terminus producibilis per poteſtatem peccandi, ſcilicèt, peccatum re vera eſt ens poſitivum, & non pura carentia; iuxtà probabilem opinionem, quæ docet malitiam formalem peccati commiſsionis cõſiſtere in poſitivo; ergò repugnat, quòd poteſtas peccandi vera poteſtas non ſit, ſed purus defectus, & carentia poteſtatis.

Probat 3. aſſumendo priùs duo aſſerta noſtra. Primùm eſt, ad libertatẽ peccandi, neceſſariò requiri aliquã veram poteſtatem, quæ ſit poteſtas nõ peccãdi. Secũdùm eſt, quod poſſe omittere actum, non eſt diſtinctum à poſſe agere; ſed eſt ipſum, vt coniunctum cum carentia neceſsitatis ad agendum. His ſuppoſitis, ſi ſumitur libertas contradictionis puræ ad peccandum, per odium Dei, vel non peccandum, per eius omiſsionem. Arguitur ſic: In hac libertate agnoſcenda eſt aliqua vera poteſtas; vel; ergò poteſtas peccandi per odium: Et ſic habetur intentum, vel poteſtas nõ peccandi per omiſsionem; & ſic obtinetur poteſtatem omittendi non eſſe realiter poteſtatem agendi, contra ſecundùm aſſertum.

156 Sed duo prima argumẽta indicant, nos in hac noſtra concluſione: *Poſſe peccare non exigitur ad libertatem, potiùs eſt libertatis defectus*, per ly *defectus*, intelligere *carentiam*; quòd valdè abſurdum eſſet, quia carentia libertatis non coëxiſtit libertati, & poſſe peccare libertati coëxiſtit, imò eſt *libertatis ſignum*, vt dixit D. Thom. quia libertatem neceſſariò infert; per libertatis, ſeù poteſtatis *defectum* intelligimus *imperfectionem*, ſeù decrementum; quia per poſſe peccare, poteſtas, & libertas eſt imperfectior, deterior, & diminuta.

Vndè ad 1. Reſp. Idem eſſe de potentia radicali, ac de proximą; licèt cum diſtinctione in eo, quòd radicalis, dicit defectum, & imperfectionẽ voluntati creatæ eſſentialem; cùm conſiſtat, *in non repugnare ex ſe, ſeù ex natura ſua, peccato*; poteſtas verò proxima dicit defectum, ſeu imperfectionem à voluntate diſtinctam, &

ſe-

ſeparabilem; & ita nego antec. & ad eius probati. Reſp. cum S. Alberto Magno: *Dicendum, quòd poteſtas peccandi non eſt pars libertatis, niſi peraccidens, ſcilicèt, in quantum vna numero, & ſubſtantia eſt cum poteſtate non peccandi, & hoc eſt materialitèr; ſed in quantum eſt peccandi, defectus eſt, & infirmitas, & non poteſtas.*

*Alb. Mag. in 2 diſt. 24. artic. 6.*

Ad 2. Idem dicimus de poteſtate peccandi, ac de peccato, cuius in poſitivo conſiſtere malitiam, admittimus, ſed ſicut malitia eſt imperfectio, & defectus in actu; ita poteſtas ad malitiam non eſt carentia poteſtatis, ſed eſt infirmitas, imperfectio, & defectus in potentia, ſeù in voluntate. Vndè cùm S. Albertus Magnus inquireret: *Vtràm potentia peccandi ſit potentia, vel impotentia?* Ita in ſe opponit: *Potentia mali, eſt potentia potens facere malum; ergò eſt potentia activa: omnis autem potentia activa, potentia eſt, & non impotentia; ergò potentia mali eſt potentia, & non impotentia*; quod eſt argumẽtum nobis obiectum; & Reſp. *Dicitur potentia mali potentia faciendi malum: & tunc oportet, quòd malum accipiatur in actione mala, ſecundùm quòd ſuprà diximus, quòd malum habet cauſam deficientem, & ſic illa potentia poteſt conſiderari triplicitèr, ſcilicèt, ſecundùm radicem, in qua radicatur in ſubiecto potentiæ, & ſecundùm eſſentiam potentiæ, & ſecũdùm coniunctionem ad actum. Primo modò eſt potentia, & ſecundo modò: & ſic intelligitur illud Philoſophi, quòd poteſtas prave agendi eſt bona: Sed tertio modò, adhùc duplicitèr conſideratur, ſcilicèt, per comparationẽ ad ſubſtantiam actus, vel comparationem ad actum ſub deformitate.* Et primo *modò eſt potentia adhùc.* Secundo *autem modò eſt potentia, cum impotentia permixta ſibi. Si autem comparetur ad deformitatem ſolam, tunc non eſt potentia activa, ſed materialis defectus, & debilitas ſuccumbens malitiæ: ſicut dicimus, hunc poſſe mori, & illum poſſe infirmari, & illum poſſe vinci, ſemper potentia materiali deficiente.* Vcuſquè S. Albertus.

*Alb. Mag. in 2. diſt. 44 artic. 1.*

Ad tertium Reſp. Quod poſſe omittere, non eſt diſtinctum à poſſe agere, quando poſſe agere eſt verum poſſe; ſecus verò dum poſſe agere dicit imperfectionem, ſeù impotentiam, nomine potentiæ ſignificatam, quia tunc eſt vera poteſtas, potiùs ad omiſsionem, quàm ad actum; ſicut poſſe non peccare eſt vera poteſtas; & poſſe libere non peccare, nil aliud includit, quàm poſſe non peccare, abſque neceſsitate non peccandi; quia talis neceſsitas includit impotentiam, nomine potentiæ peccandi, ſignificatam.

*Fundamenta noſtra inſtaurantur:*

157 Ad rationem ex D. Anſelm. deſumptã; Reſp. Prado eſſe inefficacem, quia clarè inſtatur: Tùm, in poteſtate credendi, ſperandi, & merendi, quàm per beatitudinem amiſerunt Beati: ſunt autem veræ poteſtates: Tùm, in vita vegetativa, & ſenſitiva, quæ ſunt veræ vitæ: & tamen vita eſt perfectio ſimplicitèr ſimplex, & vegetare, & ſentire, dicunt imperfectiones; qua ratione, licèt Deus habeat omnem vitę perfectionem, caret vita vegetativa, & ſenſitiva; poterit ergò ſimilitèr dici, libertatẽ peccandi, eſſe veram libertatem, imperfectionibus mixtam, & in Deo non eſſe, licèt Deus ſit infinite liber.

*D. Prado, vbi ſuprà.*

Ad rationem ex Div. Thom. depromptam: Reſp. Eodem modò diſcurrendum eſſe de poteſtate *peccandi* in voluntate; ac de poteſtate *errãdi* in intellectu: vtraquè namquè poteſtas realitèr claudit per identitatem veram perfectionem, & poteſtatem, ſcilicèt, intelligendi, & volendi, licèt imperfectionibus mixtam.

*Sup. n. 142.*

Ad rationem ex Div. Thom. de-

ſump-

sumptam, ex eo, quòd *flexibilitas ad malum*, convenit voluntati *secundùm, quod est ex nihilo*, quàm adduximus.

*Supr. n.* 147. Respondet Prado. Quòd designatur in verbis D. Thomæ, sensus rationis innuens, quòd respectus ille habendi esse à Deo, non exprimit flexibilitatem ad malum : licèt possit re vera habere esse à Deo. Vel etiam dici potest, flexibilitatem ad malum sumptam *terminativè*, non esse à Deo; maximè verò sumptam *subiectivè*.

158 Sed hæc nullatenus solvunt rationes nostras : & primo, hunc gravissimum Authorem D. Anselmum non hausisse proprijs oculis, sed à longè illum auscultasse, appertum reddam, verba SS. Doct. cuius inscriptio est nostra conclusio : *Quod potestas peccandi non pertinet ad libertatem arbitrij*, ad longum referendo. Ita docet, vt Magister: *Libertatem non puto esse potentiam peccãdi, & non peccandi; quippè si hoc eius esset definitio : nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quòd nefas est dicere.* Interrogat Discipulus : *Quid si dicatur, aliud esse liberum arbitriũ Dei, & Angelorum bonorum, aliud nostrum?* Quasi dicat, quid si dicatur arbitrium perfectissimum, non dicere potestatem peccandi imperfectionibus mixtam, secus arbitrium nostrum imperfectum; Resp. Mag. *Quãvis differat liberum arbitrium hominum, à libero Dei arbitrio, & Angelorum bonorum : diffinitio tamen huius libertatis in vtrisque secundùm hoc nomen, eadem debet esse : licèt enim animal differat ab animali, sivè substantialitèr, sivè accidentalitèr, diffinitio tamen secundùm nomẽ animalis omnibus animalibus est eadem. Quapropter talem oportet dare diffinitionem libertatis arbitrij, quæ nec plus, nec minus illa contineat. Quoniam ergò liberum arbitrium divinum, & bonorum Angelorum, peccare non potest, non pertinet ad diffinitionem libertatis arbitrij, posse peccare.* En vbi clarè convincit, quòd posse peccare, ad libertatem non exigitur; non quia indifferentia non sit propria, & perfecta libertas, vt Novatores intendunt; sed quia indifferentia ad *peccandum*, non est diffinitio libertaris, omni libero cõveniẽs.

*D. Anselm. in Dialogo de Lib. Arbit. cap. 1.*

Statim prosequitur S. Anselmus, ad suadendum, posse peccare esse libertatis defectum, per hęc verba: *Denique, nec libertas, nec pars libertatis, est peccandi potestas : . . quæ tibi voluntas liberior videtur, illa, quæ sic vult, & potest non peccare, vt nullatenus valeat flecti à non peccandi rectitudine : An illa, quæ flecti aliquomodò potest ad peccandum?* En dubiũ: An voluntas impotens peccare sit liberior, aut habeat maiorem libertatem? Discip. Resp. *Cùr non sit liberior illa, quæ ad vtrùmque se habet nõ video.* Hoc est Argumentum nobis obiectum; Indifferentia ad vtrùmquè est libertas voluntatis; ergò illa voluntas erit liberior, quę indifferentior fuerit; sed displicet Anselmo retorquenti: *An non vides, quoniam, qui sic habet, quòd decet, & quòd expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere : & ad hoc quod dedecet, & non expedit valeat adduci?* Anselmus igitur statuit, quòd indifferentia ad id, quòd dedecet, & non expedit, non reddit liberiorem voluntatem; annuit etiam discipulus: *Nulli dubium hoc esse puto.* Et S. prosequitur : *Hoc quoque non minus indubitabilè dices; quia peccare, semper dedecens, & noxium est* : Discip. *Nullus sannæ mentis aliter sentit.* Mag. *Liberior itaquè voluntas est, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quam quæ illam potest diserere*: Discip. *Nihil mihi rationabilius asserere posse videtur.* Tale igitur est assertum nostrum, scilicèt: Impotens peccare maiorem sortitur libertatem; quòd ampliùs fundat S.

Anselmus, aut potiùs ex illo nostram principem conclusionem: *An putas, quòd additum minuit, & separatum auget libertatem, id aut libertatem esse, aut partem libertatis?* Discip. *Non hoc putare possum.* Mag. *Potestas ergò peccandi, quæ addita voluntati, minuit eius libertatem, & si dividatur, auget: nec libertas est, nec pars libertatis*; vbi duo clarè inferes 1. Ex hoc testimonio nullatenus colligi indifferentiã, nõ esse propriã, & perfectã libertatẽ vt intendit. P. Rosende; sed indifferentiam ad *peccandum*, nõ esse libertatis perfectionẽ. 2. Per pũrũ defectũ potestatis peccãdi augeri libertatem, quin obsit; quòd ait Dr. Prado: *In amente, & dormiente, fore maiorem libertatem*; quia in ijs omnis libertas abest; vndè non manet libertas aucta.

*P. Rosende, pag. 78. nu. 46.*

Sed ampliùs idem confirmo: In capite enim sequenti; ita opponit Discipulus in S. Doctorem: *Angelica, & nostra natura, in principio habuit potestatem peccandi, quàm si non habuisset, non peccasset: quare si per hanc potestatem, quæ sic aliena est à libero arbitrio, peccavit vtraquè prædicta natura: quomodò dicemus eam peccasse per liberum arbitrium?* Huic argumento respondet D. Anselmus: *Peccavit per arbitrium suum, quòd erat liberum, sed non per hoc, vnde liberum erat, idest, per potestatem, qua poterat non peccare, & peccato non servire; sed per potestatem, quàm habuit, peccandi: qua nec ad non peccandi libertatem, iuvabatur, nec ad peccandi servitutem, cogebatur.* Quod à potestate peccandi, arbitrium Angeli, & primi hominis, non cogeretur ad peccandi *servitutem*, est clarum; sed qualiter salvari potest *libertatem non peccandi, potestate peccandi non iuvari*; si indubium est, illam libertatem tali potestate constitui? Non video alitèr, nisi asserendo, hanc potestatem impotentiam esse, non iuvamen, potiùs enim deprimit, quàm opem ferat, & adiuvetur,

159 Rationem etiam nostram ex D. Th. desumptam ab exemplo potestatis errandi in intellectu nullatenus solvit; quòd vt suadeam, do Angel. Doct. verba; sic in se opponit: *Ad libertatem arbitrij pertinet, quòd homo possit eligere bonum, & malum; sed libertas arbitrij non minuitur in Angelis beatis; ergò possunt peccare.* Cui argum. ita R. Doct. Sanctus: *Ad tert. dicendum: Quòd liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea, quæ sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est autem, quòd ad virtutem intellectus pertinet, vt in diversas conclusiones procedere possit, secundùm principia data. Sed quòd in aliquam conclusionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc est, ex defectu ipsius; vndè, quòd liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius. Sed quòd eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis; vndè maior libertas arbitrij est in Angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis, qui peccare possumus.* Nihil expressiùs pro nostra conclusione.

Vndè verùm est, quòd posse *errare*, & posse *peccare*, dicunt perfectionem intelligendi, & volendi, imperfectionibus mixtam; vndè dixit D. Thom. quòd *potentia peccandi nominat bonum cum imperfectione*: Sed omnis perfectio vtriusquè potestatis *errandi*, & *peccandi*; stat in virtute intellectus, & voluntatis; vndè si manẽte virtute intellectus, deficit posse *errare*, nil perfectionis intellectui deficit, sed id, quòd solùm addit suæ propriæ virtuti imperfectionem, similitèr accidit, dum manente virtute voluntatis, deficit posse *peccare*: Vndè non suadent exempla, de vita vegetativa; & de potestate credendi, sperandi, & merendi: istæ enim sunt virtutes perfectæ, cum imperfectione

ad-

admixtæ, & deficientibus illis, vtrũquè deficit, perfectio quidem, & imperfectio; non ſic accidit; in poteſtate errandi, & peccandi, nil enim perfectionis dicunt præter virtutem intellectus, & voluntatis; vndè dum deficiunt manente virtute expedita vtriuſquè, ſolùm deficit, quòd eſt purus defectus, & infirmitas, debilitas, ſeù imperfectio vtriuſquè virtutis. Itaquè docetur in Decreto: *Poſſe autem peccare, vt Auguſtinus, ait: Non eſt aliquid poſſe, imò aliquid non poſſe; vndè ille ſolus vocatur Omnipotens, qui hoc non poteſt, quia omnia poteſt, quæ poſſe, eſt aliquid poſſe.* Vbi ſcripſit Gloſſa: *Ex quo enim reſiſtere vitijs, eſt verùm poſſe; ergò non reſiſtere, eſt non poſſe; ſed nõ reſiſtere, eſt peccare, & ita poſſe peccare, eſt non poſſe reſiſtere.*

*Can. 33. diſt. 2. in fine.*

160 Nec ſimilitèr valet, quòd Reſp. ad aliam rationem D. Th. Quia ex Doct. S. *Eſt* clariſsimum, flexibilitatem ad malum, ſeù potentiam peccandi, *ſubiectivè* non convenire creaturæ *à Deo*: Sed ex alio creaturæ principio, ſcilicèt, *nihilum*: à quo omnia creata de neceſsitate initium traxerunt, & originem derivarunt: nulla enim creatura eſſe poteſt, quæ nihilum antèà non fuerit; ſi igitur flexibilitas in malum, committatur conditionem creaturæ rationalis, ſecundùm quod facta eſt ex nihilo: *flexibilitas* iſta defectus, & imperfectio erit, non vera poteſtas; quia ad nihilum, tanquàm veræ poteſtatis ſcaturiginem, recurri non poteſt.

Aſſumptum probo: 1. ex Dr. S. cùm enim in ſe onponeret: *Damaſcenum poſſuiſſe cauſam libertatis arbitrij, hoc, quòd anima noſtra à verſione incipit, quia ex nihilo eſt, & ideò vertibilis eſt, & ſe habet ad multa in potentia, ſed anima bruti à verſione incipit; ergò in ea eſt liberum arbitrium.* Ita Reſp. *Ad 4. Dicendum, quòd incipere à verſione, vel eſſe ex nihilo, non aſsignat Damaſcenus, cauſam libertatis arbitrij, ſed cauſam flexibilitatis liberi arbitrij in malũ. Cauſam autem liberi arbitrij aſsignat, tàm Damaſcenus, quam Gregorius, quàm Auguſtinus, rationem.* En vbi Sanctus aſsignat duo principia *nihilum*, & *ratio*: *libertatem* arbitrij diſtinguit à *flexibilitate* in malum; *libertatem* reducunt SS. DD. & cum illis D. Tho. in *rationem* vt cauſam: *Flexibilitatem in malum*, in eſſe ex nihilo reducit, vt cauſam S. Damaſcenus, & cum illo D. Thom.

*D. Th. q. 24. de verit. artic. 2. ad 4.*

Eamdem veritatem exprimunt SS. PP. Auguſtinus, Gregorius, Fulgentius; locis citatis ab Illuſ. Godoy, ſimilitèr S. Albertus Magnus; vbi inquirit: *Vtrùm potentia peccandi ſit à Deo?* Ait: *Potentia peccandi eſt defectus, & impotentia conſequens exitum rationalis naturæ de nihilo, & ideò* (pende cauſalem,) *nec dicit libertatem* (*vt dicit Anſelmus,*) *nec perfectionem libertatis.* Hæc eſt ratio noſtra.

*Illuſt. Godoy de Viſione, diſp. 14. ſ. 4. S. Alb. Magnus in 2. d. 44. art. 2. Et in 3. diſt. 12. art. 9.*

Singularitèr fundatur hęc veritas à D. Thom. vbi inquirit: *An potentia peccandi ſit à Deo?* & reſolvit; potentiam peccandi, quantum ad id, quòd potentiæ eſt, à Deo eſſe; quia eadem potentia eſt principium actus ordinati, & inordinati; ſed quantum ad defectum, qui implicatur, à Deo non eſſe; quia hic defectus in potentia voluntatis eſt, ſecundùm quod ex nihilo eſt; *Huiuſmodi autem, ſcilicèt,* quòd creatura ex nihilo ſit, Deus directè cauſa non eſt; vt Avicena probat: quia quòd convenit rei ſecundũ ſe, non cauſatur in ea ex alio: Res autem creata ſi ſibi relinquatur nihil eſt; vndè hoc, quòd eſt *ex nihilo eſſe*, non eſt creaturæ à Deo, quamvis *eſſe* creaturæ à Deo ſit: Hæc ad verbum Angelic. Doctor.

*D. Tho. in 2. diſt. 44. art. 1.*

Ampliùs hanc materiam illuſtrat S. Auguſt. ijs verbis: *Servandi autem gradus erant divini muneris; vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo: noviſsimum,*

*Supr. num. 145.*

*quo peccare non posset*: Animadvertè formalitatem terminorum; nunquàm divino muneri attribuit Augustin. *Posse peccare*, quia hoc est libertatis defectus; sed tantum Deo tribuit arbitrium *posse non peccare*; aut *non posse peccare*.

# QVÆSTIO SEXTA.

## VTRVM INDIFFERENTIA SVSPENSIONIS SIT de essentia libertatis?

POstquàm examinavimus qualiter indifferentia in ordine ad finem ad libertatem exigatur, nunc quomodò ad libertatem indifferentia in ordine ad actum comparetur, accuratiùs exponemus.

### SECTIO PRIMA.

*Indifferentia suspensionis non exigitur ad libertatem, sed solùm indifferentia potestatis.*

161 HÆC conclusio est ita certa, vt illam, fere omnes Scholastici amplectantur oppositam iudicando temerariam, & errori proximam, contra Ocham, Gabriel, & similes, ex Nominalium Schola, quos refert Bellarminus, & quibus non parum favere videtur M. Sententiarum, dum, asserit liberum arbitrium non esse præsentium, sed futurorum.

*Bellarm. lib. 3. de Gratia, & Lib Arbit. cap. 13. M. Sent. in 2. dist. 25.*

Prob. 1. Deus ab æterno libere voluit producere mundum, vt est de fide, sed non fuit in Deo indifferentia suspensionis ad velle, vel non velle mundi productionem, nullũ enim fuit instans ante æternitatem, in quo voluntas divina suspensa fuisset; ergò ad libertatem indifferentia suspensionis necessaria non est. ¶ 2. Quia anima Christi, & Angeli in primo instanti suæ creationis meruerunt, vt ex D. Thom. supponunt communiter Theologi; ergò in illo instanti habuerunt libertatem, sine qua meritũ esse non potest, ex superiùs dictis; & tamen voluntas in nullo instanti antecedenti potuit esse suspensa, vt posset velle, & non velle, quia ante primum instans nullum antecedit; ergò actus est liber, quin indifferentia suspensionis in potẽtia præcedat.

*D. Th. q. 29. de verit. artic. 8. D. Th. 1. p. q. 63. art. 5. q. 2. sect. 6.*

3. Quia ex contraria sententia evidenter sequitur, 1. Quòd voluntati liberę essentialiter repugnet agere libere; quia voluntas non potest agere libere, dum agit, quia tunc actio est necessaria, & prę̃sens, omnem suspensionem à potentia auferens; nec potest voluntas agere libere, dum non agit, quia dum non agit, non est actio, & cum actio non est, nequit actio esse libera, impossibilis ergo est actio libera, si indifferentia suspensionis cõstituit libertatem potentiæ, ita vt potentia, dum actu operatur libera non sit. ¶ Colligitur 2. Voluntatem nũquam peccare; quia voluntas non peccat antequàm peccet, sed non peccat dum

dum peccat; ergò: Mai. nota, & prob. Min. Voluntas non peccat, dum non peccat libere, quia implicat peccare non libere, sed dum volũtas peccat, non peccat libere, quia actio peccaminosa, nequit esse libera, dum est, si suspensio in agendo libertatem constituit, & voluntas non agit libere dum agit; ergò. ¶ Infertur 3. Quòd si liberum arbitrium non est præsentium, non sit futurorum: & assumo instans A, in quo sit libertas ad actũ futurum in B, & ita disputo, nequit esse verùm in A, quòd actus libere erit pro B, si non est verùm pro B, quòd actus libere est; tùm, quia si actus necessariò est in B, potiùs erit verùm in A, quòd necessariò erit in B; tùm, quia si actus non esset in B, non esset verùm in A, quòd erit in B; ergò si actus non est liber in B, nequit esse verùm in A; quòd erit libere in B; sed si actus, dum est necessariò est, non est verùm in B, actum libere esse; ergò nequit esse verùm pro A, quòd actus libere erit; si ergò actus non est libere, dum est præsens, nec erit liberum arbitrium erga futura, & sic omninò perit libertas.

162 4. Metaphysicis rationibus assumptum demonstratur; voluntas nequit à se suam auferre adæquatam libertatem, sed voluntas à se aufert omnem suspensionis indifferentiam; ergò in indifferentia suspensionis nõ consistit libertas: Min. videtur certa: 1. Quia voluntas se determinat ad vnum præaltero, sed per hanc determinationem aufertur indifferentia suspensionis ad vnum, & alterum; ergò. ¶ 2. Voluntatem esse suspensam est esse pendulam, vel quasi in æquilibrio erga electionem huius obiecti; ergò quando suo nutu vnum prosequitur, iam a se suspensionis indifferentiam aufert. ¶ 3. Si voluntas per actionem à se auferret posse agere, & posse non agere, everteret indifferẽtiam potestatis ad agendum, & non agendum; ergò cum voluntas per actionem auferat à se suspensionem agendi, dum agit, & non agendi, dum non actionem excludit evertit omnem indifferentiam suspensionis ad agendum, & non agendum.

Prob. iam Mai. 1. ex D. Bernardo asserente: *Impossibilè esse, voluntatem de se ipsa, sua privari libertate.* *D. Bern. tract. de Arbit.* ¶ 2. Libertas per sua exercitia perficitur; ergò per sua exercitia non destruitur; quis enim intelliget, quòd potentia impediatur per actum ad quem, vt finem, & perfectionem ordinatur? Quasi posset, potentia ex sua natura ordinari ad sui destructivum: nulla est potentia, quæ non sit perfectior, dum ad actum secundùm reducitur, & solùm liberum arbitrium, dũ exercetur libertatem amittet? ¶ 3. Quia si voluntas, dum exercetur suã aufert libertatem, vel illam aufert necessariò, vel libere. Si primum; ergò necessariò, libertate caret, & sic libera esse non posset: si secundùm (1) ergò libere esset non libera, & sic libertate carens libertatem haberet; (2) ergò exercitium libere est, & nõ necessariò, quia implicat, quòd sit libere auferens aliquid id, quòd libere non est. ¶ Vel aliter: illud exercitium libertatis, libertatem auferens; esset liberum, & non liberum; vndè, & chimæra; esset liberum, quia exercitium libertatis, vndè, & actus secundus liber; libertas enim habet sua exercitia libera: esset non liberum; quia destrueret libertatem; & eo ipso libertati non coëxisteret, nec cum libertate existeret, & liberum, esse nõ potest, nisi quòd existit cum libertate, sicut necessarium est, quòd existit cum necessitate. ¶ Vide rationes, quibus suprà cõvincimus, tàm longè abesse, quòd actus potentiæ liberæ exigat necessariò existere, quòd potiùs implicat, actum potentiæ liberæ, non esse liberum, quia licèt voluntati liberæ sit possibilè non existere actionem liberam, est ipsi antecedenter impossibilè, existere actionem nõ liberam. *Suprà num. 49.*

SECTIO

## SECTIO SECVNDA.

*Non per quamlibet determinationem indifferentia constitutiva libertatis evertitur, ex quo quoddam argumentum Iansenij, & aliorum inefficacia convincitur.*

163 COactus tempus absummam in cõterendo Argutiam Jansenij ex doctrina sect. præteritæ; & aliam non magis efficacem aliorum DD. ex eodem principio, diverso, tamen fine, deprõptam: Jansenius vt comprobet libertatem arbitrij in indifferentia non consistere, sic disputat: *Quia sequeretur operationem divinæ gratiæ libertati arbitrij repugnare, quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinatè facit agere, vel non agere, velle, vel non velle*; vndè sic infert: gratia efficax aufert indifferentiam, sed nõ libertatem; ergò libertas non consistit in indifferentia.

*Iansen. lib. 7. de Gratia Christi, c. 14*

Alij tamen DD. minus cautè contra gratiam determinantem Triumphum concinunt, quia cùm indifferentiæ opponatur, libertatem extinguet, non enim determinatio potest coëxistere indeterminationi, seù indifferentiæ, nec stare potest forma potentiam determinans eius indeterminationem, & indifferentiam illæsam relinquens; vndè sic colligunt; gratia determinans tollit indifferentiam, sed libertas consistit in indifferentia; ergò tollit libertatem; vbi vt vides ex vno principio scilicèt, *gratia determinans tollit indifferentiã*; Jansenius infert conclusionem absurdam; libertatem non consistere in indifferentia; alij conclusionem falsam; scilicèt, gratiam determinantem extinguere libertatem. ¶ Sed quam inefficaces sint istæ argutiæ, ex eo fit evidens: licèt gratia determinans indifferentiam libertatis arbitrij auferat: non statim debet inferre Jansenius; ergò libertas non consistit in indifferentia; sed non consistere in indifferentia illa, quæ evertitur per gratiam; si enim est alia indifferentia præter illam, quàm aufert gratia, rectè stabit libertatem in indifferentia consistere, & non amitti per gratiam: & similitèr alij DD. non debent statim colligere; ergò gratia determinans, aufert libertatem; nisi priùs decidatur; an libertas consistat in illa indifferentia, quàm aufert gratia?

Et 1. Si Jansenio opponitur: Gratia status innocentiæ tollit indifferentiam, sed non libertatem; ergò libertas status innocentiæ, non consistit in indifferentia: eodem laqueo implicatur, à quo se expediet ex eo, quòd libertas non consistit in indifferentia illa, quæ per gratiam evertitur, sed suum argumentum inefficax esse dèmonstrat, quia idem nos dicimus, de libertate naturæ lapsæ. ¶ 2. Si alij DD. ita oppugnantur; volitio est determinatio, auferens indifferẽtiam voluntatis ad velle, & non velle, quia determinatio indeterminationi opponitur, sed libertas voluntatis, consistit in indifferentia; ergò determinatio volitionis aufert libertatem: quid tandem respondebunt? Libertatem, non consistere in indifferentia, pugnante cum determinatione volitionis, sed in alio indifferentiæ genere; ita nos asserimus, libertatem non consistere in indifferẽtia inimica determinationi gratiæ: nullus ergò iudicare debet, ex ipsis terminis esse decisum, prædeterminationem gratiæ libertatem evertere, quia determinatio indifferentiam aufert.

164 Vndè asserimus, indifferentiam potentiæ posse dupliciter accipi; vel vt opponitur determinationi, qualitèr non constituit libertatem; hæc enim, nec fuit in Deo ad velle productionem mundi, nec in Christo, & Angelis ad actum meritorium primi instantis suæ creationis; vel vt op-

po-

ponitur ſimplici neceſsitati, & ita cõſtituit libertatem, vndè libertas per determinationem, quę non ſit ſimplex neceſsitas non evertitur. ¶ Vel alitèr: indifferentia, vel poteſt eſſe ſuſpenſionis, quæ perfectum ęquilibrium exprimit, & hæc determinatione in alterutram partem tollitur, ſed hæc indifferentia nõ eſt de eſſentia libertatis, quia eſſentia libertatis nequit pugnare cùm ipſius libertatis exercitio: alia eſt indifferentia poteſtatis, quę poteſtatem vtriuſquè partis eligendæ ſignificat, hæc non pugnat cùm determinatione vnius extremi, ſed cùm defectu poteſtatis veræ ad vnum ex extremis indifferentię; vndè non quælibet determinatio pugnat cum indifferentia conſtitutiva libertatis.

Hanc doctrinam ita exprimit Dr. S. *Ad vtrùmlibet eſſe alicui virtuti poteſt convenire dupliciter, vno modò ex parte ſui, alio modò ex parte eius, ad quod dicitur: Ex parte quidẽ ſui, quando nondum conſecuta eſt ſuam perfectionem, per quam ad vnum determinetur. Vndè hoc in imperfectionem virtutis redundat, & oſtenditur eſſe potentialis in ipſa: ſicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum aſſecutus eſt principia, ex quibus ad alterum determinetur: ex parte autem eius ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad vtrùmlibet eſſe, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, ſed tamen vtrùmquè eſſe poteſt: ſicut aliquis, qui diverſis inſtrumentis vti poteſt æqualitèr ad idem opus perficiendum: hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magis ad eius eminentiam: in quantum vtrùmlibet oppoſitorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum, ſed ad vtrùmlibet ſe habẽs.* *D. Tho. 1. cõtr. gent. cap. 82.*

En vbi Dr. S. duplicem indifferentiam potentię exponit, aliam *ex parte ſui*, & hęc eſt indeterminatio, & potentialitas, quia potentia nondum eſt conſequuta ſuam perfectionem, ſicut intellectus dubitãtis eſt imperfectus, quia nondum eſt aſſecutus principia, quibus ad vnam partẽ determinetur; hæc indifferentia, & indeterminatio, non eſt eſſentia libertatis; ſed libertatis imperfectio; vndè determinatio vi cuius potentia ſuam perfectionem conſequitur, licèt hanc indifferẽtiam adimat, libertatem non tollit, ſed perficit, ſicut intellectus dubitãtis perficitur, cùm aſſequitur principia, quibus ad aliquam partem determinatur; alia eſt indifferentia potentiæ *ex parte eius, ad quod dicitur*, quæ conſiſtit in eo, quòd vtrùmquè potentia poſsit, quia perfecta operatio virtutis à neutro dependet, & hęc indifferentia eminentiam virtutis ſequitur, ſicut dum, quis diverſis inſtrumentis poteſt vti ad idem opus perficiendum: & hæc indifferentia eſt conſtitutiva libertatis, & cùm determinatione non pugnat, vi cuius potentia ſuam aſſequitur perfectionem. In Deo ſolùm concedit Dr. S. hanc ſecundam indifferẽtiam, relegando à Deo primam, ſicut, & omnem potentialitatem: in nobis, non ſolùm eſt indifferentia ſecunda, quæ eſt conſtitutiva libertatis; ſed etiam prima, quæ dum tollitur, libertas perficitur, quia exercetur.

Quàm doctrinam ita elegantèr, & concisè exponit Ferrara; voluntas poteſt conſiderari, *vt potentia ad vtrùmlibet, vel vt in potentia ad vtrùmlibet*, quòd voluntas ſit *potentia ad vtrùmlibet*, eſt de ratione libertatis, & ſolùm exigit, quòd potẽtia non habeat neceſſariam habitudinem ad vnum oppoſitorum, licèt ſit ad vnum determinata; quòd verò voluntas ſit, *in potentia ad vtrùmlibet*, non eſt de ratione libertatis, & hoc aufertur per determinationem voluntatis ad vnum. *Ferrara 1. cont. gent. c. 82.*

165 Dum ergò de aliqua determinatione controvertitur; An pugnet cum libertate? Non ſtatim levitèr

tèr iudices, ex ipsis terminis dubium esse decisum absquè alia discussione: si est determinatio, opponitur indifferentię; ergò libertati; sed maiori examine indiget, & per hæc principia discurri debet; determinatio, quę tollit indifferentiam oppositam necessitati simplici, libertatem aufert; vel quod in idem incidit; determinatio, quæ aufert indifferentiam Dominij, & potestatis, de medio libertatem tollit, secus si solùm excludat indifferentiam suspensionis. ¶ Vel alitèr, vt terminis Div. Thomæ vtar: determinatio auferens indifferentiã potentię ex parte sui non destruit; sed perficit libertatem; si verò aufert indifferentiam potẽtiæ ex parte eius, ad quod dicitur, libertatem suffocat. Aut terminis M. Ferrara, dum determinatio aufert voluntatem esse *in potentia* ad vtrùmlibet, libertatem perficit; dum verò tollit voluntatem esse *potentiam* ad vtrùmlibet, libertatem destruit. Hæc ex prima notione libertatis supponi, vt omninò indubia, debẽt, & posteà de modò, quo determinatio illa, *de qua fuerit dissidium*, opponitur indifferentiæ, concertare; vndè de determinatione exercitij liberi, *de qua nunc disputamus*, decidimus, tàm longè abesse, quòd libertatem adimat, quòd potiùs perficit; quia nullæ indifferentiæ constitutivæ libertatis opponitur, solùmquè tollit indifferentiam suspensionis, vel indifferentiam potentiæ ex parte sui, vel indifferentiam, quæ consistit in eo, quòd voluntas sit in potentia ad vtrùmlibet: quæ omnes indifferentię extra conceptum libertatis sunt.

## SECTIO TERTIA.

*Quædam argutiæ convelluntur, & quomodò sit, verùm quod posibili posito in esse nullum sequitur impossibilè, declaratur.*

166 COntra conclusionem ita certam aliquæ fallatiæ opponi possunt: 1. Quando existit actus: *Idem de quolibet alio exercitio libero asserendum*, necessariò existit; ergò vt voluntas sit libera ad actum exigitur actum non existere, & ita indifferentia suspensionis erit ad libertatem necessaria. Prob. ant. 1. ex illo Philosophi: *Omne quòd est, dum est, necessè est esse*, ergò quando actus est, necessariò, & non libere est. *Aristoteles 1. de interp. cap. 8.* ¶ 2. Quando vnum contradictorium est impossibilè, alterum contradictoriũ est necessarium, vt est in se notum; quia cùm vnum contradictorium deficere sit alterum existere; si aliquod contradictorium est impossibilè, & exindè necessariò deficit, alterum necessariò existit; sed quando existit actus est impossibilis actus carentia; ergò. Prob. Min. duo contradictoria simul existere, est impossibilè; ergò est impossibilè, quòd vnum existat, quando alterum existit; sed actus opponitur contradictoriè carentiæ actus; ergò. ¶ 3. Prob. antec. Potentia non potest simul efficere, & non efficere; ergò quando efficit, non potest non efficere; sed potentiam non posse non efficere, est necessariò efficere; ergò quando efficit, necessariò efficit, sed actus efficitur, quando exitit; ergò necessariò existit.

167 Resp. neg. anteced. & ad 1. probat. Quod illa propositio Philosophi, intelligitur de necessitate cõditionali, non absoluta, propositio enim conditionalis, ita fieri potest, cùm his dictionibus *Cum, Dum*, sicut cum dictione *Si*: sicut enim ista est conditionalis, si currit, movetur; ita etiam istę: cùm currit, movetur: & dum currit, movetur; vndè illa propositio Philos. *Dum est, necessè est esse*; est conditionalis necessariò vera per necessitatem consequentiæ; & ita esse intelligendum Philosoph. demonstro 1. Quia si omne dum est, necessariò absolutè esset, nil contingentèr esset, quia nil potest esse contingentèr, dum non est, & dum esset, necessa-

ceſſariò eſſet. ¶ 2. Quia ſi contingẽs, dum eſt neceſſariò eſſet abſolutè, dũ eſſet, deficeret, quia dum eſſet, non poſſet abſolutè non eſſe, & cum poſſe non eſſe ſit de eſſentia contingentis, dum eſſet, illi deficeret requiſitum eſſentiale, vt ſit. ¶ 3. Alijs omiſsis ita demonſtro; hæc eſt mala collectio: *Voluntas poteſt agere; ergò agit*; quia arguitur à potentia ad actum, & nil certiùs, quàm plura poſſe agere, quæ non agimus, aliàs, nec libertas, nec demeritum, forent; ergò ſimili ratione, hæc etiam collectio eſt mala: *Voluntas poteſt non agere; ergò nõ agit*; ergò poteſt antecedens eſſe verùm, & conſequens falſum, ſicut in omni conſequentia mala, cùm ergò ſi ſit falſum voluntatem non agere, ſit verùm agere, ſtabit voluntatem agere, cùm veritate illius antecedentis, *poteſt non agere*; vndè non neceſſariò abſolutè aget. ¶ Nec pugnat cũ libertate, hæc neceſsitas conditionata; quia, quòd eſt neceſſarium conditionatè, ſi conditio eſt abſolutè contingens, eſt abſolutè contingens, ſicut, quòd eſt futurum ſub cõditione, eſt abſolutè, non futurum, ſi conditio eſt abſolutè, non futura; ſed exiſtentia actus, ſolùm eſt neceſſaria ſub conditione, quod actus ſit, & actum eſſe, eſt contingens abſolutè; ergò actus abſolutè contingentèr exiſtit: ſicut hæc conditionalis eſt vera: ſi Petrus currit, neceſſariò movetur; tamen hæc neceſsitas conditionata motus, non pugnat cùm illius libertate abſoluta, quia Petrus eſt abſolutè potens non moveri, ſicut, & non currere. ¶ Imò tàm longè abeſt, neceſſitatem conditionatam de eo, quòd actus ſit, pugnare cùm libertate, quòd potiùs neceſsitatem conditionatam de eo, quòd actus libere ſit, eſſe de eſſentia libertatis, ex Auguſt. & ratione, ſuprà demonſtravi.

*Supr. num. 49.*

Ad 2. probat. Reſp. conceſ. Mai. diſtinguendo Min. Quando actus exiſtit, eſt impoſsibilis illius carentia conditionatè, concedo, abſolutè, nego, & diſtinguo conſequẽs; ergò neceſſariò exiſtit actus, conditionatè, concedo, abſolutè, negò; hoc eſt, eodem modò, ac eſt neceſſarius actus, eſt impoſsibilis carentia, & cùm neceſsitas actus ſit conditionata, etiam carentiæ impoſsibilitas, ſicut verò, vt immediatè dixi, illa neceſsitas non pugnat libertati actus, nec illa impoſsibilitas contingentiæ carentiæ, ſicut enim cùm libertate pugnat vnius extremi neceſsitas, ita alteriùs impoſsibilitas; ſi ergò non pugnat neceſsitas conditionata vnius, ſed ſolũ abſoluta, non pugnabit impoſsibilitas conditionata alteriùs, ſed ſolùm abſoluta.

168 Ad 3. probationem Reſp. Ex equivocatione procedere, in hac materia valdè notanda, quia in illa propoſitione, *potentia non poteſt; ſimul efficere, & non efficere*: ly *ſimul*, vel poteſt cadere, ſuprà ly *poteſt*, & ſic eſt falſa, licèt cõſequens inferret, vel ly *ſimul*, cadit, ſuprà ly *efficere*, & ſic propoſitio vera, ſed ad inferẽdum conſequens, inutilis. ¶ Explico hoc: poteſtas efficiendi, & poteſtas non efficiendi, ſunt ſimul, ſed non eſt poteſtas efficiendi, & non efficiendi ſimul, quia voluntas eſt potens efficere, & eſt potens non efficere, ſed non eſt potens efficere, & non efficere: ſicut, nunc voluntas poteſt amare, & poteſt odiò habere, ſed non poteſt amare, & odio habere ſimul, ego poſſum currere, & poſſum quieſcere, ſed non poſſum currere, & quieſcere ſimul; vndè ſimul, cùm amore eſt poteſtas odij, & ſimul cum curſu poteſtas quietis; ita ſimul cùm efficere, habet poteſtatem non efficiendi, vndè libere efficit. ¶ Si in contra objicias, ſicut ſe habet actus ad actum, ſe habet potentia ad potentiam; ergò ſi actus oppoſiti, vt efficere, & non efficere, non poſſunt eſſe ſimul, nec potentia efficiendi poterit coëxiſtere potentiæ non efficiendi. ¶ Inſto: Petrus,

trus,& ſui carentia,non poſſunt eſſe ſimul,& poſsibilitas Petri eſt connexa,cùm poſsibilitate ſuæ carentiæ: ſuprà probavi; dari ſimul probabilitates iudiciorum; quorum ſimultas eſt improbabilis, ita dantur ſimul, poſsibilitates extremorum, quorum ſimultas,eſt impoſsibilis. ¶ Ad argumentum Reſp. D.Thomas: *Quòd illa propoſitio*, ſicut ſe habet actus ad actum,ſe habet potentia ad potentiã, *quodammodò eſt vera,& quodammodò eſt falſa; ſi enim accipiatur,actus ex æquo correſpondens potentiæ, vt vniverſale obiectum ipſius,veritatem habet propoſitio, ſic enim ſe habet auditus ad viſum, ſicut ſonus ad colorẽ; ſi autem accipiatur,id, quòd continetur ſub obiecto vniverſali, ſicut particularis actus, ſic propoſitio,veritatem non habet, vna eſt enim potentia viſiva, cùm tamen album,& nigrum nõ ſint idem, licèt ergò ſimul inſit homini,potentia voluntatis ad oppoſita ſe habens, tamen oppoſita illa,ad quæ ſe habet voluntas,non ſunt ſimul.*

*Supr. n. 40.*

*D.Tho. q. 6. de electione ſolut.ad 19.*

169 2. Oppones, & inſtabis: Actus nequit componi cùm poteſtate non agendi;ergò dum aufert à voluntate indifferentiam ſuſpenſionis, & tollit indifferentiam poteſtatis, & exindè,æquilibrium ſuſpenſionis,erit ad libertatem exactum. Prob. anteced. Dum exiſtit actio,non eſt poſsibilis non actio, ſed dum non eſt poſsibilis non actio, non eſt poteſtas nõ agendi, vt indubium; ergò. Probat. Mai. *Poſsibili poſito in eſſe nullum ſequitur impoſsibile*, ex Ariſtotele, ſed poſita non actione, dum exiſtit actio,ſequeretur aliquod impoſsibile, chimærica,ſcilicèt,coniunctio,nõ actionis, cùm actione; ergò. ¶ Vel alitèr: ſi dum exiſtit actio, voluntas non ageret, coniungeret non actionẽ cum actione;ergò ſi dum exiſtit actio voluntas, poſſet non agere, poſſet coniungere non actionem cùm actione, ſed coniungere non actionem cũ actione eſt chimæra; ergò talis poteſtas eſſet ad chimæram,& exindè chimerica;cætera patent,& 1.conſequẽtia prob.1.Quia,quòd præſtat actus, actu,præſtat potẽtia, poſsibilitèr;ergò ſi actu non agere, eſſet actu coniungere, poſſe non agere,eſſet,poſſe coniungere. 2.Poſſe non agere,dum exiſtit actio eſt poſſe id,quòd eſt non agere,dum exiſtit actio, ſed non agere, dum exiſtit actio, eſt componere non actionem cùm actione,& exindè chimęra; ergò poſſe non agere, dum exiſtit actio,eſt poſſe componere nõ actionem,cum actione. ¶ Vel alitèr: Quòd eſt poſsibilè pro inſtanti A,eſt componibile,cum omnibus,quæ exiſtunt pro A,ſed non actio non eſt cõponibilis cum actione; ergò non eſt poſsibilis pro inſtanti actionis, ergò voluntas,pro inſtanti actionis, non poteſt in non actionem, quia eo modò eſt poſsibilis non actio, quo voluntas poteſt in ipſam.

Hanc fallaciam, in hac ſectione detegere,decrevi,licèt,aliqui in publicis diſputationibus illa vtantur contra coëxiſtentiam prævię determinationis ad actum,cùm poteſtate ad eius carentiam,& quòd magis miror,cùm manifeſtè ſit ſophiſtica argutia, actum eſſe contra prædeterminationem,iudicat noviſsimè Frat. Emmanuel de Conceptione, ex hoc ſolo fundamento, vt capitali, quòd prædeterminantes implicationẽ claram docent, dum,poſsibilem,ſuppoſita prædeterminatione, admittunt, v.g. diſſenſum,& alias dicunt, quòd non poteſt exiſtere diſſenſus,cũ prædeterminatione, quaſi ſit affirmare definitum, & negare definitionem; iſtæ tamen formulæ hìc diſolvuntur, quia ex prima notione libertatis lucem accipiunt, nec DD. Societatis, ad ſuam opinionem fundandam,illis vtuntur, ſed maiori efficacia diſputant,ſolùm ſunt cabillationes,ad ſuadendum, quòd dum eſt,determinatio actus;voluntas libere non agit, quòd Suarez, improbabilè iudicat, improba-

*Emman. de Conceptione Phyſic. diſp. 2.q.15.*

*Suarez, t.2. Metaph. diſp.19.ſect. 9.*

babilitèr etiam arguitur, dum, ex hoc ſolo principio determinatio ad actũ impetitur, cùm æquæ obſtringat determinationem actus.

170 Et 1. argumentum prob. Poſſe non agere, non poſſe ſeparari à non actione, quòd eſt evidentèr falſum; & ſequela non minus evidens, quia cùm intendat, non poſſe componi, poſſe non agere cum actione, infert eſſe connexum cum non actione, cum idem in terminis, ſit non poſſe coniungi cum vno contradictorio, ac non poſſe ſeparari ab alio; ergò, argumentum probat evidentèr falſum.

¶ 2. Argumentum probat: *Quòd, dum exiſtit ſuppoſitio aliqua inconiũgibilis cum aliquo termino non coëxiſtit poteſtati ad terminum*, cùm eo ſuadere intẽdat ſuppoſitionem actus non poſſe coniungi cum poteſtate nõ agendi, quia eſt incomponibilis cùm non actione; quòd principium eſſe falſum debet eſſe notum. 1. quia Trident. expreſsè componit cum aſſenſu poſſe diſſentire: 2. Quia infertur nullam propoſitionem de poſsibili eſſe veram in ſenſu diviſo, dum in ſenſu compoſito, eſt falſa, cõtra Dialecticæ regulas. 3. Sicut poteſtas exigit poſsibilitatem ſui termini, ita, & naturalis inclinatio, quia non poteſt terminari ad impoſsibilè; ſed eſt evidens, quòd ſuppoſitio aliqua inconiungibilis cùm termino naturalis inclinationis componitur cum ipſa naturali inclinatione; vt patet in aqua calida, in qua ſuppoſitio caloris ſicut coniungitur cum ipſa natura aquę, ita, & cum naturali eius inclinatione ad frigiditatem, licèt frigiditas ipſa cum ſuppoſitione caloris componi non poſsit; ergò ſimilitèr.

*Trid. Seſſ. 6. Can. 4.*

Nec de hoc principio fuit aliquando concertatio cum DD. Societatis: potiùs enim ipſi aſſerunt: cum ſcientia divina conſenſus coniungi poteſtatem diſſenſus, licèt diſſenſus non poſsit componi cum ſcientia, aliàs ſcientia eſſet falſificabilis; & ſimilitèr, prædefinitio divina conſenſus cõponitur cùm poteſtate diſſenſus, eſſentialiter repugnans diſſenſui, quia aliundè eſſet fruſtrabilis, in quibus exemplis inſtantur appoſitæ argutię: Diſsidium vtriuſquè Scholæ eſt; an poſsit talis ſuppoſitio admitti pugnans cum termino, & non cum poteſtate ad illum, dum eſt independens in exiſtendo à noſtra libertate? Jeſuitæ abnunt, nos annuimus, ſed decidi non debet hoc diſsidium, ex formulis arguendi, quę abſolutè impugnant, ſuppoſitionem ab omnibus, ſine controverſia, admiſſam.

Vt fallacia appareat, principium notum aſſumimus; licèt libertas agẽdi componat poteſtatem non agendi, non exigit poteſtatem componendi non actionem, cum actione: Ratio evidens; hæc compoſitio eſt chimæra, cum ſit compoſitio contradictoriorum; ergò poteſtas ad illam eſt poteſtas ad chimæram, & exindè chimærica; ſed libertas vera nequit cõſtitui per poteſtatẽ chimericã; ergò.

171 Vndè in forma, nego anteced. & ad probat. neg. Mai. ad cuius probat. Omiſsis explicationibus illius principij Ariſtotelis, quas tradunt MM. Ferrara, Soncinas, Cornejo, M. Prado, & Lemos; ex illorum doctrina claritatis gratia, ſic expono: Poſsibili poſito in eſſe, modò, quo eſt poſsibilè nullum ſequitur impoſsibilè, concedo: poſito in eſſe modò, quo non eſt poſsibilè; nego; & conceſſa Min. diſting. conſequens; ergò dum exiſtit actio, non eſt poſsibilis non actio, ſimul cum actione, concedo; diviſim ab actione; nego. Valdè enim diverſæ ſunt iſtę propoſitiones; *Cùm* A, *ſeù dum exiſtit* A, *eſt poteſtas ad terminum, & eſt poteſtas ad terminum cùm* A, in prima denotatur, ſimul cùm A, eſſe poteſtatem ad terminum, in ſecunda, eſſe poteſtatem ad terminum ſimul cùm A; vndè prima poteſt eſſe vera, & ſecunda falſa, quia ſtat A, eſſe ſimul

*Ferrara, lib. 8. Phyſ. q. 11. Soncinas, lib. 4. Meth. q. 17. Cornejo de Prædeſt. artic. 1. diſp. 2. M. Prado Meth. cont. 11. art. 6. Lemos, t. 3. lib. 3. tract. 2. cap. 15.*

cum potestate ad terminum; quin sit potestas ad simultatem termini cum A; sicut sessio est simul cum potestate ad cursum, & non est potestas ad simultatem cursus cum sessione; ita est in nostro casu; etsi confunditur potestas ad terminum, cùm termino potestatis, ex eo, quòd actio, & non actio simul sunt possibiles, colligetur possibile esse actionem, & non actionem esse simul; contra D. Thomam, & evidentem veritatem.

*D. Tho. allatus, n. 168.*

Ad 2. formam, nego consequentiam: & ad 1. probat. Resp. Quod illa propositio, quòd præstat actus, actu, præstat potentia possibilitèr, est vera, si hæc potentia sit ad actum, vt præstat illud esse actu, si verò sit potentia ad actum, vt excludentem illud esse actu, potentia ad actum non præstat possibilitèr, quòd præstaret actualitèr actus, si existeret: Cùr verò si voluntas non ageret, dum existit actio, coniungeret non actionem cùm actione? Quia actio, & non actio essent simul; si ergò potestas, quæ est simul cum actione, ad non actionem, non est ad non actionem simul cum actione, sed divisim ab actione, non erit potestas ad non actionem eo modò, quo est coniunctio cum actione, vndè non erit potestas coniungẽdi; & insta in exemplis sæpiùs indicatis, vbi si existerent termini esset actu chimæra, & potentiæ ad terminos non præstant esse chimæram possibilitèr. ¶ Ad 2. probat. Resp. Omnia esse vera, sed in illa confunduntur termini, quòd cautè adverte in similibus argutijs: istę propositiones sunt valdè diversę: *Dum existit actio, possum non agere: Possum non agere, dũ existit actio*; quia in prima, ly dum existit actio, se tenet ex parte subiecti, & denotatur, cùm existentia actionis esse potestatem non agendi, & ita propositio est vera: In secunda, ly dum existit actio, se tenet ex parte termini, & significat terminum illius potestatis esse non agere cõiunctum cum actione, & ideò propositio est falsa: Idem asseri debet, dum similes propositiones formantur de scientia, prædefinitione, & determinatione ad agendum, dum enim existunt, potest voluntas non agere, sed non potest non agere, dum existunt: & præter exempla allata hoc addo: Dum res est in statu puræ possibilitatis, potest existere, imò per posse existere constituitur possibilis; & tamen falsum est, quòd possit res existere, dum est in statu puræ possibilitatis, quia per existentiam necessariò amittit puram possibilitatem, & transit ad esse actuale.

Ad vltimam probat. Resp. Mai. Esse veram, si sit possibilè in A, vt componibilè, cum omnibus, quæ existunt in A; secus verò, si licèt in A, sit possibilè, non sit possibilè, vt componibilè cum omnibus, quæ existunt pro A; sicut in instanti est potestas ad motum, sed non vt possibilem pro instanti, quia repugnat motum existere in instanti: In instanti ergò A, actionis, est possibilis non actio, vt componibilis cum illo instanti, specificativè sumpto, sed non vt componibilis cum actione, nec cum instanti, vt reduplicativè mensurante actionem. ¶ Difficiliores formæ solventur in Tractatu de Libertate Dei, dum conciliatur, cum eius immutabilitate; nunc sufficiat, vt certum ex indubia notione libertatis agnoscere, quòd potest determinatio potentiæ coëxistere indifferentiæ constitutivæ libertatis, & quòd suppositio inconiungibilis cum termino, potest componi cum potestate ad terminũ; & argumenta, quæ contrarium intẽdum, solùm esse appretianda, vt ingenia exerceantur, non vt veritas discutiatur.

## ADDITIO.

172 DOctor Prado ait: Suspensionem ab vtrovis extremo *exclusivè* pro vtriusquè defectu,

*Prado de Lib. Arbit. disp. 1. sect. 1, à n. 15.*

ctu, non ſolùm non eſſe requiſitam ad libertatem, verùmetiam eſſe implicatoriam; in nulloque caſu poſſe reperiri in libertate vera, vt proximè, & ſimplicitèr expedita ad operandũ; me què diſsẽtire, ſatis colligi, aſſerit, ex ſcriptis in hac ſectione: Sed cauſam liberam proximè expeditam nõ poſſe habere indifferentiam ſuſpenſionis, quatenus ſimul careat vtroq; libertatis extremo, ſi eſt libera libertate contradictionis; eſt veriſsimum principium; ſecus eſt de cauſa libera libertate contrarietatis, quia poteſt ſimul carere vtroquè extremo contrario.

Aſſumptum probo: Libertas contradictionis eſt neceſsitas Metaphyſica disiunctiva, alicuius extremi liberi; ſed implicat, quòd neceſsitas Metaphyſica disiunctiva alicuius extremi liberi, careat ſimul vtroquè; ergò implicat, quòd cauſa libera libertate contradictionis habeat indifferentiam ſuſpenſionis, quia ſimul careat vtroquè extremo libero. Minor nota: Quia dum eſt neceſſarium alterutrum exiſtere, eſt impoſsibilè vtrùmquè deficere. Prob. Mai. Aliquod ex extremis contradictionis, neceſſariò exiſtit, quia contradictoria non poſſunt ſimul deficere; ergò voluntati liberæ debent coëxiſtere, vel agere, vel non agere, quæ ſunt contradictoria; ſed impoſsibilè eſt, quòd aliquod habeat neceſſariò, vel quod aliquo careat neceſſariò; ergò voluntas libera eſt neceſsitata vt alterutrum habeat libere, & alterutro libere careat: Prob. Min. 1. Quia cauſa libera eſt antecedentèr neceſsitata ad agendum libere, *ſi agit*; & ſimilitèr ad non agendum libere, ſi non agit; vt probavi ſuperius. ¶

*Supr. n. 49.* 2. Cauſa libera poteſt agere, & non agere; ergò nequit neceſſariò habere actionem, cum poſsit nõ agere; nec poteſt neceſſariò carere actione, cùm poſsit agere.

Secunda pars aſſumpti conſtat: Quia omnis libertas contrarietatis claudit duplicem libertatem contradictionis; v.g. libertas ad amorem, & odium, includit libertatẽ ad amorem, & omiſsionem amoris; ad odiũ, & omiſsionem odij; poterit igitur cauſa libera exerceri per vtrùmquè exercitium omiſsivum, & ſimul carere libere, vtroquè exercitio poſitivo; quæ enim in hoc repugnantia? Ergò poterit obtinere indifferentiã ſuſpenſionis, per excluſionem vtriuſquè exercitij poſitivi.

173 Sed non poſſum præterire; ex hoc principio: *Libertas in actu primo ad conſenſum, & diſſenſum, eſt neceſſitas Metaphyſica disiunctiva alterius vtrius extremi liberi*: Hunc Doctorem ſuo magno ingenio, intulliſſe *fundamento ſibi efficaciſsimo* libertatem *eſſentialitèr claudere, liberum Dei decretum indifferens*: quę collectio, cùm venia tanti Magiſtri, omninò inefficax mihi videtur, quòd ita oſtendo: *Conſentire, & non conſentire* ſunt contradictoria, & exindè neceſsè eſt alterutrum exiſtere: *Conſentire libere, & non conſentire libere*; non ſunt contradictoria; Cùr? Quia hæc extrema ſimul poſſunt deficere, vt ipſe rectè tradit, dum ſcilicèt libertas deficit, quia tunc illa extrema ſimul deficiunt; ergò dum exiſtit libertas, illa extrema non poſſunt ſimul deficere, ergò ipſa natura contradictionis, cum libertatis exiſtentia, eſt neceſsitas, vt alterutrum exiſtat; Patet: Quia eo ipſo, quod ſit impoſsibilè vtrùmquè deficere, eſt neceſſarium alterutrum exiſtere; ergò hæc neceſsitas disiunctiva, nil infert, præter exiſtentiam libertatis quomodolibet conſtitutæ: ex hac ergò neceſsitate colligi non poteſt libertatem hoc, vel illo modò conſtitui.

*Prado de Liber. Arbit. diſp. 5.*

*Prado, vbi ſupr. n. 10.*

Pone hæc extrema: *Conſentire in inſtanti* A; *non conſentire in inſtãti* A, poſſunt ſimul deficere, immò, & deficiunt, deficiente inſtanti A; Si

verò

verò ſupponis inſtans A, exiſtere; *impoſsibilè* eſt illa duo extrema ſimul deficere; ergò dum adeſt inſtans A, eſt Metaphyſica neceſsitas, vt alterutrum exiſtat; Patet: Quia ſi eſt impoſsibilè Metaphyſicè vtrùmquè ſimul deficere, eſt Metaphyſicè neceſſarium alterutrum exiſtere; Et ſi exindè inferas; ergò inſtans A, claudit eſſentialitèr decretum Dei liberum, ex quo talis Metaphyſica diſiunctiva neceſsitas proveniat: omninò inefficacitèr colliges.

Ratio: Vt detur neceſsitas Metaphyſica alterius vtrius ex ijs extremis, *conſentire libere*: *Non conſentire libere*: Sufficit eſſe ita neceſſarium alterutrum coëxiſtere ſuę libertati; ſed poſito decreto divino libertatis effectivo eſt Metaphyſicè neceſſariũ alterutrum ex illis coëxiſtere ſuæ libertati; cùm eo pręciſsè ſit libertas ad vtrùmquè, & alterius vtrius exiſtentia; ergò poſita libertate ex decreto divino libertatis effectivo, licèt non conſtitutivo, erit Metaphyſica neceſsitas alterius vtrius ex ijs extremis *conſentire libere*: *Non conſentire libere*.

Si verò dicas: Non poſſe Deum ex libertate non conſtituta per decretum divinum neceſsitari ad determinandum alterutrum ex illis exercitijs; quia ex prædicato adæquatè creato, nequit in Deo oriri neceſsitas aliqua. ¶ Reſp. inſtando in exemplo poſito; & aſſerendo: quòd ſicut ex vnione hypoſtatica redditur humanitas Chriſti impeccabilis; & ex viſione Dei, Beatus; Deus autem non neceſsitatur ad non permitendũ peccatum humanitati Chriſti, aut Beato, à viſione, vel ab vnione, nec à ſuo decreto conſtitutivo viſionis, aut vnionis, ſed à ſuo decreto libero effectivo viſionis, aut vnionis; ita neceſsitas in Deo ad determinandum alterutrum ex exercitijs liberis, non procedit à noſtra libertate, ſeù decreto Dei illius conſtitutivo; ſed à decreto Dei libertatis effectivo.

# QVÆSTIO SEPTIMA.

## VTRVM LIBERTAS VNIVS EXERCITIJ, EXIGAT POTESTATEM proximam ad oppoſitum?

### SECTIO PRIMA.

*Ad libertatem vnius exercitij non ſufficit potentia remota ad oppoſitum.*

174 HÆC concluſio eſt omninò certa: cũ D. Th. in definitione liberi arbitrij nomine *facultatis*, intelligeret poteſtatem expeditam, & potentia remota eſt potentia impedita: ipſum ſequuntur omnes Scholaſtici, nullo, quem viderim dempto: & probat. 1. gravi fundamento: Hæretici Calviniſtę oſſores noſtræ libertatis non negabant ſolùm libertatis nomẽ, ſed eſſentiam, aliàs quæſtio de exiſtentia libertatis inter Catholicos, & Hæreticos eſſet ſolùm de nomine, non de re; ſed Calvinus non negavit, quòd dum

*D. Tho. ſup. allatus, n. 128.*

dum voluntas consistit habet potentiam remotam ad dissensum; ergò si in re negavit libertatem consensus, ad eius libertatem, non sufficit potẽtia remota dissensus: cætera patent, & Min. Prob. Quia Hæretici, vt suprà vidimus, nunquàm negarunt arbitrium nostrum esse vertibilè, & mutabilè de bono in malum, & de consensu in dissensum, solùmquè asserebant posita motione Dei necessariò agere bonum, sed ita, vt illa ablata, necessariò ageret malum, sed voluntas, quæ dum consentit, potest mutari ad dissensum, ablato auxilio ad consensum, habet potentiam remotam dissentiendi, quòd enim non potest adhìc remotè dissentire non potest in dissensum mutari; ergò.

*Sup. n. 1. vsquè ad 12.*

Confirmatur ex Jansenio, dum enim negavit libertatem à necessitate nostrorum actuum, non concessit id, quòd sufficit, vt actus nostri sint à necessitate liberi, aliàs inter Jansenistas, & Catholicos, non esset dissidium de re; sed Jansenius non negavit, quòd voluntas, dum media delectatione cœlesti movetur ad consensum habet potentiam remotam dissentiendi: tùm, quia non negavit, quòd posset in dissensum, dum ablata delectatione cœlesti, victrix evaderet delectatio terrena, non enim admittebat necessitatem immutabilitatis, solùmquè necessitatem simplicem propugnabat, vt suprà vidimus. ¶ Tùm; quia ita expressè docet loquendo de potestate ad oppositum actus, quæ perseverat, cùm præscientia actus, sic enim edisserit: *Ista autem libertas non est indifferentiæ, qua voluntas præscita à Deo posit proximè non operari, sed tantum est illa, qua restat voluntas, quæ est ex se principium ad oppositum, quàm scientia Dei non tollit*, vbi solùm adimit volũtati potestatem proximam, non operandi actum præscitum; ergò potestas remota, & non proxima, ad consensum, non sufficit ad libertatẽ.

*Sup. n. 70.*

*Iansen. lib. 6 de Gratia Salvatoris, cap. 10. & l. 8. cap. 20.*

175 Prob. 2. conclusio: Exemplis 1. Christus non fuit liber à necessitate non peccandi, fuit enim Christo antecedenter impossibile peccatum, vt tenent communitèr Theologi; sed Christus habuit potẽtiam remotam peccandi; vt etiã docent Theologi, voluntas enim humana, quia finita, & ex nihilo est potens remotè peccare; ergò potentia remota peccandi non sufficit ad libertatem non peccandi. ¶ 2. Beatus habet potentiam remotam ad odium Dei; cùm voluntas creata ex se habeat talem potentiam remotam, & fortè in via voluntas beati peccatum odij Dei commisit, & potentia semper est remotè potens ad actum, quẽ aliquando elicuit; sed voluntas beati non est libera libertate contrarietatis ad amorem Dei, vt tenent communitèr Theologi, videns enim Deũ in se infinita gaudentem bonitate, in quo nulla ratio mali apprehendi potest quomodò erit liber ad odiũ Dei, quòd necessariò respicit malum? Ergò potentia remota ad odium Dei non sufficit ad libertatem contrarietatis amoris. ¶ 3. Si quis in ferrea vincula coniectus sit, non est liber in carentia motus progressivi, aliàs cẽseretur reus religionis, si ea ex causa non adesset Sacrificio Missæ, sed habet potentiam remotam ad motum progressivum, quia habet potentiam se movendi localiter, quę non tollitur, dum impeditur; & ideò ligatus sublato impedimento, nulla potentia superaddita posset localitèr moveri, quòd esse non posset, si non haberet radicalem, & remotam potestatem se movendi; ergò ad libertatem in carentia motus progressivi non sufficit potentia remota ad motum. ¶ Ex quibus exemplis ita disputo; illam indifferentiam potestatis ad oppositа desiderant Ecclesiæ PP. ad libertatem, quæ cum simplici necessitate ad vnum pugnat, necessitatem enim simplicem cum libertate, me-

merito,& demerito pugnare ſępiùs docent, aliàs ex Eccleſiæ PP. noſtra libertas à neceſsitate non convinceretur ; ſed indifferentia poteſtatis, quę ſolùm exigit potentiam remotã ad vnum ex extremis indifferentiæ, cum ſimplici neceſsitate alteriùs extremi compatitur,vt in exemplis allatis manifeſtè conſpicitur ; ergò indifferentia poteſtatis ad libertatem ab Eccleſiæ PP. deſiderata per potẽtiam purè remotam ad vnum ex extremis indifferentiæ non ſalvatur.

176 Prob.3.principalis concluſio à priori: Verè liber ad actum, eſt abſolutè potens ad carentiam actus *Trid.Seſſ. 6. Can.4.* ſic Tridentinum,vt exprimeret arbitrium noſtrum libere cooperari aſſentiendo gratiæ poſſe diſſentire definivit, ſed potentia remota ad carẽtiam, non denominat ſubiectum abſolutè potens ad illam;ergò ad libertatem actus non ſufficit. Prob. Min. Subiectum non eſt abſolutè potens ad exercitium ſibi abſolutè impoſsibilè, ſed dum ſubiectum habet potẽtiam purè remotam ad carentiam actus,carentia eſt illi abſolutè impoſsibilis;ergò: Prob.Min.1. In exemplis appoſitis,quia peccatum eſt abſolutè impoſsibilè Chriſto,odium Dei Beato,curſus catenis oppreſſo, & ad hæc exercitia eſt potentia remota ; vbi convincitur, quòd poteſtas remota non reddit ſubiecto exercitium abſolutè poſsibilè, quia nequit ſtare abſoluta poſsibilitas vnius contradictorij cum ſimplici neceſsitate alteriùs,& potentia remota ad hęc exercitia componitur cum ſimplici, & abſoluta neceſsitate ad contradictoria. ¶ 2. Voluntas deſtituta omni auxilio ſufficiente, ad dilectionem ſupernaturalem Dei habet potentiã remotam diligendi Deum ; quia potentia remota non pręſtatur ab auxilio,conſiſtit enim in coaptatione eſſentiali potentiæ cum actu, quæ datur reſpectu omnium,quæ ſub ſphęra ſpecificativa,licèt non proportionata potentiæ continentur; ſed dilectio ſupernaturalis Dei eſſet abſolutè impoſsibilis tali voluntati, cùm carẽtia dilectionis eſſet abſolutè neceſſaria, & exindè nõ imputabilis ad culpam, etiam vrgente præcepto diligendi Deum ; ergò potentia remota non ſufficit, vt exercitium non ſit abſolutè impoſsibilè. ¶ 3. Ex D.Thoma habens potẽtiam purè remotam, ſeù impeditam agendi non habet abſolutè potentiam actus, ſed potentiam, qua elicitur actus; & ideò aſſerit Dr. S. quòd Chriſtus non habuit potentiam peccandi, ſed potentiam, qua peccatur,cùm habeat liberum arbitrium, quòd in alijs eſt potentia peccandi, ſed vt actus ſit abſolutè poſsibilis exigitur potentia agendi, & nõ ſufficit potentia, qua elicitur actus; ergò potentia remota agendi non ſufficit,vt actus ſit poſsibilis.

*D.Tho.in 3. d ſt.12 q.2. art.2.& ad Anibald. eadem diſt. art.3.*

## SECTIO SECVNDA.

### *Ad libertatem vnius exercitij non ſufficit potentia ſubiectivè conditionata ad oppoſitum.*

177 HÆC concluſio eſt ęquè certa,ac præcedens; illam explico,vt demonſtrem : potentia ſubiectivè conditionata eſt, quæ abſolutè non adeſt,ſed adeſſet,ſi deficeret conditio,quæ non deficit; potentia verò ſubiectivè abſoluta eſt, quæ abſolutè in ſubiecto exiſtit ; dicimus ergò, quòd vt actus ſit liber non ſufficit, quòd exiſteret potentia in omiſsionem ſub conditione, quæ defacto deficit, ſed eſt neceſsè, quòd abſolutè voluntas defacto , poſsit omittere,& eadem poteſtas exigitur ad actum, vt ſit libera omiſsio. ¶ Iam ergò concluſionem demonſtro, 1. Potentia ſubiectivè conditionata, eſt abſolutè remota, ſed vt probavi potentia remota omiſsionis,non ſufficit ad libertatem actus,nequè è cõtra; ergò neque potentia purè conditio-

tionata. ¶ 2. Voluntas beati habet potentiam ſubiectivè cõditionatam ad odium Dei, ſub conditione, quòd deficeret viſio, quæ non deficit, & humanitas Chriſti habet potentiam ad peccandum, ſub conditione, quòd deficeret vnio hypoſtatica, qua gaudet; catenis ligatus habet potentiam ad curſum, ſub conditione ablationis catenarum, quibus opprimitur, & tamẽ, nec beatus eſt liber ad non odio habendum Deum, nec Chriſtus ad non peccandum, nec catenis oppreſſus ad non currendum; ergò.

3. Libertas vera actus conſtituitur per poteſtatem veram omiſsionis; ergò poteſtas, quæ non eſt, ſed eſſet, non poteſt conſtituere libertatem, quę ſit, ſed quæ eſſet. ¶ Alitèr, vt conſtitutum abſolutè exiſtat, non ſufficit, quòd conditionatè exiſtant conſtitutiva; ſed debent exiſtere abſolutè, vt innumeris exemplis, & ratione naturali eſt vnicuique præviũ, ſed apud eſſentiam libertatis ab omnibus admiſſam, libertas vnius exercitij conſtituitur per poteſtatem ad aliud; ergò non poteſt libertas abſolutè exiſtere, dum hæc poteſtas exiſtit purè conditionatè. ¶ 4. Vt quis habeat dominium iuriſdictionis, non ſufficit, quòd aliqua poſſet ſub conditione, quòd Rex foret, ſi non eſt; nec vt quis habeat dominium proprietatis in rem ſufficit, quòd illa vti poſſet, æquo, v.g. ſub conditione, quòd æquum haberet, ſi non habet; ergò vt quis habeat dominium libertatis in actum, non ſufficit, quòd poſſit in omiſsionem ſub conditione, quàm non habet.

178 Vltimo hæc veritas demonſtratur: Eccleſię PP. illam indifferentiam poteſtatis ad libertatem expoſcunt, quæ pugnet cum ſimplici neceſsitate ad vnum ex extremis indifferentiæ, aliàs noſtram libertatem à neceſsitate non convincerent, ſed poteſtas ad non agere, quæ nõ adeſt, ſed adeſſet, ſub conditione, quæ nunc abeſt, non pugnat cum ſimplici neceſsitate ad agendum, quæ nunc ſit; immò quælibet cauſa neceſsitata ad agendum, poſſet non agere ſub conditione, quòd ei deeſſet neceſsitas agendi; & in brutis eſt præſpicuum, cum enim ex D. Thoma habeant indifferentiam actionum, & actiones ſint neceſſariæ per comparationem ad ſua iudicia, poſſent alitèr agere, ſi alitèr iudicarent; ergò indifferentia poteſtatis ab Eccleſiæ PP. ad libertatem deſiderata, non ſtatuitur per poteſtatem ſubiectivè conditionatam ad vnum ex extremis indifferentię. ¶ Vrgetur: Hæretici, non ſolùm negabant libertatis nomen, ſed eſſentiam, ſi enim nobis cõcederent, quòd in re ad libertatem veram deſideratur concertatio inter Catholicos, & Hæreticos circa exiſtentiam noſtræ libertatis eſſet tantum de nomine; ſed Hæretici oſſores noſtræ libertatis non negabant, quòd dum voluntas mota à gratia operatur bonum, poſſet malum, ſi abeſſet gratiæ motio, voluntatem enim noſtram eſſe mutabilem non negabant; vt expreſſo Calvini teſtimonio, probat Ripalda; & ad minus, cùm neceſsitas agendi ex præſcientia, & providẽtia, apud ipſos ortum ducat, poſſet voluntas non agere, ſi Deus alitèr ſciret, & provideret; ſimilitèr Janſenius, dum aſſerit, quòd voluntas ex delectatione cœleſti victrici operatur bonum, ſimul fatetur, quòd ſi illa delectatio deficeret, poſſet non benè agere; vndè omnes fatentur, quòd dum volũtas agit habet potentiam ſubiectivè conditionatam non agendi; ergò ad libertatis verę eſſentiam in agendo, non ſufficit potentia ſubiectivè conditionata non agendi.

*Ripalda cõtra Baianos, lib. 2. diſp. 14. n. 25.*

179 Ex his ſectionibus colligę quàm iuſtè conquærantur N. Thomiſtę, quòd ipſis falſo imputetur, ad libertatem agendi in voluntate prædeterminata ad agendum, nullam aliam adſtruere poteſtatem non agẽ-

di, quàm purè remotam, & subiectivè conditionatam, quatenus potestas non agendi adesset, si prædeterminatio agendi abesset; aliud enim est hoc pro inconvenienti suę doctrinæ opponere, quod licèt; aliud affirmare hoc ab illis asseverari, quòd est manifesta calumnia; adstruere enim potentiam remotam, & subiectivè conditionatam ad libertatem sufficere, tàm lõgè distat ab Angelicę Scholæ veritate, quantùm accedit ad Calvini, & Jansenij damnatum errorem.

## SECTIO TERTIA.

*Ad libertatem actus exigitur potestas proxima omissionis, sed ad libertatem omissionis non desideratur potestas proxima actus.*

180 NOn omnis potestas ad actum, quę non est purè remota, est potestas proxima ad actum; potestas enim expedita, & mediata actus, non est purè remota, quia hęc est potentia impedita, nec est proxima, quia hęc est immediata; vndè adhùc suppositò, quòd ad libertatem vnius exercitij, non sufficit potẽtia remota ad oppositum, restat scire; an exigatur potestas proxima? Illa enim est potentia remota actus, quæ nec est immediatè potens in actum, nec potens ad acquirendam potentiam proximam actus, sicut est potentia Christi ad peccandum, & beati ad odium Dei, & ligati catenis, quando ab illis se expedire non potest, ad cursum; quia nec possunt absolutè in actum, nec habent in suo dominio talem potestatem acquirere: illam voco potentiam expeditam mediatam actus, quę licèt proximè non possit exerceri per actum, potest tamen pro suo nutu acquirere potestatem proximam actus; vndè licèt in illo statu, nõ possit proximè exerceri per actum, potest exerceri proximè per acquisitionem potestatis proximæ ad actum, sicut, qui est ligatus catenis, quas potest abijcere; qui licèt non possit proximè exerceri per cursum, non habet potentiam purè remotam cursus, sed mediatam, quatenus potest immediatè exerceri per ablationem ligaminis, & exindè posse expeditum in cursum sibi comparare.

181 Vndè assero 1. Libertas contradictionis actus exigit potestatẽm proximam omissionis: Ducor hoc fundamento: non potest actus esse liber libertate contradictionis, nisi voluntas sit absolutè potens non exerceri per actum, sed hoc est habere potestatem proximam omissionis; ergò: Mai. est nota 1. Actum esse liberum libertate contrarietatis, est voluntatem posse exerceri per actũ contrarium; ergò esse liberum libertate contradictionis, est voluntatem posse exerceri per contradictorium actus, scilicèt omissionem, sed posse exerceri per omissionem, est posse non exerceri per actum; ergò. ¶ 2. Actum esse liberum libertate contradictionis, est actum non necessariò antecedenter existere; ergò est ita existere, vt antecedentèr possit non existere, quia, quòd non potest non existere, necessariò existit, sed actum posse non existere, est potẽtiam posse non exerceri per actum; ergo. ¶ Deniquè, quia si actus est liber libertate contradictionis, potest voluntas non coniungi cum actu; si enim coniungeretur necessariò actui omninò necessarius esset, vt patet in omnibus actibus necessarijs; sed voluntatem non coniungi cum actu, est non exerceri per actum, quia solùm potentia exercetur per actum, cùm quo coniungitur; ergò actum esse liberum libertate contradictionis, est potentiam, posse non exerceri per actum.

Prob. iam Min. Scilicèt voluntatem posse non exerceri per actum, esse posse voluntatem proximè, &

immediatè exerceri per omiſsionē. 1. Quia, cùm omiſsio ſit ens negativum, non exigit influxum poſitivum, ſed ſolùm negativum; vndè cū omiſsio actus ſit, non eſſe actus, abſquè influxu poſitivo medio exercetur voluntas per omiſsionem, eo ipſo, quòd non exerceatur per actum; ergò ſi poteſt non exerceri per actum, poteſt proximè per omiſsionem exerceri. ¶ 2. Poſſe proximè voluntatem non agere, ſolùm deſiderat, non eſſe in voluntate ſimplicem neceſsitatem agendi, vt enim exiſtat, id, quòd in propriè dicitur eſſe, & re vera eſt aliquid non eſſe, non deſideratur aliquid eſſe, quia, vt non ſit aliquid, potiùs exigitur, aliquid non eſſe, ſed ſi voluntas, poteſt non exerceri per actum, non habet ſimplicem neceſsitatem agendi, vt patet; ergò poterit proximè non agere, ſeù omittere actum. ¶ Si dicas, quòd, vt ſit omiſsio actus, non exigitur aliquid poſitivum, vt verò ſit *libere*, aliquid poſitivum deſiderari, cùm libertas ad omiſsionem ſit ens poſitivum, licèt omiſsio, negatio ſit. Contra eſt: vt omiſsio libere, ſit aliquid poſitivum deſiderat, quatenus exigit poſſe agere; poſſe verò non agere, nihil poſitivum includit, diſtinctum à poſſe agere, ſed ſolam negationem ſimplicis neceſsitatis agendi; non agere, enim *libere*, ſuprà non agere abſolutè nil ſuperaddit, niſi poſſe agere, hoc enim ſolùm intellecto excluditur, nō agere neceſſariò; ſed libertas actus includit poſſe agere, & excludit neceſsitatem ſimplicem agendi, vt patet; ergò neceſſariò includit omnia, quę exiguntur ad poteſtatem proximam omiſsionis liberæ.

182 Aſſero 2. Libertas contradictionis omiſsionis, non expoſcit poteſtatem proximam actus: hanc concluſionem iudico certam, & illam ex DD. Societatis, ſupponit Tyrſo, ex D. Bonaventura, & traddit Ribadeneyra: & probatur. Vt omiſsio libera ſit ſufficit, quòd voluntas ſit abſolutè potens exerceri per actum, ſed ad hoc non deſideratur poteſtas proxima actus; ergò: Mai. videtur nota 1. Quia ſi eſt abſolutè poſsibilis voluntati actus A, omiſsio A, non eſt neceſſaria, quia poſsibilitas vnius contradictorij pugnat cum neceſsitate alteriùs; ſed, quòd eſt, & non neceſſariò, libere eſt; ergò. ¶ 2. Si eſt abſolutè poſsibilis voluntati actus A, poteſt non eſſe omiſsio actus A; quia cum exiſtere actum ſit omiſsionem deficere, poſſe exiſtere actū erit omiſsionem poſſe non eſſe; ſed omiſsionem, ita eſſe per voluntatem, vt poſsit non eſſe, eſt libere eſſe, quia exiſtere neceſſariò eſt non poſſe non eſſe; ergò.

Prob. Min. Scilicèt, quòd poteſt dari, poteſtas abſoluta actus A, licèt voluntas, non habeat actu potentiam proximam ad illum: ſi voluntati deficit conſtitutivum poteſtatis proximæ ad actum, quòd poſsit acquirere pro ſuo nutu, erit abſolutè potens ad actum, & non erit proximè potens; ergò ſtat voluntatem, poſſe abſolutè in actum, licèt non habeat poteſtatē proximam actus: Prob. antec. Et 1. Quòd eſſet abſolutè potens in actum conſtat, quia poſſet ponere actum, ſi vellit; ergò poteſtatem abſolutam actus haberet. Quòd verò non eſſet proximè potens; etiam eſt clarum, quia non datur eſſentia deficiente aliquo conſtitutivo; ergò non datur poteſtas proxima deficiente conſtitutivo poteſtatis proximę. ¶ Vel aliter, ſolū eſt poteſtas proxima actus, quando voluntas, poteſt immediatè exerceri per actum, ſed voluntas nō poſſet immediatè exerceri per actū, niſi priùs exerceretur per acquiſitionem principij conſtituentis poteſtatem proximam actus, cùm ſine hoc principio, non poſſet eſſe actus; ergò. ¶ Sicut ferreis vinculis ligatus, ſi poteſt ea abſolvere, eſt abſolutè potens ad motum progreſsivum, nō

*D. Bonav. in 2. diſt. 28. dub. 3. Ribadeneyra de Actibus Human. diſp. 14. c. 2.*

*Tyrſo, t. 4. diſp. 6. ſ. 3.*

proximè ; quia caret prærequiſito, ex parte potentiæ ad motum, ſed illius exiſtentiam, poteſt pro ſuo arbitratu comparare.

183 Dices 1. Impoſsibilè eſſe voluntatem eſſe abſolutè potentem in actum, deficiente conſtitutivo poteſtatis proximæ ad actum, quia cum hoc defectu, impoſsibilè eſt actum exiſtere, cùm neceſſarium ſit ipſum eſſe proximè poſsibilè, vt exiſtat, & deficiente cõſtitutivo poteſtatis proximæ ad ipſum, non eſt proximè poſsibilè ipſum exiſtere; & implicat voluntatem, poſſe abſolutè in actum in circunſtantijs, in quibus actus eſt voluntati impoſsibilis.

Contra: Impoſsibilitas actus ex defectu conſtitutivi poteſtatis ad ipſum, eſt impoſsibilitas conditionata ſub conditione, quàm voluntas, poteſt auferre, ſed impoſsibilitas ſub conditione auferibili, non pugnat cũ poſsibilitate abſoluta; ergò, licèt ſit impoſsibilè actũ exiſtere deficiẽte conſtitutivo poteſtatis proximæ ad ipſum, tunc tamen voluntas erit abſolutè potens ad actum: Mai. conſtat, quia illa impoſsibilitas provenit, ex defectu conſtitutivi poteſtatis ad actum, ſed volũtas, cùm poſsit, vt ſupponimus, tale conſtitutivum acquirere, poteſt defectum illius abijcere. ¶ Prob. Min. 1. Exemplis, licèt ſit impoſsibilè Petrum diſputare, ſi non loquitur, & currere, ſi non movetur, abſolutè, eſt poſsibilis Petro diſputatio, & etiam curſus. ¶ 2. Sicut neceſsitas pugnat cum poſsibilitate defectus, quia neceſſarium non poteſt deficere, ita impoſsibilitas pugnat cum poſsibilitate exiſtentiæ, quia impoſsibilè non poteſt exiſtere, ſed neceſsitas conditionata actus, non pugnat cum poſsibilitate abſoluta defectus, aliàs pugnaret cum libertate actus, vt ſuprà demonſtravi; ergò nec impoſsibilitas conditionata actus pugnat cum poſsibilitate abſoluta exiſtentiæ. ¶ Clariùs; licèt cum illa conditione, defectus poteſtatis, ſit impoſsibilè actum exiſtere, dum voluntas poteſt conditionem auferre, habet in ſua poteſtate auferre actus impoſsibilitatem, ſed potentiam, poſse non redere, ſibi actum impoſsibilem, eſt poſsibilem eſse actum abſolutè reſpectu illius; ergò.

*Sup. n. 167.*

184 Dices 2. quòd actus erit poſsibilis volũtati, & exindè illius omiſsio libera, quando voluntas acquirẽs conſtitutivum poteſtatis, poſsit per actum exerceri, vſquè verò illud habeat, licèt ſibi poſsit acquirere, non erit actus illi poſsibilis.

Contra; ergò licèt voluntas, non poſsit immediatè exerceri per actũ, poteſt mediatè, ſed verè; ſcilicèt priùs ſe exercendo per acquiſitionẽ illius principij, ſed libertas omiſsionis non eſt cùr ampliùs exigat, quàm voluntatem verè poſse exerceri per actum? Ergò voluntas, abſque poteſtate proxima actus, eſt verè libera in omiſsionem. ¶ Confirmo hoc, eſt duplex poteſtas actus, vtraque vera, vna immediata, quando voluntas, poteſt exerceri ſtatim per actum, altera mediata, quando voluntas poteſt exerceri per actum, priùs libere ſe exercens per aliud exercitium; ergò erit duplex libertas omiſsionis, vtraque vera, vna immediata, quando voluntas immediatè poteſt exerceri per actum, alia mediata, quando poteſt mediatè; ſi enim voluntas omittens, poteſt habere duplicem veram poteſtatem actus, cùr non poterit habere vtroque modò veram libertatem omiſsionis?

Vel alitèr: Impoſsibilitas conditionata actus, ſolùm redit omiſsionem conditionatè neceſsariam; tùm, quia ſolùm eſt neceſsarium vnum contradictorium modò, quo alterum eſt impoſsibilè. ¶ Tùm, quia impoſsibilitas abſoluta actus rederet omiſsionem abſolutè neceſsariam, & impoſsibilitas conditionata actus, non redit omiſsionem æquè neceſsariam,

ac impoſsibilitas abſoluta. ¶ Tùm denique, quia impoſsibilitas actus abſoluta redit omiſsionem neceſſariam abſolutè; ergò conditionata, conditionatè. ¶ Sed neceſsitas conditionata omiſsionis non pugnat cũ illius libertate abſoluta, ſicut nec neceſsitas cõditionata actus opponitur actus libertati; ergò impoſsibilitas conditionata actus non pugnat libertati omiſsionis, ſed quando exiſtit omiſsio, & eſt defectus poteſtatis proximæ actus, quàm poteſt voluntas acquirere, ſolùm eſt actus conditionatè impoſsibilis; ergò omiſsio eſt libera abſque poteſtate proxima actus.

Explico hoc: non minus opponitur libertati actus neceſsitas actus, ac illius impoſsibilitas; tùm, quia nõ minus repugnat eſſe mihi liberum id, quòd eſt neceſſarium quàm id, quòd eſt impoſsibilè; tùm, quia libere eſt id, quòd poteſt eſſe, & poteſt non eſſe, & neceſſarium opponitur, cum poteſtate non eſſendi, ſicut impoſsibilè, cum poteſtate eſſendi. ¶ Sed neceſsitas actus ſub conditione mihi libera non deſtruit libertatem actus; ergò impoſsibilitas actus ſub conditione mihi libera non deſtruit libertatem actus, ſed impoſsibilitas actus ex defectu poteſtatis proximæ ad ipſum, quàm poſſum acquirere, eſt impoſsibilitas ſub conditione mihi libera, vt patet; ergo: Prob. Min. exemplis 1. Poſita intentione finis vnicè connexi cum medio A, voluntas eſt neceſsitata ad electionem medij, & libere eligit, quia illa neceſsitas ortum duxit ab intentione mihi libera. ¶ Poſito efficaci imperio, voluntas libere vtitur, quia licèt ad imperium neceſſariò conſequatur vſus, voluntas potuit libere impedire exiſtentiam imperij.

185 Vltimo, concluſionem probo ex D. Auguſt. nõ credere in Chriſtum fuit in Iudæis peccatum, ex illo Ioannis: *Excuſationem non habent* *Ioannis 15.* *de peccato ſuo*; ſed ſolùm eſt culpabilis omiſsio actus libera, vt notum; ergò illa omiſsio fidei libera fuit; ſed Iudæi ita erant cęcitate cordis gravati, vt credere proximè non potuiſſent; ſic enim edocet Auguſt. *Cogimur fateri alijs quibuſdam peccatis, ita eos* (Iudęos ſcilicèt) *excecari meruiſſe, qua tamen excæcatione non potuerint credere*, poteſtatem tamen veram habebant credendi, quia ſi vellent poſſent cæcitatẽ cordis depellere, & poteſtatem credendi comparare; ita Auguſtinus: *Non poterant. Quare autem non poterãt? Si à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant*; ergò vt omiſsio ſit libera, non exigitur poteſtas proxima actus, ſed ſufficit vera, quatenus defectus poteſtatis, ex voluntate ortum ducat. ¶ Accedit D. Thomas: Nõ peccare venialitèr fuit Adamo in ſtatu innocentiæ liberum, ſed iuxta Div. Thom. non habuit Adamus poteſtatem proximam peccandi venialiter, quia non poterat peccare venialiter, niſi priùs peccaret mortaliter; ergò vt ſit libera omiſsio peccati venialis non exigitur poteſtas proxima peccandi venialiter.

*Aug. q. 14. in Matth.*

*Auguſt. tract. 53. in Ioann.*

*D. Tho. 1. 2. q. 89. art. 3.*

## SECTIO QVARTA.

*Obiectionibus in contrarium fit ſatis.*

186 OPponi poteſt 1. à paritate primi aſſerti contra ſecundùm: ſicut omiſsio eſt non eſſe actus, ita actus eſt non eſſe omiſsionis, quia non eſſe vnum contradictorium, eſt ex terminis eſſe alterum; ſed actum poſſe non eſſe, in quo ſtat libertas actus, exigit poteſtatẽ proximam omiſsionis; ergò omiſsionem poſſe non eſſe, in quo ſtat libertas omiſsionis, exigit poteſtatem proximam actus. ¶ Vel alitèr: libertas inter duo extrema conſtituitur per poteſtatem vnius, & alterius extremi, cùr ergò libertas inter actum, & omiſ-

omissionem exiget potestatem proximam omissionis, & non potestatem proximam actus?

Resp. Rationem esse, quòd posse non esse actum, est posse proximè esse omissionem, quia omnis potestas vera, vt nõ sit actus, est potestas proxima, vt sit omissio; posse verò non esse omissionem, non est posse proximè esse actum, sed posse verè esse actum, & non omnis vera potestas, vt sit actus, est potestas proxima actus, quia potest dari vera potestas actus, quæ sit mediata. ¶ Vel alitèr: libertas actus exigit potestatem veram omissionis, & libertas omissionis potestatem veram actus, cùm verò potestas vera omissionis sit proxima, exigit potestatem proximam, non ex ratione libertatis, sed ex talitate termini; cùm verò cõtrarium sit in actu, potest dari libertas omissionis, absque potestate proxima actus. ¶ Sed adhùc non quiescès, & inquires, cùr omnis potestas omissionis vera, est proxima, & non est proxima, omnis potestas vera actus?

Sed resp. Quòd actus, cùm sit ens positivum, exigit pro principio constitutivo potestatis proximæ, aliquid positivum, & cùm hoc possit non esse in voluntate, licèt voluntas possit illud acquirere, potest dari vera potestas actus, quæ non sit proxima, omissio verò, cùm sit ens negativũ, non exigit pro principio aliquid positivum, quòd voluntas possit acquirere, vt redatur proximè potens ad omissionem, vndè omnis potestas vera omissionis est proxima. ¶ Sed ingeniosè insistes, licèt omissio, cùm sit ens negativum, non exigat pro principio proximo aliquid positivũ in voluntate, vt ad ipsam sit expedite potens, potest exigere carentiam alicuius entis positivi; sed potest voluntas hanc carentiam principij non habere, potens illam acquirere; ergò in hoc casu, erit vera potestas in omissionem, quæ non sit proxima.

Rem duco ad praxim; sit imperium practicum intellectus connexum cum vsu activo voluntatis, vt in hoc casu, voluntas possit expedite omittere vsum, exigit carentiam illius imperij practici, quàm voluntas non habet, & potest acquirere, ergò in hoc casu, voluntas erit verè potens omittere vsum, licèt non proximè, vndè semper tenebit paritas de actu ad omissionem, licèt cum differentia, quòd potentia vera actus, quę non sit proxima, provenit ex defectu alicuius positivi acquiribilis, & potestas vera omissionis, quæ non sit proxima, ex defectu alicuius negativi acquiribilis.

Resp. Quod non potest voluntas exigere carentiam alicuius entis positivi ad potestatem proximam omissionis, quàm non exigat ad potestatem veram; vndè si per existentiam illius positivi aufertur potestas vera, aufertur, & proxima; si verò non aufertur vera, nec proxima; & ratio est, quia illud principium positivum, vel est necessitas antecedens actus, vel est purè connexum cum actu, si primum tollit veram potestatem omissionis, quia repugnat omissionem existere, vbi omninò necessarium est existere actum; si secundùm, non tollit potestatem proximã omissionis, quia rectè stat principiũ esse cõnexum cum actu, & indè pugnans omissioni, quin repugnet potestati proximæ ad omissionem. ¶ Rẽ duco ad praxim, iustus gratia perfectus, dum instar præceptum diligendi Deum, habet gratiam, vt principium connexum cum dilectione, & pugnans cum omissione peccaminosa dilectionis, hæc tamen gratia non pugnat cum potestate proxima omittendi, quia non est necessitas antecedens dilectionis, licèt enim gratia cum peccato mortali pugnet, non cũ potestate proxima peccandi. ¶ Re explicata, ipsam, ni fallor, demõstro. Quando voluntas acquireret carentiam

tiam principij connexi cum actu, non eliceret actum, quia implicat per actum auferri principium, quòd exigit actus, sed voluntatem non elicere actum, est actum omittere; ergò acquirendo carentiam illius principij omitteret, non ergò acquisitio illius carentiæ requiritur ad posse proximè omittere, cùm hæc acquisitio sit formaliter ipsa omissio. ¶ Vel aliter, non potest voluntas acquirere per omissionem posse ad ipsam omissionem; implicat enim effectum esse acquisitionem sui principij, sed auferendo principium connexum cum actu poneret non esse actus, quod est omittere; ergò carentia illius principij non requiritur, vt voluntas possit proximè omittere. ¶ Immò addo, quòd carentia principij cõnexi cum actu, non solùm non requiritur ad posse proximè omittere, cùm quo non pugnat principium, sed nec requiritur *à priori* ad ipsam omissionẽ, cum qua pugnat, & ratio est, quia carentia illius principij præstatur in genere causæ formalis ab omissione, non ergò carentia datur, *vt sit* omissio, sed *quia* omissio est, vt in exemplo de gratia appositio, constat.

Ad explicationem resp. Quod si imperium non est necessitas antecedens ad vsum, voluntas est potens proximè omittere vsum, licèt carentiam vsus non possit coniungere cũ imperio, quia est potens ad auferendum imperium, per non vsum, & tũc ablatio imperij non requiritur, vt voluntas possit proximè omittere vsum, imò, nec vt omittat vsum, quia potiùs omissio vsus est forma destruens imperium. ¶ Duo tamen notanda sunt, primum, quòd voluntas omittens vsum, & exindè auferẽs imperium, debet inutare electionẽ, quæ fuit motivum imperij. ¶ Secundum, quòd si voluntas sit inflexibilis, qualiter ponitur à D. Thoma, voluntas Angeli, tunc vsus non potest omitti, sed est liber in causa, sicut continuatio electionis, dicitur eodem modo libera.

187 Sed adhùc insistes: quòd voluntas potest esse verè potens ad omissionem, vt liberam, & non proximè, ex defectu alicuius positivi, quòd pro suo arbitratu possit comparare; ergò tunc esset libertas ad actum, absque potestate proxima omittendi: Prob. ant. Licèt omissio sit ens negativum, potestas proxima omittendi libere est aliquid positivum, cùr ergò hæc potestas positiva libere omittendi, non poterit deficere ex defectu alicuius positivi à voluntate comparabilis? V. g. auxilium sufficiens constituit potestatem proximam omittendi libere actum; cùr ergo non posset dari casus, in quo voluntas hoc auxilio carens, posset illud acquirere, & exindè potestatẽ proximam omittendi sibi comparare? Resp. neg. antec. ex supràdictis, quia potestas proxima omittendi libere, quæ est positiva, solùm exigit *potestatem veram* mediatam, vel immediatam agendi, & *exclusionem necessitatis simplicis ad agendum*; dum hæc adsunt, est potestas proxima omittendi; dum aliquid abest; non est omittendi potestas vera, vndè est impossibilè, quòd voluntas, per aliquid pro suo nutu comparabilè, acquirat potestatem proximam omittendi libere. ¶ Ad exemplum auxilij sufficientis. Resp. Quod nunc constituit proximam potestatem omittendi libere, & imputabilitèr, quia constituit potestatem veram agendi, in suppositione verò, quòd volũtas possit pro suo nutu comparare auxilium sufficiens, nullatenus constitueret potestatẽ proximam omittendi, sicut nec veram, sed tantùm immediatam agendi, vi enim illius potestatis comparandi auxilium sufficiens, esset voluntas expedite, & verè potens agere, licèt non proximè, esset verò proximè, & immediatè potens libere, & imputabilitèr

omit-

omittere: ſic ut, dum, quis caret intentione prę via ſalutis, non eſt potens proximè ad electionem actus boni ex intentione ſalutis, ſi verò poteſt ſibi comparare intentionem; eſt potens verè ad electionem; ſine prævia verò illa intentione, eſt potẽs proxime omittere libere, & imputabiliter electionem, quia poteſtas proximè omittendi electionem, per poteſtatem veram electionis, & proximam acquirendi intentionem, eſt ſufficientèr conſtituta.

188 Oppones 2. contra 2. aſſertum; quando voluntati deficit conſtitutivum poteſtatis ad actum, licèt illud poſsit acquirere, non habet poteſtatem actus, licèt illam poſsit acquirere, quia quando deficit conſtitutivum rei, non eſt res; ergò nõ habet libertatem actus, licèt illam poſſit acquirere: Prob. conſeq. Libertas actus conſtituitur per poteſtatẽ expeditam actus; ergò quando hæc poteſtas deficit, & libertas. ¶ Confirmo; quia ideò carentia illius poteſtatis, non obſtaret libertati actus, quia talis carentia erat mihi voluntaria, quia illam poſſum abijcere; ſed licèt carentiam poteſtatis poſsim abijcere, non poteſt actus mihi eſſe liber; ergò. Prob. Min. Quando defectus poteſtatis exiſtit, quem potui impedire, non exiſtit libertas actus; ergò nec quando exiſtit defectus poteſtatis, quem poſſum abijcere, conſeq. conſtat, quia non ſolùm eſt mihi voluntarius defectus poteſtatis, quando poſſum illum auferre, poſtquàm exiſtit, ac quando potui impedire, nè exiſteret; Prob. antecedens, quia ſequeretur inconveniens Theologicum graviſsimum, quòd abſque auxilio ſufficiente ad actum, actus eſſet liber, quæ erat mens Janſenij, quatenus carentia poteſtatis conſtitutæ per auxilium ſufficiens, erat effectus peccati originalis; & exindè mihi voluntaria, ſicut, & voluntariũ fuit mihi peccatũ originale, & exindè impedibilis, & voluntaria fòret carentia auxilij ſufficientis, ſi eſſet effectus talis peccati, & tamen non eſſet mihi actus liber, ſi auxiliò ſufficiente carerem; ergò defectus poteſtatis ad actum, quem voluntariè potui impedire, non redit mihi liberum actum.

Reſp. concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ad probationem dico; vel quod libertas conſtituitur per poteſtatem expeditam mediatam, vel immediatam; vndè vt ſalvetur vera libertas, non requiritur poteſtas immediata, ſed ſufficit mediata, ſuprà explicata, & ſi hæc non ſufficit ad libertatem actus, nec ad illius imputabilitatẽ, ex quo maxima inconvenientia moralia ſequerentur, quòd qui eſſet in lecto, potens ab ipſo ſurgere, non peccaret omittendo ſacrum die feſto, &c. Vel alitèr, quòd deficiẽte poteſtate proxima non eſſet libertas proxima, eſſet libertas mediata, quæ eſt vera libertas, ſicut enim eſt duplex vera poteſtas actus, vna mediata, & altera immediata, ita eſt duplex vera libertas, vna mediata, & altera immediata, & vt pluries dixi, vera libertas omiſsionis, nil aliud exigit, quàm veram poteſtatem actus. Sup. n. 180.

Ad confirmationem, quæ maiorem habet difficultatem. Reſp. negãdo Min. ad probationem diſtinguo anteced. quem potui impedire in ſe ipſo, nego anteced. quem potui impedire in cauſa; ſub diſtinguo, ſi fuit prævisus, & præintentus effectus, cõcedo; ſi ſecus, nego. ¶ Explico hoc; defectum poteſtatis poſſum dupliciter impedire, vel *immediatè* in ſe, & tunc non tollit, quòd actus ſit mihi liber, imò, & omiſsio actus, mihi imputabilis, & culpabilis, ſicut ſi proijcio breviarium in mare, mihi imputatur ad culpam, omittere horas, licèt poteſtate recitandi caream. ¶ Vel poſſum impedire defectum poteſtatis *mediatè* in cauſa, ex qua ſequitur,

quitur, & ita possum dupliciter exerceri per causam, vel prævidendo, & intendendo defectum potestatis, ex ipsa secutum, & tunc, licèt caream potestate ad actum, est mihi libera omissio actus, immò imputabilis ad culpam, existente præcepto actus, sicut, qui voluntariè incidit in morbum, vt non audiat sacrum, peccat in omissione sacri. ¶ Vel; possum, velle causam, non prævidendo, nec intendendo defectum potestatis, & tunc licèt sequatur ex ipsa causa voluntaria tollit libertatem omissionis, & illius imputabilitatem, aliàs omnes infirmi ex intemperantia peccarent omittendò sacrum. ¶ Vndè ad illud de defectu auxilij sufficientis; Resp. Esse defectum libertatis actus, quia cùm voluntas non possit auxilium sufficiens sibi adipiscere, sine illo non habet veram potestatẽ actus, sed purè remotam; si verò hic defectus esset effectus peccati originalis, & procedens ex causa voluntaria non rederet liberam actus omissionem, cùm non possit prævideri, nec prẽintendi in causa, aliàs etiam motus primo primi essent peccata, quia sunt effectus peccati originalis.

ADDITIO.

189 EX illo principio: Libertas omissionis vnicè exigit *Potestatem agendi, simul, cùm carentia necessitatis antecedentis ad agendum*: Clarè colligitur, omnem libertatem omittendi constitui per potestatem proximam omissionis; quia si aliqua pars illius cõiuncti deficit, non est libertas omittendi, & si coniunctum existit, potestas proxima omissionis adest: ¶ Ex eodem principio infertur, libertatem omittendi non posse constitui per principium connexum cum omissione, auferibilè per actum; Ratio: Illud coniunctum est adæquata libertas omittendi; sed illud coniunctum nil includit pugnans cum actu; ergò nec connexum cum omissione, & auferibilè per actum; Consequentia est evidens, quia connexum cum omissione pugnaret cum actu; cùm idem sit pugnare cum vno contradictorio, ac esse cum altero connexum; similitèr nil aufert, nisi id, cum quo pugnat; vndè solùm est auferibilè per actum, quòd pugnat cum actu; Prob. Min. Prima pars illius cõiuncti; scilicèt, *potestas agendi*, nequit pugnare, cum *actu*, quia actus illam exercet, & potiùs infert; Secunda pars; scilicèt, *carentia necessitatis antecedentis ad agendum*; nequit pugnare cum actu; Ratio; pugnare cum vno contradictorio, est alterum inferre; *& actus*, nequit inferre necessitatem antecedentem ad actum, quia necessitas actus, ex actu proveniens, est ex terminis consequens actum, & non antecedens.

190 Doctor Prado hanc nostrã doctrinam impugnat. Primò: In illo coniuncto, vel clauditur carentia necessitatis ad omissionem, vel non? Si non clauditur, nihil habebit hoc coniunctum (in quo stat libertas ad omittendum,) quòd non possit coniungi cum necessitate antecedenti ad omissionem. Si clauditur, deberet annumerari huius necessitatis carentia in cõstitutivis libertatis omittendi, & solùm exprimitur, carentia necessitatis ad agendum. Secundò: potest libertas *agendi* constitui per connexum cum actu, auferibilè per omissionem; ergò potest libertas *omittendi* constitui per connexum cum omissione, auferibile per actũ: Anteced. supponimus ex dicendis, & Consequentia patet à paritate.

*Prado de Libero Arbit. disp. 2. sect. 2. à num. 69*

*Infrà q. 9.*

Resp. ad 1. Illud coniunctum clauderè carentiam necessitatis antecedentis ad omissionem in *potestate agendi*, & nihil evidentius, quàm deficere necessitatem antecedentem omittendi, cùm adest potestas agendi, quia implicat vnum contradictorium esse necessarium, dum alterum est possibilè: Non tamen talis carẽtia

tia annumeratur inter constitutiva libertatis, quia omninò superfluum foret expressa *potestate agendi*. ¶ Ad 2. disparitatem esse; quia principium constituens potestatem *agendi*, potest pugnare cum omissione, & exindè esse connexum cùm actu, vt in gratia habituali constituente potestatem ad dilectionem Dei præceptam; de quo diffusè inferiùs disputavimus. *Infrà q. 9.* Nullum tamen constitutivũ potestatis *omittendi*, potest cum actu pugnare; quia solùm omissio exigit, vt prædicatum positivum, potestatem *agendi*, quæ nequit pugnare cum actu; & exindè nil positivum desiderat, auferibilè per actum, connexum cum omissione.

190 Sed instat Prado: Potest omissio pugnare cum potestate omittendi, vt libera, sive, vt expedita; quatenus pugnet cum principio influente in actum; ergò poterit actus pugnare cum potestate agendi, vt libera, sivè, vt expedita quatenus pugnet cum principio influente in omissionem. ¶ Secundo: omissio, vt sit libera, licèt sit ens negativum, prærequirit ex parte actus primi, aliquã carentiam; Cùr ergò non poterit hoc negativum cum illa connecti? Confirmatur: Omissio libera, qua talis prærequirit cognitionem retrahentem ab actu; deindè, prærequirit carentiam prædeterminationis ad actũ; Illa est positiva, inconnexa, & se tenens ex parte actus primi: Ista negativa, connexa cum omissione, & non se tenens ex parte actus primi ad omittendum; ergò posset sine repugnantia in aliqua carentia vtrùmquè concurrere, & quod se teneret ex parte actus primi, & quod esset connexa cum omissione.

Respondeo: concesso antec. neg. suppositum consequentis: Non enim est principium expediens ad actum, influens in omissionem; Ratio: Quia vt sit omissio, non exigitur principium in ipsam influens; sed solùm, quod principium effectivum actus, non influat in actum: quando enim dicitur, principium liberum exercetur per omissionem, nil aliud exprimitur, nisi, quòd principium potens agere, non influit in actum; quia non agere, & posse agere, est non agere libere: Evidens igitur videtur, quòd potest pugnare cum omissione, influens in actum: nullatenus verò potest esse pugnans cum actu, influẽs in omissionem. ¶ Ad secund. Resp. Quod omissio, vt libera, solùm prærequirit præter posse agere, carentiam necessitatis antecedentis ad actum, & hoc negativum nequit esse cum omissione connexum; Ratio: Quia connexum cum omissione actus, pugnat cum actu; & iam probavimus, *Carentiam necessitatis antecedentis ad agendum*, non posse pugnare cum actu: ¶ Ad conf. esse falsum; omissionem, vt liberam, prærequirere cognitionem retrahentem ab actu; sed solùm exigit, quòd cognitio, licèt solùm alliciens ad amorem, ad ipsum non necessitet, quatenus non proponit clarè obiectum, vt sumum bonum; quia hoc solùm posito, poterit voluntas libera ab amore cessare; quòd est certum iuxtà Div. Thom. Etiam est falsum, omissionem posse ex parte actus primi requirere carentiam prædeterminationis actus; quia vt sit libera, solùm exigit carentiam necessitatis antecedentis actus; ex parte actus primi; quę non potest confundi cum carentia prædeterminationis actus. *D. Tho. adductus, numer. 87.*

* * * \

# QVÆSTIO OCTAVA.

## VTRVM PRINCIPIVM CONSTITVENS POTESTATEM ACTVS, connexum cum actu, adimat libertatem actus, si est inauferibilè per actus carentiam?

### SECTIO PRIMA.

*Traduntur omnes convinationes posſibiles principij antecedentis actum.*

191 SVppono, non posse tollere libertatem actus, quod subsequitur existentiã actus; tùm, quia solùm necessitas antecedens actus pugnat actus libertati, & quòd sequitur ad actum, licèt esset necessitas actus, non esset necessitas antecedens, & exindè, nec libertati actus pugnans. ¶ Tũ, quòd non determinat actum fieri præ carẽtia, non reddit necessariam existentiam actus, & exindè, nec libertati actus pugnat, & quòd non antecedit actum, non potest determinare actũ præ carentia. ¶ Vndè, vt de principijs, quæ possunt actus libertatem adimere, disputemus, solùm debet esse sermo, de principijs antecedentibus actum.

Et 1. principium antecedens actum, vel potest esse *constitutivum* potestatis ad actum, vel *non constitutivum*, illud est constitutivum potestatis ad actum, sine quo non potest esse actus, nec posse ad ipsum: illud voco non constitutivum potestatis ad actum, quòd licèt sit exactum, vt sit actus, non vt sit posse verùm, ad ad actum: huius principij posſibilitatem, immò, & existentiam, pluribus suadeam disputatione sequenti; nunc in contraria sententia illud explico, vt existat consensus in statu absoluto requiritur voluntas, qua Deus vellit conferre auxilium prævisum efficax, & sine hac voluntate non potest esse consensus in statu absoluto, & sine illa, est vera potestas ad consensum, aliàs non posset esse potestas ad consensum, sine consensu, quia hæc voluntas infert consensum; ergò stat antecedens actum exigi, vt sit actus, quin sit constitutivum potestatis ad actum. Principium constitutivum potestatis ad actum, potest esse duplex, vel *connexum* cum actu, vel *indifferens* ad actum, & carentiam, tunc principium est connexum cum actu, quando ita infert actum, vt repugnet omisſioni actus, tunc verò est indifferens ad actum, & carentiam, quando ex se non infert actum, sed est coniungibiile, tàm cum actu, quàm cum actus carentia. ¶ Principium etiam constitutivum potestatis actus, connexum cum actu; potest esse duplex, vel *auferibilè* per actus carentiam, vel *inauferibilè*, illud dicitur auferibilè, quòd licèt sine actu non posſit esse, potest non esse, ex eo, quòd deficiat actus, illud verò est connexum inauferibilè, quòd nec potest esse sine actu, nec

potest non esse per actus carentiam.

192 Istę convinationes sunt omnes posibiles de principijs antecedentibus actum: Nam 1. principium constitutivum potestatis ad actum *indifferens*, est essentialitèr *inauferibilè* per actus carẽtiam, vndè in hoc non cadit divisio; auferibilis, vel inauferibilis. ¶ Quòd ita demonstro, nifallor, principium indifferens ad actum A, & eius carentiam, cum neutro connectitur, aliàs non esset indifferens, sed cõnexum; ergò cum neutro pugnat, quia idem est vni cõtradictorio pugnari, ac cum altero connecti; sed solùm est aliquid auferibilè ab eo, cum quo pugnat; ergò tale principium indifferens à neutro est auferibilè. ¶ Vel alitèr: si tale principium aufertur per vnum contradictorium; ergò cum tale principium exigat esse, exigeret illud contradictorium deficere, sed vnum contradictorium deficere, est alterum existere, cùm defectus vnius contradictorij sit exiſtentia alteriùs; ergò tale principium exigeret, & connecteretur cum exiſtentia alteriùs contradictorij, & sic contra suppositionem, non esset indifferens. ¶ Vel alitèr: sola chimæra pugnat cum quolibet ex duobus contradictorijs, quia cum duo contradictoria non possint simul deficere, nec ita pugnans, posset exiſtere, & sic esset chimæra, sed principium indifferens ad duo contradictoria, nõ pugnavit magis cum vno, ac cum alio; ergò, vel cum neutro pugnat, & sic à nullo est auferibilè, vel cum vtroque pugnat, & sic est chimæra.

193 2. De principio indifferenti non est necesse convinationes formare, quia in quacumque posibili, si conservat indifferentiam, libertati non officit: ratio etiam est evidens, quia principium indifferens ad actũ, & carentiam, non inducit necesitatem actus; sed sola necesitas actus destruit actus libertatem; ergò principium indifferens nequit libertatem auferre. ¶ Vel alitèr: principium indifferens non pugnat cum dominio voluntatis, quo posit pro suo nutu eligere quodlibet extremum indifferentiæ, & in hoc stat libertas. ¶ Vel alitèr: indifferentia pugnat necesitati, libertas pugnat necesitati; ergò indifferentia nequit libertati pugnare. ¶ Tandem; libertas indifferentiæ per indifferentiam constituitur; quomodò ergò per principium indifferens auferetur?

194 De principio non constitutivo potestatis ad actum, licèt connexo, & inauferibili dicemus non impedire libertatem actus, quia hoc modo disp. tertia probabimus, se habere gratiam ab intrinseco efficacem respectu sui actus, & exindè, in isto principio, frustrà cõvinationes fiũt, quia si licèt connexum, & inauferibilè, non tollit libertatem, minus tolleret, si fingeretur connexum auferibilè, vel indifferens inauferibilè, vt ex terminis patet. ¶ Vndè duo discutienda manent; an, scilicèt, principium constitutivum potestatis cõnexum cum actu, & inauferibilè tollat libertatem? Etsi hoc admit; an etiam auferat libertatem connexum auferibilè? Primum nunc decidimus: in quęst. sequenti 2. disputabimus. *Disp. 3.*

## SECTIO SECVNDA.

*Principium constitutivum potestatis ad actum, connexum cum actu, inauferibilè per carentiam actus, tollere libertatem actus; probatur ex Div. Thoma.*

195 HAnc conclusionem iudico D. Thomę expressam sententiam; quod probo 1. Ex eleganti testimonio, vbi Dominium liberum voluntatis, sic constituit: *Dominium, quòd habet voluntas suprà suos actus, per quod in eius potestate est velle, vel non velle, excludit de-* *D. Thom. 1. contr. gent. cap. 68.*

*determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exteriùs agentis, non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari, & sic remanet causalitas in causa prima, respectu motuum voluntatis.* Dominium voluntatis (*asserit Dr. S.*) non oppugnari per influxum superioris causæ, scilicèt Dei in operationes, quem motionem prævìam, seù applicativam nominamus; everti tamen, non solùm per violentiam, sed per determinationem virtutis ad vnum; non quia determinare voluntatem sit eius dominium extinguere, vt ex D. Thom. suprà evidentèr monstravimus; sed quia virtus determinata ad vnum, non habet in sua potestate oppositа; vndè ly determinatio virtutis, debet intelligi intransitivè, sicut D. Thom. exposuit liberum arbitrium, dum dicitur facultas voluntatis, ideſt, voluntas facilis; ex quo testimonio, ita colligo; dominium voluntatis per quod in eius potestate est velle, vel non velle excludit virtutem determinatam ad vnum, sed dum potestas constituitur per principium connexum, & inauferibilè, virtus est determinata ad velle, seù terminum illius potestatis, quia virtus ad actum includit omnia constitutiva potestatis ad ipsum; ergò dominium illud, in quo consistit libertas, excludit tale principium.

*Sup. à num. 161.*

*D. Thom. al-latus, n. 128*

196 Si dicas determinationem virtutis, ortam ex ipsa voluntate opponi dominio voluntatis, secus si ab aliquo superaddito volũtati proficiscitur, quia dum voluntas secundùm se sit indifferens, immunis erit libertas. ¶ Contra est: 1. Quia voluntas non posset necessitari, contra Dr. S. cum indifferentia voluntatis secundùm se sit ab ipsa inauferibilis. ¶ 2. Quia voluntas Christi, & beatorum libere non odio haberent Deum, quia secundum se possunt cõiungi cum odio Dei. ¶ 3. Vrgentiùs, determinatio virtutis, quæ est in appetitu brutorum orta ex iudicio, quamvis non auferat indifferentiam actionum, tollit libertatẽ agendi, vt vidimus ex Dr. S. non alia ratione, nisi, quia iudicium est determinatum ad vnum, ex quo ad actiones quædam obligatio derivatur, & aliàs bruta non habent in sua potestate iudicia, cùm potentię materiales de iudicijs non iudicent; ergò dũ potentię ex se indifferenti superadditur virtus, quæ non sit in eius potestate, quia inauferibilis, si ex illa virtute, quia connexa, derivatur obligatio agendi, illa potentia ex D. Thom. nullatenus habet libertatem agendi, licèt secundùm se habeat indifferentiam actionum. ¶ 4. Ex D. Thoma indifferentia virtutis, ex parte eius ad quod dicitur, quæ libertatem constituit: *Invenitur, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, sed tamen vtrùmquè esse potest, sicut aliquis, qui diversis instrumentis vti potest ad idem opus perficiendum; hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad eius eminentiam, in quantum vtrùmlibet oppositorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum, ad vtrùmlibet se habens*; sed quando potestas constituitur per virtutem inseparabilem, & connexam, perfecta operatio virtutis dependet à termino connexo, alterum esse non potest; nec potest virtus perfici in operando, nisi per terminum connexionis, nec est ita eminens, vt ad neutrum determinetur, cùm potiùs sit cum vno extremo connexa; ergò vbi est virtus constituens posse inauferibilis, & connexa, non datur indifferentia virtutis, ex parte eius, ad quòd dicitur, in qua, ex Dre. Sancto, libertas consistit.

*D. Thom. al-latus, n. 62.*

*D. Th. suprà à n. 124 vsquè ad nu. 127.*

*D. Thom. 1. contr. gent. c. 82. suprà num. 164.*

✠o✠o✠o✠o✠o✠o✠
✠o✠o✠

SEC.

## SECTIO TERTIA.

*Probatur tale principium auferre libertatem, quia pugnat, cum indifferentia poteſtatis ad oppoſita.*

197 SVppono principium A, habere conditiones principij connexi cum actu, cuius poteſtatem cõſtituit, & eſſe pro nutu voluntatis inauferibilè per carentiam actus, & ſic diſputo: Principium auferens indifferentiam poteſtatis ad agere, & non agere, pugnat cum libertate agendi, ſed principium A, aufert omnem indifferentiam poteſtatis ad agere, & non agere; ergò pugnat cum libertate actus: Mai. certa, quia indifferentia poteſtatis eſt conſtitutiva libertatis in actu primo: Prob. Min. 1. Neceſsitas ſimplex, & antecedens ad actum pugnat cum indifferentia poteſtatis ad non agendum, ſed principium A, eſt neceſsitas ſimplicitèr antecedens ad agendum; ergò: Mai. certa, quia neceſsitas ſimplicitèr antecedens redit actũ omninò neceſſarium. Prob. Min. 1. Aliquod eſt excogitabilè principiũ, quòd ſit neceſsitas antecedens actus, aliàs agere, non poſſet eſſe neceſſarium, ſed nullum eſt excogitabilè, prẹter illud, quòd habeat conditiones principij A, aliàs illud aſsigna? ergò. ¶ 2. Quia inferre actum exiſtere; neceſſariò debet provenire à principio antecedente actum, quòd ex vi connexionis, & impoſsibilitate ſui defectus, reddat impoſsibilem carentiam actus, ſed nullum, principio A, poteſt eſſe magis antecedens, nec magis pugnans cum carentia actus, cùm ſit connexum cùm ſua exiſtentia, & ſua exiſtentia cõnexa cum actu; ergò principium A, eſt neceſsitas antecedens actus, vel nullũ principium eſt talis neceſsitas. ¶ 3. Viſio beata, eſt neceſsitas omninò antecedens ad amorem Dei, quia conſtituit poſſe amare, eſt connexa cum amore, & independens in exiſtendo à voluntate, quia inauferibilis per carentiam amoris Dei; ergò principium A, hæc habens reſpectu actus, erit neceſsitas omninò antecedens ad actum. ¶ Dices, viſionem eſſe neceſsitatem ſimplicitèr antecedentem ad amorem, quia aufert omnem indifferentiam iudicij proponendo Deum, vt ſummum bonum, & indifferentia iudicij eſt exacta, vt voluntas ſit libera in amando. ¶ Iudico hoc verè ita eſſe, ſed vlteriùs inquiro; Cùr iudicium efficax, & determinatum de bonitate obiecti eſt neceſsitas antecedens ad amorem obiecti? Certè, quia connexum cum amore, conſtituens poſſe amare, & inauferibilè à voluntate per carentiam amoris.

198 2. Prob. principalem Min; Quod non componit ſecum poteſtatem non agendi aufert indifferentiã poteſtatis ad agendum, & non agendum; quia indifferentia poteſtatis conſtituitur per ſimultatem poteſtatum ad oppoſita, ſed principium A, non poteſt ſecum componere poteſtatem veram, & proximam non agẽdi, ſed potiùs illam aufert; ergò pugnat cum indifferentia poteſtatis ad agendum, & non agendum. Prob. Min. 1. Poſſe agere conſtitutum per A, quòd titulo connexionis, nequit exiſtere ſine actione, & titulo inauferibilitatis, non poteſt per voluntatem non exiſtere, eſt poſſe agere, & ſimul non poſſe non agere, ſed non poſſe non agere, excludit poſſe non agere, ſeù poteſtatem proximam nõ agendi, quia ſunt contradictoria; ergò. ¶ Vel alitèr; quandò poteſtas agendi eſt abſolutè, & eſſentialitèr determinata, vt exerceatur per actionem, non eſt compoſita cum poteſtate non agendi, ſeù vera poteſtate non ſe exercendi per actionem, vt patet; ſed poteſtas agendi conſtituta per A, eſt abſolutè, eſſentialitèr deter-

terminata, vt exerceatur per actionem, cum A, non posit titulo inauferibilitatis non existere, nec titulo connexionis existere sine actione; ergò. ¶ Prob. Min. 2. Posse agere, quòd ex sua ratione formali, antequam applicetur ad agendum repugnat non actioni, nequit secum componare potestatem non agendi, sed potiùs cum illa pugnat, sed posse agere constitutum per A, ex sua ratione formali repugnat non actioni, non verò ex determinatione superaddita, qua applicetur ad agendum; ergò: Min. constat, quia illud posse intelligitur cum A, vt suo constitutivo, antequàm applicetur vt agat, quia priùs est potestatem esse, quàm applicari, & A, repugnat non actioni, quia connexum cum actione; & aliàs non dependet ab exercitio voluntatis, vt existat, quia inauferibilè; vndè ante omne exercitium voluntatis excludit non actionem. Prob. Mai. 1. Quia quomodò potest esse in potestate indifferentia ad duo, si ex ipsa potestate procedit formalitèr exclusio vnius? ¶ 2. Non actio solùm potest repugnare voluntati, vel ex suppositione, quòd applicetur ad agendum, vel quia habet impotentiam non agendi; ergò dum intelligitur voluntati repugnare non actionem, & quod talis repugnantia non procedit, quia applicatur ad agendum, debet intelligi in voluntate impotẽtia non agendi, sed repugnantia non actionis, quæ procedit ex potestate agendi constituta per A, intelligitur in voluntate, antequàm applicetur ad agendum; ergò illa potestas est impotentia non agendi, & non compatitur potestatem proximam ad non agendum.

199 Vltimo me convinco hoc argumento: Libertas actus constituta per metaphysicam repugnantiá carentiæ actus est libertas chimærica, & ficta; sed quando existit principium A, constitutivum potestatis ad actum, libertas actus constituitur per metaphysicam repugnantiam carentiæ actus; ergò libertas actus esset chimærica: Maior videtur evidens; tùm, quia libertas actus est indifferentia, & dominium, vt posit esse actus, vel carentia, & implicat dominium ad duo involvens repugnantiã metaphysicam vnius ex duobus; tũ, quia libertas actus includit potestatem ad carentiam, & implicat involvere veram potestatem ad carentiã, quòd constituitur per repugnantiam metaphysicam illius. ¶ Vel alitèr; metaphysica repugnantia carentiæ actus est metaphysica necessitas actus, quia hoc modò, quo repugnat vnum contradictorium existere, est necessarium existere alterum, & repugnat libertas actus constituta per metaphysicam necessitatem actus. ¶ Min. non videtur mihi minus certa, quia potestas ad actum cõstituta per tale principium involuit metaphysicam repugnantiam carentiæ actus, sed libertas ad actum, quę tunc existeret, constitueretur per potestatem ad actum; ergò, & per metaphysicam repugnantiam carentiæ actus: Min. constat; quia libertas ad actum, non potest non constitui per potestatem ad actum, quæ tunc est, quando ipsa est. Prob. Mai. principium A, involuit repugnãtiam metaphysicam carentiæ actus, quia nec potest deficere, cùm sit inauferibilè, nec possit existere cum carẽtia, quia metaphysicè connexum cum actu, sed tale principium esset constitutivum potestatis ad actum, vt supponitur; ergò potestas ad actum involueret metaphysicam repugnantiam carentiæ actus; ergò, & libertas per talem potestatem constituta, & sic est libertas chimærica.

Explico hoc; supponendo potestatem actus resultare ex voluntate, & ex principio A, quòd habet conditiones, de quibus loquimur. Potestas ad actum involueret metaphysi-

cam

cum repugnantiam carentiæ actus, quia licèt hæc non oriretur à voluntate, ortum duceret à principio A, & constitutum intrinsecè involuit omnia constitutiva, sed libertas constituitur saltim inadæquatè per potestatem ad actum constitutam per principium A; ergò sicut potestas ad actum involueret metaphysicam repugnantiam carentię actus, ex principio A, constitutivo huius potestatis, libertas actus involueret metaphysicam repugnantiam carentiæ actus, ex potestate ad actum constitutiva huius libertatis.

200 Ampliùs insisto; de ratione potestatis liberę ad actum, est voluntatem posse non ponere actum existente tali potestate; ergò implicat potestas libera ad actum connexa cũ actu, & inauferibilis: Prob. anteced. Quando minuitur potestas voluntatis separãdi actum, à potestate actus, minuitur actus libertas; ergò, quia hæc potestas, est de ratione libertatis: Consequ. patet; quia solùm minuitur libertas per hoc, quòd minuatur potestas, quæ est ratio libertatis: Anteced. etiam constat; quia ideò, apud Moralistas, minuitur libertas actus, vel per habitum vehementèr inclinantem, vel incusso mortis metu, quia est difficilè voluntatem separare actum à causis, tàm vehementèr alicientibus ad ipsum.

Et vrgeo: Quando est difficilè voluntatem separare actum à potestate ad actum, difficilè est actum nõ existere à voluntate; ergò quando est voluntati impossibilè separare actum à potestate ad actum, est voluntati impossibilè actum non existere; non ergò actus erit libere à voluntate. ¶ Pervrgeo, quando principium dans posse ad actum redit infallibilem moralitèr existentiã actus, voluntas est moralitèr necessitata ad actum, vt patet in omni necessitate morali; ergò principium dans posse ad actum, redens infallibilem physicè existentiam actus, necessitat physicè voluntatem ad actũ.

## SECTIO QVARTA.

### *Aliquæ limitationes nostræ conclusionis reijciuntur.*

201 EX Doctrina Ill. Godoy, quàm novissimè illustravit Primarius Salmantinus Recètior, defendi solet principium A, non esse necessitatem simplicitèr antecedentem actus, sed consequentem, quia licèt precedat actum in seipso formaliter, & constituat actum primum connexum; subsequitur ad libertatẽ actus eminentèr, & in causa, quia cõsequitur ad voluntatem Dei efficacẽ prædiffinientem libertatem actus, quę est causa, in qua eminentèr, & virtualitèr præcõtinetur nostrorum actuum libertas. ¶ Si verò illis opponas 1. ergò prędeterminatio licèt esset ex parte actus primi, exacta libertatẽ servaret, quia esset necessitas consequens libertatem actus in sua causa, in decreto, scilicèt, prædiffinitivo libertatis actus. ¶ 2. Ergò paritèr visio beata posset esse necessitas consequens ad amorem; quia cõsequeretur actum in causa, seù decreto prædiffinitivo libertatis. ¶ Resp. ad 1. concedendo sequelam, nõ enim asserunt prædeterminationem, non constituere potestatem, quia hoc necessarium sit ad libertatem conciliandam, sed quia ita est. Ad 2. resp. Quod visio potiùs supponit decretũ de amore necessariò; vndè non est, vndè non pugnet cum libertate amoris. *Godoy, t. 3. in 3. s. disp. 49. sect. 8.*

Sed hanc Doctrinam semper pro mea tenuitate iudicavi eggregiam petitionem principij: fateor suppositionem subsequutam ad decretum efficax de libertate actus non pugnare cum libertate, suppositio enim cũ decreto composita, nequit evertere effectum, cùm quo essentialitèr conne-

nectitur decretum; sed dum intendo principium A, de quo disputo, esse necessitatem simpliciter antecedentem actus, similiter propugno, conciliari non posse cum decreto libertatis, sicut nec cum libertate, vndè illud conciliare cum libertate, quia supponit decretum libertatis est principium petere. ¶ Sic ergò 1. disputo: Implicat visio Dei, quæ supponat decretum de libertate amoris; etsi aliquis vellet cum visione Dei libertatem amoris conciliare, quia supponit decretum de libertate amoris, contradictoria sentiret; ergò (1) prius scire debemus, quæ sit simpliciter necessitas antecedens, quę secus; vt posteà cognoscamus; an supponat decretum libertatis actus, vel tali decreto repugnet; ergò (2) equæ repugnavit principio A, supponere decretum de libertate sui actus, habet enim omnes formalitates, vi quarum visioni Dei repugnat tale decretum supponere, scilicèt antecedentiam in actu primo, connexionem, & independentiam in existendo à voluntate, assigna enim, quæ alia formalitas desideratur ad repugnantiam talis decreti, quæ conveniat visioni, seù iudicio determinato, & non principio A? ¶ 2. Sic instauro omnia allata argumenta; equæ enim suadent, principium A, esse necessitatem antecedentem, ac non posse supponere decretum de libertate sui actus; principium, quòd secum non compatitur potestatem non agendi, nequit supponere decretum de libertate actus, cum libertas actus per simultatē potestatum, seù indifferentiam potestatis constituatur; similiter implicat, quòd sit decretum de actu secundo libero, media libertate in actu primo, constituta per metaphysicam repugnantiam vnius ex extremis libertatis, cùm talis libertas sit chimæra; sed principium A, secum non compatitur potestatem non agendi, & libertas per illum constituta in actu primo, includeret repugnantiā vnius exercitij, vt probavimus; ergò principium A, nequit supponere decretū de libertate sui actus. *Disp. 2. q. 3.* ¶ 3. Quia infrà efficacitèr sua debimus, prędeterminationem exigere non constituere potestatem actus, vt non adimat actus libertatem.

202 Secunda limitatio conclusioni nostræ adhiberi solet, desumpta ex Doctrina familiari Illust. Godoy, vt difficultates, quæ insurgere solent ex suppositione actus primi, connexi cum actu libero, evertat: asserit enim, quòd licèt constituat actum primum, suppositio connexa, à voluntate in existendo independens, non adimit libertatem, dum illa connexio, seù necessitas, quæ est in actu primo, non sit exacta ab actu secundo. Si verò connexio illa, seù formalitas vi cuius actus primus est connexus cum actu secundo, est ab actu secundo desiderata, libertatem actus evertit: sistit; ergò hæc doctrina in hoc principio; actus primus connexus, non pugnat cum libertate actus secundi, nisi actus secundus exigat illam connexionem in actu primo, quia tunc est necessarius; si verò actus secundus, illam non exposcit est liber: qua doctrina sæpè vtuntur N. Thomistæ. *Ill. Godoy, t. 3. in 3. p. disput. 43. sect. 4. n. 101. & disp. 48. sect. 2. num. 30.*

Sed limitationem hanc, licèt valdè probabilem, non admitto, plura enim difficilia occurrunt cōtra principium, in quo innititur; quòd, scilicèt, actus secundus est liber, licèt actus primus, sit cum illo connexus, si non habet connexionem sub ea formali ratione, qua constituit actum primum, & exigitur ab actu secundo. Si enim actus primus est connexus, *& independens à libertate*, nequit esse liber, neque indifferens, vt coniungatur, vel non coniungatur cum actu, & sic actus necessariò existet, quin potestas ad actum sit coniūcta,

cum poteſtate ad carentiam actus: quòd enim hæc connexio actus primi non ſit exacta ab actu ſecundo, neſcio, cùr probet actum non eſſe neceſſarium? Ad ſummum infert, actum non exigere neceſsitatem, cùm enim actum ſecundùm eſſe neceſſarium debeat inferri à defectu indifferentiæ in actu primo, ſeù à connexione illius cùm actu ſecundo, ſi actus ſecundus efficitur ab actu primo cõnexo cõnexione ab ipſo non exacta, actus ſecundus neceſſariò efficitur, licèt neceſsitate ab ipſo non exacta.

Aſſumptum prob. 1. Quia ſi connexio actus primi, ſecundùm formalitatem non exactam ab actu ſecundo, non tolleret libertatem actus ſecundi, amor beatificus eſſet verè liber, quin illius neceſsitas poſſet efficacitèr ſuaderi; Conſequens eſt contra communem Theologorum ſenſum; ergò, ſequela ſic prob. Neceſsitas amoris beatifici erga Deum ſummum bonum, ſolùm convincitur ex connexione viſionis beatæ conſtituentis actum primum, cum ipſo amore, ſed hæc connexio non eſt formalitèr ſub ea ratione, qua conſtituit actum primum, nec exigitur ab actu ſecundo amoris; ergò non convincit amorem beatum eſſe neceſſarium. Prob. Min. Viſio ſolùm conſtituit actum primum, & exigitur ab actu amoris Dei, vt proponens Deũ, vt ſummum bonum, non tamen exigitur, vt cognitio clara, & intuitiva ipſius ſummi boni; quia amor patriæ poteſt eſſe idem numero cum amore vię, & amor vię non exigit cognitionem Dei claram, & intuitivam; ſed viſio non eſt connexa cum amore, vt cognitio Dei ſummi boni, quia hanc formalitatem habet cognitio Dei per fidem in via, quę connexa nõ eſt, ſed vt cognitiõ clara, & intuitiva; ergò.

Explicatur hoc 1. Si quis diceret amorem beatificum non eſſe neceſſarium, quia connexio viſionis cum amore, non exigitur ab amore ſtatim opponeretur; hoc ſolùm probare, amorem illum non exigere neceſsitatem, quia poſſet eſſe ſine illa, vt eſt in via, non tamen re vera non eſſe neceſſarium, dum ab actu primo connexo procedit; ergò, quod actus ſecundus non exigat connexionem actus primi, ſolùm ſuadet, non exigere neceſsitatem, non verò infert libertatem.

203 2. Impugnatur principalis ſolutio, quia ex illa ſequitur, quòd licèt auxilium ſufficiens ex parte actus primi exactum ad actum ſupernaturalem eſſet ſimul ex ſe efficax, ſeù prædeterminans non tolleret libertatem actus; quod eſt falſum, & contra communem adhùc NN. DD. ſententiam: & ſequelam prob. Dum connexio ex parte actus primi, non eſt exacta ab actu ſecundo, non tollit libertatem, ſed actus ſecundus non exigit ex parte actus primi prædeterminationem, ſed ſufficientiam, & auxilium non eſſet connexum cum actu ſecundo; quia ſufficiẽs, ſed quia prædeterminans; ergò illud auxilium non tolleret libertatem. ¶ Si dicas, in hoc caſu, libertatem actus non dari, quia connexio actus primi, cum ſecundo, eſſet ratione prædeterminationis exactæ ab actu ſecundo. ¶ Contra eſt: prędeterminatio nõ tollit libertatem, quia connexa, tolleret verò tunc libertatem, quia exacta ex parte actus primi, ſed actus nõ exigeret prædeterminationem ex parte actus primi; ergò non exigeret actum primum eſſe cum ipſo connexum; ergò eſſet liber.

3. Potentia libera eſt potentia indifferens indifferentia poteſtatis ad vtrùmquè libertatis extremum; ſed dum actus primus eſt connexus cum actu ſecundo, licèt ratione formalitatis non exactæ ab actu ſecundo, potentia conſtituta per illum actum primum, nequit eſſe indifferens

in

in poteſtate ad vtrùmquè libertatis extremum; ergò nec libera; Mai. eſt nota, & probo Min. Potentia realitèr, & identicè inſeparabilis ab vno extremo, nequit eſſe realitèr coniũgibilis cum extremo oppoſito, & ſic nec realitèr in ſua poteſtate indifferens ad extrema oppoſita, ſed potentia illa conſtituta per actum primum connexum, licèt ratione formalitatis non exactæ, realitèr, & identicè eſt inſeparabilis ab illo actu ſecũdo, licèt hoc non exigat formalitèr; ergò nequit eſſe realitèr in ſua poteſtate indifferens ad carentiam actus ſecundi.

Confirmatur: Nequit eſſe vera, & realis indifferentia ad extremum A, in aliqua poteſtate, ſi in illa poteſtate eſt realitèr, & idẽticè metaphyſica repugnantia extremi A, vt ex terminis videtur notum; ſed in illa poteſtate conſtituta per actum primum connexum identicè, licèt non ratione formalitatis exactæ, eſt metaphyſica repugnantia realitèr, & identicè carentię actus; ergò nequit eſſe in illa poteſtate vera, & realis indifferentia ad carentiam actus.

## SECTIO QVINTA.

*Idem aſſumptum ampliùs roboratur.*

204 DVo alia fundamenta adijtio, vt ſuadeam, principium A licèt non exactum, vt connexum, non poſſe libertatem in actu primo conſtituere: Primum eſt. Repugnat conſenſu liber, qui non ſit à Deo ſcibilis ſub cõditione ſuę libertatis per ſcientiam conditionatam contingentem, ſed conſenſus liber, cuius libertas in actu primo conſtitueretur per principium A, non eſſet ſcibilis à Deo ſub conditione ſuæ libertatis per ſcientiam conditionalẽ contingentem; ergò repugnat conſenſus liber, cuius libertas in actu primo ſit per A cõſtituta. Prob. Mai. Quòd non eſt antecedentèr neceſſarium, non eſt ſcibilè à Deo per ſcientiam neceſſariam; ſed ſolùm per contingentem, quia ſcientia Dei neceſſaria, ſolùm terminatur ad obiectum antecedentèr, & ſimplicitèr neceſſarium; ſed repugnat conſenſus liber, qui ſub conditione ſuę libertatis ſit antecedentèr, & ſimpliciter neceſſarius, cùm libertas, vt eſſet abſque neceſsitate eſſet neceſsitas, vt eſſet, quo nil impoſsibiliùs; ergò. Prob. Min. Scientia cõſenſus ſub conditione libertatis conſtitutæ per A, eſt ſcientia conſenſus ſub conditione principij A, aliàs non aſſumeretur pro conditione illa libertas, quàm A conſtituit, ſed alia diverſa; ſed ſcientia conditionalis conſenſus ſub conditione principij A eſt ſimplicitèr Deo neceſſaria; quia ſcientia conditionati ſub conditione metaphyſicè cum ipſo connexa; ergò. Vrgetur ex inferiùs dicẽdis, dum probemus; ſciẽtiam conditionalem contingentem conſenſus liberi debere, aut poſſe aſſumere pro conditione omnia libertatis conſtitutiva, minimè verò conditionem cum conditionato metaphyſicè connexam. *Diſp. 3. q. 2. ſect. 9.*

205 Nec vim argumenti declinabis aſſerendo, cõditionalem de cõſenſu libero eſſe contingentem, licèt libertas, aut conditio conſtituatur per principium A. Quia tale principium connexum non conſtituit libertatem, vt connexum cum cõſenſu libero; nec ampliùs deſiderari ad conditionalis contingentiam, quàm conditionem formalitèr, vt talem non eſſe conditionato connexam.

Quia contra inſurgo: Vt conditionalis ſit metaphyſicè neceſſaria, ſufficit conditionem eſſe connexam identicè cum conditionato, licèt talis connexio, non explicetur formaliter ex parte conditionis; ergò ſi cõditio illius libertatis eſt connexa cũ conſenſu libero, conditionalis erit neceſſaria. Probo antecedens 1. dum

contradictionem implicat conditionem eſſe ſine conditionato, ſcientia conditionati pro caſu conditionis eſt ſimpliciter neceſſaria; neceſſarium enim erit conditionem eſſe cum conditionato, ſi eſt impoſsibilè eſſe ſine illo, ſed dum conditio eſt identicè connexa cum conditionato implicat contradictionem conditionem eſſe ſine conditionato; ergò. Prob. Min. Quia chimæra eſt conditionem eſſe ſine identificato cum ipſa, & identificatum cum ipſa eſſe ſine conditionato, cum quo eſſentialitèr connectitur. ¶ Prob. antec. 2. Si conditio eſſet identicè neceſsitans ad conditionatum, licèt non explicaret formalitèr munus neceſsitandi, conditionalis fuiſſet neceſſaria; ergò pariter, ſi conditio eſſet identicè connexa, & à voluntate independens. Antecedens videtur conſtans, & Conſeq. infertur; quia in neutro caſu explicaretur cõnexio formalitèr ex parte conditionis, & in vtroquè eſſet chimæra conditionatum deficere pro caſu conditionis. ¶ 3. Si de conſenſu identicè libero, ita enuntias: *Si eſt hic conſenſus, erit libertas*; conditionalis erit neceſſaria, quia licèt conditio, ſeù conſenſus, non explicet formalitèr libertatem, tamen conſenſus ratione libertatis ſecum identificatę haberet connexionem cum conditionato libertatis in actu primo; ergò idem affirmari debet de libertate conſtituta per A, dum de ea, ita enuntiatur: *Si eſt libertas, erit conſenſus.* ¶ Poſtremò, ſicut pugnat cum contingentia veritatis conditionalis, conditio idẽtificata conditionato; ita, & connexa, ęquè enim in vtroquè caſu eſt chimærica conditionalis falſitas; vndè non erit contingens eius veritas, ſed conditionalis, eſt neceſſariò vera, cum conditio identificatur conditionato, licèt identitas non explicetur formalitèr ex parte conditionis, vt hæc eſt neceſſaria; *ſi exiſtit libertas erit A*; ergò, & conditionalis erit neceſſaria, ſi conditio, &c. Vel alitèr: Non minus repugnat contingentiæ conditionalis eius neceſſariæ falſitas, quàm neceſſaria veritas; ſed dum conditio identicè repugnat cõditionato, licèt repugnantiam formalitèr non explicet, conditionalis non eſt contingens, quia neceſſariò falſa; ergò, & dum conditio identicè connectitur conditionato, licèt connexionem formalitèr non explicèt conditionalis non erit contingens, quia neceſſariò vera.

206 Secundùm fundamentum eſt: Potentia libera debet eſſe indifferens ad libertatis extrema indifferentia, non ſolùm logica, aut præciſsiva, ſed reali, & phyſica, ſed dum libertas conſtitueretur per principiũ A, in principio libero non eſſet indifferentia realis, & phyſica ad libertatis extrema, ſed ſolùm logica, & præciſsiva; ergò. Maior videtur certa 1. Quia ſi indifferentia logica ad veram libertatem ſufficeret, nullum eſſet excogitabilè principium neceſsitans, cùm nullum ſit, quòd ratione alicuius prædicati non poſsit eſſe logicè indifferens ad aliud libertatis extremum; vndè nec beato deficeret libertas ad odium Dei, nec Chriſto ad peccatum, quòd eſt omninò falſum. ¶ 2. Potentia eſt neceſsitata per realem excluſionem libertatis; ergò, & libera per realem excluſionẽ neceſsitatis; ſed dum adeſt poteſtas ad vtrùmquè extremum, & phyſica excluſio neceſsitatis vtriuſque extremi, non ſolùm eſt indifferentia logica, & pręciſsiva, quia hæc à neceſsitate pręſcindit, non eam excludit, ſed etiam adeſt indifferentia realis, & phyſica; ergò. ¶ 3. Quia incredibilè eſt SS. PP. tàm aſsidua cura libertatem noſtram fuiſſe explicaturos, vt prætioſum humanæ naturæ ornamẽtum, dominium electivum voluntatis, & rationis exprimens, ſi per indifferentiam purè logicam ſufficientèr conſtitueretur, quàm facilè eſſet, & in brutis invenire. Pro-

Probo Min. Libertas, quæ realitèr per identitatem, eſt vnius extremi determinatio, & alteriùs excluſio, nequit eſſe indifferentia phyſica, & realis ad illa duo extrema; ſed libertas conſtituta per principium A phyſicè, & realitèr per identitatem, eſt vnius extremi determinatio, & alteriùs excluſio; quælibet enim res eſt phyſicè, & realitèr id, cum quo identificatur; ergò.

Vrgeo: Sicut libertas dicit veram, & realem ſufficientiam ad ſua extrema, ita ad ea dicit veram, & realem indifferentiam, ſed cum ſufficientia exacta à libertate pugnat libertatem conſtitui per principium, quòd identicè ſit impotentia alicuius ex extremis; ergò, & cum indifferentia à libertate exacta pugnabit libertatem conſtitui per principium, quòd ſit identicè inevitabilis determinatio alicuius ex extremis. Min. certa, & Conſeq. infertur, quia ſicut impotentia vnius ex duobus, nequit eſſe identicè ſufficientia ad illa duo, ita determinatio vnius ex duobus, nequit eſſe identicè indifferentia ad illa duo.

## SECTIO SEXTA.

*Obiecta in contrarium ſolvuntur.*

207 OPpones 1. Eſt communis ſententia Thomiſtarum, quòd ſtante indifferentia iudicij, non poteſt voluntas neceſsitari, ſed poteſt ſtare iudicium indifferens, ex parte intellectus ſimul cum principio conſtitutivo poteſtatis ad actum connexo, & inauferibili; ergò cum tali principio poteſt eſſe actus libertas. ¶ Confirmatur 1. Principium deſcendens à Deo, vt primo libero, non poteſt impedire libertatẽ ſecundi liberi, ſed hoc principium conſtitutivum, &c. deſcenderet ad voluntatem à Deo, vt primo libero; ergò non impediret libertatem voluntatis. ¶ 2. Confirmatur, non poteſt Deus velle actum, quoad ſubſtãtiam, & modum, hoc eſt, fieri, & libere fieri, quin actus ex vi talis voluntatis ſit liber; ſed non apparet repugnantia in eo, quòd Deus vellit actum fieri, quoad ſubſtantiam, & modum libertatis, licèt detur ab ipſo principium conſtitutivum, &c. ergò, quòd ſuprà. ¶ 3. Illud principium eſſet neceſsitas conſequens, non antecedens actus; ergò nõ tolleret illius libertatẽ, prob. antec. Principium, quòd ſupponit determinationem voluntatis creatæ, licèt non formalitèr, æquivalentèr, vel eminentèr in voluntate Divina, eſt neceſsitas conſequens; quia Deus ex Auguſt. *Habet magis in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*; ſed neceſsitas actus orta ex principio, &c. ſupponit determinationem voluutatis creatæ, licèt non formalitèr, æquivalentèr in determinatione voluntatis Divinæ; ergò. ¶ Quæ omnia ſimul confirmo; ideò prædeterminatio Thomiſtica non tollit libertatem actus; quia non tollit indifferentiam iudicij, quia deſcendit à Deo, vt primo libero, quia eſt effectus voluntatis Divinæ efficacis decernentis ſubſtantiam, & modũ libertatis actus, & quia licèt non ſupponat noſtram determinationẽ formalitèr, ſupponit æquivalentèr in determinatione voluntatis Divinæ, ſed hæc omnia poſſunt eodem modò affirmari de principio conſtitutivo, &c. ergò ſi prædeterminatio Thomiſtica libertatem actus non tollit, nec tale principium.

*Auguſt. de Correp. & Gratia, cap. 14.*

Reſp. Quòd, vtrùm cum indifferentia iudicij poſsit ſtare voluntatis neceſsitas? Eſt dubium inter Thomiſtas ex vtraque parte probabilè, vt videri, licèt apud M. Prado, quod ad noſtrum intentum attinet, eſt quod ſi ſtante indifferentia iudicij, poteſt ſtare principium conſtitutivum, &c. poteſt ſtare cum illa voluntatem neceſsitari, ſi ſecus, ſecus. Quod ſic ſua-

*M. Prado cont. 11. de Cauſa liberæ art. 4. ſect. 3.*

ſuadeo; vel indifferentia iudicij, poteſt ſtare cum principio, quòd ſit neceſsitas anteced. actus, vel non? ſi primum; ergò poteſt ſtare cum neceſsitate actus, ſi ſecundùm; ergò non poteſt ſtare cum principio, de quo eſt dubium, quia vt probavimus, hoc eſt neceſsitas anteced. actus. ¶ Aliter, vel indifferentia iudicij, ſervat ſemper incolumen indifferentiã poteſtatis voluntatis, vel non? ſi primũ non compatitur hoc principium, de quo probavimus indifferentiam poteſtatis à voluntate auferre; ſi ſecundùm, non ſervat ſemper libertatem ſecuram, hæc enim per indifferentiã poteſtatis cõſtituitur, aliàs maior indifferentia exigeretur in intellectu formaliter, non libero, ac in voluntate formaliter libera; ergò, vel indifferentia iudicij non compatitur hoc principium, vel neceſsitatẽ voluntatis ſecum componit. ¶ Ratio à priori eſt, quia voluntas eſt libera, quatenus potens agere, & non agere, illud verò, quòd eſt poſsibile purè ex vno titulo, ſi ex alio impoſsibilitatem ducit, eſt abſolutè impoſsibile, vt patet in omnibus chimæris; ergò libertas nõ ſolùm excludit impoſsibilitatem non agendi ortam ex iuditio determinato agendi, ſed ortam ex omni alio, quòd ſit neceſsitas omninò anteced. agendi, cùm verò tale ſit principium agendi dubij, vt probavimus, illud adhùc coniunctũ cum indifferentia iudicij redderet neceſſarium actum, & impoſsibilem carentiam, non impoſsibilitate orta à iudicio, ſed ab illo principio; vndè indifferentia iudicij, vel poteſt componi cum neceſsitate actus, vel non poteſt componi cum principio actus habenti conditiones propoſitas.

Ad 1. confirmationem nego Mai. & eſſe abſolutè falſam, mihi ex eo fit evidens, Deus poteſt voluntatem neceſsitare, vt cum omnibus ſuppoſui, ſed illud principium, quo Deus voluntatem neceſsitaret, eſſet à Deo, vt primo libero, aliàs Deus neceſsitatus foret ad neceſsitandam voluntatem, & ſic neceſsè eſſet nos neceſſario operari, & Deus non libere faceret, nos agere non libere; ergò nõ ex eo, quòd principium deſcendens ſit à primo libero, noſtram libertatẽ compatitur. ¶ Clariùs; viſio Dei deſcendens libere à Deo eſt neceſsitas antecedens, non odio habendi Deum, & vnio hypoſtatica naturæ humanæ Chriſti fuit donum libere conceſſum à Deo, & tollit libertatẽ peccandi à Chriſto; ergò, quod ſuprà. ¶ Immò ſequetur, quòd in nulla cauſa creata poſſet eſſe neceſsitas antecedens actus, quia quælibet ſequeretur Dei liberam determinationem. ¶ Et ratio eſt, quia hoc probat Deum poſſe facere, quòd non exiſtat actus, non verò ſuadet, quòd cum poſſe voluntatis ad actum exiſtat poſſe voluntatis ad carentiam, & cum hoc exigat libertas voluntatis ad actum, tunc actus erit libere à Deo, non à voluntate. ¶ Vlteriùs, licèt Deus ageret ex neceſsitate naturę volũtas noſtra libera foret, iuxtà probabiliſsimã Thomiſtarum ſententiam; vndè principium, quo Deus non neceſsitaret, tunc voluntatem, nec nũc neceſsitat, & ſic nullum principium libertatem ſervat præciſsè, quia à Deo, vt primo libero deſcẽdit.

Ad 2. confirmationem neg. Min. & implicatio eſt ratio concluſionis, & addo: Tùm, quia non poteſt Deus velle actum fieri libere per principium dubij, vt clarè probavimus; Tum, quia eodem modo cum viſione componeretur libertas amoris, & cũ vnione hypoſtatica libertas nõ peccandi, & ratio à priori eſt, quia non poteſt Deus velle finem, & eligere medium, quòd eſſentialiter deſtruat finem, ſi vult actum libere eſſe, vult, quòd ſit, ita vt poſsit non eſſe, quia hoc eſſentialitèr exigit libertas; vndè non poteſt velle, quòd ſit per principium, quòd deſtruat, poſſe non

Supr. n. 62.

eſſe,

esse, cùm verò principium dans posse connexum, &c. ita inferat actum, vt destruat posse non esse actum, non potest Deus velle actum libere fieri, & actum fieri per hoc principium.

Ad 3. confirmationẽ Resp. Quòd, vt principium sit necessitas consequens, non sufficit, quòd supponat nostram determinationem æquivalentèr in determinatione Dei, si simul non componit, & supponit principia constitutiva nostræ libertatis; vndè licèt antecedat actum supponit, & secum compatitur potestatem ad carentiam actus, vt patet insistendo in exemplis, visionis beatæ, vnionis hypostaticę, & principij, quo posset Deus voluntatem necessitare; cùm tamen principium, de quo disputamus, licèt supponat determinationem Dei, non supponit constitutiva libertatis, cùm constituat potestatem ad actum, & libertatem actus, nec secum componeret talia constitutiva, quia destrueret potestatem ad carentiam actus; hinc est tale principium esse necessitatem antecedentem, & non consequentẽ actus.

Per quod patet ad exemplum de prædeterminatione, de qua plura infrà dicemus, quia illæ rationes probant in ea, ex eo, quòd licèt sit connexa cum actu, non constituit potestatem actus, & sic potestas non est connexa, sed indifferens, & libertas nil aliud exigit, quàm indifferentiam potestatis. ¶ Ipsa etiam supponit, & non destruit potestatem ad carentiã, quia solùm habet inferre actum, & actum esse pugnat cum eo, quòd non sit, non cum eo, quòd possit non esse, & quia actum esse liberum solùm est, ita esse, vt possit non esse, non destruit libertatem actus: principiũ connexum, de quo disputamus, est potestas; vndè hæc esset connexa, & iam non indifferens, nec libera, non compateretur secum potestatem ad carentiam actus, & exindè nec libertatem. ¶ Et vno verbo; disparitates quę debent adduci inter prædeterminationem, & vnionem hypostaticam, visionem beatam, & principiũ, quo Deus posset necessitare, debent dari inter prędeterminationem, & principium, de quo disputamus, quia vt probavi, vel hoc est necessitans, vel nullum.

208 Oppones 2. Plura exempla in quibus cum suppositione actus primi, connexi, & independentis in sua existentia à voluntate, componitur libertas actus secundi, & adducitur primo, suppositio præcepti, quæ in voluntate impeccabili est connexa cum actu præcepto, sicut, & cũ peccati carentia, & tamen constituit actum primum saltem obedientię, quia cognitio præcepti est cognitio motivi obedientiæ, & sic directivè, & regulativè prælucet actui. ¶ 2. In sciẽtia infusa animæ Christi, quæ non solùm repręsentat obiectum amãdum, qua ratione cõstituit actum primum amandi, sed etiam repręsentat amorem futurum; & ita est connexa cum amore, sicut cum sua veritate, & tamen actus futurus Christi est verè liber. ¶ 3. In libertate Dei in productione mundi, & tamen cognitio divina dirigens, & constituens actum primum, attingit decretum ipsum, & exindè est connexa cum mundi productione. ¶ 4. Sit cognitio indifferentèr proponens obiectum, simulq; repræsentans decretum efficax amoris obiecti, amor erit liber, & constituet actum primum, cognitio connexa cum amore, sicut cum decreto amoris, quòd repræsentat.

Hęc sanè concernunt gravissimas difficultates, quas non oportet perfunctoriè tractare; brevitèr tamẽ sunt attingenda, quia suis proprijs locis fusè discutienda. Ad 1. Quod præceptum actus A, v.g. non constituit potestatem ad illum; vndè libertati non obstat connexio prȩcepti cũ actu, quæ est in voluntate impeccabili; ad actum obedientiæ constituit

actum

actum primum cognitio præcepti, sed nullam cum illo dicit connexionem, quia potest voluntas licèt impeccabilis eliciendo actum A. obedientiam formalem omittere. ¶ Ad alia tria exempla de cognitione cõstituente actum primum liberum, & simul repræsentante aliquod exercitium libertatis, simul resp. talem cognitionem nullatenus esse connexam cum illo exercitio, quia licèt repræsentatio vera non possit existere sine exercitio, illa entitas cognitionis posset adæquatè existere sine illa repræsentatione, & ratio est, quia cum denominatio repræsentandi sit respectiva, & connotativa, potest desicere ex defectu termini, aut connotati, intrinseca entitate quoad rectum omninò invariata.

## ADDITIO.

209 INter principia antecedentia actum, est diversitas; quia possunt esse *exacta* ad existentiam actus, vel *non exacta*: illa sunt *exacta*, quæ ab actu exiguntur; ita vt actus non esset nisi precederent; Illa dicuntur *non exacta*, quæ licèt de facto præcedant, actus ea non exigit, quia existeret pro arbitrio voluntatis, licèt non precederent. Principiũ *non exactum* solet vocari principium *redundans*. Licèt hoc ita sit, dum omnes combinationes principij antecedentis actum adduxi, id non divisi, in principium *exactum*, & *non exactũ*: quia hanc diversitatem esse impertinentem ad libertatem existimavi. Si enim principium A, non est necessitas actus propter connexionem, & independentiam in esse à voluntate, nec propter exigentiam, vt sit actus, erit necessitas; quod enim A, sit exactum, aut non; solùm suadedebit actum exigere, aut non exigere necessitatem, minimè verò eam obtinere, aut non obtinere; vndè Authores docentes A, libertatem illæsam servare, si non sit exactum ad actum, id etiam fatere tenentur, licèt exactum sit. Assumptum efficacitèr probo; si A, dum esset exactum libertatem extingueret, esset, quia dum deficeret non esset sufficientia, aut potestas cõsentiendi, cùm voluntas nec obtineret, nec posset comparare A, ad consensum exactum, sed hæc ratio inefficatię convincitur, si A, licèt non exactum servat libertatem consentiendi; ergò si A servat libertatem; dum exactum non est, similitèr servabit exactum, cum sit. Prob. Min. Licèt A, non sit exactum ad consensum deficere A, erit exactum ad non consentire; cum ad id exigatur deficere, quodlibet connexum cum cõsensu, si verò A est à libertate in existentia independens sicut voluntas, non potest acquirere A dum deficit; ita nec potest acquirere deficere A, dum existit, sed A, dum existit, non exactum ad consensum servat illæsam potestatem non consentiendi, licèt voluntas nec obtineat, nec possit acquirere defectum A, exactum, vt non consentiat; ergò dum A, deficit potestas ad consensum erit expedita, licèt voluntas nec obtineat, nec possit acquirere A, exactum, vt consentiat: Ad libertatem ergò extinguẽdam, vel servandam parum conducit, quòd A, sit exactum ad consensum, aut non.

210 Doctor Prado; intendit non posse dari rationem efficacitèr probantem non stare cum libertate principium se tenens ex parte actus primi, connexum cum altero extremo, & inevitabilè à voluntate; quæ non enervetur per instantias, principij connexi ex parte actus primi, & evitabilis; & prædeterminationis, seù principij connexi, & inevitabilis, se tenentis ex parte actus secundi, seù non constitutivi potestatis: Vndè instat omnes adductas rationes in principijs ijs cum quibus libertatem conciliamus; sed in quæst. se-

*Prado de Libero Arbit. disp. 2. sect. 1.*

sequenti, & in disputatione tertia, constabit hæc nostra fundamenta minimè instari, nec in principio, cui deficit *inevitabilitas*; Nec in principio, cui deficit *cõstituere actum primum*: quia principium necessitans antecedenter tria simul exposcit; *connexionem, constituere potestatem*, (& ideò prædeterminatio non necessitat) & *esse inevitabilè à voluntate*: Et ideò non necessitat principium à voluntate in esse dependens.

*Doct. Rios de Iudit. indiff. disp. 2. dub. 3. sess. 5 à num. 88. M. Bolibar de Merito Christi, disp. 1. dub. 2. s. 5 Godoy vbi sup. n. 202. Gonet, t. 12. disp. 21. art. 3. sess. 4.*

Doctor Rios ex doctrina M. Bolibar, rationes nostras adductas contra limitationẽ nostri principij, edoctam ab Illust. Godoy, Gonet, & alijs, scilicèt, quòd principium, *licèt se teneat ex parte actus primi, sit connexum, & inevitabilè*, non tollit libertatem *si connexio non est exacta ab actu secundo*: solvere, & enervare intendit.

*Supr. n. 202.*

211 Ad 1. desumptam ex eo, quòd non esset medium efficax ad probãdum necessitatem amoris beatifici; Respondet. Amorem beatificũ exigere connexionem cum visione, vt constituente actum primum; exigit enim visionem, nõ solùm vt cognitio est Dei, sed etiam vt clara, & intuitiva, qualitèr connectitur cum amore; quia verùm non est, quod *amor patriæ potest esse idem numero cum amore viæ*, cùm oppositum sit communius in Schola Thomistica, vt observat M. Bolibar; & prob. Quia amor liber viæ non est idem numero cum amore necessariò viæ ex imperfecta cognitione; ergò nec cum amore necessariò patriæ ex perfectione cognitionis: Anteced. constat ex eo, quòd si libere eliciens aliquem actũ incideret in amentiam, & continuaret actum, amitteret actus allquã perfectionem veram, & realem (quòd esse omnium menti conforme sentit Navarrete, vno dempto,) quòd est amittere esse individuale, quòd ante casum in amentiam habebat. Si tamẽ admittitur, *amorem viæ esse idem numero cum amore patriæ*, vt probabilitèr defendi solet de actu charitatis vi cuius decessit Beatissima Virgo MARIA, tunc debet dici, amorem, vt beatificum exigere regulari visione Dei, vt clara, licèt non ex sua specie, nec ex sua individuatione, ratione *modi* diversi, quo vestitur; vel novæ *denominationis* extrinsecæ, quia ille numero actus, vt de novo *modificatus*, aut *denominatus* excludit regulari per cognitionẽ fidei obscurã.

*Bolibar de Impeccabil. Christi, dub. 5. in probat. 4. concl.*

*Navarrete, t. 2. in 1. p. controv. 21. B. 1.*

Contra tamen est: quia *amorem patriæ posse esse eundem numero cum amore viæ*. Non obscurè colligitur ex D. Thoma; nec facilè est suadere, necessariam esse illam distinctionem numericam, non enim suadetur; ex eo, quòd cognitio *fidei* regulãs amorem vię est distincta à *visione* regulante amorem patrię; quia (ait Div. Tho.) *Charitas non habet pro obiecto ipsam cognitionem (sic enim non esset eadem in via, & in patria;) sed habet pro obiecto ipsam rem cognitã, quæ est eadem, scilicèt ipsum Deum.* Et sicut diversitas specifica cognitionum non infert amorum distinctionem specificam, quia non variat bonitatem, seù *obiectum*, à quo habet amor specificationem; Ita nõ infert distinctionem numericam amorum, quia nõ variat *subiectum*, à quo habet amor individuationem. Nec infertur distinctio numerica amorũ, ex eo, quòd actus necessarius ex imperfecta cognitione est numero distinctus à libero; ex eo, quod actus elicitus cum libertate, si operans incideret in amentiam, & actum continuaret, actus (apud omnes) *amitteret aliquam perfectionem veram, & realem, quòd est idem, ac amittere esse individuale, quod* ante casum in amẽtiam habebat. Vndè, & actus necessarius ex perfecta cognitione, vt est amor *patriæ*, nequit esse idem numero cum amore *viæ*. Non, inquam, infertur: quia licèt actus, dum amittit libertatem, amittat perfectionem

*D. Tho. 1. 2. p. 67. art. 6.*

*D. Th. ibi. solut. ad 2.*

veram, & realem (apud omnes) eſt omninò falſum, hoc *eſſe idẽ, ac amittere eſſe individuale*: quia nec amittere perfectionem, nec amittere imperfectionem, eſt amittere eſſe individuale, ſi perfectio, aut imperfectio accidit individuo: ſicut in caſu ſolutionis, homo incidens in amentiam amitteret perfectionem veram, & realem, ſcilicèt integritatem mentis, & non amitteret eſſe individuale, quia eſſet idem numero homo: ſimiliter recuperata ratione, & amentia remota remanet idem homo: *Quando enim imperfectio*, (ait D.Th.) *non pertinet ad rationem ſpeciei, ſed accidit individuo ſecũdùm aliquid aliud; ſicut alicui homini quandoquè accidit defectus rationis, in quantum impeditur in eo rationis vſus propter ſomnum, vel ebrietatem, vel aliquid huiuſmodi: Patet autem, quod tali imperfectione remota, nihilominùs ſubſtantia rei remanet.* Quid expreſiùs? Addo: charitatem *acquirere* perfectionem veram, & realem, non eſt idem, ac acquirere eſſe individuale; ergò charitatem *amittere* perfectionem veram, & realem nõ eſt idem, ac amittere eſſe individuale; Conſeq. patet; quia ſi primum evenit ex eo, quòd perfectio *acquiſita* accidit individuo, ſecundùm eveniet, quia perfectio *amiſſa* accidat individuo: Antec. docet D.Tho. vt probet charitatem eandem numero manere in gloria; ijs verbis: *Quando imperfectio alicuius rei non eſt de ratione ſpeciei ipſius, nihil prohibet, idem numero, quòd priùs fuit imperfectum, poſteà perfectum eſſe; ſicut homo per augmentum perficitur, & albedo per intenſionem.* Si Dicas, hæc intelligi de *habitu* charitatis, qui eſt idem numero in via, & patria, quia *Charitas* (ex Apoſtolo) *nunquàm excidit*: non de *actu* charitatis. Contra eſt. Quia *non eſt de ratione amoris imperfectio*; ergò *imperfectio peraccidens ſe habet ad* amorem; *remoto autem eo, quòd eſt peraccidẽs nihilominùs remanet ſubſtantia*, ſivè habitus, ſivè actus; ergò *evacuata imperfectione charitatis, non evacuatur ipſa charitas*, ſivè habitualis, ſivè actualis, *ſed eadem numero manet.* ¶ Nec video, quo fundamento iudicet M.Bolibar oppoſitum communiùs in Schola Thomiſtica; pro noſtra enim ſunt, niſi fallor, ferè omnes; ſunt enim omnes, qui ponunt in eodem inſtanti Angelico amorem meritorium Angelorum, & beatificum; ſunt etiam omnes, qui multiplicant inſtantia ad amorem viæ, & patriæ vnicè ex eo, quòd diriguntur per cognitiones incompoſſibiles: *Quamvis idem numero actus charitatis viæ poſsit quoad ſubſtantiam continuari in patria*, vt ait Gonet: Sed hoc omiſſo, vt ſcriberem *amor patriæ poteſt eſſe idem numero cum amore viæ* ſufficiens erat; verùm hoc eſſe apud Godoy, Gonet, & PP. Salmanticenſes, quorum doctrinam tunc impugnabam: Et id indicat Godoy aliquando, nec recordor expreſsè reijcere; Gonet expreſsè id affirmat, vt vidimus, & alibi etiam lego, *licèt actus charitatis elicitus in via*, poſsit *idem numero continuari in patria*: PP. Salmanticenſes aſſerunt, *quòd Angelus poteſt continuare primum actum charitatis vſquè ad patriam incluſivè.*

212 Secunda ſolutio eſt omninò inſufficiens: quia inquiro; illa nova *modificatio*, aut *denominatio* amoris patriæ ratione cuius exigit regulari cognitione Dei, vt clara, & intuitiva, vel exprimit neceſsitatem, vel non? Si 1. eſt neceſsitatem amoris patriæ ſupponere, non probare, vndè, & principium petere, quia intendimus in ſententia, quàm impugnamus, nullum eſſe medium efficax ad ſuadendum amorem patriæ eſſe neceſſarium: Si 2. aſsigna, quid exprimit illa nova *modificatio*, aut *denominatio* ratione cuius amor patriæ exigat procedere à cognitione Dei,

*D. Tho. ibi. ſolut, ad 1.*

*Bolibar vbi ſuprà.*

*D.Tho. 1. 2. q. 67. art. 3. in corp.*

*Gonet, diſp. 10. de Angelis, art. 3. ſect. 1. Godoy de Beatitud. diſp. 5. ſ. 4.*

*Gonet ibi. ſeſſ. 3. Reſpondeo neg. antec. Salmantic. diſp. 12. de Angelis, dub. 3. n. 67.*

*D.Tho. ibi. art. 6. in corpore.*

*1. ad Corinth. 13.*

vt

vt clara, & intuitiva? Addo: Quia non aliter probatur, quòd actus liber dum procedit à principio connexo, non procedit ab eo formaliter, vt connexo, nisi, quia idem numero actus procederet, licèt principium cõnexum non esset; v. g. actus liber Christi regulatus per cognitionem obiecti, quæ sit scientia ipsius actus, non procedit à cognitione formaliter vt connexa, quia idem actus numero procederet ab illa cognitione, licèt non esset scientia actus, seù cõnexa, cum actu; ergò si idem numero amor Dei procederet à cognitione Dei, licèt clara, & intuitiva non esset, dum procedit à cognitione Dei clara, & intuitiva, nullatenus procedit ab ea, vt intuitiva, & connexa cum amore: Non igitur est medium efficax ad probandum amorem patriæ esse necessarium; nisi hoc principium sit verùm: *Actus secundus non est liber, sed est necessarius, dum procedit ab actu primo connexo, & inevitabili.*

213 Ad 2. rationem, quàm adduximus, Resp. esse disparitatem, vt auxilium sufficiens, quòd simul esset efficax, tolleret libertatem; secus aliud principium, quòd sit cognitio, licèt connexum ex parte actus primi; quia cognitio se tenet ex parte *obiecti*: auxilium ex parte *potentiæ*, vt eius virtus, & repugnat potentia creata essentialiter cõnexa cum operatione, quia non esset subiecta in operando Deo, vt supremo Domino. *Sup. n. 203.*

Contra: 1. Quia hæc disparitas non desumitur ex conceptu libertatis, quia nulla potentia creata licèt necessaria, potest esse ratione sui connexa essentialiter cum operatione. 2. Non destruitur, sed potiùs exercetur Dominium Dei, dum connectitur potentia cum actu per duplex auxilium datum à Deo; ergò, & per vnicum æquivalens in munere duplici: tale enim auxilium minimè repugnat Dominio Dei, sed libertati voluntatis. 3. Gratia sufficiens, seù excitans includit cognitionem fidei, seù illuminationem intellectus; ergò vt *illuminans* se tenet ex parte obiecti; ergò poterit iuxtà solutionem, vt *illuminans* esse efficax, & prædeterminans illæsa libertate; quòd non admittent contrarij.

214 Ad 3. rationem nostram, Resp. esse eandem numero indifferentiam, & libertatem formalem voluntatis, existente iuditio connexo, ac indifferenti, sicut in nostra sententia est idem numero amor Dei, per fidem, & visionem. Contra 1. Quia iam probavimus in voluntate solùm esse indifferentiam *Logicam* dum adest actus primus connexus inevitabilis. 2. Cognitio non constituit amorem, constituit libertatem formalem voluntatis, alias gratia excitans, seù sufficiens non constitueret libertatem; ergò repugnat, quòd variato iuditio sit eadem libertas formalis, licèt variato iuditio sit idem numero amor. *Supr. n. 203.* *Supr. n. 208.*

# QVÆSTIO NONA.

## VTRVM PRINCIPIVM CONSTITVENS POSSE AGERE, ET connexum cum actione, adimat libertatem actus, si sit auferibilè per non agere ?

### SECTIO PRIMA.

*Probatur tale principium non tollere libertatem, quia non est necessitas antecedens ad actum.*

215 HAnc controversiã excitavi, quia communiter Societatis DD. non disputant, sed supponunt tale principium de medio tollere actus libertatem : N. verò Thomistæ non pertractant, sed vt certum tradunt, quòd licèt principium actum primum constituat, & sit connexum cum actu, seù repugnãs omissioni, libertatem servat, si est potens voluntas ad auferendũ principium : Ita Illust. Godoy, Lezana, omnesque Thomistę, qui docent habitum fidei esse virtutem ad actum fidei liberum libertate contrarietatis, & similitèr habitum charitatis esse virtutem ad actum charitatis liberum eadem libertate, hoc vt in dubium supponunt, quia nec fides potest coniungi cum Hæresi, nec Charitas cum odio Dei: postquàm verò illam è suggestu dictavi in publicis disputationibus frequentèr controvertitur.

*Illust. Godoy, t. 3. in 3. p. q. 19. n. 206. Lezana, disput. 7. dub. 7 sect. 2. n. 24.*

Tale verò principium nullatenus pugnare cum libertate, vt verissimum propugno cum N. Thomistis: & suppono principium A, habere formalitates, de quibus disputo; & sic argumentor. 1. principium A, non esset necessitas simplex, seù simpliciter antecedens actus; ergò nõ pugnaret cum libertate actus : Conseq. constat, & prob. anteced. 1. principiũ A, non coniungit necessariò voluntatem cum actu; ergo: Patet Conseq. Quia necessitas simplex necessariò coniungit potentiam cum termino ad quem necessitat, & prob. anteced. Posito principio A, est voluntas verè potens non coniungere principium cùm actu; ergò: Prob. anteced. Vera potestas, vt non existat A, est vera potestas, vt A, nulli coëxistat, seù cũ nullo existat, ac perindè, vt non cõiungatur cum actu, vt ex terminis patet; sed voluntas est verè potens, vt principium A, non existat, quia vt supponimus est auferibilè à volũtate pro nutu ipsius; ergò est verè potens, vt A non existat coniunctum cum actu : quomodò ergò A erit necessitas simplex agendi, vel necessariò voluntatem, ita ad agendum adijciet, vt ad non agendum se flectere non possit ?

216 Prob. antec. 2. Si esset A, necessitas simplex actus esset, quia est connexum cum actu, sed stat A, esse connexum cum actu, & non esse necessitatem simplicem, vt existat actus, ergò: Prob. Min. A, esse connexum cum B, non infert A, absolutè existere cum B, sed solùm infert, quòd si existit A, existit cum B; quia licèt

licèt in connexis non ſtet vnum exiſtere ſine alio, poſſunt verò ſimul deficere, & ſic neutrum exiſtit, & vnum non exiſtit cum alio, dum non exiſtit; ergò A, eſſe connexum cum actu ſolùm infert, quòd ſi exiſtit A, exiſtit actus, non verò infert, quòd neceſſariò abſolutè exiſtit actus; ſed conditio exiſtentiç A, eſt libera voluntati, quia vt ſupponimus, poteſt voluntas ſibi comparare defectum principij A; ergò A, eſſe connexum cum actu, ſolùm infert neceſsitatem conditionalem exiſtentiæ actus ſub conditione voluntati libera, quæ neceſsitas in nulla ſententia libertatem adimit, nec poteſt eſſe ſimplex, & antecedens neceſsitas actus.

Explico vim argumenti: quod A, ſit connexum cum actu, non infert eſſe voluntati neceſſariam hanc copulativam: *Exiſtit A, & exiſtit actus*, ſolùmquè deducit eſſe voluntati abſolutè neceſſariam hanc disiũctivam, *vel deficit A, vel exiſtit actus*; ſed eſſe voluntati neceſſariam hanc disiunctivam non eſt eſſe abſolutè voluntati neceſſarium actum; ergò connexio A, cum actu nõ infert eſſe voluntati neceſſarium actum: Maior certa, tùm, quia non eſt voluntati neceſſaria abſolutè exiſtentia principij A, quod auferibilè ſupponitur, & exiſtentia neceſſaria copulativę exigit vtriuſque partis veritatẽ neceſſariam; tùm, quia ex connexione ſolùm infertur neceſsitas disiunctiva de exiſtentia vnius extremi, & defectu alteriùs, non abſoluta de exiſtentia vtriuſquè, vt in omnibus cõnexis apparet, & aliàs omnes Dialecticæ regulæ de bonitate conſequentiæ fallaces forent: quę enim maior cõnexio, quã hominis cum rationali, & non inferes hanc copulativam neceſſariam: *Exiſtit homo, & exiſtit rationale*; ſed evidentèr colliges, hanc disiunctivam eſſe neceſſariam, *vel deficit homo, vel exiſtit rationale*.

¶ Min. æquæ certa videtur; primũ iuxtà Dialecticæ regulas: ex neceſſitate abſoluta disiunctivæ ſolùm infertur neceſsitas abſoluta vnius partis, dum altera eſt abſolutè impoſsibilis, ſed illa pars, *deficit A*, non eſt voluntati impoſsibilis, cum voluntas, vt ſupponimus poſsit defectum A, ſibi comparare; ergò ex neceſsitate abſoluta illius disiunctivæ, *vel deficit A, vel exiſtit actus*, nequit eſſe voluntati abſolutè neceſſaria exiſtẽtia actus. ¶ 2. Neceſsitas abſoluta disiunctiva de defectu actus, vel illius exiſtentia, non pugnat cum libertate actus, immò, talis neceſsitas eſt libertatis conſtitutiva, ſed idem eſt voluntatem eſſe neceſsitatam, vt deficiat actus, vel exiſtat, ſub disiunctione, ac eſſe neceſsitatam, *vt deficiat A, vel exiſtat actus*, cùm idem ſit deficere A, ac deficere actum, quia vt ſupponimus A, eſt auferibilè per actus carentiam; ergò.

217 Secundò, ita pro concluſione diſputo: Principium, quòd conſtituit poſſe agere, & ſecum componit poteſtatem proximam non agendi, nequit pugnare cum libertate actus, ſed principium A, ita conſtituit poſſe agere, vt ſecum componat poteſtatem proximam non agendi; ergò: Mai. videtur nota; quia ſi voluntas ſimul cum poteſtate agendi, componit poſſe non agere habet ſimultatem poteſtatum, ſeù indifferentiam poteſtatis, in qua libertas conſiſtit, cùm per talem indifferentiam differat à cauſa neceſſaria, ſi enim cauſa poteſt agere, & non agere non neceſſariò agit: Prob. Min. 1. Poſſe non agere nil aliud expoſcit, niſi poſſe agere ſine ſimplici neceſsitate ad agendum; vt ſuperiùs probavi, & videtur notum, ſed A conſtituit poſſe agere, & non eſt neceſsitas ſimplex antecedens ad agendum ex prima ratione; ergò A, non excludit poſſe non agere, ſed ſecum compatitur potentiam non agendi. ¶ 2. A, eſt auferibilè à voluntate, ex ſuppoſitio-

*Supr. n. 189*

ne

ne in qua diſputamus; ergò componitur in voluntate ſimul cum A, poteſtas auferendi A, quia idem eſt A, eſſe auferibilè à voluntate, ac voluntatem poſſe auferre A; ſed poteſtas auferendi A, eſt poteſtas non agendi, quia per actionem voluntas exercet A, & non poteſt voluntas exercendo A, illud amittere; immò iuxtà ſuppoſitionem A, eſt auferibilè per ipſum non agere; ergò. ¶ 3. Quia ſi A pugnaret cum poteſtate non agẽdi, A non eſſet auferibilè per non actionem, vt ſupponimus; poteſtas enim non agendi, quæ eſt ante ipſum non agere auferret, & excluderet A; vndè nullus eſſet caſus in quo per nõ agere A excluderetur, ſicut in principijs contrariæ ſententiæ, quia poteſtas non agendi pugnat cùm prædeterminatione actionis, non poteſt excludi per non actionem.

218 Dum hæc fundamenta ſub hac, vel ſimili forma pro veritate noſtræ concluſionis adducerem, 1. ſolutio ad ea enervenda excogitata fuit, quod cum A coniungi poterat poteſtas non agendi, non verò poteſtas non agendi *libere*, & rationem eſſe; quia licèt voluntas poſſet non agere, eſſet auferendo A, non verò coniungendo, non agere cum A, & cum A eſſet poteſtas ad agendum, nõ poſſet coniungere volũtas, non agere cum poteſtate agendi, & exindè nec cum libertate non agendi, quæ per poteſtatem agendi conſtituitur.

Sed contra inſurgo 1. Quomodò cum A, quòd conſtituit poſſe agere componitur poſſe non agere, quòd non ſit poſſe non agere libere? Quid enim eſt aliud poſſe non agere libere, quàm poſſe non agere compoſitũ cum poſſe agere? Sicut nil eſt aliud poſſe agere libere, quàm poſſe agere coniunctum cum poſſe non agere: Per compoſitionem poteſtatum agẽdi, & non agendi, nõ relinquitur voluntas in manu conſilij ſui? Non habet in conſpectu ſuo agere, & non agere, vt ad quod voluerit poſſit manum porrigere? Non eſſet iuſta increpatio; cùr omittis, cùm verè poſſes agere? Non ſit ergò in voluntate libertas ad coniungendum, & nõ coniungendum, non agere cum A, quia ſi non agit aufert A, & ita non poteſt coniungere, non agere cum A; cùr verò non erit libertas ad nõ agere, ſi poteſt non agere auferendo A, vel agere exercendo A?

2. Sic diſputo: A, conſtituens poſſe eſt auferibilè à voluntate, ſed non eſt neceſſariò à voluntate auferibilè; tùm, quia ſi illud voluntas neceſſariò auferret, nunquàm illud haberet; tùm, quia voluntas, nec poſſet agere cum A, quia eliciendo actum non auferret A, ſed exerceret; ergò A eſt auferibilè à voluntate libere; ergò dum voluntas aufert A, libere aufert; ergò voluntas libere ponit id, per quod aufert A, ſed per non agere auferret A, vt ſupponimus; ergo voluntas, dum non ageret, non ageret libere.

3. Si poteſtas ad non agere, quæ eſt ſimul cum A, non eſſet ad nõ agere libere eſſet, quia non agere tolleret poteſtatem agendi auferendo A, & ſic redderet actum impoſsibilem, ſed non agere nequit eſſe neceſſariũ ex eo, quòd auferat poteſtatem agẽdi; ergò: Prob. Min. 1. Impoſsibilitas actus orta ex omiſsione, eſt impoſsibilitas conſequens actus, & ſimilitèr eſt neceſsitas conſequens omiſsionis; ergò nequit pugnare cum libertate non agendi; ita vt non agere ſit neceſſarium: Prob. antec. 1. Neceſsitas antecedens actus non poteſt eſſe pro poſteriori actus, neceſsitas enim antecedens eſt determinatio vi, cuius exiſtit vnum præ altero, & neceſſitas ortum ducens ex actu, nequit eſſe præcedens determinatio, vi cuius exiſtat actus præcarentia, ſed hęc impoſsibilitas actus ortum ducit ex omiſsione, quę auferendo A tollit poteſtatem actus; ergò ſolum reddit

actum

actum consequentèr impossibilem, & omissionem consequentèr necessariam.¶ 2. Quia nil magis ab Adversarijs evulgatum, quàm illa Divi Anselmi sententia: *Est necessitas præcedēs, quæ causa est, vt sit res; & est necessitas consequentiæ, quàm res facit*, quàm alibi sic expressit loquēdo de necessitate consequenti: *Quā facit voluntati libertas, quæ prius, quàm sit, eam cavere potest*, si ergò necessitas omissionis, quæ in nostro casu esset non foret causa, vt esset omissio, sed potiùs eam omissio faceret, quia potestatem agēdi auferret; si hanc necessitatem imponeret voluntati libertas, quæ priùs quàm esset eam cavere poterat se exercendo per actionem, quo titulo erit necessitas antecedens omittendi, & pugnavit cum libertate omissionis? & cùr voluntas, ita potens omittere nō erit potens non agere libere?

*D. Anselm. lib. 2. Cùr Deus, hom. c. 18.*

*D. Anselm. lib. de Concord. cum Lib. Arbit. cap. 1, col. 2.*

## SECTIO SECVNDA.

*Probatur tale principium esse absolutè possibile.*

219 SEcunda solutio ad nostra fundamenta, quàm sæpius à Sap. Nostrę Vniversitatis Primario audivi, est tale principium nō adimere libertatem, efficacitèr suaderi; sed esse absolutè impossibilè, quia ex vna parte libertatem illæsam relinqueret ratione auferibilitatis, ex alia parte libertatem extingueret titulo connexionis; vndè principium auferibilè, & connexum est chimæra, & cum contradictione libertatem illæsam salvaret: quem modum dicendi indicat P. Iunio.

*P. Iunio de Præd. cap. 16. n. 15.*

Sed contra hanc solutionem 1. instaura omnia pręiacta fundamenta, dum enim suadeo A, licèt connexum non esse necessitatem antecedētem, & secum componere potestatem non agendi, sicut componit potestatem abijciendi illud, consequentèr convinco titulum connexionis coniunctum cum auferibilitate non pugnare cum libertate, & ita principium A, illæsam sine contradictione libertatem servare.¶ Explico hoc: Iam communitèr subsistinent DD. Societatis prædiffinitiones efficaces impedibiles consensus nostri liberi, nullatenusquè pugnantes cum libertate, quia dependent in existendo à nostra libertate: si quis, ita differeret; istæ prædiffinitiones non pugnant cū libertate, quia *impedibiles*, lædere verò libertatem, quia *connexæ* cum vno extremo libertatis; vndè licèt ex vno titulo libertatem servēt, alio ex titulo extinguunt: & ita talis libertas chimęra foret; ita efficacitèr redargueretur: connexio coniuncta cum impedibilitate libertatem non evertit; tùm, quia solùm infert necessitatem conditionatam actus sub cōditione voluntati libera; tùm, quia componitur cum potestate non agēdi, sicut, & impediendi prædiffinitionem: & dum hæc argumenta dissolvantur, non sufficit dicere titulum connexionis libertatem adimere: eodem modo disputo de principio immediato *connexo auferibili*; vndè vsquè dum explices, hanc connexionem non esse tantum necessitatem conditionatam, vel pugnare cum potestate non agendi, argumenta in sua vi subsistunt, & efficacitèr convincunt, titulum connexionis coniunctum cum auferibilitate non obstare, vt libertas illæsa sine contradictione subsistat.

220 2. Impugnatur: Intendendo esse principium constitutivum libertatis inconiungibilè cum aliquo extremo libertatis; ergò, & connexū cum alio: Conseq. constat, quia inter contradictoria idem est non posse cum vno coniūgi, ac esse cum alio connexum. Antec. Prob. 1. in gratia habituali iustificante, quæ est virtus radicalis, & mediata ad actum charitatis in instanti, pro quo vrget præcep-

ceptum,& ita constituit potestatem, seù libertatem ad actum,& est inconiungibilis cum carentia actus charitatis præcepti, quia est peccatum mortale, & exindè inconiungibilè cum gratia iustificante. ¶ Ad solutionem huius argumenti in varios dicendi modos contrarij sunt diuisi, quos nunc impugnare non vacat, illos rectè reiectos reperies apud PP. Lugo, Hurtado,& Oviedo, qui tandem substinent, nullatenus gratiam posse esse principium actus charitatis liberi in instāti,in quo vrget præceptum. ¶ Inconveniens autem est, quod iustus non possit per gratiam elicere actus, in quos inclinat gratia,& quos defacto elicit non vrgente præcepto,dum præceptum vrget, quasi præceptum impediat vim effectivam gratiæ.

*P. Lugo, disput. 6. de Incarn. sect. 3. P. Hurtado, disput. 123. sect. 2. P. Oviedo de Merito, punct. 7. cōclus. 2.*

221 Vndè 2. sic prob. antec. Potest constiiui libertas contrarietatis per principium inconiungibilè cum vtroque extremo illius libertatis; ergò,& libertas contradictionis: Cōseq. non solùm à paritate colligitur, sed ex anteced. omnia contrariorum argumenta evidentèr enervantur, sicut enim libertas contradictionis cōsistit in indifferentia potestatis ad extrema contradictoria, ita libertas contrarietatis constituitur per indifferentiam potestatis ad extrema cōtraria: Anteced. prob. Libertas contrarietatis ad amorem Dei constituitur per habitum charitatis inconiungibilem cum actu contrario, scilicèt, odio Dei; libertas etiam contrarietatis ad assensum fidei constituitur per habitum fidei inconiungibilem cum dissensu Hæretico iuxtà Tridentinum, interquè extrema versatur libertas contrarietatis. ¶ Mihi sic disputanti, Resp. Nullum actum charitatis elicitum ab habitu charitatis esse liberum libertate contrarietatis, & similitèr nullum actum fidei elicitum ab habitu fidei. ¶ Sed hoc valdè difficilè est; nam habitus isti non essent virtutes operativæ ad actus liberos libertate contrarietatis: Quis enim credet, quod assuetus elicere actus fidei per habitum fidei perfectissimum, dum gravi tentatione vexatur, per habitum fidei non resistat, & eliciendo actum fidei victrix evadat, sed quod in conspectu tentationis, habitus fidei non sit virtus operativa assensus? In consequentia etiā magna videtur, intendere ex libertate contrarietatis horum actum colligere, habitus supernaturales non esse virtutes adequatas ad illorum elicientiam, vt sæpè propugnant cōtrarij,& simul asserere, quod ad actus ita liberos non est habitus virtus partialis; si enim habitus nullo modò est virtus ad actus liberos libertate contrarietatis, qua efficacia ex hac libertate deducitur habitus non esse virtutes totales? & graviorem continet difficultatem in assensu fidei, quem Theologi adstruunt liberum contrariè, & ideò indigentem pia motione voluntatis, hęc enim necessaria non est, nisi quando intellectus est, quasi pendulus ad assensum, & dissensum,

*Trident. sess. 6. cap. 15.*

P. Hurtado, dum per plures sect. de hoc argumēto perageret, tandem ita resp. Quòd quando Deus prævidet odium Dei extiturum, libertas contrarietatis odij non constituitur per habitum charitatis, sed per auxilium; quando verò Deus prævidet omissionem odij, libertas contrarietatis ad amorem potest per charitatē constitui, quia licet charitas, nō possit coëxistere odio, tunc supponitur impossibilis existentia odij ex prævisione omissionis odij.

*P. Hurtado de Charitate disp. 127. sect. 13.*

Sed contra insto: Libertas contrarietatis amoris potest constitui per habitum, qui non possit coëxistere odio; ergò libertas contradictionis amoris potest constitui per habitum, qui non possit coëxistere omissioni amoris: si enim 1. evenire potest, dum priùs prævideatur non ex-

extiturum odiũ, accidat 2. dum prius prævideatur non extituram carentiã amoris: non enim video, cùr libertas contradictionis indispensabiliter exigat omnia constitutiva indifferẽtia ad contradictoria, & libertas cõtrarietatis non exigat omnia constitutiva indifferentia ad contraria?

222 3. Prob. principale anteced. & suppono Deum præcipere homini iusto, quòd eliciat in B. actum meritorium vitæ æternæ, & ita disputo: libertas ad meritum condignum erat constituta per gratiam habitualem, quia constituit posse ad meritum, sed gratia habitualis erat inconiungibilis cum carentia meriti condigni, quia peccatum lethale, ergò potest dari libertas constituta per principiũ inconiungibilè cum aliquo extremo illius libertatis. ¶ Nec effugium esse iudices, quòd gratia possit de potentia absoluta coëxistere peccato mortali: tùm, quia falsum; tùm, quia iam agens liberum aliqua libertate non posset coniungere illam libertatem adæquatè cum quolibet extremo illius libertatis, voluntas enim non posset coniungere gratiam cum carentia meriti, licèt Deus posset illam componere.

Vndè mihi disputanti aliquando dictum fuit, quòd gratia habitualis non constituit potestatem ad meritũ condignum, quia solùm est principiũ concomitans, & dignificans personã ad merendum; vndè licèt carentia meriti non possit gratiæ coëxistere potest componi cum omni vera potestate ad meritum. ¶ Sed præter, quòd hęc solutio est expressè contra D. Thomam suprà adductum: contra illam insurgebam, ex propositione decima quarta damnata contra Michaëlem Baium à SS. PP. Pio V. & Greg. XIII. qui postquàm damnarunt Baium docentem sine gratia iustificante posse dari meritum vitæ ęternæ, in propositione 13. quæ talis erat: *Pellagij error est negare extra gratiam adoptionis meritum vitæ æternæ*, vt explicent, qua ratione requiritur gratia adoptionis ad meritum vitæ ęternę, quòd ad minus debet intelligi de merito condigno, hanc damnant propositionem decimam quartam: *Opera bona à filijs adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed ex eo, quòd sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi*; vbi declarant contradictoriam PP. scilicèt, quòd opera filiorum adoptionis non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd sunt conformia legi, sed quia fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda; opera filiorum adoptionis sunt hominis iusti, quia gratia reddit homines filios adoptivos; spiritus adoptionis inhabitans corda est gratia iustificans, vt est notum; ergò Põtifices declarant, quòd opera sunt meritoria, non quia filiorum Dei, seù facta cum gratia, sed quia fiunt per spiritum adoptionis, seù per gratiã; ergò gratia non solùm committatur subiectum; sed est principium dans posse, & ex parte actus primi influens in meritum; & ita hanc sententiam declaratam esse iudicavit M. Lorca.

Vlteriùs addo: D. Augustin. ex illis verbis: *Omnia per ipsum* (id est per Verbum) *facta sunt*, Arrianos convincere, quia *Verbum factum non est, si per Verbum facta sunt omnia, quia per seipsum fieri non potuit*; vndè Augustin. ex eo, quòd omnia fiunt *per* Verbum, infert Verbum efficere, & influere in omnia facta; ergò ly *per* non solùm importat concomitantiam, sed influxum, & causalitatem, dum ergò declaratur opera meritoria non solùm fieri cum gratia, sed *per* gratiam, influxus actibus gratiæ in opus meritorium definitur.

*M. Lorca de Gratia, disp. 48. fol. 840.*

*D. Augustin. tract. 1. in Ioan. circa medium.*

*Sup. n. 31.*

(o)

## SECTIO TERTIA.

*Principium constitutivum libertatis actus inconiungibilè cum aliquo libertatis extremo ex M.P. Augustino specialitèr roboratur.*

223 PAucis ab hinc diebus publicè disputavam sub hac forma : adiutorium *sine quo* à Deo Adamo collatum ad perseverãdum fuit constitutivum libertatis Adę, sed fuit inconiungibilè cũ aliquo extremo illius libertatis, scilicet, non perseverantia; ergò de facto fuit constitutivum libertatis inconiungibilè cum aliquo extremo libertatis: Discursus legitimus: & probo præmisas; Mai. de qua non fuit dissidium, expresè colligitur ex M. P. sic enim edisserit de illo adiutorio sine quo: *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini defuisset, quoniã non talis natura facta erat, vt sine divino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippè defuisset*, sine quo *manere non possent.* Vndè 1. sine adiutorio sine quo voluntas Adæ nõ posset perseverare; ergò illud adiutorium erat constitutivum potestatis perseverandi, & exindè libertatis ad perseverandum. ¶ 2. Si tale adiutorium Adamo defuisset, *non sua culpa cecidisset*; ergò sine libertate cecidisset; casus enim solùm poterat esse inculpabilis, quia necessarius; ergò ex defectu adiutorij libertas illa deficeret, & sic illius libertatis erat adiutorium constitutivum. ¶ 3. Quia ex August. *Primo homini datum est adiutorium perseverantiæ, non quo fieret vt perseveraret, sed* sine quo *per liberum arbitrium perseverare non posset*, & sæpius repetit, quòd hoc adiutorio, *possibilitas perseverandi*, donata fuit Adamo, sed adiutorium *sine quo* Adamus perseverare nò posset, & quo possibilitas perseverandi donatur constituit posse perseverare, & exindè libertatem perseverandi; ergò.

*Augustin. de Correct. & Grat. c. 11.*

*August. vbi sup. cap. 12.*

Prob. Min. Scilicèt adiutorium, sino quo esse inconiungibilè cum nõ perseverantia, extremo illius libertatis; & 1. sic loquitur M. P. de tali adiutorio: *Tale quippè erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet*; ergò tale adiutorium potuit Adamus deserere non perseverando, in quo permaneret si perseveraret; ergò erat inconiungibilè cum non perseverantia, seù voluntate non perseverandi. ¶ 2. Sic disputavi: Adiutorium sine quo collatum Adamo ad perseverandum fuit donum habituale gratiæ iustificantis, sed gratia iustitiæ Adamo collata inconiungibilis erat cum non perseverantia, quia peccatum grave; ergò: Discursus legitimus: Min. in dubia: & prob. Mai. 1. Quia est sententia cõmunis omnium Scholasticorum, qui de hoc adiutorio diligentèr, & vigilantèr pertractarunt; ita docent ex Nostris Soto, Curiel, & Driedo, quos affert, & sequitur M. Gonet: eandem sententiam eruditione solita, vt certam, & indubitatam sequitur, & validissimè probat P. Decamps in suo perillustri opere de Hæresi Jansenia-na citans pro se Bellarminum, Molinam, & alios plurimos; quos novissime laudat, & sequitur P. Thyrso: ex quibus ita efficacitèr suadetur Mai. esse indubiam M.P. mentem: 1. ex illis verbis: *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquàm vellet esse malus; sed sanè habuit in qua si permanere vellet, nunquàm malus esset, sed eam tamen per liberum arbitriũ deserere posset*: ex quibus ita colligitur: 1. Magn. Pater nunquàm de gratia actuali, ita loquitur, quasi in ea permaneamus, sed tantum ei consentimus, vel obtemperamus; nunquàm etiam M. P. loquendo de gratia actuali affirmat, quòd eam deserimus, sed

*August. vbi supra.*

*M. Gonet, disp. 5. de stat. naturæ reparatæ, sect. 4.*

*P. Decamps lib. 3. disp. 3. cap. 20.*

*P. Thyrso 1. 4. disput. 5. sect. 8.*

*Aug. lib. de Corrept. cap. 11.*

sed his verbis semper vtitur, *respuere, repudiare, ac dissentire*; nec mirum, quia permanere in gratia, & deserere gratiam, solùm possunt propriè quadrare gratiæ habituali; sed Augustin. sic loquitur de illo adiutorio *sine quo* Adami vt sæpiùs, affirmet Adamum in illo *permanere* posse, & illud posse *deserere*; ergò per adiutorium, *sine quo* non intelligit gratiam actualem, sed habitualem iustitiæ, in qua creatus fuit, & in qua potuit permanere perseverando in bona voluntate, & quàm verè potuit deserere, & deseruit non perseverãdo in bona voluntate. ¶ 2. Ex illis verbis: *In qua si permanere vellet nunquàm malus esset*; iterùmque asseruit, *quòd adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitriũ, semper esset bonus*, quę nullo modò verificari possunt de gratia actuali, cum enim ad singulos actus nova gratia actualis concedatur, de nulla dici potuit, quòd si Adamus in ea permaneret nunquàm malus esset, & quod si eam non deseruisset semper esset bonus; solùmquè gratiæ habitualis adiutorio, istæ sententiæ verè adaptari possunt.

*Aug. vbi suprà.*

224 2. Princeps assumptum convincitur, ex expressis illis M. P. verbis: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datũ est adiutorium perseverantiæ, nõ quo fieret vt perseveraret, sed* sine quo *per liberum arbitrium perseverare non posset*; ex quibus ita subsummo: 1. Bonum, in quo factus fuit primus homo rectus fuit bonum gratiæ habitualis, seù originalis iustitię, sed in eo bono, quo factus fuit rectus accepit posse non peccare; ergò in bono gratiæ habitualis accepit, primus homo posse non peccare, sed illud bonũ gratiæ erat inconiungibilè cum peccato; ergò libertas non peccandi, seù potestas non peccandi fuit accepta in bono inconiungibili peccato, licèt per peccatum deseribilè. ¶ 2. Expressè asserit Augustin. quòd in eo bono, quo factus fuit rectus primus homo datum est adiutorium perseverantiæ, *sine quo* perseverare non posset; ergò: (1) Bonum, quo factus fuit rectus, fuit adiutorium, *sine quo* ad perseverandum; ergò (2) adiutorium, *sine quo* perseverare non posset erat inconiungibilè, cum non perseverantia; patet Conseq. quia per non perseverantiam amisit bonum, quo factus fuit rectus.

*Augusti. c. 12. vbi sup.*

225 Huic Augustini Doctrinæ mirificè cõsonant, quæ alibi ita edisserit: *Per velle ergò malum rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonũ potuit vincere velle malum*, quæ verba suprà expendendo Augustin. exposuimus, quia per velle malum amisit: *Possibilitatis bonum, seù primam gratiam, qua primus homo stare potuisset*, vndè libertas, seù potestas vincendi velle malum fuit iuxtà M. P. inadæquatè per velle malum rectè deperdita. ¶ Asserebant mihi, non esse amissum per velle malum posse absolutè bonum, sed posse cum illa sũma facilitate, sine pugna, & resistẽtia, qua gaudebat primus homo in statu innocentiæ. ¶ Sed absolutè fuisse amissam, & deperditam potestatem illam, qua Adamus potuit vincere malum, & perseverare in bono, expressè testimonijs præiactis Augustin. convincitur, iuxtà communem Theologorum vtriusque Scholæ sententiam: coniunge hæc principia ferè iuxtà Augustin. indubitata: 1. Adiutorium, *sine quo* erat tale, quòd sine illo non posset Adamus perseverare si vellet, & quo posset absolutè, si enim solùm exigitur ad facilè posse, ineptè certè deduceret Augustin. quòd si defuisset Adamo non imputaretur ad culpam non perseverantia: 2. Illud adiutorium tale fuit in quo, si permaneret, nunquàm esset malus, quòd si non deseruisset, sem-

*Aug. lib. 3. Hypognost. C Pelagian. Supr. n. 36.*

per esset bonus; esse bonum, quo primus homo factus fuit rectus; ex 1. inferes esse constitutivum libertatis Adæ ad perseverandum; ex 2. indubie colliges, non esse coniungibilè cum non perseverantia, sed potius, quòd per illam deseritur; & nostram conclusionem magna cum efficacia deduces.

## SECTIO QVARTA.

*Solvitur primum argumentum ex repugnantia virtutis connexæ, cum vno extremo, constitutivæ libertatis, & D. Thomam pro nostra sententia esse, probatur.*

226 OMnia contraria argumẽta diligentèr adducam, licèt à contrariæ sententię DD. per diversas quęstiones dispersa sint, & ea ampliùs vrgebo, vt veritas nostræ conclusionis ex illorum inefficacia roboretur. Et 1. oppones Doct. S. asserentem: *Dominium, quòd habet voluntas suprà suos actus, per quod in eius potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exteriùs agentis.* Ex quo sic discurro; dominio, quod habet voluntas suprà suos actus, in quo consistit libertas, opponitur ex D. Thoma determinatio virtutis ad vnum, sed quãdo virtus ad actum, quæ involuit omnia constitutiva potestatis ad ipsum, est connexa cum actu, licèt principium connexum sit auferibilè, iam virtus est determinata ad vnum, cum omnis determinatio in connexione fundetur; ergò quando principium proximum actus est connexum, licèt auferibilè, tollit libertatem voluntatis ad actum.

*D. Thom. 1. cõtra gent. cap. 68.*

Confirmo, quando principium dans posse est connexum inauferibilè tollit libertatem, quia tunc posse ad actum est connexum, & exindè non indifferens; vndè non est indifferentia potestatis constitutiva libertatis, vel quia existente illo principio cõnexo, non est posse indifferens; ablato illo principio non est posse, cum illud constituat, sed hæc argumenta etiam probant de principio connexo auferibili, quia tunc posse non est indifferens, sed connexum; existente principio aufertur indifferentia, quia est connexum; ablato principio, aufertur posse, quia posse constituit; ergò sicut cum principio connexo inauferibili non stat indifferẽtia potestatis constitutiva libertatis ad actum, nec cum principio connexo auferibili.

Explicatur hoc ex PP. Junio, & Izquierdo: libertas dicit indifferentiam sufficientem, seù sufficientiam indifferentem, & nec stat sufficiẽtia, si præscindatur prærequisitum, neque indifferentia, si non præscindatur connexum; ergò cum connexo inauferibili non stat libertas. ¶ Confirmatur. 2. ex Ribadeneyra, vt voluntas libere consentiat exigit, quod aliquod principium proximum sit indifferens; ergò, quod omnia Conseq. ex eo prob. Quia non minùs determinatur actus ab vno principio connexo, quàm ab omnibus, & anteced. est certum.

*P. Iunio, sect. 6. de Prædest. c. 16. n. 14. P. Izquierd. disp. 30. q. 5. prop. 11. nu. 165. P. Ribaden. disp. 9. de Prædest. c. 1. n. 4.*

227 Resp. Quod dum Dr. S. opponit Dominio libero voluntatis determinationem virtutis, loquitur de determinatione, vi cuius voluntas absolutè coniungitur cum actu determinato, secus debet esse de determinatione, vi cuius voluntas solùm coniungitur necessariò conditionatè cum actu, sub conditione voluntati libera; hancquè determinationem virtutis non obstare Dominio libertatis prob. ex ipso S. Doctore: 1. indifferentia voluntatis ex parte eius, ad quod dicitur, in qua consistit libertas, tunc datur: *Quando perfecta operatio virtutis à neutro depẽdet, sed tamen vtrùmque esse potest, sicut, qui diversis instrumentis vti po-*

*D. Thom. 1. cont. gent. cap. 82.*

*potest ad idem opus perficiendum*; sed licèt in voluntate detur virtus connexa, potest voluntas non vti instrumento illius virtutis, illam à se removendo, & perfecta operatio volũtatis non dependet ab operatione illius virtutis, sed potest exerceri per aliam operationem; ergò. ¶ 2. Dominium voluntatis suprà habitum virtutis non tollitur per hoc, quod virtus non possit coniungi cum actu contrario; sic enim asserit D. Thom. *Habitus in anima non ex necessitate producit suam operationem, sed homo vtitur eo, cùm voluerit: vndè simul habitu existente in homine potest non vti habitu, aut agere contrarium actum, & sic potest, habens virtutem procedere ad actum peccati*; ergò licèt virtus non possit coniungi cum carentia actus, non tamen ex necessitate voluntas producit actum, quia poterit non agere, & non vti habitu, sicut enim virtus est connexa cum suo actu ferè semper quoad speciem, ita in nostro casu connexa cum suo actu quoad exercitium.

D. Tho. 1 2. q. 71. art. 4. in corp.

3. Suppositio huius virtutis connexæ, solùm potest reddere actum necessarium ex suppositione; sic loquitur Dr. S. *Si dispositio secundùm quã de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria, & absoluta, inagẽte; erit necessitas absoluta* (effectus scilicèt) *in causa agente, si autem non fuerit absolutè necessaria, sed possibilis removeri, non erit necessitas in causa agente, nisi ex suppositione dispositionis*; sed licèt ex suppositione habitus cõnexi de necessitate sequatur effectus, suppositio verò habitus non est voluntati absolutè necessaria, sed *possibilis removeri*, cùm sit à voluntate auferibilis; ergò talis suppositio, non est necessitas absoluta effectus in causa agente; sed solùm ex suppositione. ¶ 4. Suppositio virtutis connexæ auferibilis non est naturalis, sed subiacens voluntati, suppositio autem voluntari subiacens, non est absolutè necessitans, iuxtà D. Thom. sic enim loquitur: *Si dispositio per quam alicui videtur bonum aliquid, & conveniens, fuerit naturalis, & non subiacens voluntati, ex necessitate naturali voluntas præeligit illud: si autem sit talis dispositio, quod non sit naturalis, sed subiacens voluntati, putà, cùm aliquid disponitur per habitum, vel passionem ad hoc, quod sibi videatur aliquid, vel bonum, vel malum, in hoc particulari non ex necessitate movetur voluntas: quia poterit hanc dispositionem removere, vt sibi non videatur aliquid sic: vt scilicèt, cum aliquis quietat in se iram, vt non iudicet de aliquo, tanquàm iratus*, nil expressiùs?

D. Thom. 2. cont. gent. cap. 30.

D. Tho. q 6. de elect. art. vnic. in corp.

228 Ex quibus patet manifesta disparitas inter principium connexũ inauferibilè, & auferibilè, vt illud libertatem dirimat, hoc servet, licèt constituant potestatem: vndè 1. *inauferibilè* tollit indifferentiam voluntatis ex parte eius, ad quod dicitur, perfecta enim operatio voluntatis ab illa virtute inauferibili dependet; secus *auferibilè*, quia voluntas auferendo virtutem, potest non exerceri per eius operationem. ¶ 2. Ex D. Tho. habitus solùm relinquit dominium in potentia, quatenus illo vtitur cum vult, *inauferibili* non potest non vti, secus *auferibili*, cũ possit illud abijcere. ¶ 3. Quia ex Div. Tho. suppositio habitus, vel virtutis non absolutè necessaria, sed *possibilis removeri*, vel *subiacens voluntati, quia poterit illam removere*, est nenesitas ex suppositione, & ex illa nõ ex necesitate movetur volũtas; suppositio *auferibilis* talis est, secus inauferibilis. ¶ 4. Ex rationibus conclusionis evidentes inducuntur differentię: *auferibilè* secum necessariò componit potestatem voluntatis, vt illud auferat, vndè, & exercitium illius omittat; quia idem est virtutem abijcere, ac illam non exercere; *inauferibilè* non componit, sed potiùs re-

repugnat poteſtati voluntatis, vt illud auferat, vndè non eſt; cùr componat in voluntate poteſtatem, vt illud non exerceat; connexio cum actu principij *inauferibilis* eſt in ipſa voluntate neceſsitas abſoluta actus in conſtitutivis ipſius libertatis inclusa; vndè eſt chimæra: connexio cum actu principij *auferibilis* ſolùm eſt neceſsitas conditionata actus ſub cõditione voluntati libera, quę non repugnat libertati, licèt inclusa in conſtitutivis ipſius libertatis; quia A eſſe connexum cum B, ſolùm probat exiſtere B, ſub conditione, quod exiſtat A, & conditio exiſtentiæ A, eſt voluntati libera, ſi A eſt *auferibilè* à voluntate.

Vndè nota hæc eſſe valdè diverſa: *A eſſe ſine B. A non eſſe B*, ex quorum apparenti convenientia experientia didici ſæpè in publicis cõcertationibus æquivocationem oriri: *A eſſe ſine B*, affirmat exiſtere A, & deficere B; vndè hoc iudicium eſt impoſsibilè, quando connectitur A cum B, implicat enim vnum eſſe connexum cum alio, & exiſtere ſine illo, connexio enim duorum conſtituitur per hoc, quod vnum non poſsit eſſe ſine altero: *A non eſſe cum B*, non affirmat exiſtere A, quia non eſſe A cum alio, non exigit, quod A ſit, quia dum non eſt, nõ eſt cũ alio; vndè ſuppone A, connexum *auferibilè* cum B, ſcilicèt actu; vi huius connexionis erit impoſsibilè voluntati, quod *A ſit ſine actu*, cum quo connectitur: poterit verò voluntas facere, quod *A non ſit cum actu*; quia potens facere, quod non ſit A, & dum A nõ eſt, non eſt cum actu; libere ergò voluntas coniungit A cum actu, quia poterit non coniungere, determinando vt A non ſit, & dum A non eſt, non eſt coniunctum cum actu, quod in hoc exemplo evidenter conſpicies: *Curſum eſſe ſine motu*, eſt impoſsibilè: *Curſum non eſſe cum motu*, eſt poſsibilè, ſicut, & curſum non eſſe,

¶ Vndè ad formas adductas, & alias ſimiles: vno verbo reſp. connexio cum *auferibilitate* adhùc in conſtitutivo libertatis non obſtat; ſecùs connexio cum *inauferibilitate*: ſicut Adverſarij communitèr aſſerunt: in antecedentibus libertatem connexio cum impedibilitate non obſtat, ſecus connexio cum inimpedibilitate.

229 Ad explicationem, & 2. confirm. Reſp. Quod libertas dicit indifferentiam ſufficientem, & ſufficientiam indifferentem in potentia libera, quæ neceſſariò debet eſſe principium proximum indifferens; in virtute verò conſtitutiva poteſtatis ad actum non exigitur indifferentia, ſed quod conſtituat potentiam inadæquatè indifferentem, quatenus conſtituit poteſtatem ad aliquod ex extremis indifferentiæ. ¶ Vndè non confundas *principium liberum, cum principio actus liberi*, ſicut non eſt idem eſſe principium intellectionis, ac eſſe principium intellectivum; vt in ſpecie intelligibili; ita iudicium indifferens, habitus, auxilium, &c. ſunt principia actus liberi, ſed non ſunt principia libera, ſola enim potentia, ſeù voluntas eſt principium liberum, ſola enim voluntas agit libere, & libere vult, ſola enim ipſa eſt potentia ad libere velle; principium liberum excludit eſſe connexum, exigit indifferentiam cum ſufficientia, non verò principium actus liberi; ſicut enim principium actus liberi, non habet indifferentiam *activam*, quia non influit in quodlibet extremum indifferentiæ, vt conſtat in auxilio gratię, quod non efficit omiſsionem peccaminoſam; ita nec exigit indifferẽtiam *ſubiectivam* per hoc, quòd poſsit coniungi cum quolibet extremo indifferentiæ. ¶ Inquires, ſi non eſt principium indifferens; cùr dicitur principium actus liberi, ſeù eliciti cum indifferentia? Reſp. Quia eſt virtus potentiæ proximè coniungibilis cum vtroquè extre-

tremo, eo enim ipso est virtus ad actum liberum: distincta à virtute ad actum necessarium. ¶ Vel alitèr; quòd principium actus liberi nõ exigit indifferentiam *activam*, nec *subiectivam*, sed tantùm *permissivã*, quæ consistit in eo, quòd permittat potẽtiam suo nutu se determinare, quatenus non illam sibi subijcit, sed potiùs subijcitur potentiæ, vt pro suo dominio vtatur principio illo proùt voluerit; quid enim obstavit dominio electivo voluntatis, quòd non posit hoc principio omittere actum, nec coniũgere principium cum omissione, si ita est voluntati subiectum, vt posit illo vti agendo, & illud abijcere omittendo?

## SECTIO QVINTA.

*Alijs obiectionibus occurritur, & explicatur quomodò non agere inconiungibile cum potestate ad actum posit suæ coëxistere libertati.*

230 SEcundo oppones, & instabis contra dicta argum. ex PP. Izquierdo, & Junio desumpto: repugnat, quod exercitium liberum suam impediat libertatem, aliàs simul esset liberum, & non liberum; sed si voluntas per liberã omissionem auferret potestatem actus cõnexam cum actu per exercitium liberum omissionis impediret omissionis libertatem; ergò implicat libertatem libere omittere, quando potestas ad actum est connexa cum actu: Prob. Min. Libertas omissionis constituitur per potestatem actus, sed omissio auferret potestatem actus; ergò aliquod constitutivum suæ libertatis, & exindè suam libertatem.

*P. Iunio vbi suprà, & sect. 4. de Prædest. c. 5. n. 19.* *P. Izquierd. vbi sup. nu. 106.*

Confirmatur ex ipso Junio: nulla libertas potest esse libera ad se ipsam, seù ad suum constitutivum, quia non potest libere esse nõ libera, alioquin simul esset, & non esset libera, sed principium constitutivum potestatis ad actum essentialitèr constituit libertatem; ergò non potest esse à libertate impedibilè.

*P. Iunio vbi sup.*

Addo, & efficaciam huius rationis præpondero 1. Omissio non coëxistens suæ libertati non existit cum libertate, & sic non existit libere, sed in casu quæstionis omissio non coëxisteret suæ libertati; ergò. Prob. Min. Omissio non coëxisteret potestati ad actum, cum illam auferret, sed libertas omissionis est potestas actus; ergò. ¶ Alitèr; non coëxisteret omissio libertati ad actum, cum illam auferret, sed libertas omissionis est libertas actus; ergò non coëxisteret omissio suæ libertati.

2. Vt potestas actus sit libera debet coëxistere potestati ad omissionem, vt supponimus, aliàs voluntas non esset indifferentèr potens; ergò potestas ita non coexistens est necessaria, sed omissio nõ coexisteret potestati ad ipsam, quæ coexisteret potestati ad actum, cum auferret potestatem actus; ergò non coexisteret potentiæ liberę, sed necessariæ, sed exercitium non coexistens potentiæ liberæ non est liberum; ergò omissio libera non foret. ¶ Aliter; libertas actus non potest involuere metaphysicam repugnantiam omissionis, vt suprà demonstravi, sed principium connexum cum actu involuit metaphysicam repugnantiam omissionis; ergò libertas actus non potest constitui per principium connexum cum actu. ¶ 3. Principium connexum cũ actu pugnat cum omissione actus, vt ex terminis patet, sed libertas actus connecteretur cum hoc principio, quia per illud constitueretur; ergò pugnaret cum omissione; non ergò esset libertas actus, sed necessitas excludens omissionem. ¶ Alitèr: si libertas potest constitui per potestatẽ connexam cum actu, quia auferibilẽ per omissionem; ergò potest constitui per potestatem connexam cum

*Sup. n. 199;*

omis-

omissione auferibilem per actum, & tunc libertas esset chimæra, quia includeret connexionem cum duobus contradictorijs.

Tandem advrgeo: non datur libertas ad chimeram, quia non potest potentia esse libera ad ipsam, sed exercitium liberum à sua libertate divisum, seù non existens liberum, nisi sublata libertate est chimæra; ergò omnis libertas potest suum exercitium secum componere; ergò, & cũ omnibus suis constitutivis; ergò potestas libertatem constituens, non est auferibilis per exercitium liberum.

231 Istę sunt difficiliores formæ, quæ opponi possunt, pro quarũ expedita solutione distingue libertatem omissionis *in actu secundo*, quæ semper est adæquatè coniuncta cum omissione libera, & nullatenus constituitur per potestatem actus; & libertatem ipsius omissionis *in actu primo*, quæ exigit potestatem agendi ad sui constitutionem; vndè ad 1. Resp. Exercitium liberum non posse impedire suam libertatem *in actu secundo*; quia esset liberum, & non liberum, nec potest impedire libertatem *in actu primo* adæquatè, quia illam inadæquatè exercet, & nulla potestas impeditur, dum exercetur, quia quælibet per sua exercitia perficitur; potest verò impedire libertatem inadęquatè, quatenus constituitur per potestatem, quàm non exercet, sed potiùs aufert. Vel alitèr: omissio non potest destruere, quæ constituunt suã libertatem *in actu primo effectivè*, secus verò si constituant *expeditivè*, & principium auferibilè per omissionẽ solùm constitueret libertatem omissionis *expeditivè*, non *effectivè*, non enim in omissionem influeret.

Ad 1. conf. Resp. Illam propositionem: *Libertas non potest esse libera ad seipsam*, esse valdè æquivocã: si affirmet libertatem non esse liberam, vt exerceatur libere, aut non libere, est propositio vndequaque vera indubiè, quàm suprà demonstravi: si affirmet, libertatem non esse liberam, vt exercendo se, libere auferat aliquod expediens ad libertatem exercitij, est falsa: quia hoc non est libertatem cum non libertate coniũgi, sed libertatem per exercitium liberum consequentèr necessitari. ¶ Ad 1. quòd additur; nego omissionẽ illam non coexistere suæ libertati in actu secundo: & ad prob. Resp. Quod illa omissio non coexistit potestati ad actum; sed non ita, vt ipsa existat, quia talis potestas deficit, sed potiùs potestas deficiat, quia omissio existit, & libertas omissionis non exigit coexistẽtiam cum potestate ad actũ, sed quod non determinet suam existentiam talis defectus potestatis. ¶ Per quæ Resp. ad 2. Quod vt potestas omittendi sit libera non exigit, quod coexistat potestati ad actũ, sed quod ante omissionem coexisterent, & quod nunc non coexistant ratione ipsius omissionis; non enim potest libertatem exercitij omissionis adimere impossibilitas actus, quæ ortũ ducit ex omissione, sicut nec libertatẽ labefactat necessitas actus procedens ex actu. ¶ Ad aliam formã: Resp. Quod principium connexum cum actu, si auferibilè, solùm includit metaphysicam repugnantiã omissionis sub conditione suæ existentiæ voluntati liberæ; vndè non pugnat libertati voluntatis ad omissionem, quia cum libertate solùm pugnat repugnantia absoluta alicuius extremi libertatis: & quidem non minùs repugnat actus, dum deficit potestas ad ipsum, quia voluntas potens illam comparare, non acquirit, ac quando voluntas potens illam non abijcere, aufert; sed dum deficit potestas actus, quia voluntas pro suo nutu illam sibi non comparavit, est omissio libera, vt suprà probavi ex communi sentẽtia; ergò erit libera omissio, si deficit potestas, quia voluntas illam aufert, potens non auferre.

Suprà n. 49.

Sup. n. 182.

Ad

Ad 3. concedo Conſeq. Libertatem, ſcilicèt, actus pugnare cũ omiſſione; ſed argumentum confundit libertatem cum potentia libera; libertas enim omiſsionis non exigit, quòd libertas actus non pugnet cum omiſſione, ſed ſolùm, quòd potentia, quæ aliàs eſt libera ad actum ſit coniungibilis pro ſuo nutu, tàm cum actu, quàm cum omiſsione. ¶ Ad id, quòd 1. vrgetur: Fateor non poſſe conſtitui libertatem omiſsionis per principium inconiungibilè cum actu, & nego paritatem de libertate actus: 1. enim accidit, quia nullum poteſt eſſe conſtitutivum poteſtatis ad omittẽdum libere, quòd non ſit coniungibilè cum actu, non verò, quia hoc deſideret ratio libertatis, ſed quia ita accidit in talitate omiſsionis: & ratio deſumitur ex ſupra diffuſè dictis: poteſtas omittendi libere, ſolùm habet hęc conſtitutiva: *Poſſe agere, & ſine neceſsitate antecedenti ad agendum*; actus nequit pugnare cum poteſtate agendi, vt patet; nec poteſt inducere neceſsitatem antecedentẽ actus, quia neceſsitas ex actu cauſata eſt ex terminis, cõſequens actũ; vndè nequit pugnare cum carentia talis neceſsitatis; non ergò poterit pugnare cum aliquo conſtitutivo poteſtatis omittendi; ſecus eſt in poteſtate ad actum, quæ poteſt conſtitui per plura poſitiva inconiungibilia cum omiſsione, vt in exemplis pro concluſione adductis. ¶ Ad id, quòd vltimo vrgetur: Reſp. Quòd hæc libertas non eſt ad exercitium liberum, vt à ſua libertate in actu ſecundo diviſum, nec diviſum à libertate in actu primo *adæquatè*, ſed tantùm *inadæquatè*, quia eſt diviſum ab expediẽtibus ſuam libertatem in actu primo, & exercitium, ita à ſua libertate diviſum non eſt, vndè ſit chimæra. Vel aliter; quòd omiſsio libera debet coexiſtere omnibus conſtitutivis ſuę libertatis; ſed hæc ſunt in duplici differentia, alia *influentia* in omiſsionẽ, cum quibus omiſsio debet coexiſtere *intrinſecè*, alia *expedientia*, cum quibus ſolũ debet coexiſtere *extrinſecè*, quatenus primum eſſe omiſsionis eſt primum non eſſe expedientiũ ad ipſam, & cum poteſtas connexa cum actu conſtitueret libertatem omiſsionis per modum expedientis, coexiſteret extrinſecè omiſsioni, quatenus 1. eſſe omiſsionis, eſt 1. non eſſe poteſtatis, ſed ſicut omiſsio ita eſt, vt pro nutu voluntatis potuerit non eſſe, poteſtas actus ita deficit, vt pro nutu voluntatis poſſet non deficere.

*Sup. n.* 181. *vſq; ad* 190.

232 Sed obijcies 3. & replicabis contra dicta ex P. Izquierdo; non ſalvatur libertas, niſi poteſtas ad actum ſit realitèr eadem, licèt ratione diverſa, cum poteſtate ad carentiam actus; ſed ſi poteſtas ad actum eſt cõnexa cum actu non poteſt eſſe eadem realitèr cum poteſtate ad carentiam; ergò non poteſt dari libertas, ſi poteſtas actus eſt connexa cum actu: Min. certa; quia carentia actus poteſt coexiſtere ſuæ poteſtati, & non poteſt coexiſtere poteſtati ad actum connexæ cum actu: probat Mai. Nã libertas conſiſtit in indifferentia poteſtatis, & dominio vnius, & alterius exercitij; ſed ſi datur duplex poteſtas, vna ad actum, & alia ad carentiam, neutra eſt indifferens, nec habens dominium ſupra ſuum exercitium; ergò non ſalvabitur, quòd ſit poteſtas libera, ſed duplex poteſtas, quælibet neceſſaria.

*P. Izquierd. vbi ſupr. n.* 162.

Confirmat hoc: Carentia principij connexi cum actu conſtituit poteſtatem proximam ad carentiam actus; ſed quando datur poteſtas cõnexa cum actu, non datur carentia principij connexi cum actu; ergò nec poteſtas proxima ad carẽtiam actus, & ſic, nec actus libertas. ¶ Confirmatur 2. Non poteſt ſtare poteſtas ad peccãdum in ſenſu diviſo ab vnione hypoſtatica; quia, cum ſubſiſtentia ſit principium exactum ex parte

actus primi ad operandum, non poteſt eſſe auferibilè à voluntate; ergò ſignum eſt, quòd principia immediata actus debent eſſe inauferibilia.

Vltimo denique: Si principium connexum poſſet cõſtituere libertatem, actus elicitus in primo inſtanti creationis poſſet eſſe liber, licèt à principio connexo; ſed hoc eſt falſum; ergò: Mai. videtur vera, quia per principia eadem, quæ efficiunt actum liberum in ſecundo inſtanti, vt exiſtentia in ſecundo, poteſt cõſtitui actus liber in primo, vt exiſtentia in primo: & prob. Min. Principium cõnexum ſolùm poteſt conſtituere libertatem, quia auferibilè, ſed nullũ principium poteſt eſſe auferibilè in primo inſtanti ſuę exiſtentię, aliàs poſſet non eſſe, dum eſt, & incipit eſſe; ergò.

Reſp. neg. Mai. & ad prob. Quod indifferentia poteſtatis exigitur in potentia libera, hæc enim eſt libere agẽs, & habet dominium in ſua exercitia; & ita eſt expreſſa Div. Thomæ doctrina, quòd libertas ad bonum, & malum eſt eadem ex parte potentiæ, non ex parte habitus, qui poteſt eſſe conſtitutivum poteſtatis ad bonum, dum enim inquireret: *Vtrùm ſit eadem libertas, qua quis eſt liber ad bonum, & ad malum?* Sit Reſp. *Liberum arbitrium habet quãdam libertatem, quæ ſequitur naturam potentiæ... Habet verò aliam libertatem ex habitu ipſam perficiente, eadem autem potentia eſt boni, & mali, ſed non idem habitus, & ideò loquendo de prima libertate, eadem eſt reſpectu vtriuſque, non autem loquendo de ſecunda.*

*D. Tho. 2. ad Anibaldũ, diſt. 25. art. 4.*

Ad 1. conf. Reſp. Mai. eſſe veram de principio inauferibili; ſecus de principio auferibili; immò principium auferibilè, licèt connexum cũ actu, ſecum neceſſariò componit poteſtatem proximam ad carentiam actus, ſicut ad auferendum principiũ.

¶ De 2. confirm. in tract. de Libertate Chriſti accuratiùs tractabimus: pro nunc Reſp. Quòd nullum exercitium aufert poteſtatem, quàm exercet, quia ſimul verificarentur contradictoria, quòd poteſtas exerceretur, vt ſupponitur, & non exerceretur, quia non exiſteret, poteſt tamen auferre poteſtatem, quàm non exercet; vndè iam eſt clara doctrina in ſubſiſtentia Chriſti, quia hæc conſtituit poteſtatem ad omnia exercitia volũtatis; vndè per nullum eſt auferibilis: in noſtro verò caſu ponitur poteſtas ad amorem Dei conſtituta per gratiam, & poteſtas ad omiſsionem non conſtituta per gratiam, & tunc voluntas poteſt per omiſsionem auferre, non poteſtatem omittendi, quã exercet, ſed gratiam, vel poteſtatem amandi, quàm non exercet.

233 Ad vltimum, quòd difficiliùs eſt, Reſp. Non poſſe in primo inſtanti creationis conſtitui libertatem per principium auferibilè; & ratione eſſe, quia non poteſt eſſe poteſtas in primo inſtanti, ad auferendum principium pro primo inſtanti; quia talis ablatio eſt chimærica, poteſt tamen in primo inſtanti eſſe poteſtas ad auferendum principium pro ſecundo inſtanti, quia non eſt vndè repugnet, quòd principium exiſtens in primo deſinat eſſe in ſecundo inſtanti, cùm ergo, dum eſt principium connexum in poteſtate, ſolùm ſit poteſtas ad omiſsionem, quæ ſit poteſtas auferendi principium, in primo inſtanti nequit eſſe libertas ad omiſsionem, nec ad actum pro primo conſtituta per tale principium, licèt poſſet eſſe in primo inſtanti libertas ad omiſsionem pro ſecundo inſtanti.

Sed inſtabis: Libertas Adami in primo inſtanti fuit conſtituta per adiutorium, *ſine quo*, quòd erat donum habituale gratiæ, vt ex D. Aug. dedimus manifeſtum, ſed illud adiutoriũ erat connexum cum bona voluntate in qua Adamus fuit creatus, & quàm libere elicuit in primo inſtanti; ergò

*Sup. n. 223.*

ad

adhùc in primo instanti creationis pro primo constituitur libertas per principium auferibilè. Sed Resp. Libertatem constitutam in primo instãti Adami, & Angelorum per gratiam habitualem non esse connexam cum aliquo extremo libertatis; vndè non per auferibilitatem, sed per indifferentiam pro primo instanti, salvatur libertas pro primo, & ratio est; quia pro primo instanti non fuit bona voluntas libera libertate contrarietatis; vndè principium constituens libertatem, non exigit indifferentiam contrarietatis; fuit verò bona voluntas libera libertate contradictionis; sed gratia habitualis est coniungibilis cum omissione bonę voluntatis; vndè coniungibilis erat cum vtroq; libertatis extremo. ¶ Pro cuius intelligentia nota; quòd cum creaturas intellectivas cõstituamus pro primo instanti impeccabiles, cum D. Thom. Potestas, quæ est in primo instanti ad omissionem bonæ voluntatis pro primo instanti, non est potestas ad peccandum; vndè nec ad omissionẽ, vt inconiungibilem cum gratia, quia hanc oppositionem habet omissio, vt peccaminosa; vt ergò salvetur libertas constituta per gratiam ad bonam voluntatem, pro primo instanti, licèt aliàs recursus ad auferibilitatẽ principij non esset impossibilis, superfluus foret; quia potestas ad omissionem, quæ est pro primo instanti est ad omissionem, vt coniungibilem cum gratia: potestas verò, quæ est, vel in primo instanti ad omittendum pro secundo, vel in secundo ad omittendum pro secundo est potestas ad omissionem peccaminosam, quia in in secundo instanti possunt peccare; vndè est potestas ad omissionem, vt inconiungibilem cum gratia; vndè vt salva subsistat libertas constituta ex D. Augustin. per gratiam habitualem est necessarius recursus ad auferibilitatem gratiæ per omissionem.

Si instes: Quòd licèt repugnet principium auferibilè pro primo instanti suæ existentiæ, non est; vndè implicet principiũ pro primo instãti impedibilè, sit ergo libertas in primo instanti per principium connexum, & inconiungibilè cum vno extremo libertatis; quia impedibilè per aliud. ¶ Resp. Principium non posse esse impedibilè per omissionem libere existẽtem in primo instanti: & ratio est duplex 1. quia vt omissio libere existat pro A, exigitur potestas impediendi omissionem pro A, hæc debet esse, vel ratione potestatis ad agendum pro A, quę existat in A; vel ratione potestatis ad agendum pro A, quæ esset ante A; & neutra potestas agendi esset, si omissio illam pro omni instanti impediret, secus est dũ omissio aufert potestatem agẽdi pro A, quæ erat ante A, quia tunc voluntas verè fuit potens impedire omissionem pro A, immò coniungere potestatem agendi cum actu, qui pro A existeret, si volũtas vellet, vt potuit. ¶ 2. Quia libertas in actu primo cõstituitur per simultatem potestatum agendi, & non agendi; vndè si hęc simultas nunquàm foret, non esset libertas in actu primo, nec posset esse exercitium liberum in actu secundo, quod libertatem in actu primo supponit: exercitium verò liberum non exigit coniungi cum libertate in actu primo adæquatè, licèt exigat illã supponere; vndè potest per exercitium auferri constitutivum aliquod libertatis in actu primo.

234 Quomodò possit componi, quòd principium effectivum actus sit dependens ab ipso actu? In dubiũ non revocavi, quia si ex hac parte adstrueretur repugnantia constitutivi libertatis connexi, vt aliqui docent, non esset ex natura libertatis, quàm nunc examinamus; sed quia nõ esset possibilis mutua dependentia, & causalitas; quàm possibilem esse, nunc expendere nõ expedit, & quàm plurimis exemplis confirmare, spe-

cialitèr, cum actus depẽderet à principio connexo in sua existentia, principium verò dependeret ab actu in sui conservatione, vtpotè removente omissionem, cum principio pugnantem.

## ADDITIO.

235 POstquàm hæc publicam viderunt lucem Typis sua scripta mandarunt; graves Authores, iam suffragantes, iam impugnantes conclusionem nostram; eam supponunt novissimè M. Ferre, Doctor Rios, ex Thomistis; sed ex illis lego P. Palanco eam impugnantem; Sap. Bolibar eam vocat communem, sed contra illam docet plura obstare satis implicata, & difficilia. Ex Jesuitis nostram doctrinam defendit P. Aranda, & ex eadem Schola adducit subscribentes, P. Antonium Perez; P. Esparça, P. Oxea, P. Comptonum, P. Haunoldum; ex quibus solùm legi Perez, & Esparça; Doctor Prado exprofesso nostram sententiam impugnat diffusè, & ingeniosè satis; novissimèque eam reijcit P. Ramirez, nunc pro Societate Complutensis Primarius; pro nostra verò tenuitate scripta defendemus.

236 Et primo noto P. Aranda nostram sententiam defendere, cum tamẽ sermonem de me instituit, scribit in margine: *Doctor Castell vanò deceptus, incuriosus in legendis Authoribus, Ripalda præsertim.* Et in corpore ait: *Ante meas probationes iuvat expendere, quas proponit Primarius Complutensis Doctor Castell, qui controversiam hanc excitasse se gloriatur inter Societatis Doctores communitèr non agitatã, & intactã à contribulibus Thomistis suis. In quo tanti viri, apud omnes Authores tã suæ, quàm aliarum Scholarum versatissimi, desidero fidem. Quæ enim apud Recentes Doctores nostros, post Patrem Ioannem Martinez de Ripalda, Typis, & calamis quæstio contentiosiùs controversa?*

P. Aranda in limine ait: *Sed ecce difficultas, quàm hìc specialitèr examinandam aggredior.* Sed quomodò aggreditur specialitèr examinare difficultatem, si nulla est apud Recentes Jesuitas contentiosiùs cõtroversa? Ingenioso Scriptori nihil vnquam Respondeo, quia malo *vano deceptus, & incuriosus*, quàm immodestus intelligi: *Si enim vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud, quàm duo maledici essemus.* Dixi me controversiam *excitare, quia DD. Societatis non disputant, sed supponunt tale principium de medio tollere actus libertatem*: Hoc verissimum esse comperies; in P. Junio, Lugo, Hurtado, Oviedo, Izquierdo, Ribadeneyra, in quæstione relatis, & omnes Doctores Complutenses Societatis idipsum supponebant. Et novissimè P. Ramirez impugnans opinionem, P. Munieſſa asserẽtis: *Principium immediatum connexum, & prærequisitum ad actum esse componibile cum libertate actus.* Scripsit, *in qua speciali doctrina non solùm à communi; verum ab Schola Societatis nescio, an discesserit.* Quomodò hoc verùm est, si nulla est quęstio inter Recentes Jesuitas contentiosiùs controversa? Non igitur *vanò deceptus, & incuriosus*, dum scripsi Scholam Societatis, non tàm disputare, quàm supponere principium immediatum connexum, & prærequisitum libertatem tollere.

Legi P. Ripaldam in Disput. de influxu virtutum infusarum in actus prẽceptos iusto pro instanti determinato; vbi potiùs *supponit*, quàm *disputat. Vt actus liber procedere debet à principijs indifferentibus componi, cum omissione actus.* Et Controversia sistit; An cum huius propositionis veritate componi possit influxus virtutum infusarum, vel negandus cum communi Recentiorum So-

*Ferre de Iustificat. q. 4. sect. 2. num. 836. & sect. 9. à n. 875.*
*Rios de Iudit. indiff. disp. 2. dub. 3. num. 45.*
*P. Palanco de Provid. q. 15. sect. 7.*
*Bolibar de Iustific. dub. 4. sect. 3. à nu. 21.*
*Aranda in 1. 2. lib. 4. disp. 13. sect 3.*
*Antonius Perez de Iustific. disp. 5. cap. 3.*
*Esparça de Virtutib. q 6. art. 1. ad 5.*
*Oxea, disp. vlt. de Charitate.*
*P. Cõptonus, t. 1. disput. 119.*
*Haunoldus, lib. 3. tract. 1. cap. 9. cõtrov. 2. à n. 432.*
*D. Prado de Lib. Arbit. disp. 2. sect. 2.*
*P. Ramirez t. 1. de Prædest. disp. 10. cap. 2. à nu. 28. & disp. 12. cap. 5. & 6.*

*P. Aranda, vbi sup. nu. 32.*

*August. ad Petil. lib. 3. cap. 1.*

*Ramirez, disp. 12. nu. 103.*

*P. Ripalda, disp. 123.*

*Ripalda ibi. num. 3.*

Societatis ſententia? Hoc non eſt de illo principio diſputare, ſed illo ſuppoſito controvertere, virtutum infuſarum influxum. Verùm eſt adducere quartam ſolutionem innominati Authoris aſſerentis, *non ſemper requiri ad libertatem, vt omnia principia neceſſaria ad actum poſsint ſimul eſſe cum omiſsione actus*, ſimultate durationis, *ſed* ſimultate verificationis, *quia voluntas poteſt non agendo abijcere à ſe pro eo inſtanti aliquod ex principijs requiſitis ad agendum.* Quæ ſolutio videtur P. Antonij Perez, quem ſequitur P. Aranda; omiſſi Authorem ignotum tunc adducere, quia nec neceſsè. Nunc gaudeo eſſe Scriptores Doctos Societatis, licèt non Complutenſes, pro noſtra, & communi Thomiſtarum ſententia.

*Ripalda, ibi num. 7.*

237 Proſequitur P. Aranda me in modò proponendi quæſtionem ipſam reſolvere, quia evidens eſt auferibilitatem liberam non ſtare ſine libertate. Vndè in dubium ſolùm verti poteſt. An illud ternarium prędicatorum in vno principio ſit chimæra? Vel an cum ratione principij proximi ſtari poſsint hæc duo, *connexio cum actu, & libera auferibilitas* per non actum? Nam ſi ſtare poſſunt, evidens eſt, adimi non poſſe libertatem: ſi non poſſunt ſtare adimi libertatem eſt evidens. Quod ſimilitèr ſupponit Doct. Prado. ¶ Probavi auferibilitatem principij, ſeù illius dependentiam à voluntate in exiſtędo neceſſariò inferre libertatem; & primam ſolutionem, quàm ibi impugnavi traddidit Primarius Complutenſis, Doctor D. Franciſcus Cāpuzano: omnibus ſapientia notus. Secundam ſolutionem, de chimærica exiſtentia ternarij prædicatorum in vno principio, docuit P. Doctor Franciſcus Peynado Primarius pro Sacra Societate Profeſſor: Nec equũ erat ad huius mentem dubium reſtringere. Et ſi evidenter demõſtratur, auferibilitate non poſſe adimi libertatem, difficilè probavitur conſtitutionem actus primi connexi non poſſe coniungi cum auferibilitate, quia libertatem adimeret; ſeù ternarium prædicatorum in vno eſſe chimæram, quia libertati repugnaret, ſed ex alijs principijs probari debet; ex libertate enim ipſa nequit convinci repugnans, quòd eſt evidens, non poſſe adimere libertatem.

*Prado, vbi ſup. n. 33.*

*Sup. n. 218.*

238 Poſsibilitatem ternarij prædicatorum in vno, non eſſe chimærā; aſſumpſi probandum; ſed ait Aranda: *Caſtellij conatus ad ipſum quadruplex ſemper irritus.* Audiamus rationem: *Imprimis relabitur in terminos prædeterminantium, à quibus cœperat abſtinere.* Nullum terminũ nec à longè indicantem prædeterminationem invenies, nec ad rem eſſet, quia quæſtio non procedit de principio cõnexo cũ actu ex *vi prædeterminandi* actum, ſed ex *impoſsibilitate coëxiſtentiæ*, cum omiſsione, ſeù altero extremo libertatis: *Deindè* (ait) *ſumit paritatem à prædiffinitionibus noſtris, quòd benè penetrata earum natura, fieri nequit niſi ex penuria diſputandi.* Audivi ſæpiùs prædiffinitionum naturā, ſed quid vt dicerem, non probando, ſed explicando, connexionem coniunctam cũ *auferibilitate* in principio immediato non pugnare cum libertate; ſicut connexio coniuncta cum *impedibilitate* in prędiffinitionibus non pugnat cum libertate. *Tertio* (ait) *ſumit argumentum ab influxu gratiæ habitualis in ordine ad actum pro inſtanti determinato præceptum iuſto.* Sed eodem medio iſte Author vtitur, & non efficaciùs roborato, vt conſtabit vtrùmquè legenti: *Demum* (ait) *vtitur Auguſtino, in quo Authoris diligentiam laudo, dicturus infrà, quãtum in præſenti faveat Auguſtinus.* Aſpice manifeſtam cõtradictionem. Si meam diligentiam laudat, cùm ex Auguſtino efficaci, & ſingulari medio ab ipſo tranſcripto concluſionẽ

*Supr. à nu. 219. P. Aranda, ibi n. 38.*

ſua-

ſuadeo: Quomodò *Caſtellij connatus ſemper irritus*, ſi aliquando non irritus? Immò laudabilis, dum vtitur Auguſtino.

Sed quia Recentes Scriptores plura ſcitu digna adducunt, tùm fundamentis noſtris reſpondendo: tùm argumenta contra poſsibilitatem talis principij difficilia efformando: Duo faciam; rationes noſtras inſtaurare, & obiectiones in contrarium ſolvere.

## ADDITIO.

*Sup. n. 220. Prado vbi ſup. n. 85.*

239 AD primam probationem noſtram deſumptam ex influxu gratiæ habitualis in actus præceptos iuſto pro inſtãti determinato. Reſpond. Doctor Prado, neg. influxũ gratiæ habitualis, & virtutum infuſarum in actus præceptos pro inſtanti determinato, inſiſtendo communiori ſententiæ, licèt res ſit valdè difficilis, & quæ M. Lorca convicit aſſerere, virtutes infuſas ſimul cum gratia habituali coniũgi poſſe cum peccato actuali mortali, pro eo ſolo primo inſtanti, quo committitur. ¶ Ad 2. probat. deſumptam ex libertate contrarietatis; ſimiliter negat habitum charitatis, aut fidei infuſæ conſtituere libertatem contrarietatis ad amorem Dei, aut ad actũ fidei. ¶ 1. noto ad impugnationes iſtarum ſolutionum à me adductas nihil dicere, & videntur difficiles: quis enim credet habitum gratiæ, virtutes infuſas, otiari dum præceptum vrget, aut tentatio præmit. 2. vbi legit, neſcio, M. Lorca convictum fuiſſe, ex eo, quòd gratia habitualis conſtituit poteſtatem ad actus iuſto præceptos, ad aſſerendum gratiam habitualem coëxiſtere peccato actuali mortali: locum non citat. In primo loco in quo coëxiſtentiam defendit huius rationis mentionem non facit: & cum alibi eandem doctrinam eiſdem verbis ſcriberet: poſtquàm aliqui doctrinã accuſarunt in Appendice eis reſpondet, ſuamque ſententiam latè fundat, & nec verbum habet ad probandam coëxiſtentiam gratiæ cum peccato, quia gratia influit in actus liberos iuſto præceptos. Mirum igitur Lorca ex influxu gratiæ non fuit convictus ad talem coexiſtentiam.

*Sup. n. 221.*

*Lorca de Gratia, diſput. 40. ſeſſ. tertio loco,*

*Lorca 2. 2. q. 24. ſect. 3.*

Scio Doctum Ciſtercienſem Salmantinum, coëxiſtentiam gratiæ iuſtificantis cum peccato, intulliſſe ex influxu gratiæ ad actus præceptos, & ex coniungibilitate principij actus liberi, cùm vtroquè libertatis extremo: vt referunt Bolibar, & Ferre. ¶ Sed quid hoc cum M. Lorca? Mihi ſufficit Recentiorem iſtum Doctũ faciliùs exiſtimaſſe gratiam iuſtificãtem coëxiſtere peccato mortali, quã negare eidem gratiæ influxum in actus præceptos.

*Bolibar de Iuſtific. dub. 4. ſeſſ. 3. Ferre tract. de Iuſtific. q. 4 ſect. 9.*

240 Et in mea Vniverſitate, eam coëxiſtentiam à Sap. Lorca defenſatam, noviſsimè ex libertate ad actum charitatis conſtituta per habitum, firmabat Ciſtercienſis quidam Lector, & mihi publicè diſputanti concedebat, quod dum libertas contrarietatis ad aſſenſum Fidei Divinæ conſtituitur per virtutem Theologicam Fidei, ipſa virtus Fidei in diſſentiente coëxiſtit actui Hæretico; ita vt in inſtanti in quo, quis blaſphęme iudicaret Deum mentiri in Sacroſancto Trinitatis Myſterio eo in inſtanti Fidem Divinam ſervare, licèt immediatè poſt amittendam; quod ſemper inconveniens iudicabo, ſpecialitèr cum aſſerat Tridentinum loquens de infidelitate *per quã, & ipſa fides amittitur*. Nec facilè erit invenire rationem; Cùr Hæreſis Trinitatis nõ poſsit coniugi cum actu Fidei Incarnationis? Actus enim ita diverſa inſpicientes obiecta ſolùm opponi poſſunt, quia diſſenſus Hæreticus deſtruit adæquatam fidei rationem, ſi verò cum ipſa virtute fidei coniungitur; Cùr cum actu fidei alteriùs obiecti coniungi non poteſt? Incompoſ-

*Trid. ſeſſ. 6. cap. 15.*

possibilitas verò actus fidei cum actu Hæretico, etiam erga obiecta distincta, ex August. Probatur alloquente Manichęos per hæc verba: *Qui in Evangelio non nisi, quod vultis creditis, vobis potiùs, quàm Evangelio creditis.*

*August. adversus Faustum.*

241 Opponebam secundo contra dictam coexistentiam gratiæ, & charitatis constituentis libertatem, cum peccato lęthali; esse damnatam hanc Baij propositionem: *Homo existens in peccato mortali, sivè in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & hæc charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Ergò est certum, charitatem non posse consistere cum peccato mortali, seù reatu æternæ damnationis. ¶ Respondebant ex M. Lorca, qui hanc oppositionem despicit, quòd propositio expressè loquitur de habitu charitatis, & peccato habituali, declarando non posse consistere, minimè verò de peccato actuali, non enim ait peccans actualitèr non potest habere veram charitatem; sed dicit: *Homo existens in peccato,* vbi peccatum habituale clarè significatur. ¶ Instabã; quia reprobata propositio duas habet partes, in quarum prima loquitur de peccato habituali per illa verba: *Homo existens, &c.* In secunda autem dum damnat *Charitatem perfectam posse consistere cum reatu æternæ dãnationis.* Loquitur de peccato actuali, inepta enim esset repetitio, si de eodem peccato in vtraque parte loqueretur; ergò iuxtà præiactam declarationem, charitas non potest cõsistere cum reatu æternæ damnationis; sed peccatum læthale consistit cum reatu æternæ damnationis; ergò charitas non potest *consistere* cum peccato lęthali actuali; immò cum peccatum actuale solùm in instanti existat si in eo charitati coëxisteret, absolutè esset verùm consistere charitati: nè ergo in hæc incidamus, asseramus, istam libertatem constitui per habitum auferibilem ab aliquo eiusdem libertatis extremo.

*Prop. 70. ex damnatis in Baium à S. Pio V. & Greg. XIII.*

*Lorca in 22. sect. 3. disp. 22. in Append.*

242 Aliqua addamus, vt probemus influxum gratiæ iustificantis, & virtutum infusarum in actus iusto præceptos: 1. Gratia iustificans est virtus radicalis præcontentiva actuũ præceptorum iusto; ergò illos efficit; antec. prob. Gratia est radix omniũ actuũ supernaturaliũ, sicut est radix omnium virtutum; vndè sicut virtutes supernaturales, non sunt in statu perfecto, seu connaturali, sed informi, & imperfecto, dum non radicantur in gratia, ita, & actus supernaturales, si non procedunt à gratia: *Est enim gratia vita animæ sicut anima est vita corporis;* ergò sicut anima est virtus radicalis omnium potentiarũ, & actuum naturalium; ita gratia est virtus radicalis omnium virtutum, & actuum supernaturalium; Conseq. constat: quia virtus præcontentiva est effectiva; ergò est virtus potens efficere tales actus; nam virtus effectiva, quæ efficere non possit cõplicatoria est: Incredibilè enim est nullũ actum supernaturalẽ præceptũ esse in statu perfecto, & cõnaturali. ¶ 2. ex P. Ripalda: Angelis fuit actus charitatis determinate præceptus; nõ solũ in prima elicientia, quando nullus Angelus peccavit, sed præceptũ fuit, vel de continuatione eiusdem actus, quia Angelus in via vnicum elicuit actum charitatis; vt docet D. Thomas, vel de elicientia secundi actus in secundo instanti, quòd præceptum adimpleverunt Angeli boni; sed hic secundus actus, vel continuatio primi fuit ab habitu charitatis, & à gratia, aliàs isti habitus fuissent in Angelis omninò otiosi in via; cum actus medijs illis, nec eliciti, nec cõtinuati fuerint; ergò charitatis præceptum à iusto adimpletur per gratiam, & virtutem charitatis.

*Ripalda, disput. 123. n. 19.*

*D. Tho. 1. p. q. 62. art. 5.*

243 Alitèr nostro argumento respondet Bolibar, supponendo iustum

*Bolibar de Iustific. dub. 4. à n. 25.*

ſtum libere adimplere præceptum charitatis per gratiam, & charitatẽ, licèt gratia ſit incompoſsibilis cum peccato; & omiſsio non poſsit intelligi libera ſine potentia ad actum omiſſum; nec poſſe hanc libertatem componi (ſicut in Chriſto D. ad actũ præceptum) per poteſtatem iuſti ad omiſsionem actus *negativè* ſumptã, qualitèr eſt extremum libertatis cõtradictionis, non eſt peccatum, & exindè poteſt coniungi cum gratia, & libertate per habitum gratiæ conſtituta: quia in iuſto peccabili libertas contradictionis per ſuppoſitionẽ præcepti tranſit ad libertatem contrarietatis, & libere *adimplet*, non ſolùm per poſſe *non adimplere*, ſed etiam per poſſe *frangere*, quia poteſt in omiſsionem compoſitam præcepto; quæ eſt non ſolùm *negativa*, ſed *privativa*, quia omiſsio actus debiti. Quia in caſu in quo iuſtus præceptũ adimpleat; ſalvatur libertas, quia licèt non poſsit coniungere omiſsionẽ cum gratia *abſolutè*, non repugnat hęc coniunctio ex conceptu dantis poſſe; quia gratia vt *auxilians* dat poſſe; poteſt enim pręſtari per auxilium; vt *iuſtificans* pugnat cum peccato, ſeù omiſsione actus præcepti: & conſtitutivum actus primi connexum cum actu ſecundo non tollit libertatem, ſi non conſtituit *vt connexum*; ſeù ſi connexio actus primi *non eſt exacta* ab actu ſecũdo. ¶ Sed hæc ſolutio diffuſè reiecta manet; nec in eius impugnatione opportet immorari. ¶ In caſu verò in quo iuſtus ille frangat præceptum, conſtituitur potens ad actum charitatis, non per gratiam, ſed per auxilium fluidum, quod Deus tenetur infundere eo ipſo, quod velit permittere peccatum, quia ſolùm poſſe per auxilium eſt poſſe coniungendum peccato. ¶ Sed hæc ſolutio falſum ſupponit; auxiliũ, quidem, fluidum, quod eſt donum Dei, infundi à Deo in caſu peccati, quod aliàs non infunderetur, ſi homo non peccaret; ait enim D. Tho. *Non videtur eſſe cõveniens, quod aliquod Dei donum homini infundatur, propter peccatum mortale*, ex hoc principio infert non eſſe conveniens, quod dum homo peccat Deus infundat habitum fidei informis, quem non infunderet ſi non peccaret; ergò dicendum ſimilitèr eſt de auxilio fluido, eſt enim *aliquod* Dei donum. Intactam etiam reliquit difficultatem, in omiſsione libera meriti, auxilium enim fluidum, licèt det poſſe ad actũ charitatis, poſſe ad meritum prætare non poteſt; coëxiſtens liberæ omiſsioni meriti, de quo infrà.

*Sup. à n. 202 vſq; ad 206.*

*D. Tho. 2. 2. q. 4. art. 5. in corp.*

*Infrà n. 246 Prado vbi ſup. ſect. 6.*

244 Ingenioſus Doctor Prado ſingularem proponit modum componendi influxum gratiæ, & virtutum infuſarum in actus pręceptos in inſtanti in quo vrget obligatio, recurrendo quidem ad auxilium redũdans, quod ſit indifferens coniungibilè cum actu, & omiſsione, nõ quod adveniat dum iuſtus peccat, vt iudicat M. Bolibar, ſed quod ſit ſimul cum habitu, dum iuſtus adimplet præceptum: In caſu enim dicto datur in iuſto duplex poteſtas ad duplicem dilectionem, quarum vnaquæque eſt ſufficiens præcepti obſervatio. Prima poteſtas conſtituta *ex auxilio* indifferenti, & *ex habitu* inconiungibili cum peccato; quàm vocat poteſtatem A; & dilectionem ei correſpondentem vocat dilectionem A, & ſimilitèr omiſsionem; ſecunda poteſtas conſtituta ſolùm *per auxilia indifferentia*; quàm vocat poteſtatem B ad dilectionem B: Hiſquè poteſtatibus poſitis ait minimè nocere libertati, quod dilectio A ex influxu habitus, ſeù poteſtatis A adimpleat dilectionis præceptum, licèt libertas ſit coniungibilis cum vtroque libertatis extremo, & habitus non poſsit coniungi cum peccato: ¶ Quia libertas ad dilectionem A, ſolùm exigit poſſe coniungi cum omiſsione dilectionis A, ſed hæc

omiſ-

omiſsio peccatum non eſt licèt vrgeat præceptum dilectionis, quia hoc præceptum adimplebitur per dilectionem B, etiam, vt coniunctam cum omiſsione A; libertas ergo per habitum conſtituta poteſt coniungi cum vtroque extremo libertatis, licèt nõ poſsit componi cum peccato.

Sed prędata ſolutio ſua ſubtilitate evaneſcit. ¶ 1. Omiſsio libera dilectionis A, eſt impoſsibilis, niſi ſit libera, quia aufert poteſtatem A; ergò dilectio A non eſt libera, niſi ſit libera, quia conſervat poteſtatem A: Prob. Antec. Omiſsio dilectionis A, ſolùm poteſt eſſe libera, vt coëxiſtens dilectioni B; ſed omiſsio dilectionis A coëxiſtens dilectioni B, eſt impoſsibilis; ergò omiſsio libera dilectionis A eſt impoſsibilis: Mai. certa, quia omiſsio dilectionis A, ſolùm eſt libera, vt coëxiſtens poteſtati A, ſolùm poteſt coëxiſtere poteſtati A, quatenus non eſt peccatũ, & non eſt peccatum, dum vrget prędceptum dilectionis, niſi quia coëxiſtit dilectioni B, quæ adimpleat præceptum: Prob. Min. Omiſsio dilectionis A, ſolùm poteſt coëxiſtere dilectioni B, quatenus voluntas inſtructa auxilijs indifferentibus, & habitu charitatis, diligat medijs auxilijs, & non medio habitu; ſed hoc eſt impoſsibilè. ¶ 1. Nam voluntas ſolum eſt libera ad operandum, non verò ad operandum hoc comprincipiò, vel illo, ex ſuppoſitione enim, quod ſe determinet ad operandum, debent concurrere omnia comprincipia apta concurrere voluntati coëxiſtentia. ¶ 2. Quia implicat voluntatem diligere per poteſtatem diligendi minus perfectam; & per perfectiorem poteſtatem non diligere; ſed ad diligendum eſt perfectior poteſtas A per auxilium, & habitum conſtituta, poteſtate B conſtituta ſolùm per auxilium; ergò implicat voluntatem diligere per poteſtatem B, & non per poteſtatem A. ¶ Nec valet ſi Dicas, cũ prædicto Authore. Quod voluntas poteſt omittere dilectionẽ A, ſi ſupponitur dilectio B, ordine naturæ prior; Nec eſſe inconveniens, quod voluntas ſemel diligens per poteſtatem minus robuſtam, iam nolit iterùm diligere per robuſtiorem. Quia contra eſt; tùm, quia voluntas quomodò poteſt nolle diligere per A, ſemel diligens per B, ſi nequit diſcernere inter has dilectiones, cum ſint omninò ſimiles, & ſolo numero diſtinctæ, vt hic Author ſupponit; & conſtat iuſtum nullatenus diſcernere, ſi diligit ſolùm per auxilium, vel per auxilium ſimul cum habitu; tùm: quia difficultas eſt in prima dilectione, quia repugnat, quod ſit dilectio B, & non dilectio A, quia incredibilè eſt virtutem minus robuſtam prędvenire operando, & perfectiorem, & robuſtiorem otiari, vel ſubſequi, ſpecialitèr, cum voluntas non poſsit eſſe electiva in operando hac, vel illa virtute, cum intellectus non proponat, nec iudicet differentiam dilectionum, aut virtutum.

*D. Prado ibi, n. 115.*

2. Solutionem impugno, & dicta confirmantur: Repugnat auxilium eſſe cum habitu, & voluntatem diligere per habitum, & non per auxilium; ergò repugnat auxilium eſſe cum habitu, & voluntatem diligere per auxilium, & non per habitum; vndè repugnavit dilectio B, quæ procedat à poteſtate B vnicè per auxiliũ conſtituta: Anteced. conſtat. Quia ſi poſſet voluntas diligere per habitũ, & non per auxilium, in caſu vtriuſque, eſſet triplex poteſtas diligendi: vna A per vtrùmque; altera B per ſolum auxilium; & altera C per ſolùm habitum; & non datur niſi duplex poteſtas diligendi iuxtà ſolutionem, vna A, & altera B: Prob. Conſequẽt. Quia auxilium datur in ſupplementum habitus; eſt virtus tranſiens, & imperfectior virtute habitus permanente; ſi ergò virtus effectiva minus perfecta, poteſt ſola efficere, licèt

coëxistens perfectiori ; Cùr virtus perfectior non poterit sola efficere, licèt coëxistens imperfectiori? Explicatur: componitur dilectio præcepta elicita libere à potestate A cõstituta per auxilium , & habitum, quatenus hæc potestas potest coëxistere omissioni dilectionis A, vt coniunctæ, cum adimpletione præcepti per dilectionem B; ergò poterit esse dilectio præcepta libere elicita à potestate C constituta per solùm habitum, quatenus habitus possit coexistere omissioni dilectionis C, vt coniunctæ cum adimpletione præcepti per dilectionem B.

245 3. Hæc solutio nequit applicari ad libertatem *contrarietatis*, quia in nullo casu potest habitus charitatis coniungi cum odio Dei, nec fides cum Hæresi ; vndè in vanũ laboratur, quia ęquè incredibilè est, gratiam , & virtutes supernaturales esse otiosas dum vrget præceptum, ac esse otiosas dum tentatio impellit, & in periculo peccandi imminenti constituit. Argumentum nostrum silentio efficax comprobatur , ex libertate contrarietatis actus charitatis minimè colligi habitum non esse *adæquatam* rationem agendi , cum non sit *partialis* virtus ad actum, ita liberum. ¶ Nec valet, quòd ait Doctor Prado. Quod libertas contrarietatis amoris , potest excogitari duplicitèr : Primo quatenus duplici libertate contradictionis gaudeat , ad odium , & omissionem odij ; & ad amorem, & omissionem amoris, & in hoc casu, hæc secunda libertas contradictionis potest constitui per habitum, dum non vrgeat præceptum amoris. Secũdo ita, vt vnicam libertatem constituat exercebilem per amorem, vel odium ; quàm libertatem nequit habitus charitatis constituere. ¶ Non, inquam , valet ; quia hoc est asserere , habitus charitatis, fidei, &c. Nullam posse constituere libertatem contrarietatis; certum est enim in libertate contrarietatis includi duplicem libertatem contradictionis; certum est etiam libertatem contrarietatis, solùm posse exerceri per extrema contraria , quia illa duplex potestas positiva , quæ constituit duplicem libertatem contradictionis , constituit vnicam libertatẽ contrarietatis , quæ libertas potest simul carere vtroque extremo libero; vt superiùs diximus: Nec hæc libertas contrarietatis formalis, seù ad actus contrarios negari potest ; eam edocuit Augustinus ad velle , & nolle, qui sunt actus contrarij : & voluntas indifferens, vt eliciat alterutrum ; ita enim ait: *Multa facimus, quæ si nollemus , non vtique faceremus. Quo primitus pertinet ipsum velle, nam si volumus est , si nolumus non est : non enim* vellemus *si* nollemus. Et ibidẽ: *Sunt igitur nostræ voluntates; & ipsæ faciunt quidquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus.* Similitèr voluntas est indifferens ad actus cõtrarios consensus, & dissensus , teste D. Bernardo, qui *sola voluntas* , ait, *quoniam pro sua ingenita libertate, aut* dissentire *sibi , aut præter se in aliquo* consentire *nulla vi , nulla cogitur necessitate.* Hęc ergò libertas, vt distincta à libertate contradictionis admitti debet , & quod virtutes infusę donantur ad benè operandum, dum impetimur suggestionibus ad malè operandum.

246 Ad 3. probationem : desumptam ex libertate ad meritum constituta per gratiam habitualem in casu præcepti operis meritorij; solutio fuit P. Ramirez negare influxũ *physicum* effectivum gratiæ habitualis esse necessarium ad meritum condignum; sed sufficere *moralem*: consistentem in eo, quòd gratia præcesserit in instanti antecedenti, & in illo instanti actus præcepti , aut omissionis peccaminosę pro signo *indifferẽtiæ* ad vtrùmque non intelligatur excluſa. ¶ Nec dissimilis est solutio

*Prado, vbi sup. n. 86.*

*Sup. n. 172.*

*Aug. lib. 5. de Civit. c. 10.*

*D. Bern. de Grat. & Libero Arb.*

*Sup. n. 222.*

*Ramirez, disp. 12. de Prædest. c. 6. num. 170*

*Prado vbi sup. n. 88.*

tio Doct. Prado; asserit enim gratiã in seipsa non constituere potestatem ad meritum; sed in causis proximis, vt per illam causatis, & ad eius exigentiam; vndè in casu omissionis meriti præcepti est potestas immediata ad meritum sine gratia, quæ sit per principia supernaturalia, quæ existant ex exigentia, & debito gratiæ habitualis in instanti antecedenti existentis.

Contra est 1. Quia admisso gratiam habitualẽ esse principium formale meriti condigni, in casu præcepti meriti conceditur principium in genere causæ formalis, quòd ex incomposibilitate cum omissione subordinetur voluntati quoad conservari, ita vt transitio eius ad instans B, sit vsus eiusdem principij; Cùr igitur repugnabit huiusmodi com. principium in genere causæ efficientis? Cùm non minus exigatur ad effectum suum existentia principij causantis in genere causæ formalis, ac existentia principij causantis in genere causæ efficientis. ¶ 2. Quia hæc solutio est contra communem Theologorum doctrinam in tractatu de Merito, & Gratia Christi, cuius meritum ex D. Thoma: *Rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest.* Et vt ait Tridentinum: *Solùm* (pende verbũ) *iustis Deum diligentibus promittitur, & proponitur præmiũ, & merces vitæ æternæ*, solùm ergò opera iustorum ordinantur à Deo ad vitam æternam, vt mercedem, & præmium; quia sola gratia iustificans, est *fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam.* Vndè sola natura elevata ad esse divinum per gratiam, habet proportionem virtutis cum vita æterna: vt possit esse ius, aut debitum ipsam consequendi. Vlteriùs, solùm bona communia distribuntur inter partes communitatis, beatitudo est bonum proprium Dei, & solùm per iustitiã, seù amicitiam cum Deo, est bonum nobis commune; & ideò ait D. Tho. quod opus nostrum est meritorium, *ex vi charitatis, quæ facit ea, quæ sunt amicorum, esse communia.* Non est enim vita æterna, bonum distribuendum inter advenas, & extraneos, sed inter cives Sanctos, qui sunt membra Christi super ipsum ædificati; ait enim Apostolus: *Iam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei superædificati ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Sanctum in Domino, in quo, & vos coëdificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto;* Homo autem fit templum Dei, & inhabitatur à Deo ratione gratiæ, & charitatis, nam, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et ratione fidei formatæ per gratiam, constans enim est: *Habitare per fidem Christum in cordibus vestris.* Ergò antequàm homo per habitualem gratiam sit Dei amicus, cives Sanctus, domesticus Dei, templum Sanctum in Domino, est advena, & extraneus nullum potens habere ius, aut meritum, ad gloriam Civitatis Sanctæ Hyerusalem; Vndè sic arguitur, quod gratia habitualis existeret in instanti antecedenti ad omissionem meriti præcepti, & quod in signo indifferentiæ omissionis non intelligatur excluſa, vel si mavis, quod principia proxima supernaturalia ad actum meritorium existant in instanti omissionis meriti præcepti ex exigentia, & debito gratiæ habitualis, quæ in instanti antecedenti extitit, non probant, in instanti omissionis meriti præcepti existere gratiam habitualem, aliàs coexisteret peccato mortali; sed gratia habitualis est potestas merendi, vt probatũ manet; ergò potestas merendi, licèt fuisset in instanti antecedẽti ad omissionem, licèt in signo indifferentiæ non intelligatur excluſa, & principia actus meritorij proxima existant ex

D. Tho. q. 29 de verit. artic. 5. ad 4.

Trident. sess. 6. cap. 16.

D. Thom.

Ad Ephes. 2.

Ioan. 4.

Ad Ephes. 3.

exigentia poteſtatis merendi anteà exiſtentis, non coexiſtit in inſtanti omiſsionis realitèr omiſsioni; ergò omiſsio meriti condigni libera, & peccaminoſa poteſt exiſtere, quin coexiſtat poteſtati ad meritum, quia per ipſam omiſsionem excluditur.

*ſup. n 223. Aranda, vbi ſup.*

247 Ad fundamentum ex M.P. Auguſt. deſumptum, quod laudat P. Aranda, vt manifeſtam deciſsionem doctrinæ noſtræ, quæ tota eſt Auguſtini, & in Adamo verificata. Et adducit P. Munieſſa, apud P. Ramirez, ipſe, & Doctor Prado Reſpondent eadem ſolutione, nunc examinanda: & ait Ramirez nil remotiùs à M. P. ſenſu, quàm principium connexum auferibilè libertatis conſtitutivum, ſuadet nõ aliundè, quàm ex ipſo Auguſtino; inquit enim: Adiutorium illud, *ſine quo* conſtituens ſufficientiã fuiſſe in Angelis, & Adamo peccantibus; ſed in illis non fuit adiutorium connexum cum perſeverantia, alioquin non peccaſſent, nec à bono defeciſſent; ergò adiutorium *ſine quo* apud Auguſt. non fuit connexum cũ perſeverantia, & defectu peccati: Min. & Conſeq. conſtant: & Mai. patet. Aliàs Adamus, & Angeli peccantes inſufficientes ad non peccãdum, peccaſſent. Confirmat vrgentiſsimè: Adiutorium *ſine quo* diſtinctum ab adiutorio *quo* dicit ſufficientiam ad perſeverandum ſine effectu perſeverandi, ſed adiutorium conſiſtens in principio connexo non eſt ſeparabile à recta operatione, ideòque efficax, & non purè ſufficiens; ergò adiutorium *ſine quo* ex mente Auguſt. non fuit connexum, cum vno libertatis extremo: Ampliùs explicat. Adiutorium incomponibilè, cum nõ perſeverantia eſt adiutorium, quod Angeli, & Adamus non habuerunt peccantes, ſed habuiſſent, ſi perſeveraſſent; ſed adiutorium *ſine quo* habuerunt Angeli, & Adamus peccantes; ergò non erat adiutorium incõponibilè cum non perſeverantia.

*Ramirez de Prædeſt. diſput. 12. c. 6. Prado, diſp. 2. ſect. 2. à num. 99.*

Vndè Reſpondent. Potentiam proximam perſeverandi in aliquo conſtitui per exiſtentiam illius, vt tempore præcedentis: Ratio eſt Quia cum perſeverantia ſit cõtinuata exiſtentia, implicat; poſſe proximè perſeverare in eo, quod non præextitit. Cùm verò Auguſt. loqueretur de poteſtate Adami ad perſeverandum in gratia, vel illam deſerendi, neceſsè fuit, vt per adiutorium *ſine quo* talis poteſtatis intelligeret gratiam ſanctificantem, vt præexiſtentem in inſtanti antecedenti, ad præcepti violationem, & ſanctitatis deſſertionem: ſed ex hoc minimè cõvincitur, principium connexum cum vno libertatis extremo, & oppoſitum alteri eſſe conſtitutivum libertatis ex mente Auguſtini; ſed tantum, quod gratia, quæ ſi exiſteret in B, eſſet incomponibilis cum non perſeverantia, conſtituat libertatem perſeverãdi in B, vt præexiſtens in A, quomodò, nec cum perſeverantia in B connectitur, nec defectui perſeverantiæ in B opponitur. Vndè *peſsima illatio* eſt ex neceſsitate adiutorij gratiæ ad perſeverandum in illa inferre gratiam, vt connexam cum perſeverantia conſtituere libertatem perſeverandi.

248 Fateor, cum lego à Sapientiſsimis Viris, quorum ingenia expertus ſui, argumẽtum noſtrum *peſſimam illationem* nuncupatum, & nil remotiùs à M.P. ſenſu, ex ipſo Auguſtin. concluſione noſtra probari, me ſub obſcurè argumentum propoſuiſſe, clariùs expendam, vt ſuadeam rectè P. Aranda aſſeruiſſe; eſſe *manifeſtam deciſionem Auguſtini* pro doctrina noſtra.

Et nota 1. Quod dum Theologi vtriuſquè Scholæ, ad impugnandum Janſenium, & exponendum Auguſt. in diverſitate gratiæ ſecundùm differentiam ſtatuum naturę integræ, & lapſæ, vt certum tradunt, Adiutoriũ *ſine quo* collatum Adamo fuiſſe habi-

bituale donum gratiæ iustificantis, quo potuit perseverare, si vellet: nō intelligunt per perseverare, *continuare* existentiam gratię, quatenus potestas perseverandi in quocūque alio; v. g. divitijs constituitur per existentiam divitiarum in tempore præcedenti: Ratio: Quia hoc ita certum, vt tempus absumere in eo comprobando ridiculum foret; nec ad differentiam statuum conduceret, quia etiam in lapsis potestas proxima perseverandi in gratia constituitur per existentiam illius, vt tempore præcedentis: Per posse *perseverare* constitutum per gratiam habitualem, intelligunt, cum ipso Augustin. Adamum *posse non peccare, posse non mori, posse vincere velle malum, posse non cadere, posse numquam malum esse*: Vndè non solùm potestas perseverandi, seù continuandi materialiter existentiam gratiæ constituitur in Adamo per habitualem gratiam; sed etiam potestas non peccandi, seù adimplēdi præcepta. ¶ Nota 2. Quod dum diximus, Adiutorium *sine quo*, seù sufficiens in Adamo, ad non peccandum, seù adimplenda præcepta, esse donum gratię *habitualis*, intelligendum esse per exclusionem gratiæ *actualis* sufficientis, quia omnes Theologi, ibi relati, vt omninò verum docent, & in vtraque Schola asserendum, ad exponendum August. & errorem Calvini, & Jansenij refutandum; in statu innocentiæ solùm esse necessariam *illuminationem* Spiritus S. (quod est evidens, & à nullo negatum) minimè verò Spiritus S. *inspirationem*, quæ sit cœlestis delectatio voluntatem accendens, eiusque indeliberata motio ad supernaturale virtutis bonum alliciens; sicut est necessaria in statu naturæ corruptæ: Consule Authores citatos, & infrà me ex Aug. eandem veritatem probantem, & ideò scripsit August. *Si hoc adiutorium defuisset, non sua culpa cecidisset*, Adamus, quia *in eo bono acceperat posse non peccare*: Et ideò Argumentum formamus in Adamo, non in nobis lapsis, quia in nobis est sufficientia non peccandi, & adimplēdi præcepta per auxilia gratię *actualis*, in Adamo vnicè fuit hæc potestas per auxilium gratiæ *habitualis*, quia in sola illuminatione Spiritus S. sufficientia esse non potest: Vndè non fuit in Adamo libertas peccandi, aut adimplendi præcepta, quæ non esset potestas perseverandi, aut deserendi gratiam; & ideò ait August. *Posset Adam perseverare, si vellet, quia nō deerat adiutorium per quod posset*: & sine quo *non posset; sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est: cuius meritum fuisset, si permanere voluisset.*

*August. de Correct. & Grat. c. 11.*

*August. vbi sup. à n. 223.*

*Sup. n. 223.*

*Infrà Disp. 3. quæst. 4. in solut. 2. Argu. Lanseni.*

249 His, nō probandis, sed supponendis cum cōmuni sententia Theologorum procedebat Argumentum nostrum, & nostra, vt ais: *Pessima illatio*; sed illam formo, vt videas, quo modò possit applicari: solutio tua, inquirendo; innobedientia, vel peccatum, seù velle malum Adami, fuit in Adamo coniunctū cum Adiutorio suę libertatis, *sine quo* non posset, & per quod posset obedire, posset non peccare, seù posset bonum? Si affirmas; adstruis in Adamo gratiam indifferentem *actualem sufficientem*, quia hæc sola est coniungibilis cum inobedientia, cum peccato, & cum velle malum, quod negant ferè omnes Theologi nostri sęculi, & pro solutione consentis: *Adiutorium sine quo* (est idem, ac sufficiens,) *ab Augustino vsurpatum fuisse solam gratiam habitualem*; (pende ly solam) licèt nolis, hoc esse ita certum, & indubitatum, vt putat P. Decamps, quē iustè vocas Magnum Theologum; mihi sufficit, indagatorem vigilantissimum Augustini, vt ipsum vindicaret à Jansenismi calumnia: *Vix putare ab aliquo attentiùs legi posse* Augustinum, *quin continuò fateatur: Adiutorium illud Adami toties à*

*P. Ramirez ibi, n. 143.*

*Decamps de Hæresi Iansen. disp. 3. cap. 20.*

S.

S. Doctore co loco inculcatum nihil aliud esse (pende verba,) quàm habitualem gratiam. Si Negas; ipsa nostra conclusio est, esse vnum extremum liberum, licèt non sit coniunctum cum potestate, seù Adiutorio sufficiente ad oppositum. ¶ Etsi inquiras; quomodò velle malum est liberum, si non coniungitur in Adamo cum posse bonum? Resp. August. *Per velle malum rectè* perdidit *posse bonum*. Et illud *posse* per quod Adamus *potuit vincere velle malum*. Et nil erit remotiùs à mente Augustin. principio nutu voluntatis conservabili, aut destruibili?

*Aug. lib. 3. Hypognost. cont. Pelag.*

250 Vndè ad probationes in contrarium Resp. Adiutorium *sine quo* fuit in Angelis, & Adamo peccantibus: Disting. Fuit in ipsis antequàm peccarent, Concedo: Mai. Immò *si hoc Adiutorium, vel Angelo, vel homini defuisset, non sua culpa cecidissent*: fuit in ipsis, simul cum peccato: Nego: Mai. *Tale quippè erat Adiutorium, quòd desisteret, cum vellet*. Et per *velle malum illud perdidit*: Accedamus ad Min. Sed Adiutorium, quod fuit in Angelis, & Adamo peccantibus non erat *connexũ* cum recta operatione, & perseverãtia: Disting. ly *connexum*, per vim determinandi voluntatem ad persever. Conc. per inconiungibilitatem cum non persever. seù peccato, Nego. Gratia enim Adami non habuit connexionem per vim determinandi ad rectè operandum; sed per repugnantiam cum opposito: Cùm *eam per liberum arbitrium desistere posset*, quo verbo August. vtrùmque extremum distinctionis probavit.

*Sup. n. 247.*

*Aug. suprà num. 223.*

Ad confirmat. vrgentissimam: Illud Adiutorium *sine quo*, non esse efficax, quia erat Adiutorium, non *quo fieret vt vellet, non quo fieret, vt perseveraret*. Erat quidem sufficiens, sed *connexum*, non quia inferat perseverantiam, seù *velle permanere in ipso*; sed quia inconiungibilè cum nõ perseverantia, quatenus illud *perdidit per velle malum*, poterat enim *desistere cum vellet*; sic virtus fidei est connexa cum carentia Hæresis: Charitatis cum carentia odij Dei, & gratiæ habitualis cum carentia peccati gravis, dependent enim à volũtate in *operari*; & ita non includunt efficaciam; sed dependẽtia à volũtate in operari est dependentia in *esse*; & ideò non sunt coniungibiles cũ vtroque extremo libertatis. ¶ Ad explicationem; Resp. Illud Adiutorium incomponibilè cum non perseverantia, non esse Adiutorium, quòd non habuerunt Angeli, & Adamus peccantes; sed quod *perdiderunt per velle malum*; & quod *desistuerunt cum voluerunt, & in quo permanerent, si vellent: non quo fieret, vt vellent*, seù perseverarent.

## ADDITIO.

251 PRimus, sententiam nostram impugnans fuit P. Palanco, ex quo oppones. 1. Id principiũ antecedenter necessitaret ad actum; quia necessitaret ad ipsum in signo actus primi: dicere autem non esse necessitatem antecedentem, actus; quia est necessitas auferibilis per omissionem, est principium petere, quia eo medio, quo probatur, id principium esse necessitatem antecedentem actus, probatur esse impossibilitatem antecedentem omissionis, & exindè non esse auferibilè per omissionem.

*Palanco de Provid. q. 15. sect. 7. à num. 82.*

Denique; quia necessitas illa est potestas proxima ad actum; sed potestas proxima nequit esse cõsequẽs; ergò nec illa necessitas: Prob. Min. Illa potestas nequit esse consequens ad actum; quia implicat, quod posse agere sit consequens ad ipsum agere: nequit esse cõsequẽs ad omissionem; quia antecedẽter repugnat omissioni, sicut, & connectitur cum actu; ergò. Nec valet quod existentia illius potestatis conservetur in eo instanti de-

dependenter ab agere, & actu ipso; quia contra est: causam esse in instãti A, nequit esse consequens ad causam agere, quia priùs est esse, quàm agere; sed priùs est posse in aliquo instanti, quàm agere in eo instanti; ergò implicat, quod posse in aliquo instanti sit consequens ad agere in eo instanti.

252 Secundò: Quod potestas sit libera ad agendum non consistit in eo, quod eius existentia sit agenti libera, quia potestas libera non est, quæ *libere existit*; sed quę *libere agit*, sicut potestas necessitata nõ est, quæ *necessariò existit*, sed quę *necessariò agit*: Vndè potestas libera est, quę nullo vinculo necessariè connexionis est obstricta ad agendum; sed potestas de qua loquimur, licèt sit liberum voluntati, quod existat, non est liberum, quòd agat, cum existere non possit nisi actu agendo; ergò talis potestas non est libera, sed necessitata.

Alitèr solet opponi contra prædeterm. constituentem potestatem, medio ęquè probante adversus principium connexum; vndè insurges 3. ex RR. Thyrso. Actus primus connexus cum actu secundo, nequit esse actus primus ad operandum libere; sed talis est actus primus constitutus per principium A connexum; ergo: Prob. Mai. Operari libere est libere coniungere actum secundum cum primo; ergò, & posse non coniungere; ergò & posse *seiungere* actum primum à secundo; ergò operari libere exigit actum primum non esse connexum cum secundo: Patet Cõseq. Quia nulla potestas esse potest ad separandum connexa, seù inseparabilia.

*Thyrso, t. 1. disp. 17. sect 17. n. 175.*

253 Eadem maior alitèr probatur à P. Palanco. Actus primus, seù potestas proxima connexa cum amore est metaphysicè inseparabilis ab amore; sed potestas metaphysicè inseparabilis ad amore est metaphysicè necessitata ad amandum; ergò, & potestas connexa, seù per principiũ connexum constituta, & exindè non est potestas libera. ¶ Vel alitèr: Potestas proxima, quæ nulla vi, aut potentia existere potest, nisi actu amãdo, est metaphysicè necessitata ad amandum; sed potestas constituta per A, nulla potentia potest existere, nisi actu amando; ergò: Maior videtur innegabilis, quid enim ampliùs requiritur, vt potestas sit necessitata ad amandum, nisi quod ita necessariò vinculo sit amori alligata, vt existere non possit nisi amando, talitèr, quod nulla potentia cohiberi possit ab amore? Minor etiam patet: Quia nulla potentia fieri potest, quod potestas constituta per A, sine ipso existat; quia implicat constitutum existere sine constitutivis, sed nulla potentia fieri potest, quod existat principium A, nisi cum amore, siquidem cum eo essentialitèr connectitur; ergò.

*P. Palanco, q. 15. de Prov. sect. 4. n. 26.*

Respondeo: id principium non esse necessitatem ex parte actus primi; vndè nullatenus esse necessitatẽ antecedentem actus, aut impossibilitatem antecedentem omissionis; quod efficacitèr probatur, dum principium supponitur auferibilè; quia si voluntas est expeditè potens ad non coniungendum actum primum cum actu secundo, quomodò est in eo actu primo necessitas, vt coniungatur cum actu secundo? Dum verò instas; me principium petere, dum intendo id principium non necessitare, quia auferibilè, cum eadem ratio, quæ probat ipsum necessitatem esse actus, convincat esse inauferibilè per actus omissionem: ¶ Resp. hoc ita esse, si ex sola connexione principij cum actu probaretur, principium esse necessitatem actus, cum verò ex solà connexione non probetur necessitas, principium titulo cõnexionis non pugnat cum auferibilitate: & ratio est; quia connexio prin-

principij; v.g. gratię cum actu charitatis in B, in quo vrgeat charitatis præceptum, ſolum ſuadet hanc conditionalem: *Si exiſtit in B gratia, actus charitatis exiſtit in B*, in hoc enim ſiſtit connexionis eſſentia, hęc autem veritas quid obſtabit, vt in B, nec gratia, nec actus charitatis exiſtant; connecti enim vnum cum alio non impedit vtrùmque pro nutu voluntatis ſimul deficere, contingens enim vtriuſque extremi defectus, nõ pugnat cum neceſsitate conditionata exiſtentię vnius ſub hypotheſi exiſtentiæ alteriùs,

Ad id, quod vrget; dicimus illam poteſtatem per tale principium conſtitutam, antecedere actum, ſed non eſſe actus neceſsitatem antecedentem, nec aſſerimus eſſe actus neceſsitatem conſequentem, ſed eſſe neceſsitatem conditionatam actus, in aliquo præcedente actum ſub conditione mihi libera; vndè in eodem exemplo inſiſtam, eſt neceſſaria hæc conditionalis, *ſi exiſtit gratia, exiſtit dilectio Dei*; ſed conditio eſt mihi libera; vndè conditionatum nõ eſt ſimplicitèr neceſſarium, cum autẽ omittitur dilectio deficitquè gratia, ſeù poteſtas dilectionis, eſt illius impoſsibilitas purè conſequens, quia provenit hæc impoſsilitas ab ipſa omiſsione, non enim voluntas tunc dilectionem omittit, quia eſt impotẽs diligere, immò potiùs, ideò amittendo gratiam fit impotens diligere, quia dilectionem omittit. Nec incõveniens eſt poteſtatem ad actum exiſtere in B, dependenter ab actu, vt removente prohibens; quia ſi deficeret actus, poteſtas etiam deficeret; ſic Auguſt. dixit: Adamum *per velle malum perdidiſſe poſſe bonum*: & alibi probavit plures poteſtates ad agẽdum eſſe in noſtra poteſtate, cum poteſtates dependent in conſervari ab actionibus in noſtra poteſtate exiſtentibus; libertates enim ſunt plures, quę inadæquatè deficiunt dum exercentur, libertas enim dõnandi, aut retinendi librum, quem poſsideo, perit dum dono, quia per donationem iam non poſsideo id ipſum, quod dono. Et quę repugnantia in eo, quod actus à poteſtate effectivè dependeat, & quod poteſtas dependeat ab actu, vt à removente omiſsionem pugnantem cum ipſa poteſtate?

*Aug. lib. 3. Hypognoſt. cont. Pelag.*

*Aug. de Natura, & Grat, c. 47.*

Ad ſecundùm: fateor ad libertatem non attendi, an libertas, aut poteſtas libere exiſtat, aut neceſſariò, ſed an principium libere, aut neceſſariò agat; indifferentiam autem agendi, & non agendi non deſideramus in *principio actus liberi*, ſed *in principio libero*; non enim oppugnat libertatem agendi, quod poteſtas agendi ſit connexa cum actione; ita vt non poſsit exiſtere in inſtanti determinato, quin in eo exiſtat actio, ſi principium liberum eſt potens, vt in eo inſtanti, tàm actio, quàm poteſtas deficiant, quia indifferentiam ad actionem non exigimus in poteſtate ad libere agendum, ſed in principio potente libere agere: Ad 3. nego Mai, & ad probat. 1. nego 2. Conſequent. Quia valdè diverſa ſunt, poſſe *non coniungere* actum primum cum ſecundo; & poſſe *ſeiungere*, ſeù *ſeparare* actum primum à ſecundo; principium enim liberum ſemper eſt potens *non coniungere* actum primum cum ſecundo, non tamen ſemper eſt potens *ſeparare* actum primum à ſecundo: ratio eſt, quia actus primus poteſt conſtitui per aliquid connexum, & à libertate dependens in exiſtendo; & tunc nulla erit poteſtas, vt actus primus *ſeparetur* à ſecundo; chimærica enim eſt poteſtas ad ſeparandum connexa; erit autem vera poteſtas, vt actus primus non *coniũgatur* cum ſecundo; dum enim adeſt vera poteſtas, vt actus primus non ſit, eſt poteſtas, vt non ſit coniunctus cum actu ſecundo; licèt enim ſint connexa A, & B, & exindè nulla ſit

poſ-

potestas, vt existat A, sine B; quia hęc esset separabilitas connexioni repugnans, potest tamen adesse vera potestas vt A, *non sit cum* B, de quo plura diximus suprà.

*Suprà num. 228.*

In secunda arguendi forma ex P. Palanco, forsitàn confunditur, potestas ad amorem liberum, cum potentia libera; cùm principium actus liberi, & principium liberum diversa sint; nil enim distinctum à voluntate, est principium liberum, aut potentia libera, & plura præter volũtatem sunt principia actus liberi; sicut verò principium actus liberi distinctum à principio libero, non exigit indifferentiã *activam*, seù *effectivam* vtriusque extremi libertatis, vt constat in auxilio gratię impotente efficere peccatum; ita nec exigit indifferentiam *subiectivam* coniungibilitatis cum vtroque libertatis extremo. Vndè ad 1. formam, nego Min. & ad 2. Mai. quia licèt potestas non possit existere, nisi amando; principium liberum erit potens amare, & nõ amare, si est verè potens impedire, aut auferre potestatem illam impotentem existere, nisi amando; quia principium liberum, vt tale sit, non exigit, quod potestas amandi possit *esse sine amore*; sed solùm exposcit, quod potestas amandi possit *non esse cum amore*.

254 Ego verò sic in me oppono: Repugnat consensus liber, qui non sit à Deo scibilis sub conditione suæ libertatis per scientiam conditionatam contingentem; sed consensus liber, cuius libertas in actu primo constitueretur per principium A cõnexum non esset scibilis à Deo sub conditione suæ libertatis per scientiam conditionalem contingentem; ergò repugnat consensus liber, cuius libertas in actu primo sit per principium A, seù connexum, constituta: Mai. suprà diffusè probavi, & ex illa intuli non posse libertatem constitui per principium connexum inauferibilè: Prob. Min. Scientia conditionata talis cõsensus liberi sub conditione adæquatę, & soliùs libertatis est simplicitèr necessaria; ergò: Prob. antec. Scientia consensus sub conditione cum eo connexa est scientia necessaria, quia ex terminis falsitati repugnans; sed scientia cõsensus sub conditione talis libertatis est scientia consensus sub conditione cum eo connexa, cum libertas sit per aliquid cum consensu connexum constituta; ergò. ¶ Nec difficultas minuitur (vt mihi publicè disputanti dicebatur,) asserendo conditionem talis libertatis esse connexam cum cõsensu per aliquid auferibilè pro voluntatis nutu, & ita scientiam consensus sub conditione illius libertatis esse contingentem; qualis esse nõ potest sub conditione libertatis per principium inauferibilè, & connexũ constitutę. ¶ Quia, vt conditionalis sit necessaria sufficit conditionem esse conditionato connexam, sivè conditio existat necessariò, sivè liberè, & contingenter; sicut istæ conditionales sunt simplicitèr necessariæ: *Si existit consensus liber existit prædeterm. Si Petrus currit movetur.* Quia licèt conditiones à libertate dependeant in essendo sunt necessariò cum conditionatis connexæ. ¶ Rèspondeo esse chimęricam scientiã divinam conditionatam simplicitèr necessariam consensus liberi sub hypothesi libertatis; nec inconveniens talis scientiæ deductum ex prædeterm. hypothesim libertatis constituẽte, infertur ex principio connexo auferibili constituente libertatem: & ratio est; quia dum id principium connexum libertatem cõstituit; v. g. gratia habitualis respectu actus charitatis præcepti; conditionalis non debet ita efformari: *Si existit in instanti B, in quo vrget dilectionis præceptum hæc libertas, erit in B, dilectio Dei.* Hæc enim est necessaria, sicut, & omnis conditionalis, cuius cõ-

*Sup. à n. 204*

ditionatum est exactum, vt existat conditio, cum enim dilectio Dei debeat existere in B, vt existat in B gratia; exigitur, vt existat in B illa libertas constituta per gratiam; vndè cõditionalis contingens sub hypothesi libertatis, ita debet formari: *Si existit in A, hæc libertas ad diligendũ Deum in B, erit in B dilectio Dei.* Oppositа enim potest esse vera; sub conditione enim existentiæ illius libertatis in A ad diligẽdum in B, potest in B deficere dilectio, sicut, & illa libertas; libertas enim ita constituta nõ necessitat vt dilectio sit; quia licèt non posset esse sine dilectione, potest non esse cum dilectione, cum possit pro nutu voluntatis non esse gratia habitualis, quæ inadæquatè constituit ipsam libertatem; nil autem simile invenies in libertate per principium connexum, & inauferibilè constituta; vndè eo solo titulo suadetur impossibilis; quod nulla potest esse conditionalis contingens de consensu libero sub hypothesi talis libertatis.

*Tom. 2. q. 4. n. 243. & 245. & 248. vsquè ad 251. Prado ibi, num. 41.*

255 Post hæc scripta in Tractatu secundo de Libertate, quia istæ impugnationes prodierunt post primum, hìc tamen transcripta, quia huius dubij propria; Doctor Prado novem Ingeniosis Argumentis nostram conclusionem oppugnat. ¶ 1. Implicat omittere libere dilectionem, qui caret omni vera potestate diligendi; sed qui per omissionem amitteret principium A, careret omni vera potestate diligendi; ergò non omitteret libere: Maiorem asserit *innegabilem*: Min. probat per vndecim numeros: & summa probationis est: Non haberet potestatem *proximam* diligendi, quia careret principio A illius constitutivo; non *mediatum*, quia non haberet potestatem acquirẽdi illud principium; nõ enim posset illud acquirere per *omissionẽ*, quæ potiùs est amissio illius principij; nec per *dilectionem*, quia ista nequit esse acquisitio illius principij, ã quo effectivè procedit. Hoc Argumento ductus vocavit M. Bolibar nostram, & communem doctrinam satis implicatam, & difficilem: & P. Ramirez sibi penitus imperceptibilem. ¶ 2. Opponit Prado: per omissionem liberam dilectionis implicat auferri iudicium indifferens requisitum ad libertatem, sed hæc auferibilitas sequitur ex sententia nostra. Ergò: Mai. videtur certa: aliàs etiam volũtas esset auferibilis: Prob. Min. Cognitio retrahens ab omissione sequitur auferibilis; ergò, & iudicium indifferens illam essentialiter claudens: Prob. antec. In primis non obstat auferibilitati titulus *influendi*; quia cognitio retrahens ab omissione non influit in illam; nec obstat titulus *cõiungibilitatis*, quia stat omissionem auferre aliquid ex divina ordinatione, cum quo est intrinsicè cõiungibilis. ¶ 3. Implicat per omissionem, vt liberam auferri libertatẽ omittendi; sed si per omissionem, vt liberam aufertur principium A constitutivum libertatis amitteretur ipsa libertas; ergò. Nec valet dicere, quòd omissio nequit auferre libertatem omittendi in *actu secundo*; nec in *actu primo adæquatè*, posse verò eam impedire in actu *primo inadæquatè*, quatenus hæc libertas constituitur per potestatẽ, quàm non exercet omissio; vt suprà diximus. Quia contra opponit: omissionem esse liberam in *actu secundo*, non est aliquid *intrinsecum* omissioni, nec essentialiter, nec inhęsivè; ergò est aliquid *extrinsecum*, & non aliud appareret, nisi libertas in actu primo; ergò falsò cõceditur auferibilitas de vna, & non de alia, cum libertas omissionis *in actu secundo*, præter omissionẽ ipsam, nihil aliud claudat, nisi libertatem in *actu primo*. ¶ 4. Oppones. Implicat principium constituens libertatem connexum cum omissione, auferibilè per actum; ergò, & connexum

*Bolibar de Iustif. dub. 4 sect. vlt. n. 24.*
*P. Ramirez de Prædest. d sp. 10. c. 2. num 31.*
*Prado ibi, num. 55.*
*Prado ibi, num. 57.*
*Sup. n. 231.*
*Prado ibi, num. 59.*

*Prado ibi, num.64.*

xum cum actu auferibilè per omissionem. ¶ 5. Opponit; quia si est possibilè principium connexum cũ vno extremo libertatis auferibilè per aliud; possibilis esset libertas in actu primo constituta per principia connexa respectivè cum vtroque extremo; sed hoc est falsum. Ergò: Min. videtur vera; & Mai. ex eo constat; quia non est vndè fundari possit repugnantia talis libertatis; Non enim apparet aliud; nisi quia non posset simul componi vtrùmque principiũ; sed hæc principia ita connexa, cum extremis oppositis componi possunt; quia istę connexiones solùm possunt pugnare quoad simultaneam coexistentiam in instanti pro quo vnaquęque infert suum extremum, non in instanti anteriori: Non enim repugnant simul connexiones conditionatę cum extremis oppositis seorsim sumptis, si conditiones ipsæ sint inconiungibiles: Possibilis, igitur, erit libertas constituta per principiũ connexum cum *amore* auferibilè per odium; simulque per principium cõnexum cum *odio* auferibilè per amorem. ¶ 6. Opponit. Implicat, iuxtà nos, libertas, quæ à se sola determinetur, quia non posset posita libertate prudenter à Deo petere operationem, nec pro illa Deum orare; sed suppositа libertate constituta per principium connexum, non posset illa prędituś petere à Deo operationem, & pro illa prudenter orare; ergo sicut repugnat libertas creata à se sola determinabilis; ita repugnat per principium connexũ cõstituta: Prob. Min. Quia sicut stultum est orare pro eo, quod quis habet vnicè in sua manu; ita est stultum orare pro operatione ex suppositione, quod existat principium metaphysicè connexum cum illa. ¶ 7. Impossibilis est libertas creata à Deo imprædeterminabilis; sed libertas diligendi per principium connexum constituta esset à Deo imprædeterminabilis; ergò, Mai. est vera apud omnes Thomistas: Prob. Min. Implicatoria est prędeterm. quæ non tollat indifferentiã in libertate, quàm prædeterminat; sed in libertate constituta per principium connexum nulla est indifferentia, quæ tolli possit; ergò: Confirmat. 1. Impossibilis est prædeterm. potestatis essentialiter determinatæ ante ipsam: Sed potestas constituta principio connexo esset essentialiter determinata ante prædeterm. ex vi principij connexi; ergò. ¶ Confirmat. 2. Potestas ista, vt existens in B, nequit esse prædeterminabilis ad diligendum in B; quia ita, ipsa seipsa est determinata ad diligendum. Nec potestas ista, vt existens in A, potest esse prædeterminabilis ad diligendũ in B; quia prędeterm. est influxus in actu secundo, ordine tantum naturæ, prævius ad actum prædeterminatum & impossibilis est influxus in actu secundo, qui solùm sit ponibilis in instanti reali antecedenti ad instans, in quo extiturus est terminus; ergò nulla potestas proxima diligendi in B, in casu principij connexi est à Deo prædeterminabilis.

256 Octavo insurgit argumento à nobis suprà formato, & solutionem nostram ita impugnat. Quia ex illa sequitur totam hypothesim scientiæ divinę contingentis conditionatæ, sub qua cognoscit liberum consensum futurum in B, esse coniungibilẽ cum necessitate antecedenti consensus in B: Patet sequela; quia hypothesis est libertas existens in A ad diligendum in B, sed talem libertatem existere in A, non pugnat, & cõponibilè est cum eo, quod detur necessitas antecedens consensus in B: vt patet; ergò. Sequelam autem esse falsam ita suadetur: libertas *adæquata* consensus in B, pugnat cum eo, quòd consensus in B, sit antecedenter necessarius; sed illa libertas, vt existens in A, non pugnat cum eo, quòd consensus in B, sit antecedenter necessa-

*Sup. n. 254.*

rius, vt probatum eſt; ergò illa libertas, vt exiſtens in A, nequit eſſe adæquata libertas conſenſus in B; ergò ſcientia conditionata non aſſumeret pro hypotheſi adæquatam libertatem diligendi in B.

Nono opponit Argum. ex P. Palanco ſuperiùs adductum, & noſtram ſolutionem ita impugnat. ¶ 1. Quia immeritò contra communem Theologorum cum D. Anſelmo, D. Thom. & alijs Sanctis PP. obtruditur aliud genus neceſsitatis, quę nec ſit antecedens, nec conſequens actum, ſed *conditionata*. Alitèr, vel in iſto neceſsitatis genere concurrunt ea prædicata, quibus neceſsitas conſequens libertatem ſervat? Etſi ita eſt, non erit diſtincta à *conſequēti*. Vel habet prædicata illa, propter quæ neceſsitas antecedens libertatē adimit? Etſi ita ſit, non erit neceſsitas diſtincta ab antecedenti: vel habet prædicata alia vtrique diſsimilia? Et hoc eſt impoſsibilè, quia definiuntur iſtæ neceſsitates per prædicata inter ſe oppoſita; ergò neceſsitas principij connexi ſi non eſt conſequens, eſt antecedens. ¶ 2. Neceſsitas conditionata ſub conditione auferibili à voluntate, non eſt conſequens; ergò nec libertatem ſervat; quia ſi evitabilitas non ſufficit, vt ſit conſequens, non ſufficiet vt libertatem ſalvet. ¶ 3. Iuxtà D. Thom. neceſsitas ex ſuppoſitione, eſt neceſsitas conſequens; ſed neceſsitas conditionata eſt neceſsitas ex ſuppoſitione; ergò neceſsitas conditionata nequit eſſe diſtincta à neceſsitate antecedenti, & conſequēti.

*Sup. n.* 253.

257 Hæc argumenta ingenium ſui Authoris demonſtrant, veritatem noſtræ ſententiæ non obnubilant: & licèt ex dictis haud difficile eſſet illa diſſolvere; ob maiorem claritatem ſingulis ſatisfaciemus brevitèr, nos remittendo ad diffusè iam dicta: Ad 1. diſtinguo illam Mai. *Implicat omittere libere dilectionem, qui caret omni vera poteſtate diligendi.* Si omittit, quia ea poteſtate caret, concedo: Si poteſtate caret, quia omittit, nego: Et in caſu noſtro defectus poteſtatis diligendi ortum ducit ab ipſa omiſsione; vndè non pugnat cū libertate omiſsionis: Ratio. Quia impoſsibilitas actus orta ex omiſsione, eſt impoſsibilitas conſequens actus, & neceſsitas conſequens omiſsionē: vt ſuperiùs probavi; nec excuſari poſſet omittens à culpa, dicens: *Non poſſum agere*; ſi ex omiſsione ortum duxit impotentia agendi, potiùs increparetur: *Cùr deſſeruiſti, aut perdidiſti poſſe bonum, in quo permaneres, ſi voluiſſes, & quo potuiſti vincere velle malum?* Si enim *ignorantia*, quę non eſt antecedens, non excuſat à culpa, nec *impotentia* excuſavit, quæ non ſit antecedens, & cauſa omiſsionis. ¶ Ad 2. Iam diximus; principium *liberum* non poſſe eſſe auferibilè, ſeù connexum; *principia actus liberi* poſſe eſſe connexa, & auferibilia: Ratio. Principium liberum eſt *indifferens*: & principium indifferēs eſſe *inauferibilè*; ſuprà demonſtravimus; vndè regulam generalem conſtituimus, quam nunc inquirit Prado; & anteà quæſivit P. Ribadeneyra; quod nullum principium poteſt auferri, vel pugnare, cum *actu*, ſeù *exercitio*, in quod *influit*: aliàs dum agit deficeret: Similitèr nullū principium indifferēs eſt auferibilè, quia *coniungibilè* cum vtroquè, & exinde, cum neutro pugnans: Vndè *voluntas* nequit eſſe auferibilis, quia eſt principium vniverſale vtriuſquè, & cuiuslibet exercitij liberi; alia cō-principia ſunt limitata ad vnum prolibito voluntatis exercendum. In *voluntate* eſt dominativa poteſtas determinandi cętera comprincipia; iſta ſunt ſubiecta voluntati quoad vſum, & ea, de quibus agimus, ſunt ſubiecta voluntati quoad *exiſtere*, quia ſunt ſubiecta in *operari*: vndè ad argumentum, an iudicium indifferens ſit auferibilè per omiſsionem, ea ratio:

*Sup. n.* 218. & 231.

*Sup. n.* 229.

*Sup. n.* 192.

*Ribadeneyra adductus ſup. n.* 226.

tione, qua includit *cognitionem retrahentem ab omissione* ? Dicimus hanc cognitionem esse *indifferentẽ, & coniungibilem*, cum omissione, vndè non esse auferibilem, Instas : posse esse ordinationem divinam, seù Decretum auferendi *cognitionem retrahentem ab omissione*, si voluntas omittit. Dicimus : Tale Decretum non repugnare, quia cognitio retrahens, non influit in omissionem ; sed tunc *cognitio* illa erit ab *extrinseco* connexa cum actu : auferibilis ab extrinseco per omissionem ; vel potiùs per Decretum non coniungendi eam cognitionem cum omissione. ¶ Ad 3. benè ibi Resp. Quod per omissionem, vt liberam aufertur libertas *in actu primo inadæquatè* ipsius omissionis : Ad instantiam dicimus omissionem esse liberam in *actu secundo*, esse aliquid extrinsecum per denominationem à libertate *in actu primo*; sed non vt *adæquatè* sibi coëxistente; sed vt *inadæquatè* coëxistente, & *inadæquatè* per ipsammet omissionem deficiente, quod sufficit vt libertas omissionis *in actu secundo*, non auferatur, licèt sit ablata libertas in actu primo. ¶ Ad 4. concedimus repugnare principium connexum cum omissione auferibilè per actum; sed exindè non repugnare principium connexum cum actu auferibilè per omissionem, suprà fecimus manifestum, & quæ ingeniosè obiecit iste Author dissolvimus. ¶ Ad 5. Dicimus ex conceptu *libertatis*, non esse repugnantiam in eo, quòd libertas constituatur per principia connexa respectivè, cum vtroque extremo contrariò, quia adhùc principium liberum pro suo nutu eligeret hoc, aut illud extremum, & auferret hoc, aut illud comprincipium; hoc tamen repugnare ex ipsis comprincipijs, si enim talis naturæ sunt non possunt simul existere in voluntate; quia si iuxtà communem Theologorum sentẽtiam, quàm edocet D. Thom. habitus, qui suntfacilitates ad actus contrarios, & oppositos, vt sunt habitus vitij, & virtutis, non possunt simul existere; quia in se habent incompossibilitatem ex actibus, ad quos inclinant desumptam: Magis erunt incompossibilia principia connexa cum actibus contrarijs; quantò magis est connecti, quàm facilitare. ¶ Ad 6. neg. Min. ad prob. esse stultum orare alterum pro eo, quod iam quis vnicè habet in suo dominio, & potestate ; & exinde recte colligimus nostrum meritum nõ esse vnicè in dominio libero nostro, aliàs pro ipso frustrà oraremus Deũ: *Orare verò pro operatione ex suppositione, quòd existat principium connexum cum illa*; erit stultum, si principium sit *connexum* per *vim determinandi* voluntatem ad operationem; secus verò si est connexum per *incõiungibilitatem* cum defectu operationis: vt accidit in casu nostro; quia tunc principium est subordinatum voluntati in *operari*, immò sua connexione tàm longè abest, quòd subordinationem non habeat, quod magis subordinatur, quàm si esset indifferens, cùm per connexionem subordinetur etiam voluntati in *existere*; vndè quæ stultitia in hac oratione Adami, & Angelorum: *Domine, dona mihi velle bonum, nè deseram gratiam per velle malum, & nè perdam posse bonum, quo possum vincere velle malum* ¶ 7. Si duo notas facilè solves. 1. Solùm prædeterminari *principium liberum*, non comprincipia, quæ libertatem constituunt. 2. Principium connexum, de quo dubium, non habere vim determinandi volũtatem : Cùr ergò voluntas instructa illo comprincipio erit indeterminabilis? Vndè, nego Min. & ad probat. etiam, nego Min. Quia voluntas libera per principium connexum est indifferens, potest eo non vti, & illud non conservare ; potest igitur à Deo determinari, vt id principium con-

*Sup. n.* 231. *& in num.* 181. *vsquè ad* 190.

*D. Tho. q.* 1. *de Virtutib. art.* 10. *ad* 16. *Arg.*

conſervet, & eo vtatur. ¶ Ad 1. conf. nego Min. Quia ſi principium connexum non habet vim determinandi voluntatem: *Quomodò voluntas eſſet eſſentialitèr determinata, ex vi principij connexi ante prædeterm.*? Ad 2. conf. quod *poteſtas* illa non eſt prædeterminabilis, nec vt exiſtens in A, nec vt exiſtens in B, quia poteſtas non eſt indifferens, nec electiva, nec Dominativa, *principiũ liberum* inadęquatè illa poteſtate conſtituitur, & hoc prædeterminatur, vt exiſtens in B, ad diligendum in B, ſimulque ad transferendum ad inſtans B principium, ſeù poteſtatem exiſtentem in A, quia ſicut in B determinatur, & ſe determinat ad diligendum, ita ſe determinat, & determinatur ad transferendum principiũ connexum, de inſtãti A ad inſtans B.

258 Ad 8. ſolutionem eſſe rectam; hypotheſim ſcientiæ Divinæ conditionatæ conſenſus liberi in B, eſſe libertatem adęquatè ſumptam exiſtentem in A; ſed talem libertatem excludere neceſsitatem antecedentem conſenſus, adhùc exiſtentem in B. Ratio; quia libertas ad conſenſum in B, eſt ſimul libertas ad tranſferẽdum principium connexum exiſtens in A, pro libito voluntatis ad inſtans, B, quia ſupponitur ius in volũtate, vt gratia cõſervetur vſque dũ voluntas peccet, & quod ſolùm deſtruatur, ex non vſu ipſius, ſeù quovſquè ego deſeram, aut abijtiam, nõ vtẽdo, & ſi eſſet neceſsitas antecedẽs in B, ad conſenſum, conſervatio, aut deſtructio in B, principij cõnexi exiſtentis in A, non eſſet pro libito voluntatis; ſed ex vi neceſsitatis antecedentis exiſtentis in B; ergò illa libertas adæquata exiſtens in A ad cõſenſum in B, excludit eſſe in B neceſsitatem antecedentem conſenſus; vndè illa libertas adæquata conſenſus in B, nec componit neceſsitatem cõſenſus, nec hypotheſis ſcientię conditionatæ conſenſus liberi in B, eſt coniungibilis cum eo, quod conſenſus in B, ſit antecedenter neceſſarius.

Ad 9. dicimus SS. PP. & Theologos, per neceſsitatem *antecedentem* intelligere neceſsitatem *ſimplicem*, & *abſolutam*, auferentem poteſtatem ad oppoſitum; & per neceſsitatem *conſequentem* neceſsitatem *ſecundum quid*, & *ex ſuppoſitione*, non auferentem poteſtatem ad oppoſitum; in quo ſenſu nulla eſt neceſsitas, quæ non ſit, vel antecedens, vel conſequens, & diffusè probavimus neceſsitatem principij connexi non eſſe antecedentem, ſed conſequentem; & ita in ipſamet ſolutione ſuppoſui neceſsitatem auferibilem, evitabilem, *poſsibilem removeri* in ſenſu PP. & Theologum eſſe conſequẽtem, intendebat Argum. principium connexũ eſſe neceſsitatem, quæ *antecedit actum*; quia poſſe agere nequi conſequi ad agere; & exindè inferebat eſſe neceſsitatem antecedentem; Conſequens non infertur, quia neceſsitas actus, quæ eſt idẽticè prædeterm. antecedit actum, & non eſt neceſsitas antecedens in ſenſu PP. quia componit poteſtatem ad oppoſitum; ſed in illa propoſitione, poteſtas ad agere conſtituta per principium connexum antecedit, vel conſequitur ad agere; vt ſit antecedens actum, vel conſequens ad ipſum; in quo ſenſu dicimus non purè antecedere, ſicut prædeterminatio, quia dependet in conſervari ab actu; nec purè conſequi, quia eſt virtus effectiva actus, non ergò erit purè antecedens, aut purè conſequuta, ſed neceſsitas conditionata, quæ ex vno conceptu influit, & antecedit, & ex alio conceptu dependet in conſervari ab actu, & ſubſequitur.

*Sup. à num. 215. vſque ad 219.*

259 Iam Typograhus quæſtionem finiebat, cum ad manus habui tract. de Charitate P. Palanco, ex quo aliqua notare placet, ex ijs, quæ de hoc dubio ſcripſit: ¶ 1. Ipſum ſuprà citavi pro ſent. adverſa, nunc in

favo-

favorem noſtræ aliqua lego: & vt videas, quid verùm pauculas lineas ſubſcribo: 1. Aſſerit non excuſari *à culpâ omiſsionem actus charitatis in caſu præcepti vrgentis, licèt deſit poteſtas ad actũ charitatis.* Et ratio: quia non verificatur, *omiſsi, quia non potui actum elicere; cùm potiùs non poſſit, quia omiſsione culpabili abſtulit à ſe poſſe, auferendo gratiam, & charitatem*: In quo, quod eſt difficilè in ſententia noſtra cõcedit: Nec video, quomodò libertas, ſeù poteſtas ad actum charitatis non ſit tunc auferibilis per aliud extremum libertatis, ſi habitus vnicè conſtituens poteſtatem aufertur per omiſsionem. ¶ Aſſerit. Poteſtatem liberam ad actum charitatis, non reſpicere, vt extremũ ſuæ libertatis, omiſsionem cauſalem, & culpabilem, cum qua eſt inconiungibilis; ſed omiſsionem negativam, & purè contradictoriam, quæ peccatum non eſt, nec inconiungibilis cum habitu: Quia *voluntatem elicere ratione habitus*; habet pro contradictorio, *voluntatem non elicere ratione habitus*: & hoc non eſt *peccare*; alias volũtas peccaret ratione habitus; ſic *myſterium difficilè* explicare ait;

*Palanco de Charit. tract. 3. q. 11. ſuprà num. 251.*

*Palanco, ibi. à num. 41.*

*Palanco, ibi. num. 36.*

260 Cõtrà 1. quærat extremũ poſitivũ libertatis ad omiſsionẽ culpabilẽ, quod nõ ſit adimpletio præcepti, & vitatio peccati, ad quã præſtet vires gratia ſupernaturalis. ¶ 2. Quia libertas in actu primo eſt adæquatè realiter diſtincta à terminis libertatis; ergò in termino libertatis nequit ſignate includi habitus conſtituens libertatem in actu primo. ¶ 3. In illa propoſitione *non elicere ratione habitus*; ly *non*, vel negat elicientiam, & habitum ſub disiunctione; vel ſolũ negat elicientiam, & non habitum? Si 2. non ſunt extrema contradictoria; quia poſſunt ſimul deficere deficiente habitu; Alitèr: Obiecta contradictoria ſunt illa, quæ terminant iudicia formalitèr cõtradictoria; ſed iudicia quorum vnum affirmet; *volũtatem elicere ratione habitus*; alterũ enuntiet; *voluntatem non elicere ratione habitus*, non negando habitum; non contradicunt formalitèr, cum in vtroque habitus affirmetur, & deficiente habitu ſint ſimul falſa; ergò illa non ſunt obiecta contradictoria: Si dicas 1. Quod ſolùm poteſt dici, quia in contradictorijs complexis, quod vnum affirmat copulativè, alterum negat disiunctivè, iuxtà Dialecticę regulas: Contra eſt: Si illud extremum *non elicere ratione habitus*, negat habitum ſub disiunctione, quomodò neceſſariò exigit coniungi cum habitu? ¶ 3. Quia illam illationem; *non elicere ratione habitus*, eſt peccare; ergò *eſt peccare ratione habitus*; non percipio: Eſt ſicut iſta: *Non elicere ratione habitus*, eſt omittere actum; *ergò eſt omittere ratione habitus*: Quæ eſt conſequentia indubiè inefficax, quia habitus charitatis eſt ratio agendi, non ratio omittendi actum charitatis: *Volũtatem non elicere ratione habitus*: eſt voluntatem non agere per habitum; voluntatem non agere per habitum, dum adeſt, eſt voluntatem non vti habitu; ſed D. Tho. ait: *Habens gratiam poteſt ea non vti, & peccare*; non tamen infertur, quòd per gratiam peccet; Nec ratione gratię, ſed quod peccet per non vſum gratiæ; vndè dum dicitur: *voluntatem non elicere ratione habitus*; non intelligitur, *habitum eſſe rationẽ non eliciendi*; quia hoc eſt chimæricum, vndè nec extremum libertatis non chimæricæ; ſed ſolùm intelligitur, *voluntatem non vti habitu ad eliciendum*; quod peccare eſt, dum tenetur vti, & elicere; & inconiungibilè cum habitu.

*D. Th. 1. p. q. 62. art. 3. ad 2.*

261 2. Aſſerit: Solutionem noſtræ Controverſię eſſe, quod ſi ſermo ſit de principio *intrinſicè* connexo; neceſsitat voluntatem, & eſt inauferibilè: ſi de principio connexo *extrinſecè*, & ex ſuppoſitione præcepti, non tollere libertatem, & facilè cum

*Palanco ibi, num. 82.*

cum illa conciliari; vndè nos Controverſiam implicatiſsimam reddidiſſe, quia non diſtinximus inter cõnexionem, & connexionem.

262 Nos dicimus: *Cõnexionẽ abſq; vi determinandi*, licèt intrinſecam, & abſolutam in principio; præciſsè per *inconiungibilitatem* cum alio extremo minimè tollere libertatem; vndè inutilè erat inter connexionem *abſolutam*, & ex *ſuppoſitione diſtinguere*; Cõtroverſia enim ſiſtit; An libertas in actu 1. adęquatè ſumpta ſit cõiungibilis cum vtroque extremo libertatis? Et ita in Adamo iuxtà Aug. doctrinã, quàm ex me tranſcripſit, libertatem *non peccandi*, neceſsè eſt conſtituere per principium ab intrinſeco, & abſolutè connexum, cum carentia peccati, ſed abſq; vi determinandi voluntatem ad non peccandũ: & ita eſt habitus conſtituens libertatem contrarietatis ab intrinſeco, & abſolutè inconiungibilis cum extremo cõtrario. Dicit, habitum nunquã conſtituere libertatem cõtrarietatis, ſed hoc ſuperiùs manet reiectum.

*Palanco ibi. num.* 84.

*Palanco ibi. num.* 57.

*Palanco ibi. num.* 11.

263 Me duplici medio impugnat: 1. Quia *conſenſus liber non eſſet à Deo ſcibilis ſub cõditione ſuæ libertatis per ſcientiam conditionatam cõtingentẽ*: & quia ex hoc medio probavi prædeterm. non poſſe conſtituere libertatem: *Miratur ſanè tàm ſubitam contradictionem, vel oblivionem.* Me feſtinantèr legit, quia argumentum fuit à me obiectum in me, & ſolutum: vide ſuperiùs dicta.

*Tom* 2. *q.* 4. *num.* 243. *Suprà num.* 254. *et* 258.

264 2. In me opponit argum. ex ipſo ſuprà adductum, & quia in eius ſolutione, ſcripſi: *Forſitàn confunditur poteſtas ad amorem liberum, cum potentia libera*; ait: *Fallitur ſanè, ipſe potiùs confundit* principium liberum, cum potentia libera, cum Thomiſtæ diſtinguant, principium liberũ per *modum potentiæ*, & per modum *virtutis*. ¶ 2. ait: Me *tota illa circulatione non tangere vim ſui argumẽti*, quia expreſsè loquitur non de potentia libera, ſed de poteſtate proxima; vndè hæc propoſitio: *Poteſtas proxima amãdi inſeparabilis ab amore, non eſt poteſtas libera, ſed neceſsitata ad amorem*: ſi negatur, doctiores videant; an ſit per ſe nota, & innegabilis: & contradictoriam, *poteſtas inſeparabilis ab amore, eſt poteſtas libera, & nõ neceſsitata ad amorem*; quis non videat per ſe falſam eſſe: Si Dicas poteſtas proxima eſt ad *libere* amandum, ſed non eſt *poteſtas libera*; Inſtat: Quomodò erit poteſtas proxima non libera ad amorẽ liberum? Et quomodò potentia erit proximè libera ad amãdum, ſine poteſtate proxima libera amandi? Alitèr: de potentia libera debet verifiri *quãvis potuit non fecit*. Ergò principium liberum exigit, quod *poteſtas amandi poſsit eſſe ſine amore*; ergò nõ connexa. ¶ Hæc ſæpiùs legi, & me cogunt ad retractandum ly *forſitàn*, quia iam agnoſco, vt certum terminos confundi. Sola voluntas eſt principium liberum; ſeù electivum, ſicut ſolùm intellectus eſt principium intellectivum; habitum dici à Thomiſtis *principium liberum per modum virtutis*: non eſt eſſe virtutem liberam electivam, & determinativam; ſed virtutem potentiæ liberæ ad libere agendum; ſicut, & lumen non eſt virtus intellectiva, ſed virtus intellectus, vt intelligat. Vide ſuprà dicta. Ad 2. *poteſtas* proxima, ſeù habitus non eſt *liber*, ſed inadæquatè *libertas*: Non eſt indifferens; ſed ſimul cum alia poteſtate conſtituit indifferentiam poteſtatis; & licèt poteſtas ſit inſeparabilis ab amore, *ſi non habet vim determinandi potentiam* ad amorẽ; non neceſsitat, ſed vnit poteſtatem nõ amandi. Quelibet poteſtas eſt *pars* libertatis, ſed neutra eſt libera; & de potentia libera verùm eſt, *quamvis potuit non fecit*; ſed deſerendo *poſſe per non facere*.

*Suprà num.* 253.

*Palanco ibi. num.* 13.

*Palanco ibi. num.* 9.

*Suprà num.* 229.

DIS-




# DISPVTATIO II.

# DE GRATIA,

QVA DEVS, PRÆVENIENDO EXCITAT, ET ADIVVAT liberum arbitrium ad conſenſum ſalutarem.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrùm ex illo Apoſtolico teſtimonio*, quis te diſcernit, &c. *Deducatur gratia præveniens adiuvando ad conſenſum diſtincta à gratia, quæ præveniendo excitat?*

### SECTIO PRIMA.

*Termini explicantur, & in quo ſiſtat controverſia inter Thomiſtas, & DD. Societatis exponitur.*

265 GRATIAM ſumi, vel pro *gloria*, qualitèr eſt vita æterna, *vt cognoſcamus* Deum verum, vel pro *iuſtitia* habituali, per quam participes divinæ naturę filij Dei nominamur, & ſumus, quę eſt fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam, ſemenquè gloriæ: ob quod iuſtitiæ donum nobis iuſtificatis gratis per ſanguinẽ Chriſti, magna, & pretioſa Deus donavit, vel gratiam ſumi *pro auxilio*, & motione Dei, qua Deus ſtat ad hoſtium, & pulſat, ad ſe nos trahit, vt per fidẽ, & alias virtutes acceſſum habeamus ad iuſtitiæ gratiam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorũ Dei: Conſtat ex ſupradictis. Nunc de hac gratia Dei actuali movente, inſpirãte, & auxiliante, qua Deus facit, vt in præceptis eius ambulemus, ſermonem inſtituimus.

2.Petri 1.

Ad Rom.3.

Apocal. 3.

Ad Rom.5.

Sup. n. 27.

Ezech.36.

266 Hoc tamen nomine gratiæ non comprehendimus dona naturæ, ſed dona ſupernaturalia naturæ ſuperaddita, & gratuito à Deo per Chriſtum collata; licèt enim dona naturę poſſint dici gratia; quia ſunt dona Dei: *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, omnia enim ſunt tua Domine, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi*, vt enim Pelagiani laterent inimici gratiæ in laude naturæ eximijs laudibus liberum arbitrium extollebãt, quod in 1. ſuę perfidiæ ſtatu ad ſalutẽ ſufficere vociferabant; aſſerebat tamen M. Eccleſię, & gratiæ Pater: *Natura iſta in tantas, & tàm manifeſtas col-*

Iacob 1.

1. Paralip. 29.

Aug. cont. 2. Ep. Pelagian. lib. 2. cap. 1.

Aug. lib. 3. C. Iulianum cap. 3.

*lapsa miserias, liberatorem, mundatorem, Redemptorem Christum habet necessarium, non Iulianum, non Cœlestium, non Pelagium laudatorem,* dum verò Pelagius Catholicis offensionem faceret contra gratiam, liberum extollens arbitrium, ad declinãdam invidiam cępit nomine gratiæ liberum arbitrium intelligere, quia gratis in ipsa creatione nobis collatum; sic enim asserebat apud Augustum. *Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Vndè probes? Eo ipso* (inquit) *non contra gratiam Dei disputo, quòd liberum arbitrium defendo: Videte acumen, sed vitreum; quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate,* & infrà sic exponit Augustum hoc Pelagianorum commentum: *Si ergo hominẽ Deus creavit, & homini Deus liberum donavit arbitrium, quidquid potest homo de libero arbitrio, cuius gratiæ debetur, nisi eius, qui eum cõdidit cum libero arbitrio,* hæcquè dona naturalia non impugnavit Augustum. quod gratię nomine vsurparentur, sic enim ediserit: *Et istam, qua conditi sumus, quamquam hoc nomine appellatam minimè legerimus, tamẽ, quia gratis data est gratiam fateamur;* sed latebras, quibus suam perfidiam (Coluber Britanus) occultabat, sic pandit Augustum. *Videte fratres. Quomodò illam generalem gratiam prædicent, qua creatus est homo, qua homines sumus, & vtique, & cum impijs homines sumus, sed non cum impijs Christiani sumus. Hanc ergo gratiã, qua Christiani sumus, ipsã volumus prædicẽt, ipsã volumus agnoscant, ipsam volumus, de qua dicit Apostolus, non irritã facio gratiã Dei,* de hac ergo gratia distincta à donis naturæ hìc tractamus, non de gratia, qua homines sumus, sicut Pagani, sed de gratia, qua fideles sumus, qua ad iustificationem disponimur, & semel iustificati gloriam promeremur.

*Aug. serm. 11. de verbis Apostoli.*

*Aug. ibi.*

*Aug. vbi suprà.*

*D. Prosper. carm. de ingratis.*

*Aug. vbi suprà.*

267 Hæc autem actualis gratia, ineffabilis suavitatis occulta infusio, subministratioquè Spiritus Sãcti, nullis precedentibus meritis datur: *Quis,* (ait M.P.) *prior dedit illi, quasi suorum gratia meritorum, quis prævenit gratiam quæ gratis datur? Si aliquid meritorum antevenit gratiam, iam non gratis datur, sed ex debito redditur: si autem gratis non datur, gratia, quare vocatur?*

*August. de Gratia Christi, cap. 13. August. de verb. Apost. serm. 11.*

Vndè semper est preveniens, quatenus à nullo merito nostro prævenitur, & aliàs antevenit consensum salutarem ad quẽ movet: licèt enim sit certa secundum fidem divisio gratiæ in *prævenientem, & subsequentẽ,* quę non solùm distribuit gratiam habitualem secundùm diversos effectus, vt ex M.P. exponit Dr. Angelicus, sed etiam gratiam actualem, quæ dicitur aliquando *subsequens* quatenus ad priorem, aliam gratiam subsequitur, non quia ab aliquo naturæ opere prevenitur: semper enim gratia Dei prævenit opera, quibus diligimus, aut quærimus Deum; vt enim asserit Augustus. *Deus est, quem nemo diligit, nisi præventus; quem nemo amittit, nisi deceptus, quem nemò possidet, nisi Beatus;* & vt elegantèr Deũ alloquitur D. Bernardus: *Hoc valdè mirum, quòd nemo te quærere valet, nisi qui priùs invenerit; vis igitur inveniri, vt quæraris, quæri vt inveniaris; potes enim quæri, & inveniri, sed non præveniri,* dicitur verò aliquando gratia subsequens, asserit enim Augustus. *Vtrùmque legimus in sacris eloquijs,* & misericordia eius præveniet me, & misericordia eius subsequetur me: *Nollentem prævenit, vt vellit, volentem subsequitur nè frustrà vellit*: quod ita elegantèr traddit S. Fulgentius: *Prævenit impium, vt fiat iustus, subsequitur iustũ nè fiat impius: prævenit elisũ vt surgat, subsequitur elevatũ nè cadat;* ergò gratia, quę subsequitur ad gratiã, qua volumus, prævenit nè frustrà vellimus, hoc est, vt perseveremus; &

*D. Tho. 1. 2. q. 111. art. 3.*

*D. Bernard. lib. de diligendo Deo.*

*August. in Enchyr. cap. 32.*

*S. Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 11.*

gra-

gratia, quæ subsequitur gratiam, qua elisus surgit, ipsum semel elevatum prævenit, nè cadat; de gratia ergo pręveniente consensum salutarem nostrum loquimur, sivè subsequatur, sivè non, ad aliam priorem gratiam.

268 Deus autem per gratiam suam misericorditèr nobis collatam, & non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, vt salvos faciat; nõ solùm excitat, sed etiam adiuvat nostra opera salutaria, vndè gratia Dei dicitur aliquando *excitans*, aliquando adiuvans; vt enim asserit Tridentinum: *Per Dei excitantem, atque adiuvantem gratiam ad iustificationẽ disponimur*; quia vt asserit Bernardus: *Connatus nostri cassi sunt, si non adiuventur, & nulli si non excitentur*. Ex Sacris Litteris constat, quod Deus nos excitat, vt à somno infidelitatis, & peccati surgamus, per fidẽ, & pœnitentiam; vel, vt à somno otij, & desidię per opera meritoria exurgamus; & sic monebat Apostolus: *Surge, qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, hęcquè gratia dicitur vocatio Dei, quia *qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta*; quia per vocationem solent homines à somno oppressi surgere; & pulsatio dicitur: *Sto ad ostium, & pulso*; quia per pulsationem excitamur ad apperiendum pulsanti, & ideò Deus dum pulsat expectat, vt ei cor apperiamur: *Si quis apperuerit mihi ianuam intrabo, &c.* etiam vocatur inspiratio, & illuminatio Spiritus Sancti, quia suis splendoribus mentes illustrat, & tenebras ignorãtiæ aufugat; vt enim definit Arausicanum: *Absquè inspiratione, & illuminatione Spiritus Sancti non possumus bonum aliquod cogitare, quod ad salutem conducat*; & vt asserit Celestinus: *Vt enim boni quidquam agãt paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda servorum*; quibus vocibus communitèr à Tridentino vsurpatur, & in Sacra Scriptura ex illo: *Dominus illuminat cæcos*; & iterùm: *Illumina oculos meos*. ¶ Non verò solùm Deus excitat illuminando; sed adiũvando movet: *Spiritus enim adiuvat infirmitatem nostram*; & ideò Deo clamabat Propheta: *Adiutor meus esto*; & cõtinuò in publicis orationibus deprecatur Ecclesia: *Deus in adiutorium meum intende, &c.*

269 In quo tamen consistat gratia excitans, non conveniunt DD. Alij illam constituunt in qualitate supernaturali à solo Deo effecta, per quam excitat intellectum, & voluntatem ad actus indeliberatos; alij in actibus indeliberatis à solo Deo elicitis intellectu, & voluntate merè passivè se habente; alij in eisdem actibus, vt elicitis cum speciali extrinseca assistentia Spiritus S. in quibus discutiendis nunc immorare non licèt: communis verò Scholasticorum sententia subsistinet, actus indeliberatos supernaturales, elici media qualitate intrinseca supernaturali, à solo Deo causata, in intellectu, & voluntate recepta: Ratio est: quia sancta cogitatio, & bonum propositum, licèt indeliberati, sunt actus vitales intellectus, & voluntatis, ergò sunt effectivè ab intellectu, & voluntate; non enim est vivere, quòd non sit agere: vt suprà probavimus: aliàs ab his actibus sumitur nostræ iustificationis exordium; ergò sunt supernaturales, & ita exigunt in potentijs naturalibus virtutem intrinsecam ad illorum elicientiam, vel enim est impossibile per extrinsecam assistentiã Spiritus S. reddi potentiam sufficientèr elevatam ad eliciendum actum supernaturalem, vt tenent N. Thomistæ, licèt contrarium teneat M. Curiel in actibus indeliberatis, cum in consequentia; quàm notat Godoy; vel licèt sit possibilè, tamen connaturalius elevantur potentiæ ad actus supernaturales per virtutem, seù qualitatem intrinsecam supernaturalem.

*Trid. Sess. 6. cap. 5.* *D. Bern. de Grat. & Liber. Arbit.* *Ad Eph. 5.* *2. Ad Tim. 1.* *Apocal. 3.* *Arausican. Can. 7.* *Celestin. 1. in Epistola ad Episcopos Galliæ.* *Psalm. 93. & 145.* *Ad Rom. 8.* *Psalm. 26.* *Sup. n. 110.* *Curiel 1. 2. q. 111.* *Godoy in 1. p. disp. 18. sect. 3. n. 48.*

270 In quo ergo erit gratia prę-veniens excitans; in hac qualitate ſupernaturali elevante, vel in actibus indeliberatis media illa elicitis? Probabilius iudico conſiſtere in illa qualitate, & motione ſupernaturali à ſolo Deo effecta: ¶ 1. Quia gratia præveniens excitans dicitur in Concilijs, & Sacris Litteris, vocatio, pulſatio, inſpiratio, & illuminatio, quæ omnia vnicè ſunt à vocante, pulſante, inſpirante, & illuminante; & motus indeliberati ſunt à potentijs, quæ vocantur, pulſantur, inſpirantur, & illuminantur. ¶ 2. Ex illo celebri teſtimonio Arauſicani: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò bona facit homo, quæ non præſtet Deus, vt faciat homo*, illa bona, quæ fiunt in homine, & non facit homo, quæ ſunt niſi illæ gratiæ, quibus Deus nos prævenit excitando ad fidem, & ad iuſtitiam? Si verò hæc præveniens gratia in actibus indeliberatis conſiſtit, hoc bonum non facit in homine Deus, quod non faciat homo, quia actiones indeliberatæ verè ab homine fiunt. ¶ Nec valet contrariorum ſolutio, quòd iuxtà intentum Concilij illæ actiones indeliberatæ non fiunt ab homine, quia non fiunt modò humano, ſeù ab homine, vt homo eſt. ¶ Quia alias locutio Concilij eſſet abſolutè falſa, quia actiones, quæ ſunt hominis quoad ſubſtantiam, licèt indeliberatæ ſint, verè fiunt ab homine iuxtà D. Thom. licèt non fiant modo humano, nec ſint humanæ, & Conciliũ abſolutè negat illa bona ab homine fieri. Dum ergo Eccleſiæ PP. exponunt primam gratiam prævenientem per ſanctam cogitationem intellectus, & pium deſiderium voluntatis, non loquuntur de prima gratia abſolutè, quia ex Celeſtino: *Sancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo eſt*, per præviam gratiam, ſed vel de prima gratia in actu ſecundo, exponendo effectus primi auxilij gratiæ; vel cauſam occultam per effectus nobis notos, declarant.

*Arauſic. 2. Can. 20.*

*D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1.*

*Celeſtinus 1. Epiſt. 1. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 8.*

Ad hanc gratiam excitantem, non ſolùm pertinet illuſtratio, & ſancta cogitatio intellectus, ſed etiam motio pia, affectuoſa, & indeliberata voluntatis, qui ſunt effectus illius auxilij primi, quòd tantùm à Domino Deo eſt; vt communitèr tradũt Theologi, licèt aliqui maxima cum probabilitate, in ſtatu naturæ integrę ſolùm expoſcant illuſtrationem intellectus, neceſſariam rennuentes motionem indeliberatam voluntatis; per tales ergo actiones efficit Deus, vt intellectus ſubito evigilet, & attentè conſideret, quæ ad fugiendum malum, & amplectendum bonũ conducere poſſunt; v. g. intellectum illuſtrat peccatoris, vt videat, quàm malum ſit reliquiſſe Dominum, in quantò periculo animæ ſit conſtitutus, dum funibus peccatorum conſtringitur: ex his illuſtrationibus intellectus, motus pij, & indeliberati erga bonum, vel fugam mali, in voluntate excitantur; v. g. timoris Dei, vel inferni. Mirabiliter exponit D. Proſper, affectus per quos Deus animum excitat humanum, vt ad ſe trahat; exponens illud Ioannis: *Nemò poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum*; his verbis: *Si ergo nemò venit, niſi attractus, omnes, quocumque modò veniant, attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio Elemẽtorum, omnium, quæ in eis ſunt, ordinatiſsima pulchritudo.* Inviſibilia enim eius à creatura mundi per ea, quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. *Trahit rerum geſtarum cognitio, & Diuinorum operum relaturæ, animum*, audientis inflamant, *narrãtes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit: trahit timor*; principium enim ſapientiæ timor Domini: *Trahit lætitia; quoniã*: Lętatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus:

*D. Proſp. cont. collat. c. 14. pag. 152. Ioan. 6.*

*trahit*

*trahit desiderium*: *quoniam*: Concupiscit, & deficit anima mea in attria Domini: *trahit delectatio lectionis*: quàm dulcia enim saucibus meis eloquia tua: super mel, & favum ori meo. *Quis perspicere, aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, vt quæ fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, essuriat: ac subito, commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, sint apperta; quæ onerosa, sint lævia; quæ amara, sint dulcia, quæ obscura, sint lucida?* Hæc autem omnia operatur vnus, atque idē spiritus, dividens singulis, *proùt vult*.

271 Vndè vltimo nota; gratiam excitantem, proùt includit illustrationem sanctam intellectus, & piam motionem voluntatis indeliberatā, esse auxilium verè sufficiens, quo voluntas vires sufficientes habet ad consensum salutarem; ita, vt excitatio, & auxilium in nostra potestate non sint, quia illa dividit, *idem spiritus singulis proùt vult*; vt asserebat D. Prosper: *Spiritus enim vbi vult spirat*, excitatione verò, & inspiratione semel in nobis, ex gratia Dei existente, est in nostra potestate inspirationem recipere, seù acceptare consentiendo libere, & inspirationè abijcere, respuere, Spiritui Sancto resistendo per dissensum liberum; quod ita elegantèr docet August. *Visorum suasionibus agit Deus, vt vellimus, & vt credamus, sivè extrinsecus per Evangelicas exhortationes, vbi, & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat; sivè intrinsecus, vbi nemò habet in potestate, quid ei veniat in mentē; sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est*; & alibi: *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione tangatur? Quis habet in potestate; tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moveatur ad fidem*, non ergo habemus in potestate, quid veniat in mentem, hác vocatione, vel illa tangi mentem nostram, sed semel vocati, & inspirati consentire, & moveri ad fidem propriæ voluntatis est.

*August. de Spirit. & Littera, cap. 34.*

*Aug. q. 2. ad Simplic.*

272 His vt certis suppositis, inter Angelicæ Scholę discipulos, & Theologos Societatis exorta est gravissima controversia: quæ in hoc sistit; an pręter gratiā illam, qua Deus præveniendo excitat ad consensum liberum, sit alia gratia adiuvans, qua Deus pręveniendo adiuvet voluntatem, vt consentiat? Vel; an gratia illa, quæ ad consensum excitat adiuvet voluntatem, dum consentit, vel detur alia specialis gratia, quæ adiuvet voluntatem non solùm, dum cōsentit, sed etiam vt consentiat? Specialem hanc gratiam prævenientem ab excitante distinctam adiuvantem voluntatem, vt consentiat, negant Societatis DD. Hanc propugnamus Angelicę Scholę discipuli.

## SECTIO SECVNDA.

*Si semel admittitur gratia præveniēs adiuvando ad consensum ab excitante distincta, rectè denominatur physicè prædeterminans.*

273 HOc dissidium multum habet de nomine, & vt suprà ex August. monui: *Quid contentiosiùs, quàm vbi de re constat, certare de nomine*, aliqui enim gratiam prædeterminantem physicè ex solo nomine non esse admittendam sustinent, cum Suarez, quia hęc vox *prædeterminans*, nec in Scriptura, Concilijs, nec in August. SS. PP. aut antiquis Theologis ad significandam aliquam gratiam vsurpata sit; alij verò gratiam physicè prædeterminantem propter suam asperam significationē explodendam esse, vix enim intelligitur qualitèr voluntas ex se determinetur ad consensum liberum, si semel efficacia gratiæ per physicam præ-

*Sup. n. 114.*

*Suarez, Prolog. 1. cap. 6. n. 12, & 13.*

prædeterminationem voluntatis explicatur: duo ergo in hac sectione, vt certa inferre intendã; ¶ 1. Quod gratia physicè prædeterminans non est reijcienda propter novam vocẽ, si res per illam significata ex Scriptura, Concilijs, & PP. constet: ¶ 2. Quod vox *prædeterminans physicè*, rectè explicat, & sine asperitate efficaciam gratiæ, si semel gratia est efficax ex se, & non ex præscientia cõsensus, vel si prevenit adiuvando voluntatem, vt consentiat.

274 1. Assumpt. prob. 1. Ex Concilio Ephesino, vbi cum Nestorius callidè Concilio opponeret, & S. Cyrillo, quod vocẽ invsitatam in Scripturis vsurparent, vocando SS. Virginem MARIAM Theotocon, id est, Deiparam; sic respondet Cyrillus: *Miror itaque maiorem in modum esse aliquos omninò, qui vtrùm Sacra Virgo Deipara appellanda sit, planè addubitent: Etenim si Dominus noster Iesus Christus Deus est, quo tandem modò Sacra Virgo, quæ illum dedit, Deipara non dicetur. Hanc fidem Divini Discipuli nobis tradiderunt, quamvis istius dictionis non meminerint.* Vbi ad marginem notatur: *Cum de re certo constat, frustrà de voce certamen suscipitur*; ergò licèt Scriptura Sacra alicuius dictionis nõ meminerit, si res per illam significata in Sacra Scriptura tradditur non est vox explodenda.

*Concilium Ephesinum, cap. 10.*

Sicquè prosequitur S. Cyrillus: *Quoniam verò inter cætera cabillantur Sacram Synodum vocem Scripturæ invsitatam deprompsisse, dum Sacram Virginem Theotocon nominavit, interrogentur, & ipsi vicissim cum suis, vbi nam Christocon, aut Theodochom vsquam scriptum compererunt*; ergò ex S. Cyrillo non est contemnenda vox, quia invsitata in Sacra Scriptura, specialitèr ab his, qui vtũtur vocibus, de quibus Scriptura, & Concilia, & PP. mentionem non faciunt.

*Vbi sup. in fine.*

In dissimili materia proportione servata, idem argumentum Cyrilli formamus: quid prodest, quòd Sacra Scriptura huius dictionis: *Physica prædeterminatio*, non meminerit, quòd non reperiatur in Concilijs, & PP. specialitèr Augustin. & Thoma, si quoad sensum, & rem per illam cõmodè significatam in illis invenitur, vt hæc vox absolutè susciptatur? Et qui ita cabillantur interrogentur, & ipsi vicissim cum suis, vbi nam scientiam mediam, auxilia ab extrinseco efficacia, aut simultanea, vsquam scripta compererunt, in Scriptura, Concilijs, Augustin. & Thoma? Respõdent quidem rem significatam per has voces sæpè in Scriptura, &c. inveniri; pro nobis ergo solutionem etiam tradunt; dubium ergo sistat: An res significata per has voces: *Gratia physicè prædeterminans*, in Scriptura, &c. reperiatur?

Hæc ergò, & similia argumenta, *si hoc nomen merentur*, in initio disputationis, vt omninò inefficacia explodenda sunt; hæc vox: *Physica prædeterminatio*, apud S. Thom. v. g. non invenitur; ergò physica prædeterminatio non est de mente S. Thomę; quia vt rectè notat M. Ferre cõtra Cerf. hæc vox physica præmotio apud S. Thom. non reperitur, & tamẽ physicæ præmotiones ab ipso admittuntur; & vt obsservavit M. Prado, hæc vox physica prædeterminatio non invenitur, apud M. Bañez, & tamen Author physicæ prædeterminationis ab Adversarijs nuncupatur.

*Ferre t. 1. in 1. 2. t. 4. q. 1. s. 10.*

*Prado 2. Phys. q. 14. num. 31.*

275 2. Assumptum probat Dr. Angelicus; ita docens: *De Deo dicere non debemus, quod in Sacra Scriptura non invenitur, vel per verba, vel per sensum, licèt autem per verba, nõ inveniatur in Sacra Scriptura, quod Spiritus Sanctus procedit à Filio, invenitur tamen quantum ad sensum*; ergò ex D. Thoma possumus affirmare de Deo id, quòd non invenitur in Sacra Scriptura quantùm ad verba,

*D. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. ad 1.*

si

si invenitur, quantum ad sensum, & ideò illa vox: *Filioque procedit*, fuit de Spiritu Sancto appositа in Symbolo à Concilio Florentino, licèt in Sacra Scriptura non reperiatur, nec in prioribus Concilijs, quantum ad verba, quia est in illis æquivalenter, implicitè, & quoad sensum; ergò pariter possumus affirmare de gratia Dei physicè prædeterminare voluntatem nostram, quia licèt non reperiatur expresse, & quoad verbum in Sacra Scriptura, & Concilijs, re ipsa, & quoad sensum in Scriptura edocetur. ¶ 3. Assumptum prob. in hac voce *Transubstantiatio*, quæ in Scriptura non invenitur, & vsque ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. latuit per 1172. annos ab institutione Eucharistiæ, quæ vox, quia rectè exponit antiquissimam veritatẽ Mysterij, fuit admissa à S. Concilio, quin repelleretur, quia nova, & inaudita, non inventa in Sacra Scriptura, nec à Concilijs prioribus vsurpata.

276 Secundùm assumptũ, quod convincere intendimus: quòd, scilicèt hæc vox physica prædeterminatio rectè explicet veritatem antiquã de efficacia gratię. Probatur 1. & simul confirmatur 1. assumptum: quia hęc vox, *prædeterminatio*, non est nova, vt supponitur, sed potiùs in Scriptura, & a SS. PP. traditur; sic enim asserit D. Dionysius: *Exẽplaria autem dicimus esse in Deo existentiũ rationes substantificas, & singularitèr præexistentes, quas Theologia prædiffinitiones vocat, & divinas, & bonas voluntates existẽtium prædeterminativas, & effectivas, secundùm quas substantialis essentia omnia prædiffinivit, & produxit*, quæ ergò Theologia, exemplaria in Deo existentia vocabat tempore D. Dionysij prędiffinitiones prædeterminativas, & effectivas? Non alia certè nisi Scriptura Sacra, quia tunc alia non erat. In illo Apostoli: *Secundùm prædiffinitionem sæculorum*, quòd phrasis Græca dicit: *Secundùm prædeterminationem Dei*; & ita D. Tho. quatuor in locis vsurpat vocem, *prædeterminat*, & ex contextu deducitur loqui de prædeterminatione physicè effectiva. ¶ Dices, quòd hæc vox *prædeterminatio*, vsurpatur ad explicandam efficaciam ęternæ divinæ voluntatis, non gratiæ, qua Deus intrinsicè nos movet. ¶ Sed, cum efficacia gratiæ ex efficacia ęternę prę diffinitionis inferatur, gratia enim, quæ nobis confertur est temporalis executio divinorum decretorum, si vox *prædeterminatio* est antiquissima loquendo de divinis decretis, in gratia media, qua Deus sua decreta exequitur non debet reijci, vt inusitata.

277 2. Assumptum prob. Quia Sacra Scriptura, & SS. PP. ad exponendam efficaciam gratię vsurpant voces, quę quoad sonum durior es apparent, quàm vox *physica prædeterminatio*, & 1. durior apparet quoad sonum hæc vox *compulsio*, quàm physica prædeterminatio, & tamen ad explicandam efficaciam motionis divinæ in Evangelio habetur: *Compelle eos intrare*, & Ecclesia deprecatur *ad te nostras etiam rebelles compelle voluntates*. ¶ 2. ex illo: *Qui spiritu Dei aguntur ij sunt filij Dei*, voluntatem enim agi durius, quid videtur sonare, quàm prædeterminari, sed *aguntur, vt agant*; ait Augustinus. non enim solùm aguntur per gratiam, vt possint agere, nec cùm agunt, sed vt agant; & dum alibi sibi opponeret: *Dicet mihi aliquis, ergo agimur, & non agimus*; ait: *Respondeo, immò agis, & ageris: spiritus enim, qui te agit agentibus adiutor est*; ita determinaris, vt determineris, spiritus enim Dei efficax, *te agit*, & te determinat, non solùm tecum, adiuvando agentibus se determinantibus. ¶ 3. Si ad duritiam vocis attendamus, quę in re nulla est, strictiùs sig-

*D. Dionys. c. 5. de Divinis Nomin.*

*Apost. ad Ephes. 3.*

*D. Th. super Dionys. lect. 3. q. 3. de verit. artic. 1. Quodlib. 12. q. 4. artic. 4. & in 1. ad Anib. dist. 47. art. 4.*

*Luc. 14. vers. 23. Dominic. 4. post Pentec. Ad Rom. 8.*

*Augustin. de Correct. & Grat. cap. 2. Augustin. de verb. Apost expon. illud ad Rom. 8.*

significat efficaciam motionis divinę vox *impellit physicè*, quàm physicè prędeterminat, & tamen in Cathechismo SS. Pij V. ita exprimitur fortitudo motionis Dei: *Deus universa, quæ moventur, & agunt aliquid intima virtute, ad motum, atque actionem; ita impellit, vt quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, præveniat tamen; cum eius occultissima vis ad singula pertineat; & quemadmodum Sapiens testatur;* attingat à fine, vsque ad finem fortitèr, & disponat omnia *suavitèr*; non ergo in voce physicæ prædeterminationis sit disidium, dum vocem Cathechismi admittamus: impulsum Dei prævenientem ad motum vniversa, quę agunt; qui impulsus non est pura excitatio moralis, quia hæc non convenit vniversis, quæ agunt, sed solùm agentibus rationalibus; & licèt ob fortitudinem omnia præveniendo attingat, ob suavitatem, causarum secundarum propriam causalitatem non impediat; disidium enim non erit, si motio Dei physicè præimpellens ad actus necessaria admittatur.

*Catbechis. S. Pij in 1. part. ad illa verb. creat. Cœli in fine.*

278 Quòd verò SS. PP. vsurpent voces ad exponendam efficaciam gratiæ Dei, quę strictiùs sonèt, quàm physica prædeterminatio: Prob. ex M. P. August. ¶ 1. ex illo: *Occultissima, & efficacissima potestate cõvertit, & transtulit ab indignatione in lenitatem*, nonnè, si in vocibus sermo insistat, non sonat duriùs gratia transferens cor de indignatione ad lenitatem efficacissima potestate, & occultissima, quàm gratia physicè determinans cor ad lenitatem? ¶ 2. Quia ita explicat efficaciam divinæ gratiæ M. P. *Subventum est igitur infirmitati humanæ voluntatis, vt divina gratia indeclinabilitèr, & insuperabilitèr ageretur*; etsi vim vocum inspicimus, minus quidem sonat voluntatem physicè prędeterminari â gratia; quàm voluntatem à divina gratia in declinabilitèr, & insuperabilitèr agi.

*Aug. lib. 1. ad Bonif. c. 2.*

*August. de Correct. & Grat. c. 12.*

279 3. Prob. quia in hac voce *Physica prædeterminatio*, duo deterrere possunt, vel ly *Physica*, vel ly *prædeterminatio*, sed neutrum iustè; non ly *Physica*; nam vt rectè observat M. Alvarez, hęc vox *Physica*, vel potest sumi pro eodem, ac *naturalis*, ac proindè, vt significet in natura esse determinationem ad vnum; seù determinationem esse per modum naturę, & sine libertate, in quo sensu non vtimur hac voce, nec vllus Catholicus illam vsurpare potest: ¶ 2. sumitur vox *Physica*, pro eodem, ac *verè* tale, & non purè moraliter; hæc enim vox in Scholis sumitur in hoc sensu frequenter, in quo illam nunc vsurpamus, idem est dicere gratiam physicè determinare, ac determinationem istam esse veram, & realem, non consistentem in excitatione morali, sed in vera, & reali efficientia: sicut enim causa, alia dicitur physica, alia moralis: hæc, quæ consiliando, & suadendo, seu præcipiẽdo movet: illa verò ad quam sequitur effectus, quæ tãtùm verè, & propriè causa est ex D. Thoma, & ideò physica nominatur; hincquè dum de Sacramentis, & Humanitate Christi controvertitur; an causent physicè, vel moralitèr gratiam? Vel an physicè efficiat opera miraculosa? Non sumitur *physicè* proùt opponitur libero, quia certum est Sacramenta sine libertate efficere, & Christum libere; sed physicè, sumitur pro eodem, ac verè, & propriè, & non purè moraliter, hoc est, non purè movendo, vt alter efficiat, sed verè efficiendo. Prædeterminationẽ gratiæ *physicam* vocamus, quia esse verè, & propriè talem, & non purè moralem, substinemus, hoc est, non purè suadet, & excitat gratia voluntatem, vt se determinet ad consensum; sed verè, & effectivè determinat voluntatem, vt consentiat.

*Alvarez, lib. 3. de Auxilijs, disp. 22. num. 2.*

*D. Tho. q. 3. de malo art. 3. in corp.*

In

In quo sensu est hæc vox tam antiqua, vt in Concilio Ephesino fuerit contra Nestorium in hoc sensu vsurpata, vt notavit M. Lemos, cum enim Nestorius impiè adstrueret vnionem Verbi Incarnati fuisse per affectum, authoritatem, & dignitatē, non per veram propriam, & realem vnionem; Cyrillus, & cæteri Catholici PP. rectè declararunt vnionem naturarum in vna persona Christi fuisse veram, & realem, & physicam appellarunt; sic enim habetur in Cōcilio: *Si quis post naturarum vnionē, substantias in vno Christo divisit, vnicuique nimirum suam propriam assignans) naturæque eā tantum copula connectit, quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem; non ea autem coitione, quæ fit secundùm physicam vnionem, anathema sit.* Quam vnionem naturarum divinæ, scilicèt, & humanæ in vna persona Christi vocavit S. Cyrillus naturalem, ita vocem exponens: *Secundùm naturalem, hoc est, secundùm veram vnionem. Nam ita divina Scriptura verùm alicubi vsurpat*; ait enim: *Et eramus natura filij iræ, sicut, & cæteri, hoc est verè.* Sicquè se defendit ab obiectione Orientalium, qui negabant vnionem veram, seù physicā naturarum in Christo, quia asserebant: *Si naturalis vnitio, vbi gratia? Vbi divinum Sacramentum?* Ergò Ecclesia vsurpavit, hanc vocem: *Physica vnio, & naturalis vnio*, sumendo ly *Physica*, & naturalis, non pro eodem, ac necessarium naturæ, sed pro eodem, ac verè, & propriè, dum solùm moraliter tale asseverabatur; ergò si nunc determinatio gratiæ solùm moralis adstruitur, poterit rectè Ecclesiam imitando hæc determinatio appellari physica, non quia naturæ necessaria, sed quia vere, & propriè talis, & non purè moraliter.

*Lemos, lib. 3 tract. 4. c. 3.*

*In Actis Cōcil. Ephes. t. 3. anathematismo 3.*

*D. Cyrill. in defens. Anathemat. 3 ab obiect. Orientalium.*

280 Quod vox *Prædeterminatio*, non iustè offensionem faciat; ex eo constat, 1. Quia vox determinatio est communis in hac materia, & illa sæpè vtitur D. Thomas exponendo causas cōtingentes, & indifferentes à Deo determinari ad suos effectus; & determinatio effectum præveniens prædeterminatio est: nil ergò novitatis in sensu habet hęc vox, nisi, quod Dr. S. oratione explicuit, incomplexe significat. ¶ 2. Quia determinatio nequit esse, quin sit prævia ad id, quòd determinat, immò quin sit physica, quia determinatio moralis est metaphoricè, & in propriè determinatio; ergò si non criminatur Deum per gratiam determinare voluntatem, nec prædeterminare, quia per prædeterminationem etiam physicam nil explicatur, quod non claudatur in determinatione propriè accepta; imò, vt docte animadvertit M. Lemos, durior videtur hæc vox: *Deus determinat voluntatem*, quàm hæc: *Deus prædeterminat*; & ratio est, quia per illas voces, Deus determinat non importatur expresè ordo ad aliam voluntatis determinationem; cùm ly *determinatio* non involuat duplicem determinationē; per illas verò voces: *Deus prædeterminat*, importatur non solùm Dei determinatio, sed ordo expressus ad aliam determinationem subsequutā, ad determinationem Dei, & dum hic ordo exprimitur in voce *Prædeterminationis*, libertas nostra in ipsa voce includitur; tùm, quia agentia necessariā non habent determinationem post Dei determinationem, sed à Deo vltimo determinantur; tùm, quia si determinatio Dei non est vltima, per illam non est voluntas omninò determinata, ac proindè per suā libertatem poterit omninò, & vltimo determinari. ¶ Et fortè hac ratione SS. PP. Prosper, & Hylarius, nō solùm vocarunt gratiam Dei operātem, & cooperantem, *sed præoperantem*; quia in ly *præoperatio*, non solùm exprimitur operatio Dei ante-

*D. Tho. lib. 2. Phys. act. 8. lit. A, in fin. 1. p. q. 19. art. 3. ad 5.*

*Lem. lib. 3. p. 1. tract. 4. cap. 1.*

*Prosp. & Hylarius in Ep. ad Aug.*

cedẽs, ſẽd ordo ad operationem voluntatis, quæ ſubſequitur; ergo in ly *prædeterminatio*, non ſolùm exprimitur determinatio Dei, quæ antecedit, ſed ordo ad aliam determinationem voluntatis, quæ ſequatur.

281 Denique, ſi exigitur gratia, qua Deus adiuvet voluntatem, quæ ſit præveniens conſenſum, & diſtincta à gratia excitãte, erit phyſicè prędeterminans; quòd omninò indubium iudico; quia hæc gratia adiuvans coniungitur cum conſenſu voluntatis, ſi enim à Deo in conſentiẽdo adiuvatur, cõſentit adiuta à Deo; ſi hoc adiutorium eſt diſtinctum à gratia excitante; non efficit conſenſum purè moralitèr, quia omnis ſuaſſio, & inſpiratio moralis ad gratiam excitantem expectat; ergò phyſica determinatio erit conſenſus; ergò ſi alias prævenit ipſum conſenſum erit gratia nõ moralitèr, ſed phyſicè prædeterminans conſenſum: Dubium ergò ſiſtit; an talis gratia, quę præveniat adiuvando ab excitante diſtincta ex illo Apoſtoli teſtimonio: *Quis te diſcernit? &c* efficacitèr deducatur? In cuius reſolutione mentem M.P. Auguſt. indagamus, ſumendo pro principio, quòd à Deo ex hoc teſtimonio revelatum accepit.

## SECTIO TERTIA.

*Intentio Apoſtoli ex Auguſt. exponitur, & quomodò præcipuè ex hoc Apoſtolico teſtimonio Pellagianos debellavit.*

*Paulus Ep. 1. ad Cor. 4.*

282 DOctor Gentium Paulus ſic ad Chorinthios ſcribit: *Hæc autem fratres transfiguravi in me, & Appollo propter vos; vt in nobis diſcatis, nè ſuprà quàm ſcriptum eſt vnus adverſus alterum infletur pro alio: quis enim te deſcernit? Quid autem habes, quod non acceperiſti? Si autem acceperiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Hoc autem teſtimonium efficaciſsimum eſſe ad convincendam neceſsitatem prævenientis gratiæ ad opera ſalutaria, & ad initium fidei, quàm omnes Catholici contra Semipelagianos confitemur; ex eo fit evidens, quod Auguſt. mirabilis gratiæ defenſor, non ſolùm Hęreticos debellavit, ſed quod magis eſt de ſeipſo triumphavit, hoc pręcipuè teſtimonio convictus, vt errorem deponeret, quem ſic profitetur ſapientiæ, & humilitatis abyſus: *Neque enim putabam, fidem Dei gratia præveniri, vt per illam nobis daretur, niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederes præconium veritatis; vt autem prædicato nobis Evangelio, conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar: quem meum errorẽ nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta.* *Auguſt. de Præd. ſanct. cap. 3.*

283 Proſequitur M. P. *Ecce quare dixi ſuperiùs hoc Apoſtolico præcipuè teſtimonio etiam me ipſum fuiſſe convictum, cum de hac re alitèr ſaperem, quàm mihi Deus in hac quæſtione ſolvenda, cum ad Epiſcopum Simplicianum, ſicut dixi, ſcriberem, revelavit: Hoc igitur Apoſtoli teſtimonium vbi ad reprimẽdam hominis inflationem dixit*, quid, &c. *Non ſinit quemquam fidelium dicere, habeo fidem, quàm non accepi, reprimiturquè omninò his Apoſtolicis verbis, tota huius reſponſionis elatio*; vbi non ſemel laudat pium, atque humilẽ Doctorem Beatiſsimum Cyprianum dicentem: *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt.* *Auguſ. vbi ſup. cap. 4.*

284 Poſteà incipit cogitare; Cùr hęc Apoſtolus dixit? Aſſeritquè Apoſtolum agere nequiſquam gloriaretur in homine; quoniam diſſenſiones exortę fuerant inter Corinthios Chriſtianos, ita vt vnuſquiſquè diceret: Ego quidẽ ſum Pauli: alius, ego Appollo, alius, ego Cephæ; vndè ventum eſt, vt diceret, ſtulta mundi *Auguſ. vbi ſup. cap. 5.*

elegit Deus, vt confundat Sapientes, infirma, vt confundat fortia, vt non glorietur coram Deo omnis caro; vbi clara est contra humanam superbiam Apostoli intentio, nè in seipso quisquam glorietur, & vt ostenderet, in quo debeat homo gloriari mox addidit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Indequè pervenit illa Apostoli intentio, vt posteà increpans dicat: *Adhùc enim carnales estis, quid ergo est Appollo, quid autem Paulus? Ministri per quos credidistis: & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Appollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Videtis nè nihil agere Apostolum, nisi vt humilietur homo, & exaltetur Deus solus: Quando nec ipsum plantatorem, & rigatorem dicit esse aliquid, sed qui incrementum dat Deus, & hoc ipsum, quod ille plantat, hic rigat, non ipsis, sed Domino tribuat dicens: *Vnicuique sicut Dominus dedit*; post hæc, & alia nonnullaque his connectuntur perducitur illuc eadè ipsa eius intentio, vt dicat: *Hæc autem fratres transfiguravi in me, & Appollo propter vos, vt in nobis discatis, &c.*

285 Post hæc progreditur Sanctus Pater, vt expositiones refutet Pelagianorum, dicens: *In hac Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur nequisquam in homine, sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari nimis, quantùm existimo, absurdum est.* Nunquid enim per hęc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus discernuntur homines ab hominibus? *Hic autem prius dixit*: Quis enim te discernit? *Et deindè addidit*: Quid autem habes, quod non accepisti? *Posset quippè dicere homo inflatus adversus alterum, discernit me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor.* Quid autem habes, *inquit*, quod non accepisti? *A quo nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donavit, quòd donavit tibi.* Si autem, & accepisti; *ait*, quid gloriaris, quasi non acceperis? *Nihil autem huic sensui tàm contrarium est, quàm de suis meritis, sic quemquam gloriari tanquàm ipse sibi ea fecerit non gratiâ Dei, sed gratia, quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est, & bonis, & malis.*

Augus. vbi sup.

Progreditur Magnus Ecclesiæ Pater effugia Hæreticorum excludêdo: *Sit ergo gratia naturæ attributa, qua sumus rationabilia, discernimurquè à peccoribus; sit etiam gratia naturæ attributa, qua in ipsis hominibus à deformibus, pulchri, vel ingenioſi discernuntur à tardis; sed non se ille, quem coërcebat Apostolus adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum de aliquo naturali munere, sed aliquod bonum, quòd pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit*, quis te, &c. quid autem habes, &c. *Vt enim sit naturæ fidè posse habere, nunquid, & habere? Nõ enim omnium est fides, cum fidem posse habere sit omnium? Non autem ait Apostolus, quid autem potes habere, quod non accepisti, vt possis habere; sed ait*: Quid autem habes, quod non accepisti? *Proindè posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum, habere autem fidem quemadmodum habere charitatem gratiæ est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est posibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem, ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem, ac per hoc vbi dicitur*: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? *Quisquis audet dicere, habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi: profectò contradicit huic appertissimæ veritati*; tanta, & tam egregia August.

Augus. vbi sup. cap. 5.

286 Sed nedum gratiam Dei ex-

extolleret, & humanam ſuperbiam humiliaret, putarent Pelagiani liberum tollere humanum arbitriũ, quaſi illud ſubijcere, auferre foret; ita proſequitur: *Non quia credere, vel non credere, non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideò ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt pertinet*, quis te, &c. Quid habes, &c. *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo iſti credere: nollunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Deo: diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.*

*Aug. eodẽ cap. 5. in fine.*

*Aug. c. 6. in principio*

Hæc ita diffuſè ex Auguſt. tranſcripſi, vt ſciamus, quę arma ex Apoſtoli teſtimonio deſumpſit Auguſtinus, Deo revelante, vt mirificè Hæreſim Semipelagianam labefactaret, non quia intendam (quod abſit) Auguſtinum impugnare DD. cum quibus certamen ſuſcipimus; quia Auguſt. convincit aſſerentes initium fidei eſſe ex nobis, & non eſſe donum Dei; quòd omnes Catholici vno ore Hęreticum eſſe indubiè credimus: quod verò intendo eſt, rationes allatas ab Auguſtino contra Hęreticos inefficaces eſſe, quod nefas eſt aſſeverare; vel ſimul convincere conſenſum ſalutarem; v.g. fidei eſſe non ſolùm ex præveniente gratia; ſed ex ſe efficaci, determinante voluntatem vt conſentiat, quia iuxtà præiacta Auguſt. fundamenta, ſola hæc gratia, poteſt eſſe diſcretiva credentis à non credente: quòd an efficacitèr colligam? Inſpicite.

*********************

## SECTIO QVARTA.

*Ex Apoſtoli teſtimonio efficacitèr deducitur gratia prævenies conſenſum ab excitante diſtincta, iuxtà M. P. Auguſt. mentem.*

287 SIc aliquando publicè pro hac veritate diſputabam: ex præiacto Apoſtoli teſtimonio iuxtà Auguſt. mentem, infertur gratia prævenians, conſenſum fidei determinans, & connexa cum conſenſu intrinſeca conſentienti, ſed talis gratia eſt diſtincta à gratia pręveniente excitante, hæc enim apud omnes eſt indifferens, & coniungibilis, tàm cũ conſenſu, quàm diſſenſu; ergò ex Apoſt. teſtim. iuxtà Auguſt. deducitur gratia intrinſeca conſentienti pręveniens conſenſum ab excitante diſtincta: Prob. Mai. ex Apoſtolo infertur iuxtà Auguſt. gratia intrinſeca conſentienti præveniens, quæ ſit diſcretiva conſentiẽtis, ſed hæc gratia, debet eſſe connexa cum conſenſu, & nõ indifferens; ergò: Diſcurſus rectus; & prob. Mai. 1. Auguſt. ex eo, quod Deus diſcernit conſentientem fidelẽ colligit gratiam interiorem prævenientem fidem; tùm, quia ſi hoc non colligeret omninò inefficacitèr ex hoc teſtim. contra Semipelagianos pugnaret, tàm longèque abeſſet, vt illos vinceret, quod ex hoc teſtim. nec læderet, nec tangeret; tùm, quia Auguſt. hoc teſtimonio Apoſtoli fuit convictus ad deponendum ſuum antiquum errorem, qui ipſo ſtante in nullo alio ſiſtebat: *Niſi, quod putabat ad fidem ſolùm præcedere præconium veritatis* (quę eſt gratia externa) *non verò fidem, ſemel prædicato Evangelio, gratia Dei præveniri*, interna ſcilicèt; ſed ex eo, quod Deus diſcernat fidelem, non poteſt colligi gratia interna prævenians fidem, ſi hęc gratia diſcretiva non eſt; ergò: Prob. Min. 1. ſi tota diſcretio intrinſeca fidelis con-

*Aug. allat. ſup. n. 282.*

consistit in ipso credere, vt tenent contrarij, qua apparientia ex eo, quod Deus discernat fidelem, potest deduci gratia intrinseca fideli præveniens credere? ¶ 2. Assigna principium, ex quo magnum illud Augustin. ingenium convictum fuit ad hoc consequens: *Gratia interior prævenit fidem*; ex hoc antecedenti: *Deus discernit fidelem*, si hæc gratia interior, non exigitur vt Deus per illam discernat, & exindè sit discretiva?

*Aug. lib. de Præd. Sanctor. cap. 2.*

Prob. Mai. 2. Non enim dubito quàm plurimis sacri eloquij testimonijs Augustin. Semipelagianos debellasse, vt ex ipso Augustin. constat. Efficaciam tamen argumenti innixi hoc testim. *Quis te discernit?* quo fœlicitèr Augustin. pugnavit, & de seipso victor evasit, non percipio, nisi gratia interior præveniens fidem sit necessaria, vt Deus discernat: & per illam Deus donet discretionem, quod ita explico; sic opponit Semipelagianis Augustin. *Non sumus sufficientes ex nobis cogitare; ergò nec credere*; ergò gratia Dei prævenit fidem: nõnè ex hoc Augustini discursu nõ evidentèr colliges esse necessariam gratiam prævenientem, quæ præstet sufficientiam credendi, quæ ex Deo est? Ergò similitèr, dum ita arguit: *Deus discernit fidelem, ergò datur gratia præveniens fidem*, equæ efficacitèr colliges; ergò hęc gratia præstat discretionem fidelis, quæ ex Deo est.

*Aug. vbi suprà.*

288 Prob. Iam illam Min. scilicèt; quod vt gratia pręveniens sit discretiva, debet esse connexa cum consensu, ex mente Augustin. & non indifferens. Gratia naturę, seu dona naturalia non possunt esse discretiva consentientis; quia sunt indifferentia, & communia dissentienti, vt ex Augustin. vidimus, ergò ex Augustin. dona discretiva, nequeunt esse communia; ergò si dona gratię, quę superaddis donis naturę sunt etiam indifferentia, equæ indiscretiva erunt iuxtà Augustin. ¶ Explico hoc, in quo principio potest fundari efficacia huius discursus Augustin. *Dona naturæ sunt communia fideli, & infideli; ergò non sunt discretiva fidelis?* Certè aliud assignari non potest, nisi hoc: *Dona communia nõ possunt esse discretiva*; vndè licet donis naturæ superaddas dona gratiæ, si hæc dona etiam sunt fideli, & infideli communia, nulla dona discretiva assignas prævenientia fidem.

289 Hæc, quę ni fallor vrgentissima sunt, ex M. P. mente colligi clariùs constabit, si quæ ex ipso trãscripsimus attentè ponderamus: Dum enim Augustin. cognosceret verba Apostoli à Pelagianis detorqueri, vt omnia essent accepta à Deo in natura perfecta, & donis naturalibus in prima conditione donatis, & à Semipelagianis in donis naturalibus naturæ per peccatum primi hominis vitiatæ, vt absurdà hæc esse convincat, intentionem Apostoli, & occasionem scribendi exponit, vt denique ostenderet solùm intendisse: *Hominem in seipso non gloriari, sed tantùm in Domino.*

Ex quo principio, sic 1. colligit; homines non discernuntur à Deo per dona naturalia: *Nunquid per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Si in sententia contraria nulla datur gratia supernaturalis, quæ discernat iustum perseverantem à non perseverante, nisi quæ excitando pręvenit, & omnibus iustis ad perseverandum conceditur, eadem interrogatio Augustin. vrget: *Nunquid per hæc dona prævenientis gratiæ, quæ omnibus communia sunt iustis, discernuntur iusti à iustis?*

290 Prosequebatur eandem impugnationem M. P. introducendo hominem inflatum adversus alterum dicentem; discernit me fides mea, & Apostolum, vt talibus cogitationibus occurreret, asseruisse: *Quid habes, &c. A quo nisi ab illo, qui te discer-*

*cernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi*; ergò ex Auguſt. tollitur elatio credentis, quia fides eſt accepta à Deo, qui diſcernit credentẽ à libere non credente per gratiam prævenientem, quàm Auguſt. demõſtrare intendit, quàm donavit credẽti, & non donavit non credenti; ergò non per gratiam prævenientem excitantem, quia hanc Deus donat tàm credenti, quàm libere non credenti. ¶ Pergit M.P. nihil ſenſui Apoſtoli tàm contrarium eſſe: *Quàm de ſuis meritis ſic, quemquam gloriari tanquàm ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei, ſed gratia, quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt, & bonis, & malis*, ex quo Auguſt. diſcurſu ſic colligo (1) opponitur ſenſui Apoſt. quod quis glorietur de ſuis meritis tanquàm ipſe fecerit, nõ gratia Dei; Cùr ergo non opponetur ſenſui Apoſtoli, quòd quis glorietur de ſuis meritis, tanquàm ipſe ſibi ea determinaverit, non gratia Dei? Etſi gratia, quæ prẽvenit merita, eſt ſolùm excitans, non concurrit determinativè, ſed purè effectivè ex determinatione creaturæ; vndè hanc elationem componeret, quæ ſenſui Apoſtoli eſt valdè contraria. ¶ 2. In verbis Auguſt. expreſsè contraponitur, gratia diſcernens bonos à malis, cum gratia communi bonis, & malis, quaſi ſupponat gratiam communem, non poſſe eſſe diſcernentem; ergò ſi gratia prævenies eſt purè excitans, & communis bonis, & malis, nulla gratia prævenit merita, quę ſit diſcernens bonos à malis. ¶ 3. Si attentè hęc verba Auguſt. conſiderentur inſpicies, quod ſupponens gratiam Dei effectivam meritorum, vt omnis elationis auferatur occaſio, huius gratiæ effectivæ proprietatem exponens aſſerit eſſe diſcernentem, non communem; cum ergo gratia efficiẽs merita ipſa prævenias, ex Aug. gratia prævenies merita, eſt diſcernens, nõ communis, non ergo eſt purè excitans, quia hęc eſt communis.

291 Pergit M.P. ad illam cabillationem Semipelagianam ampliùs reijciendam: ſupponendo diſcretionem vnius ab alio, vel poſſe eſſe in bonis naturæ, ſicut homines diſcernuntur à pecoribus, vel inter homines, ingenioſi à tardis, aut pulchri à deformibus, quę diſcretio poteſt fieri per dona naturę, aut poteſt eſſe diſcretio in aliquo bono ſalutari, ſeu conducente ad vitam æternam, ſicut diſcretio credentis à non credente; quæ diſcretio iuxtà Auguſt. non poteſt fieri per dona naturæ, ſed per dona gratuita naturę ſuperaddita; & de hac diſcretione loqui Apoſt. ex eo convincit, quòd homo ille, quem coërcebat Apoſt. non ſe elatus inflabat adverſus Pecus de ſua rationalitate, nec adverſus hominem alterum de aliquo naturali munere, ſed potiùs de aliquo bono conducente ad vitam æternam inflabatur, quando meruit audire: *Quis te diſcernit?* &c. Ex quibus veris principijs duo ſubſumè 1. ſi à Deo fit diſcretio in bonis naturæ, dum confert ex ſua determinatione dona naturæ vni, & non alteri, Cùr non fiet à Deo diſcretio in bonis ſalutaribus, dum confert ex ſua determinatione dona gratuita vni, & nõ alteri? ¶ 2. Si ex eo, quod homo ille, qui elatus ſe inflabat, non gloriabatur de aliquo naturali munere, infert Auguſt. quod dum illum coërcebat Apoſt. quia erat à Deo diſcretus, non poteſt hæc diſcretio intelligi per dona naturæ, quæ ineſſe poſſunt, & peſsimo; Cùr ex eo, quod homo ille non inflabatur de aliqua libertate ad bonum ſalutare, ſed de ipſo ſalutari bono, dum elatus affirmabat, *diſcernit me fides mea*, non rectè colligetur, quod Apoſt. illum coërcens, diſcretionem adſtruens Deo, non eſt hęc diſcretio per donũ gratiæ excitantis conſtituens libertatem credendi, quod ineſſe poteſt, & peſsimo infideli?

Acce-

Accedit: quod Augustinus subsumit: *Non enim omnium est fides, cum fidem posse habere sit omnium. Non autem ait Apost. quid autem potes habere, quod non accepisti vt posses habere, sed ait*: Quid autem habes, quod non accepisti? *Proindè posse habere fidem, naturæ est hominum, habere autem fidē gratiæ est fideliū; illa, itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem non discernit ab homine hominem, ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem*, si autem hæc ratio Augustini efficax est, etiam convincit gratiam interiorem prævenientem ab excitante distinctam, quia gratia excitans solùm constituit libertatem credendi, & dat posse credere, nullatenus tamen determinat credere præ non credere, quia cum vtroque coniungibilis; vndè sic possumus applicare verba Augustini. Non omnium, qui gratia interiori excitantur est fides, licèt posse habere fidem sit omnium, qui interiùs ad fidem vocantur: Non autem ait Apostolus, quid possumus, quod vt possimus ex Deo non accipimus, sed ait: *Quid habes, quod non accepisti?* Proindè posse habere fidem proximè sit naturę per gratiam excitatæ, habere autem fidem gratiæ est tantùm fideli concessæ: illa ergo gratia excitans ex qua nobis datur possibilitas habendi fidem non discernit hominem excitatum, ab homine excitato, gratia verò fidei, qua fidem habemus, discernit ab infideli fidelem.

292 Vltima denique Augustini verba hoc ipsum satis apertè indicant: *Alij credunt, alij contradicunt*; (asserit) *sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino: discernendum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio*, quasi Augustinus assereret, verùm est alios libere credere, alios contradicere verbo veritatis: illi volunt credere, nolunt isti; sed non incipit discretio ex eo, quod isti credunt volentes, & illi nollentes credere contradicunt; quia cum in electis præparetur voluntas à Domino, illis præparatur voluntas, vt credāt, istis non præparatur volūtas, vt credant; vnde discretio incipit in eo, quod voluntati venit de misericordia Dei, vel de iudicio; nunc colligo: 1. Credentibus præparatur voluntas à Domino, vt credant per misericordiam Dei, non credentibus, sed libere contradicentibus per Dei iudiciū non præparatur voluntas a Domino, vt credant; sed gratiam excitantem, vt credant præparat Dominus per suam misericordiam, tàm credentibus, quàm libere contradicentibus, non enim libere contradicerent, si non essent excitati, vt crederent; ergò aliam gratiam præter excitantem præparat Deus per suam misericordiam credentibus, vt credant, quàm non præparat per suum iudicium cōtradicentibus. ¶ 2. Discrimen credentis à contradicente desumitur ex misericordia Dei, iuxtà Augustinum, sed non ex misericordia Dei, vt eodem modò auxiliante credentem, & contradicentem, non enim potest discrimen vnius ab alio desumi ex eo, in quo convenit cum illo; ergò desumitur ex misericordia, vt inæqualitèr auxiliante credentem; sed auxilium gratiæ excitantis equè donatur per misericordiam Dei credenti, ac contradicenti, nec enim discriminantur in gratia excitante, sicut nec in libertate ad credendum per talem gratiā constituta; ergò discrimen credentis desumitur ex misericordia, vt adiuvante credentem, adiutorio, vt credat distincto à gratia excitante.

293 Vltimo: Efficaciam huius fundamenti cognosces, si attentè inspicias solutiones, quibus contrarij illud enervare conantur; quia possent similiter illis, vti Semipelagiani ad effugiendam vim argumenti, quo illos ex hoc Apostoli testimonio vrgebat Augustinus. Si enim vt contrarij pro-

propugnant: nil eſt intrinſecè diſcernens credẽtem præter ipſum credere; licèt Catholicè fateantur præveniri à gratia ipſum credere: quomodò ex teſtimonio Apoſt. poteſt ab Auguſt. convinci hæc gratia præveniens, quam omnes Catholici profitemur, ſi per illam intrinſecè non diſcernitur, qui credit? Si diſcretio extrinſeca credentis pręveniens conſenſum deſumitur à gratia ſupernaturali indifferenti, collata tamen cũ pręſcientia boni vſus arbitrij ſub illa gratia; Cùr Semipelagiani non poſſent argumentum Auguſt. infirmare, dicendo diſcretionem extrinſecam pręvenientem credere deſumi à donis naturæ, licèt indifferentibus collatis tamen cum præſciẽtia boni vſus ſub illis? Vel ergo (licèt Auguſt. quã plurimis alijs ſacris teſtimonijs Semipelagianos debellavit:) hoc teſtimonio infęlicitèr vtitur Auguſt. ad convincendam gratiam ſupernaturalem prævenientem credere; quod nephas eſt, vel ex hoc teſtimonio convincitur gratia interior præveniens, non purè excitans, & indifferens, ſed adiuvans, & determinans.

## SECTIO QVINTA.

*Ratione probatur ex teſtimonio Apoſtoli, colligi gratiam prævenientem ab excitante diſtinctam.*

294 SIc formari poteſt vulgare, & efficax argumentum: Diſcretio conſentientis à non conſentiẽte ex Apoſt. debet tribui gratię Dei prævenienti conſenſum, & ex ea deſumi; ſed ſi gratia præveniens eſt tãtum excitans, & ex ſe indifferens, nõ poteſt tribui diſcretio conſentientis gratię Dei, nec ex illa deſumi; ergò præter gratiam prævenientem excitando ex ſe indifferentem datur alia gratia, quæ præveniat adiuvando ex ſe efficax: Diſcurſus rectus, & Mai, videtur certa. ¶ 1. Quia Apoſtol. aſſerit Deum diſcernere *per gratiam quidem ſuam* conſentientem, & proſequitur: *Quid habes, quod non accepiſti?* Ergò hæc diſcretio, vt accepta à Deo per gratiam, debet ex gratia Dei deſumi, & gratię tribui potiùs, quàm propriæ voluntati conſentientis. ¶ 2. Quia ſi diſcretio licèt facta cum gratia, non tribueretur gratiæ, ſed libero arbitrio conſentientis non tolleretur cauſa elationis, vt *vnus adverſus alterum inflaretur pro alio*, ſibi enim, & non gratiæ poſſet iuſtè tribuere diſcretionem factam cum gratia, nec ſubſiſteret Cypriani ſæpiùs laudatum aſſertum: *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt*, noſtra enim foret diſcretio, ſi potiùs deſumeretur ex nobis, quàm ex Dei gratia; eſſetquè recta elata reſponſio, quàm refutat Auguſt. *Diſcernit me fides mea, iuſtitia mea*, immò, & verior, quàm hæc confeſsio: *Diſcernit me gratia Dei*, veriùs enim diſcernit principium, cui potiùs tribuitur diſcretio: Abſit verò, quod ſit verior elata reſponſio, quàm humilis confeſsio.

Prob. iam Min. Diſcretio conſentientis à non conſentiente, debet deſumi ex aliquo ſpeciali conſentientis non communi diſſentienti; nullus enim diſcernitur ab alio ratione illius, in quo convenit cum illo, ſed gratia pręveniens excitando ex ſe indifferens eſt communis conſentienti, & diſſentienti, conſtituit enim libertatem conſenſus, determinatio libera conſentientis eſt, quæ non conveniret diſſentienti; ergò diſcretio cõſentientis non tribueretur gratiæ; ſed ſuæ libere voluntati. ¶ Vrgetur 1. Aliud eſt diſcretionem conſentientis fieri cum gratia Dei, & non poſſe fieri ſine gratia, aliud verò eſt diſcretionem tribui gratię, & ex ipſa deſumi; ſicut aliud eſt diſcretionem conſentientis fieri cum donis naturæ, & non poſſe eſſe ſine illis; aliud eſt diſcre-

cretionem desumi ex donis naturæ: fatemur in contraria sententia discretionem consentientis fieri cum gratia, & non posse fieri sine illa, quod intendimus est illam discretionem non desumi ex gratia, sed ex voluntate libera consentientis; tùm, quia discretio, seù discrimen vnius ab alio, nequit desumi ab eo, in quo vnũ convenit cum alio; & gratia, quę prevenit equè est auxilians, & conveniens vtrique; tùm, quia non desumitur discretio consentientis ex eo, ex quo habet posse consentire si vellit, quia hoc posse est in non consentiente, sed ex quo habet consentire præ non consentire, sed consentiens habet consentire præ non consentire ex quo determinatur ad consensum præ non consensu, & alias hæc determinatio nõ desumitur ex gratia, quæ non prævenit determinando, sed ex arbitrio, quòd determinat gratiam; ergò discretio consentientis licèt nõ fiat sine gratia potiùs reducetur in arbitrium, quàm in gratiam.

Vrgeo 2. Inæqualitas perfectionis in effectu exigit inæqualem perfectionem in principio, à quo desumitur perfectio effectus, & ideò substinent adhùc contrarij, quòd cum inæquali intellectu, & æquali lumine non erit inæqualitas perfectionis in visione, quia perfectio visionis desumitur ex lumine; ergò discretio in effectu exigit discretionem in principio, à quo sumitur discretio effectus; non ergò stat, quod discretio in consensu non supponat discretionem in gratia; sed potiùs convenientiam, & æqualitatem, & quod discretio consensus desumatur ex gratia.

Vrgeo 3. Ex communi argumento sic proposito: in aliquo sensu absoluto est verùm discretionem consentientis non esse hominis volentis; sed Dei miserentis, in quo sensu non rectè dicetur ècontrariò, talem discretionem non esse Dei miserentis, sed hominis volentis; sed nullus est sensus verus, in quo absolutè dicatur discretionem esse Dei miserentis, & non hominis volentis, & ècontrariò dici rectè non possit, nisi discretio desumatur ex misericordia Dei determinante voluntatem vt cõsentiat, ego præter misericordiam, qua Deus excitat ad consensum est alia misericordia, qua prævenit adiuvando, & determinando consensum: Mai. est certissima, quia si in eodem sensu, in quo est verùm non hominis volẽtis; sed Dei miserentis, esset ècontrariò verùm, liceret dicere, non esse Dei miserẽtis, sed hominis volentis; quod est expressè contra August. asserentem: *Nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei; sed volentis est hominis, nè Apostolo apertissimè contradicat*, Prob. Min. Quia, explica sensum, in quo illa propositio Apost. sit vera, & ècontrariò falsa, si gratia Dei miserentis non est determinans consensum, & exindè discernens? Quia *si propterea dictum est*, (ait August.) *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, tanquàm diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei, non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis, ac per hoc si rectè dictum est, non volentis hominis; sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet; Cùr non ècontrariò rectè dicitur, non miserentis est Dei; sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet?* Aliàs si Deus per gratiam non determinat, in efficientia voluntas determinat misericordiam Dei, quia determinativè efficit; misericordia verò non influit determinativè, sed ex voluntatis determinatione; vnde si non dicitur, nõ est volentis, sed miserentis, quia arbitrium licèt sit Dominus discretionis habet dominium subiectum Deo, vt primo moventi, vt suprà ex D. Th. vidimus, in nullo sensu potest esse vera illa Apost. sententia, in quo ècon-

*August. in Enchyr. c. cap. 32.*

*August. vbi sup.*

*D. Tho. allatus, n. 28. Paul ad Roman. 9.*

ècontrariò vera eſſe non poſsit.

## SECTIO SEXTA.

*Prima ſolutio refutatur, & oſtenditur aliam eſſe diſcretionem intrinſecam conſentientis, præter illam, quæ formaliter conſiſtit in conſenſu, & hanc non poſſe principaliter deſumi ex Deo, ſi à Deo non determinatur.*

295 OMiſſa contrariorum doctrina circa diſcretionẽ conditionatam, dum Petrus prævidetur conſentiens ſub auxilio A, non Paulus; quia ad tractatum de ſcientia conditionatorum expectat: communitèr duplicem adſtruunt diſcretionem conſentientis in ſtatu abſoluto, vnam in actu primo conſentienti extrinſecam, de qua ſect. ſequenti: aliam in actu ſecundo intrinſecam conſentienti; quàm vnicè in ipſo cõſenſu conſtituunt, quia ſolùm conſenſus conſtituit formalitèr Petrum conſentientem, & diſcretum, ſeu diſtinctum à non conſentiente; vndè de hac diſcretione eodem modò philoſophantur, ac de conſenſu: aſſerũt enim eſſe ab ipſa voluntate conſentiente, quia poteſt ſibi tribuere, ex Auguſt. vt *cum gratia Dei vocata cõſentiat, licèt non quod vocata ſit*: eſſe etiam hanc diſcretionem à Deo vocante per gratiam; quia determinatio conſenſus, in qua eſt diſcretio, eſt à Deo per gratiam coëficiente, licèt non determinante voluntatem, vt conſentiat: Deus enim verè efficit determinationem conſenſus, licèt à voluntate determinetur, vt conſenſum, & determinationem, quę eſt identicè ipſe conſenſus efficiat: Principalitèr verò tribuunt Deo diſcretionem conſenſus, non voluntati: Ita PP. Ribadeneyra, Avendaño, Herrera, Thyrſo, & communitèr DD. Societatis.

*Aug. lib. 83. q. 68.*

*Ribadeneyra de Præd. diſp. 21. c. 1.*
*Avendaño, diſp. 13. c. 1. num. 20.*
*Herrera de Præd. q. 15. ſect. 3.*
*Thyrſo, t. 1. diſp. 17. q. 13.*
*Herrera vbi ſup.*

Si tamen opponas: cauſa determinans aliam ad efficiendum principalius efficit cauſa determinata; ſed voluntas noſtra efficit diſcretionem conſiſtentem in conſenſu determinãdo Deum, & gratiam, Deus verò efficit diſcretionem determinatus à voluntate; ergò principalitèr influit in diſcretionem conſenſus voluntas noſtra, non Deus per gratiam. ¶ Reſpondent: quòd magis principaliter influit Deus, licèt non efficiat determinativè, ſicut voluntas; quòd ſuadet M. Herrera, quia Deo debentur omnia, quæ ad conſenſum exiguntur præparatio, ſcilicèt, omnipotentiæ, & auxilij collatio; aliàs Deo, vt efficienti tribuitur conſenſus, & præparanti omnia requiſita proùt ſcit congruere, vt conſenſus exiſtat. ¶ Quibus addit RR. Thyrſo: quòd concurrere determinativè, non eſt plus concurrere, ſed alitèr, nec expectare ad quantitatem concurſus, ſed ad modum; quòd enim voluntas noſtra determinet conſenſum, eſt quod cõcurrat per modum cauſę eligentis, & exindè potentis eligere malum, efficientis, & ſimul recipientis conſenſum, quæ omnia cum manifeſtam imperfectionem includant, quòd Deus determinativè non concurrat non infert, nõ eſſe cauſam principaliorem: ſpecialitèr cum gratia habeat maiorem affinitatem cum conſenſu, quàm voluntas, quia exigit concurſum Dei ſimultaneum, non voluntas.

*Thyrſo vbi ſup.*

296 Sed contra doctrinam ſolutionis dupliciter inſurgo: ¶ 1. Intendendo eſſe aliam diſcretionem intrinſecam conſentienti diſtinctam ab ipſo conſentire vnicè liberam Deo. ¶ 2. Oſtendendo diſcretionem intrinſecam conſiſtentem in ipſo conſentire eſſe à voluntate principalitèr, quàm à Deo, ſi eſt à voluntate effectivè, & determinativè immediatè, & à Deo ſolùm effectivè, & non determinativè.

1. Aſſumptum ſuadeo primo: ſi diſcretio intrinſeca conſentientis à non

non consentiente vnicè esset in ipso consentire, Deus non diceretur verè discernens, sed solùm efficiens discretionem, quòd est contra verba Pauli, & exprèsè contra illud, *quis te discernit*? Quasi dicat nō tu te discernis, sed Deus te discernit: Probo sequelam 1. Quia Deus non verè dicitur consentiens, licèt efficiat consensum, nec verè dicitur determinās, licèt efficiat determinationem; ergò si in ipso consensu stat vnicè discretio, Deus dicetur efficiens discretionem, non discernens. ¶ 2. Si discretio est formalitèr, & identicè consensus, idem esset inquirere; quis discernit? Ac inquirere; quis consentit? Sed huic interrogationi, quis consentit? Rectè respondetur voluntas, & non Deus; ergò interroganti; quis discernit? Rectè respondetur, voluntas, & non Deus.

297 2. Prob. assumptum; supponendo omnem discretionem præcedentem libertatem consentientis esse extrinsecam consentienti, & vocari discretionem in actu primo, de qua statim erit sermo: suppono similitèr in constitutivis libertatis ad consensum nullam posse esse discretionem intrinsecam consentientis; cum enim illa libertas sit indifferens, vt sit consentiens, vel non consentiens, quomodò erit discreta ab vno extremo libertatis, ad quod est indifferens? In his vtraque Schola absque dubio cōsentit; dissidium, ergò est, an sit aliquid intrinsecum in cōsentiente præter ipsum consentire, quod non sit constitutivum libertatis ad consentiendum, sed libertatem supponat, & consensum præcedat, quod discernat intrinsecè consentientem à non consentiente? Contrarij negant, nos affirmamus, & assignamus esse gratiam efficacem, seù adiuvantem, distinctā à sufficiente, & excitante, determinātem, & præcedentem ipsum consentire, per quam vtpotè vnicè Deo liberam, Deus discernit consentientem à non consentiente.

Sic ergo insurgo: si nulla esset discretio intrinseca in consentiente præter ipsum consentire, posset consentiens inflari de suo consensu adversus non consentientem, iustèque in seipso gloriari, sed discretio, quàm Paulus docet est: *Vt nullus adversus alterum infletur pro alio, vt non glorietur coram Deo omnis caro, & qui gloriatur, in Domino glorietur*; ergò Paulus aliam discretionem docet in consentiente præter ipsum consentire: Min. est apperta mens Pauli, & constat suprà ex Auguſt. Prob. sequelam: Potest Petrus inflari adversus Paulum, & in seipso gloriari de eo, quod Petrus iustè potest sibi tribuere, sed licèt voluntati Petri non tribuatur existentia vocationis, consentire tamen vocationi tribuitur volūtati Petri, iuxtà solutionem; ergò posset Petrus de suo consensu gloriari adversus Paulum, licèt de sua vocatione gloriari non posset. ¶ Explicatur hoc; licèt huic interrogationi: *Quis te discernit vocatum à Paulo non vocato*? Non posset Petrus dicere, voluntas mea, quia à sua voluntate non provenit, quod sit vocatus, quia vocatio ex terminis à vocante procedit; tamen si interroges Petro: *Quis te discernit consentientem vocationi A, à Paulo dissentienti vocationi A*? Posset planè dicere, voluntas mea me discernit, quia ego accepi à Deo munus vocationis, sicut Paulus; sed ego per meam determinationem victoriā reportavi, & consensum præbui vocationi, Paulus verò tētationi succubuit, & libere posfuit resistentiam gratiæ; Petrus ergo coram Deo, & adversus Paulum posset elatus gloriari de suo opere, consensu, & victoria. Sup. n. 284.

298 Sed respondent contrarij: Aliud esse habere hominem, de quo possit gloriari, aliud habere hominē, de quo possit gloriari, quasi non acceperit: Primum sequi ex sua

ſententia, ſed minimè contra Paulũ; ſecundùm eſſe contra Paulum, ſed minimè ſequi ex ſua ſententia; primum ſuadent; quia homo, cum ſit dignus laude ex ſuo libero conſenſu vocationi gratiæ, de illo gloriari poteſt, tanquàm de aliquo à ſe electo, & cum gratia Dei elicito: nec hæc gloriatio eſt contra Paulum, quia ipſe gloriabatur, dicens: *Abundantius omnibus laboraui. Si voluero gloriari non ero inſipiens, veritatem enim dicam*: Gloriari verò de aliquo tanquàm à Deo non accepto prohibetur à Paulo, illis verbis: *Quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quaſi dicat Paulus, non eſt malum gloriari de aliquo bono, ſed gloriari de illo, quaſi non accepto; ita enim habet Bernardus: *Non autem ait Apoſtolus, ſi autem accepiſti, quid gloriaris; ſed quid gloriaris, inquit*, quaſi non acceperis? *Vt non prohibeat, ſed doceat gloriari*: cum verò conſentire vocationi gratiæ ſit ex gratia, & à Deo, nullus poſſet iuſtè gloriari de conſenſu, quaſi non accepto à Deo, quæ eſt gloriatio à Paulo prohibita; ita RR. Thyrſo, Avendaño, & communitèr DD. Societatis.

1. *Ad Cor. Paulus, c. 15. & 2.*

*Ad Corint. 12. v. 6.*

*D. Bernard. de verb. Apoſtoli.*

*Thyrſo, t. 1. diſp. 17. ſect 13.*

*Avendaño, vbi ſup.*

299 Sed contra inſurgo: Suppono iuſtè poſſe quemlibet gloriari de ſuo bono opere, ex illo Pauli: *Si voluero gloriari non ero inſipiens*; ſed vt omninò verùm dicimus, nullum poſſe iuſtè gloriari in ſeipſo de ſuo opere laudabili; ſed tantùm in Domino, ex illo: *Fratres, qui gloriatur in Domino glorietur, non enim, qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*, & hoc eſſe intentum Pauli, dum dixit: *Abundantius omnibus laboraui*, evidẽtèr convincunt, quæ ſubiungit: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, & dum aſſeruit: *Si voluero gloriari non ero inſipiens*, cum referret divinas ſuas viſiones immediatè anteà; ſic loquitur: *Pro huiuſmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis; nam, etſi voluero gloriari, &c.* vbi edocet non eſſe inſipientiam gloriari in Domino, à quo tot gratiæ dona accepit, ſed pro ſe nihil gloriatur, niſi in infirmitatibus ſuis; & ideò alibi ſic afflatur: *Si gloriari opportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor*, & hoc fuiſſe intentum Apoſtoli in hoc teſtimonio, quòd verſamus, ſuprà ex Auguſt. fecimus manifeſtum.

2. *Ad Corint. 11. v. 30.*

*Supr. num. 283. & 4.*

Nec niſi cum violentia poteſt intelligi Apoſtolus de eo, quòd excludat ſolùm gloriari de aliquo, vt non accepto à Domino, quia contextus expreſsè declarat, ex eo, quod omnia ſunt à Domino accepta, inferrè Apoſtolum nullum poſſe gloriari in ſeipſo; ſed ſolùm in Domino; ex hoc enim principio: *Quid habes, quod non accepiſti?* Arguit Apoſtolus: *Quid gloriaris, ſi accepiſti, quaſi non acceperis?* Et ideò Auguſtinus ſæpè laudat humilem, & Sanctum Cyprianum aſſerentem: *In nullo gloriãdum, quando noſtrum nihil eſt*, quaſi ita inferat, nihil eſt noſtrum, ex nobis niſi à Domino; ergò in nullo nobis gloriandum, niſi in Domino: ex quibus ſic obijcio.

300 Si quis non poſſet in ſeipſo gloriari eſſet, quia omnia, quæ habet à Domino accepit, ſed hæc ratio eſt inefficax, ſi ante ipſum conſentire, non datur aliquid acceptum à Domino determinans ipſum conſentire; ergò: Prob. Min. Si poſſet quis gloriari in ſeipſo de eo, quòd acciperet à Deo aliquod bonum, quod bonum eſſet acceptum, non tolleret elationem, ſed ſi ante ipſum conſentire nõ datur aliquid ex Deo determinans conſentire, poſſet quis iuſtè in ſeipſo gloriari de eo, quod acciperet à Deo ipſum cõſentire, vt patet, quia, quod haberet conſentire potiùs, quàm non conſentire ſuę determinationi vnicè iuſtè tribueret; ergò.

Explico hoc: dicat elatus conſentiens: Cùr non gloriabor de meo con-

2. *Ad Corinth. 10.*

1. *Ad Corint. 15. v. 10.*

2. *Ad Corinth. 12. v. 6. vbi ſup. v. 5.*

consensu? Respondebis ipsi; quia à Deo accepisti libertatem ad consensum, & Deus tecum efficit consensum: replicabit iustè: de mea libertate non gloriabor, quia illam accepi ex Deo, nec de illa possem adversus alterum simili libertate gaudentem; sed de meo consensu, licèt effecto à Deo in me ipso gloriabor, quia ex mea electione fuit, quod Deus efficeret, vel non consensum, quia ego determinavi Deum ad efficiendum; vt ergo hæc causa elationis in nobis non sit, consentiens habet gratiam Dei determinantem consensum, vt non glorietur in seipso de consensu, sed in Domino, qui ex misericordia donavit illi gratiam.

301 2. Assumptum, scilicèt, discretionem intrinsecam consistentem in ipso consentire esse à voluntate principaliter non à Deo, si est à volũtate effectivè, & determinativè, & à Deo solùm effectivè. Probatur ab aliquibus, quia implicat Deum efficere consensum, seù determinationem, & non determinare, sicut implicat efficere actionem, & non agere; vndè si Deus non determinat, voluntas non solùm erit causa principalis effectiva discretionis, sed vnica. Huic tamen rationi parum efficaciæ tribuo, quia ex terminis rectè stat efficere determinationem, & non determinare; si enim stat esse principium vitę actualis, & non esse principium vitale, esse principium actus liberi, & non esse principium liberum; Cùr non stabit esse principium determinationis, & non esse principium determinativum? Vide, quæ suprà diximus. *Sup. n. 229.* ¶ Alitèr: stat, quòd sola volũtas mereatur quin ipsa sola efficiat meritum, quia ex Tridentino: *Nostra merita sunt Dei dona*; ergò stabit; quod sola voluntas se determinet; quin sola efficiat determinationem. Alitèr stat apud nos, solùm Deum prędeterminare consensum, & solùm Deum non efficere; ergò, & equè poterit stare solam voluntatem determinare, & solam non efficere; & ratio vna, quia arguitur ab inferiori ad superiùs negativè, quia efficere latius patet, quàm determinare. ¶ Quòd in habitu fit manifestum v. g. Charitatis, qui est principium amoris, & non amans; principium vitæ actualis liberæ, & non est principium vivens, nec liberum; & est principiũ effectivum determinationis, quæ est identicè ipsæ amor, & tamen non est principium determinans, quia determinare amorem vnicè stat penes voluntatem, quę vtitur habitibus sibi subiectis proùt vult.

Vndè alio principio ducor: licèt possit dari principium effectivũ, quod non determinet; tale principiũ esse Deum est repugnans, quia Deus solùm potest efficere determinando; & ratio est, quia principium efficiẽs, & non determinans est subordinatũ in operando principio determinanti, & ideò potentiæ exequutivæ subordinantur in operando voluntati, & habitus sunt subiecti in efficiendo voluntati determinanti, nec credimus; Deum esse subordinatum volũtati nostrę liberæ in operando actum liberum: hoc enim perfectioni divinæ Omnipotentiæ oppositum iudicamus, specialitèr postquàm SS. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Deus subijcit nobis suam Omnipotentiam*, licèt P. Avendaño asserat esse consentaneum suis principijs: *Subordinationem Dei ad nos constituere nostram libertatem*, & diffusè suadere contendat, de quo alibi ex professo tractabimus.

*Innocentius XI. in Decreto expedito die 25. Novẽb. anno 1679. P. Avendaño, disp. 17. de hum. libertate, c. 2. sect. 14.*

302 Vndè sic 1. Prob. assumptum: effectus principalitèr attribuitur causæ efficienti, & determinanti, quàm purè efficienti; ergò si voluntas efficit, & determinat consensum, & discretionem consistentem in ipso consensu, gratia verò solùm efficit, discretio principaliter attribuitur voluntati, quàm gratiæ: Prob. antec.

1. Actus principalitèr attribuitur voluntati, quàm habitui, & potentiæ exequutivæ non alia ratione, niſi quia voluntatis eſt determinare, ita vt pro illius nutu habitus efficiat, & potentia exequutiva exequatur. ¶ 2. Illa cauſa principalius concurrit ad effectum, quæ in efficiendo ſibi ſubordinat alias cauſas; ſed cauſa, quæ determinat, ſibi ſubordinat in efficiendo alias cauſas effectivas, non determinantes; ergò: Mai. & Min. Simul prob. 1. Exemplis præiactis; voluntati enim ſubordinantur in efficiendo habitus, & potentiæ exequutivæ, quia ſola voluntas efficientiã determinat, & ideò principalius tribuitur voluntati effectus, quàm habitui. ¶ 2. Principaliter tribuitur effectus cauſę, quę habet dominium immediatum in effectum, quia cum dominium conſiſtat in facultate expedita vtendi re pro libito, quod res exiſtat, vel non principaliter tribuitur Domino rei, ex terminis etiam notum videtur, quod cauſa, quæ vt Domina influit principalior eſt illa, quæ vt alteri ſubordinata, & ſubdita concurrit; ſed cauſa determinans eſt, quæ habet dominium immediatum in effectum, cum dominium in poteſtate determinandi conſiſtat, reliquis etiam cauſis pro ſuo libito vtitur, & ſic habet illas ſibi ad efficiendũ ſubordinatas, aliàs non haberet perfectum dominium in effectum, qui tales cauſas expoſcit; ergò cauſa determinans principalius influit, & ipſi vt ſubordinanti alias cauſas ad efficiendũ principalius attribuitur effectus; mirum enim eſt, dominium determinativum diſcretionis vnicè penes voluntatem exiſtere, & in ipſa non eſſe principalitatem influxus!

303 2. Si Deus eſſet cauſa principalior, licèt non determinaret conſenſum eſſet, iuxtà RR. Thyrſo; quia *determinare* non poſſet ab imperfectionibus denudari, denominaretur enim Deus *eligens* per conſenſum noſtrum liberum, & dum libere determinaret bonum eſſet potens determinare malum, ſed hæc non ſequuntur ex conceptu cauſæ determinantis; ergò nequit eſſe cauſa principalior effectus cauſa non determinans: Prob. Min. 1. Quia Deum per gratiam determinare voluntatem, vt libere eligat, non eſt Deum eligere, ſed determinare electionem, ſi enim ſtat Deum per gratiam determinare volitionẽ neceſſariam, quin denominetur volens per volitionem neceſſariam; Cùr non poſſet determinare volitionem liberam, quin denominaretur libere eligens? Aliàs non poſſet Deus determinare actus vitales, quin eſſet vivens ab illis. ¶ 2. Nè in termino, *cauſæ eligentis*, lateat equivocatio: Adverto; aliud eſſe Deum *eligere conſenſum* noſtrum; in quo nulla relucet imperfectio, ſed potiùs maxima perfectio Dei, quatenus nullum ſit bonum, quòd ſubterfugiat ſupremum ſuum electivum dominium; aliud verò Deum *eligere per conſenſum* noſtrum; in hoc eſſet maxima imperfectio, quia Deus eſſet eligens per electionem creatam: quòd ita declaro: Diverſa ſunt Deũ intelligere intellectionem meam, & Deum intelligere per intellectionẽ meam; hoc ſecundum imperfectionẽ includit, quia ſequeretur Deum modò finito intelligere: Primũ verò cõmendat ſummam Dei perfectionem in intelligendo quatenus nullum verùm ſubterfugiat infinitam vim intellectivam: pariter, Deum eligere per conſenſum, ſeù electionem meã imperfectionem implicat, quia Deus modò creato eligeret; Deum verò eligere conſenſum, ſeù electionem meam, verè exaltat Dei perfectionem, quatenus nullum ſit bonum, quod effugiat infinitum dominium Dei electivum. ¶ 3. Deum libere determinare voluntatem ad bonum non eſt poſſe determinare ad malum; nec eſt vndè libera determinatio bo-

*Thyrſo, vbi ſuprà.*

*Sup. n. 149*

ni

ni exigat potestatem determinandi malum, sed potestatem non determinandi bonum, vt suprà manifestè fuit convictum; sed posse non determinare bonum nullam arguit imperfectionem, sed potiùs summam perfectionem, & independentiam à quolibet bono creato; ergò Deum libere determinare bonum, nullam includit imperfectionem, nec credam denegari Deo influxum immediatum causæ determinantis nostros actus liberos, quia hoc dominium imperfectionem exposcit, sed quia cum libertate nostra incomponibilè creditur.

*M. Carrasco de Voluntate Dei, dub. 6. n. 23*

304 4. Quia vt novissimè, & ingeniosè notat M. Carrasco: olim Primarius Complutensis, licèt Deus per gratiam esset causa perfectior, & principalis consensus adhùc si non est determinans, non est principium discretivum, nec Deo principaliùs potest tribui discretio, sicut Thomistæ, & communitèr Theologi docent in materia de Beatitudine, quòd licèt actus voluntatis esset perfectior actu intellectus nõ haberet vim beatificandi formalitèr, quia nõ est possessio boni, in quo formalissimè stat conceptus Beatitudinis; sed licèt Deus per gratiam esset causa perfectior consensus, non determinaret voluntatem consentire præ non consentire, nec eligere libere consensũ, & aliàs consentientem discerni, à nõ consentiente formalitèr stat in electione libera consensus, distinguitur enim consentiens à non consentiente per consentire præ non consentire; ergò licèt Deo, vt causæ principaliori attribuatur discretio minimè, vt principio discretivo, sed vnicè voluntati.

Explico vim huius argumenti: Tres formalitates sunt in consensu est *electio*, *determinatio*, & *discretio*: Deo, vt causę principaliori tribuitur electio; sed non vt principio *electivo*; Deo, vt causæ principaliori tribuitur determinatio; sed non vt principio *determinativo*; ergo paritèr licèt Deo, vt causæ principaliori tribuatur *discretio*, non vt principio *discretivo*: Quia ideò primum est verùm apud Adversarios, quia Deo non competit voluntatem plenè liberam consentire, præ non consentire, in quo stat ratio principij *electivi*, nec Deo competit, vti reliquis comprincipijs ad consensum pro libito, in quo stat ratio principij *determinativi*; similitèr, nec Deo competit, voluntatem liberam consentire, præ non consentire, in quo stat ratio principij *discretivi*; quia per consentire volũtas libera distinguitur, seù discernitur, à non consentiente; ergò nequit attribui discretio Deo, vt principio *discretivo*.

## SECTIO SEPTIMA.

*Secunda solutio reijcitur, & iuxtà principia scientiæ mediæ discretionem in actu primo extrinsecam consentienti esse à voluntate probatur.*

305 POstquàm D. D. contrarij discretionem in actu secundo intrinsecam consentienti vnicè constituunt in ipso consensu libero: aliam adstruunt discretionem in actu primo extrinsecam consentienti, quæ simplicitèr sit à Deo, & secũdum quid à creatura; quàm ita fundant; quia discretio prima, seù in actu primo consentientis à non consentiẽte est prima ratio extrinseca consentienti inferens infallibilitèr vnum esse consentientem, & alterùm dissentientem, sed prima ratio id inferens simplicitèr est à Deo, & secundum quid à creatura; ergò. Patet Min. Quia supposita scientia media efficacię auxilij A, Deum decernere conferre auxilium A, quia efficax, vel Deum prædiffinire efficacitèr consensum Petri per auxilium A, infert ne-

neceſſariò Petrum v. g. eſſe conſentientem, ſed ſuppoſita ſcientia media efficacię auxilij A, vnicè ſtat per libertatem Dei conferre auxilium A, quia efficax, ſeù prędiffinire cõſenſum efficacitèr per auxilium A; ergò Deo tribuenda eſt prima ratio infallibilitèr inferens Petrum eſſe conſentientem.

Confirmant hoc: ab eo eſt ſimpliciter complexum aliquod in eſſe inferentis aliud extremum, à quo ſuppoſita vna parte indifferente ad inferendum, & non inferendum, ponitur alia determinans indifferentiã, quę ſupponebatur, ſed ſuppoſita ſcientia media efficaciæ auxilij A, de ſe indifferẽti ad inferendum, vel nõ, conſenſum, Deus poſteà decernit conferre auxilium A, quo conſtituitur complexum in eſſe inferentis cõſenſum; ergò à Deo eſt ſimplicitèr complexum ex illa ſcientia, & decreto in eſſe inferentis conſenſum; vndè, & diſcretio in actu primo conſentientis à non conſentiente. ¶ Vndè aſſerunt cum Thomiſtis convenire in eo, quòd prædiffinitio ab intrinſeco efficax conſenſus diſcernat conſentientem à non conſentiente, cùm differentia, quòd illa prędiffinitio regulatur per ſcientiam mediam, & eſt impedibilis à voluntate creata; ſecus iuxtà principia D. Thomæ, quia prędiffinitio regulatur per ſcientiam naturalem, & eſt à noſtra voluntate inimpedibilis: & hanc diſcretionem ſoli Deo liberam eſſe, de qua loquitur D. Paulus, aſſerit Avèndaño, & hæc eſt cõmunis Societatis doctrina.

*Avendaño, diſp. 23. n. 7*

306 Sed contra illam inſurgo: oſtendendo eſſe ſimplicitèr à voluntate noſtra illam diſcretionem in actu primo, ſi cõſiſtit in prædiffinitione efficaci conſenſus regulata per ſcientiam mediam; complexum conſtans ex ſcientia media, & prædiffinitione efficaci præparativa auxilij, vel prædiffinitio efficax conſenſus regulata per ſcientiam mediam, eſſentialiter pendent à ſcientia media efficaciæ auxilij A, v. g. complexum quidem, vt à parte intrinſecè conſtituente, prædiffinitio vt à principio neceſſario regulãte; ſed ſcientia media efficaciæ auxilij A, ſimplicitèr pendet à voluntate creata, quia creaturæ libera, quia non libera Deo; quia à creatura, & non à Deo impedibilis; ergò complexum illud, & illa prædiffinitio ſimplicitèr pendent à nobis; ſed diſcretionem in actu primo pendere à nobis eſt pendere à nobis id, in quo diſcretio in actu primo conſiſtit; ergò ſi conſiſtit diſcretio in actu primo in illo complexo, vel illa prædiffinitione, diſcretio in actu primo ſimplicitèr pendet à noſtra voluntate, quod eſt expreſsè cõtra Paulum, ſpecialitèr, ſi Paulus loquitur de diſcretione in actu primo.

307 Huic argumento reſp. Quod prædiffinitio efficax præparativa auxilij A, dependet à nobis quoad eius proximam poſsibilitatem, quia poteſtas Dei ad pręparandum auxilium per prædiffinitionem efficacem pendet à ſcientia media de opere ſub tali auxilio futuro; quoad exiſtentiam verò ſemel præſuppoſita poſsibilitate, vnicè eſt liberum Deo, quod exiſtat, vel non exiſtat diſcretio, nec ille verè diſcernit, à quo pendet diſcretio quoad eius proximam poſsibilitatem, ſed à quo pendet quoad exiſtentiam; vndè ſolus Deus verè in actu primo diſcernit.

308 Contra 1. quia iam pendet à noſtra voluntate, quod Deus ſit proximè potens diſcernere Petrum per auxilium A, licèt ſuppoſita poſsibilitate talis prædiffinitionis ſit vnicè penes Deum, quod exiſtat, vel non exiſtat diſcretio; ergò non vitatur cauſa elationis Petri adverſus Paulum de illa diſcretione adhùc in actu primo. Prob. ſequelam: pone Deum decernere conferre Petro auxilium A, præviſum efficax, & ſimul decernere conferre Paulo idem auxi-

xilium A prævisum inefficax, ideò primum decretum est discretivum, quia Deus per scientiam mediam efficacię auxilij fuit proximè potens ad discernendum Petrum per decretum conferendi auxilium; & ideò secundum decretum non est discretivum, quia Deus per scientiam inefficaciæ auxilij fuit impotens ad discernendum Paulum per tale decretum conferendi illud auxilium, sed Petrus potest sibi iustè tribuere, quòd Deus habeat talem scientiam efficacię auxilij, & exindè gloriari adversus Paulum coram Deo de eo, quod non impedivit tale decretum discretivum, & quod à sua libera electione fuit, decretum illud discretivum esse; ergò de aliquo conducente ad salutem, & de discretione in actu primo, posset Petrus in seipso gloriari adversus Paulum, quod est contra intentum Apostoli.

Vrgeo hoc: quod Petrus sit discretus in actu primo extrinsecè à Paulo: dependet ab existentia decreti conferendi auxilium A Petro, & ab eo, quod hoc decretum sit discretivum, sit existat; si enim decretum, licèt discretivum nō existeret, Petrus non esset discretus, & similitèr si decretum, licèt existeret, non esset discretivum, Petrus discretus non esset; sed licèt Deo vnicè tribuatur, quòd decretum conferendi auxilium A existat, quod hoc decretum semel existens sit discretivum, potest voluntas sibi tribuere, hoc enim habet decretum à coniunctione cum scientia media efficaciæ auxilij, potiùs quàm cum illius carentia, quod determinatè est vnicè penes voluntatem; ergò potest voluntas sibi tribuere, quod sit discreta in actu primo.

*Avendaño, disp. 23, n. 15.*

309 Sed dices cum Avendaño, quod non ille discernit à quo pēdet, quod decretum talis auxilij sit discretivū, sed ille à quo pendet, quod decretum discretivum actu existat; vndè cum hoc secundum vnicè pendeat à Deo, Deus est, qui vnicè verè discernit in actu primo, quod explicat in nostra sententia, quia quod decretum Dei efficax inimpedibilè sit discretivum non habet ex Deo, sed ex sua essentia, & tamen, quia est à Deo, quòd decretum existat, Deus vnicè discernit in actu primo.

310 Contra: quando, vt existat effectus duo requiruntur, & quod existat forma, & quod existat cum virtute præstandi effectum, non solùm tribuitur existentia effectus, cui tribuitur existere formam, & sed cui tribuitur virtus formæ ad præstandum effectum; vt ex terminis videtur clarum; sed vt existat effectus discretionis requiruntur duo, & quod existat decretum auxilij A; quod est à Deo, & quod hoc decretum habet virtutē discernendi, quod est à voluntate nostra; ergò effectus discretionis in actu primo. Deo, & nobis tribuitur. ¶ Hinc cognosces instantiam esse inefficacem: quia decretum Divinum prædeterminandi consensum in nostra sententia, cum ex sua essentia sit discretivum, Deo vnicè tribuitur discretio in actu primo in illo consistens, quia Deus facit, quod existat id, quod ex se est discretivum, decretum verò conferēdi auxiliū A ex Deo est, quod existat, sed nec ex sua essētia, nec ex Deo est, quod sit discretivū, sed ex nobis; ergò nobis tribui potest discretio.

311 2. Principalem solutionem impugno: Deus solùm potest impedire proximam libertatem consensus nostri, suppositā verò hac libertate non determinat existere cōsensum, & tamen verè potest tribui Deo discretio in actu secundo consistens in ipso consensu, iuxtà contrarios ex sectione præterita; ergò si voluntas creata impediendo scientiam Mediam impedire potest proximam libertatem Divinam prædifiniendi efficacitèr consensum, licèt

ſuppoſita illa libertate non determinet exiſtere prædiffinitionem, verè, poteſt tribui voluntati noſtræ diſcretio in actu primo, conſiſtens in illa prædiffinitione. ¶ Explico vim huius argumenti in principijs ſcientiæ mediæ: Deus ſuppoſita ſua libertate, poteſt determinare, quod voluntas noſtra habeat hanc, vel illam libertatem, quatenus poteſt determinare, vel non, auxilium A conſtitutivum noſtrę libertatis, ſuppoſita verò libertate non determinat Deus conſenſum, ſed vnicè voluntas noſtra; ſimilitèr voluntas ſub libertate poteſt determinare, quod Deus habeat hanc, vel illam libertatem, determinando ſcientiam efficaciæ auxilij A conſtitutivam ſuæ libertatis, licèt ſuppoſita libertate vnicè, ſtet penes Deum determinare prædiffinitionem: His ſuppoſitis, ita colligo; ſed quod voluntas noſtra determinet libertatem Dei, determinando ſcientiam, ſolùm convincit, quod poſsit impedire prædiffinitionem, nõ quod ipſi verè tribuatur prædiffinitio, nec diſcretio in actu primo, conſiſtens in prædiffinitione, quia vnicè exiſtit ſuppoſita libertate ex determinatione Dei; ergò quod Deus determinet libertatem noſtram, determinando auxilium, ſolum convincit Deum poſſe impedire conſenſum, nõ quod Deo verè tribuatur conſenſus, ſeù diſcretio in actu ſecundo, conſiſtens in conſenſu, quia vnicè exiſtit ſuppoſita libertate ex determinatione noſtra.

3. Inſurgo ex ſuprà diffusè dictis; cùr non poſſent Semipelagiani effugere vim argumenti ex hoc teſtimonio ab Auguſtin. deſumpti, dicendo diſcretionem conſentientis eſſe ex Deo conferente dona naturalia communia, quia decernit illa conferre poſtquàm prævidit eſſe coniungenda cum conſenſu? Nec credam Apoſtolum loqui de ſola hac diſcretione extrinſeca in actu primo, quia aliàs ſi nõ loqueretur de diſcretione intrinſeca Auguſt. ex hoc teſtimonio non poſſet efficacitèr gratiam intrinſecam prævenientem colligere.

## SECTIO OCTAVA.

*Si Deus diſcernit conſentientem à nõ conſentiente ſine gratia præveniente adiuvando, ſeù ex ſe efficaci, ſequitur, quod etiam diſcernat non conſentientem à conſentiente.*

312 AVdiamus priùs, quàm aſſumptum probemus M. P. Auguſt. qui cum Pelagianos ex prę iacto Apoſt. teſtimonio debellaret, eorum effugium his verbis proponit: *Namque illud Apoſtoli, quod commemorâvi, ſic defendere quidam voluerunt, vt dicerent, ideò quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum eſſe, quia, & hoc in illo eſſe non poſſet, ſi homo ipſe non eſſet, cum verò vt ſit aliquid, atque vt homo ſit non habeat niſi à Deo; cùr non Authori Deo tribuatur etiam quidquid in illo eſt bonæ voluntatis, quod non eſſet, niſi eſſet in quo eſſet?* En vbi Pelagiani Deo tribuebant diſcretionem conſiſtentem in bona voluntate, quia Deus cauſabat dona naturalia, ſine quibus non eſſet bona illa voluntas. ¶ Sed ſtatim ita impugnat Auguſtinus: *Sed hoc modo etiam illud dici poteſt, malam quoque volũtatem Deo Authori eſſe tribuendã, quia nec ipſa eſſe poſſet in homine, niſi homo eſſet, in quo eſſet*; vndè Auguſtinus impugnat, quod Deo ſimilitèr tribueretur peccatum, quia Deus præſtat dona naturalia, ſine quibus homo non peccaret. *Aug. lib 2. de Peccat. meritis, & remiſ. cont. Pelag. c. 18.*

313 Simile argumentum proponimus contra Doctores contrarios; tùm in diſcretione in actu ſecũdo, ideò enim tribuitur Deo bona voluntas, nõ quia determinat ipſam, ſed quia tribuit libertatem, licèt con-

constitutivã per gratiam supernaturalem, sine qua nõ posset bene agere, & simul cum creatura efficit bonam voluntatem; sed similitèr tribuit eãdem libertatem, sine qua homo peccare non posset resistendo gratiæ, & simul cum creatura efficit malitiam actus peccati iuxtà contrarios; ergò eodem modò tribuitur Deo discretio in actu secundo, consentientis à non consentiente, ac discretio peccantis à non peccante.

Vrgeo etiam in discretione in actu primo, ideò Deus discernit in actu primo consentientem à non consentiente, quia suppositа scientia sibi non libera efficaciæ libertatis A, libere decernit conferre libertatẽ A: ex quibus infertur infallibilitèr Petrum cõsensurum; sed similitèr Deus suppositа sciencia inefficacię libertatis A, sibi non libera; libere decernit conferre libertatem A, ex quibus infertur infallibilitèr Petrum non consensurum; ergò sicut Deus discernit in actu primo consentientem, quia præviſa efficacia libertatis, decernit illam conferre, ita discernit in actu primo non consentientem, quia præviſa inefficacia libertatis decernit illam conferre.

314 Vrgeo primo, hęc Conseq. est necessaria: *Si Petrus habet libertatem A consentiet; sed habet libertatem A, ergò consentiet*: & ideò Deus determinat in actu primo consequens, quia suppositа veritate maioris, sibi non libera, libere determinat minorem: similitèr hæc Conseq. est necessaria: *Si Paulus habet libertatem A non consentiet, sed habet libertatem A; ergò non consentiet*: & Deus suppositа veritate maioris sibi non libera, libere determinat min. ergò determinat etiam in actu primo consequens.

Vrgeo 2. ratione contraria, qua probant contrarij discretionẽ in actu primo consentientis esse simpliciter à Deo: Ab eo est simpliciter cõplexũ aliquod in esse inferẽtis, aliquod extremũ, à quo suppositа vna parte indifferente ad inferendum, vel non inferendum ponitur alia determinans indifferẽtiam, quæ supponebatur, sed scientia media inefficaciæ auxilij A est indifferens ad inferendum, vel nõ inferendum peccatum, & Deus suppositа hac scientia determinat conferre auxiliũ A, quo constituitur cõplexum in esse inferentis peccatum; ergò à Deo est simplicitèr complexũ ex illa scientia, & decreto in esse inferentis peccatum; ergò, & discretio in actu primo peccantis à non peccante.

315 Huic absque dubio per difficili argumento solùm responderi potest; Deo attribui discretionem in actu primo consentientis à non consentiente non pręcisè, quia decernit auxilium *aliàs efficax*; sed quia decernit illud, *quia efficax*, ex intentione, & desiderio, vt existat consensus: Vel aliter; quia decernit auxilium efficax, directus, & per motus à sciẽtia efficaciæ auxilij. ¶ Deo tamen nõ tribuitur discretio non consentientis à consentiente, licèt decernat cõferre auxilium inefficax, propter cõtrariam rationem; quia non decernit auxilium, *quia inefficax*; sed *licèt inefficax*, nec ex intentione, & desiderio peccati; sed potiùs consensus, nec propriè motus, seù directus à scientia inefficatiæ, sed potiùs non retractus à scientia ad illius auxilij collationem.

316 Aliam non video solutionem, & hanc plurimæ considerationes præmunt: ¶ 1. ergò si Deus decerneret auxilium efficax, non vnicè motus ab efficacia, sed ità se habens, vt illud conferret, licèt inefficax foret; qui casus possibilis adhùc à contrarijs admittitur, tunc æquè se haberet Deus ad discernendum in actu primo consentientem à non consentiente, ac conferendo auxilium inefficax ad discernendum,

peccantem à non peccante: quod videtur abſurdum.

317 2. Efficacitèr inſurgo; ſi Deum conferre auxilium, cum quo ſcit Petrum conſenſurum, ſufficit vt Deo Authori tribuatur conſenſus, quia confert illud ex deſiderio, & inclinatione ad conſenſum; & licèt conferat auxilium, ſine quo non peccaret, & cum quo ſcit peccaturum nõ ſufficit, vt tribuatur Deo peccatũ, quia non ponit auxilium ex intentione, & deſiderio peccati: Cùr non poſſent Semipelagiani reſpondere argumento Auguſtini eodem modo? Quia Deus confert libertatem per dona naturalia, ſine qua non eſſet meritum, ſeù initium fidei, Deus diſcernit per initium fidei; inſtat Auguſtinus, etiam Deus confert libertatem, ſine qua non eſſet peccatum; ergò æquè Deo tribuitur peccatum; ſed poſſent dicere; Deus confert libertatem ex intentione, & deſiderio boni operis, non tamen confert illã ex intentione, & deſiderio peccati, & ideò tribui Deo diſcretionem meriti, non diſcretionem peccati: Cùr hęc ſolutio argumento Auguſtini nõ erit recta diſparitas, ſi ſufficiens eſt argumento noſtro? Nec hanc differentiam poſſet Auguſtinus negare, cum nil ſit in ipſo clariùs; ſic afflatur:

*Aug. lib. 2. de Lib. Arbit. cap. 1.*

*Si enim homo aliquid bonum eſt, & non poſſet niſi cum vellet rectè facere, debuit habere liberam voluntatẽ, ſine qua rectè facere non poſſet. Non enim, quia per illam peccatur, ad hoc eam Deum dediſſe credendum eſt. Satis ergo cauſæ eſt, cùr dari debuerit, quoniam ſine illa homo rectè non poteſt vivere. Ad hoc etiam datam, vel hinc intelligi poteſt, quia ſi quis ea vſus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur. Quod iniuſtè fieret, ſi non ſolùm vt rectè viveretur, ſed etiam vt peccaretur libera eſſet voluntas data. Quomodò enim iuſtè vindicaretur in eum, qui ad hanc rem vſus eſt voluntate, ad quam rem data eſt? Nunc verò Deus cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, niſi, cùr non ad eam rem vſus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc eſt, ad rectè faciendum?* Hucuſque Auguſt. quæ poſſent tradere Semipelagiani, vt argumento Auguſtini occurrerent, ſi ex hac vera doctrina contrarij rectè noſtro argumento ſatisfaciunt.

318 Sed ſolutio intactam reliquit difficultatem; ſupponimus nunquam in Deo eſſe deſiderium peccati, ſed boni operis; ſed inſiſtimus: in complexo, ex ſcientia efficaciæ auxilij, & decreto conferendi auxilium, ſtat diſcretio in actu primo conſentientis, quia ex hoc complexo infertur infallibilitèr conſenſus in actu ſecundo: complexum ex ſcientia inefficaciæ, & decreto ſimilitèr inferunt peccatum in actu ſecundo; ergò in hoc complexo ſtat diſcretio peccantis in actu primo, iuxtà hęc principia: hoc complexum, à quo determinatur, vel à creatura determinãte ſciẽtiam, vel à Deo licèt abhorrenti peccatum determinante decretum? Si ſecundùm; Deo attribuis diſcretionem in actu primo peccantis, quod repugnat, quia Deus averſus eſt à peccato: ſi primum; cùr ſimilitèr non dicam primum complexum determinari à creatura determinante ſcientiam efficaciæ auxilij?

Alitèr: determinare complexum non eſt vnam partem determinare; aliàs voluntas determinaret primum complexum, cùm determinet ſcientiam mediam efficaciæ auxilij, quæ eſt vna pars complexi: nec eſt determinare vtramque partem complexi, aliàs Deus non determinaret primum complexum cum non determinet vtramque partem illius; ergò determinare complexum eſt determinare vnam partem alia ſuppoſita, & ideò Deus determinat primum complexum, ſed eodem modò ſe habet reſpectu ſecundi complexi;

ergò

ergò ſecundùm complexum etiam determinat; & ſic Deus ex vna parte ponitur libere determinans diſcretionem peccantis in actu primo conſiſtentem in illo complexo, & ex alia eſſe peccatum contra ſuam inclinationem, quæ ſunt incompoſsibilia.

319 Vrgeo: efficacibus formis vim huius argumenti, non enim video; Cùr Deus non determinet complexum ex ſcientia inefficaciæ auxilij, & decreto conferendi auxilium iuxtà principia contraria? Nec video, cùr in illo complexo nõ ſit diſcretio extrinſeca in actu primo peccantis? vt probavi: Primo ſic diſputo: Ideò Deus non determinaret tale complexum, quia ſolùm ſe habet activè ad collationem auxilij, quæ nullo modò diſcernit peccatorem, & mere paſsivè ad ſcientiam inefficaciæ, ſed ſimilitèr creatura ſolùm ſe habet activè ad ſcientiam, quæ nullo modò diſcernit peccatorem, & merè paſsivè ad collationem auxilij; ergò ſi Deus non determinat illud complexum in quo ſtat diſcretio peccantis, nec creatura.

Ad vrgeo: Cui magis tribuetur determinatio complexi ex A, & B: determinanti A, nec determinando, nec ſupponendo B; vel determinanti B, licèt non determinando, ſupponendo A? Certè nullus dubitavit, quod hìc ſecundus, quia determinat B, coniungendo B cum A; ſed voluntas determinat ſcientiam inefficatiæ, nec ponendo, nec ſupponendo decretum, Deus determinat decretum, licèt non ponendo, ſupponendo ſciẽtiam; ergò magis Deo, quàm voluntati tribuitur determinatio complexi ex ſcientia, & decreto.

320 2. Sic diſputo: Voluntas noſtra vnicè determinat ſcientiam mediam inefficaciæ auxilij A, quia licèt non determinet omnes partes complexi, quod eſt determinatio, determinat vnam partem alia ſuppoſita, licèt non determinata; ergò licèt Deus non determinet omnes partes complexi, quod eſt diſcretio peccantis, vnicè Deo, vt determinanti tribuitur complexum, ſi determinat vnam partem, alia ſuppoſita, licèt nõ determinata: Conſequent. inſuperabilis videtur, & Antec. ex principijs illius doctrinæ efficacitèr colligitur: Hoc enim complexum: *Petrus diſſentiens auxilio A*, determinat ſciẽtiam mediam inefficaciæ auxilij A, quia ex eo, quod Petrus diſſentiret alio auxilio præter A, non determinaret ſcientiam inefficacię talis auxilij; ſed in tali complexo eſt auxiliũ A, & diſſenſus, voluntas noſtra ſe habet paſsivè ad auxilium, quod non determinat, ſolùm ſe habet activè, & determinativè ad diſſenſum poſito auxilio; ergò voluntas noſtra non determinat omnes partes complexi, quod eſt determinatio ſcientiæ; ſed ſolùm determinat vnam partem, alia ſuppoſita, & non determinata.

Clariùs: Petrus v.g. ſe habet paſsivè ad ſuam libertatem, & auxiliũ, quod illam conſtituit, & tamen adiũgendo ſuæ libertati diſſenſum, determinat complexum ex libertate, & diſſenſu, & exindè ſcientiam; ergò, licèt Deus ſe habeat paſsivè ad ſuam libertatem, & ſcientiam inefficaciæ auxilij, quę illam conſtituit, adiungendo ſuæ libertati decretum, determinavit complexum ex ſua libertate, & decreto, & exindè diſcernet peccantem.

## SECTIO NONA.

*Argumentum, quod ex hoc Apoſt. teſtimonio deſumpſit Ianſenius ad inferendam gratiam efficacem neceſsitantem hominem lapſum, evidentèr inefficaciæ convincitur.*

321 IAnſenius poſt Calvinum ita manifeſtè cum veritatis luce

luce pugnâvit; vt ex eo, quod iuxtà Apoſt. Deus diſcernit conſentientẽ per gratiam, ſtolidè colligeret gratiam Dei efficacem, quàm delectationem cœleſtem, ſeù victricem nũcupavit eſſe neceſsitantem ad conſenſum: quia per gratiam, cui voluntas reluctare poſsit, Deus diſcernere nequit.

Sed quam ludrica, ac futilis ſit hæc argumentatio evidentèr colliges, ſi ita Janſenium redarguas: Deus per ſuam gratiam diſcernit Beatos Angelos, qui in veritate ſtiterunt, à pravis, qui lapſi corruerunt; ſed gratia præveniens bonos Angelos ad perſeverandum non fuit neceſsitatẽ inducens, adhùc ex Janſenij conceſsione; ergò licèt Deus per gratiam prę venientem diſcernat homines iuſtos à pravis non idcircò per illam neceſsitatem imponet.

Sed Janſenius præfidenter aſſerit, gratiam ſanitatis non eſſe diſcernentem Angelos bonos à malis, quoties pugnat, gratiam medicinalem eſſe neceſsitantem idcircò, quod per illam Deus diſcernat; vndè Apoſtolo. Inquirenti: *Quis te diſcernit?* Reſpõdent omnes Angeli: *Diſcernit me iuſtitia mea. Perſeverantia mea*, & ſi vlteriùs increpes: *Quid habes, quod non accepiſti?* Perſeverantiam habeo in bono *vociferantur*, quàm non accepi, de qua iuſtè poſſum in me ipſo gloriari, & non in Domino, non enim perſeverantia fuit ſpeciale Dei donum, ac beneficium.

322 Sed hac aſſertione nihil divinę gratiæ iniurioſius, nihil à ſenſu Eccleſiæ, & SS. PP. alienius fingi poteſt; & vt rectè obſervat Gonet: *Immeritò Recentiores quidam divinæ gratiæ vindicem, & accerrimum Pelagij hoſtem, Ianſenium nuncupant: nam ille quidem bellum infeſtiſsimũ indicit Pelagianiſmo in ſtatu naturæ lapſæ, ſed ei trophæa erigit in ſtatu innocentiæ; Dei quidem gratiã regnare hoc in orbe, & dominari putat; at Cœlum, & Paradiſum terreſtrem, eius Imperio, ditionique ſubtrahit, dum eius efficaciam, & cauſalitatem ad ſtatum innocentiæ hominum, & Angelorum non debere extendi contendit*; nonnè erit vindex divinæ gratiæ, vel potiùs Catholicæ Religionis infeſtiſsimus hoſtis, qui vt homines lapſos gratiæ ſubijciat, libertatem eorum Calviniano errore labefactat, & vt cœlites liberos efficiat, Pelagiano errori implicat?

*Gonet, diſp. 5. de ſtatu naturæ rèparatæ ſect. 3. art. vnic.*

323 Et 1. Quàm longiſsimè diſtet ab Auguſtini pietate hoc oppinionis portentum indicabo, cum alibi exprofeſſo ex M. P. mente caſtigãdum ſit; ita enim ediſſerit: *Et inter Sanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſcretum, vbi dictum eſt*: & diviſit Deus inter lucem, & tenebras, & vocavit Deus lucem diem, & tenebras noctem: *Solus quippè ille, iſta diſcernere potuit*, vbi expreſsè aſſerit, ſolùm Deum diſcernere potuiſſe Sanctos Angelos ab immundis. Nec clarioribus verbis diſcretionem hominum potuit Deo tribuere. ¶ Addo Concilia ex hoc teſtim. Apoſtoli, probant contra Pelagium, opera ſalutaria eſſe à Deo accepta, & dona Dei, vt conſtat ex Arauſicano; ſed hæc Conciliorum doctrina, etiam extenditur ad merita naturæ integræ, nec enim Janſenius negavit, illa merita auxilio gratię Dei præveniri; ergò hoc Apoſtoli teſtimonium ad merita naturæ integrę extenditur; ſpecialitèr iuxtà M. P. qui ſemper hoc teſtimonio vtitur ad neceſsitatem gratiæ evincendam. ¶ Accedit; ſi ex Tridentino: *Hominis iuſtificati bona opera, ita ſunt Dei dona, vt ſint etiam ipſius iuſtificati merita*; Cùr hoc dogma ad ſtatum naturæ integræ, & ad Angelos Sanctos non extendetur, vt ipſorum merita ſint Dei dona?

*D. Auguſt. lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 19.*

*Concil. Arauſic. 2. Can. 6. & 25.*

*Trid. Seſſ. 6. Can. 32.*

324 Eandem Angelorum diſcretionem ex Deo expreſsè edocet D. Anſelmus Auguſtinianę doctrinę defenſor accerrimus: ſic enim eandem

*Anſelm. Dialog. de caſu Diaboli cap. 1.*

dem disputationem, quam tractamus aggreditur: *Illud Apostoli*, quid habes, quod non accepisti? *Dicitur hominibus tãtum, an, & Angelis?* Sicque respondet Magister discipulo interroganti: *Nulla creatura habet aliquid à se: quod enim seipsum à se nõ habet, quomodò habet à se aliquid?* Et Jansenium audiemus asserentem, Angelos bonos à se habuisse perseverantiam? Sed redeat Anselmus; ad id, quod incepit: *Si non solùm homini, sed, & Angelo potest dici, quia non habet, quod non accepit*; & ita resolvit: *Satis patet, non minus Angelo, quàm homini convenire. Constat ergo, quia ille Angelus, qui stetit in veritate, sicut ideò perseveravit, quia perseverantiam habuit; ita ideò perseverantiam habuit, quia accepit; & ideò accepit, quia Deus dedit*, quis ergo cum pace audiet Apostolicum testimonium Angelis non convenire, & quod perseverantiam non habuerunt, qui in veritate steterunt, quia Deus dedit?

*Anselm. vbi sup. cap. 1.*

Eandem veritatem ita alibi expressit idem S. Doctor: *Omnibus enim, excepto solo Deo, dicitur*: Quid habes, quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non *acceperis*? Nonnè dum solus Deus excipitur, homo innocens, & Angeli Sancti non comprehenduntur? ¶ Hanc veritatem præclare confirmat ratione idem S. Doctor, ita edisserens: *Nullus te discernit, sed soliùs Dei gratia, & tu te putas discerni per merita tua. Sed quid boni habes, quod non accepisti à Deo? Fecit Deus vt esses, & tu fecisti vt bonus esses? Absit. Si enim Deus dedit vt esses, & alius tibi dare potuit vt bonus esses, melior est ille, qui dedit vt bonus esses, quam ille, qui dedit vt esses. Sed nullus Deo melior. Igitur à Deo accepisti, & esse, & bonum esse. Sed si ab illo accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Id est, quasi à te ipso habeas?* Nonnè hæc evidens ratio de homine innocente, & de Angelis Sanctis æquè efficaciter, ac de homine lapso non convincit?

*Anselm. de Concord. gratiæ, & Lib. Arbitrij.*

*D. Anselm. expon. hæc verb. Apostol. ad Corinth.*

325 Nihilque superbius doceri potest, quàm Angelos Sanctos in seipsis, & non in Domino de sua perseverantia gloriari, vt illos non comprehendat Apostolicũ dogma: *Quid gloriaris?* Vt enim scribit Venerabilis Beda: *Angeli semper in Domino gaudent, non in se: Malus verò inde Diabolus, quia non quæ Dei, sed quæ sua sunt requisivit. Nulla autem maior iniquitas, quàm non in Deo, sed in se velle quempiam gloriari.* Qui igitur docet Angelos Sanctos non in Deo, sed in inseipsis gloriari, ipsos in Dæmones transformat. ¶ M. Etiam Gregorius exponens; cùr seniores mittebant coronas suas ante thronũ clamãtes gloriam, & honorem Deo? Ita edisserit: *Coronas namque suas ante thronum Domini mittere, est certaminum suorum victorias, non sibi tribuere, sed authori, vt ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciũt vires accepisse certaminis*; Angeli ergo Sancti, qui cum Dæmonibus præliati sunt, ex victoria ab eorum superbia reportata, Deo authori referunt, non sibi arrogant, gloriam; siquidem non possent coronas suas ante thronum abijcere.

*Beda in lib. quæstionum q. 9.*

*Apocal. 4. D. Gregor. lib. 22. Mor. cap. 5.*

326 Age modò, & ex his principijs ita evidentèr collige: gratia sanitatis fuit discernens Angelos Sãctos ab immundis, per illam, ex Deo habuerunt perseverantiam, vt non in seipsis; sed solùm in Domino gloriari possint, & tamẽ illa gratia, ita fuit attemperata libero arbitrio, vt nullam simplicem necessitatem perseverandi imponeret; ergò ex eo, quod gratia medicinalis discernat hominẽ lapsum perseverantem, per illamque Deus perseverantiam donet, vt homo non in seipso, sed in Domino de sua perseverantia glorietur, omninò inefficacitèr colligit Jansenius gratiam medicinalem homini lapso necessitatem imponere.

A

327 A priori etiam hæc veritas iuxtà noſtra principia ſic fundatur: vt gratia hominis lapſi ſit diſcernens perſeverantem ſufficit, quod ſit determinans,& donans perſeverantiã, ſed ſtat, quod ſit determinans,& donans perſeverantiam, quin ſit neceſſitans ad perſeverandum; ergò ſtat, quod gratia medicinalis ſit diſcernens, quin ſit neceſsitans; Mai. videtur nota. ¶ 1. Quia gratia determinans perſeverãtiam eſt ſpecialis perſeveranti,& non communis non perſeveranti; ergò,& diſcernens perſeverantem à non perſeverante. ¶ 2. Quia Janſenius ex eo, quod gratia ſanitatis non eſt diſcernens, infert, quod per illam Deus non donat perſeverantiam naturæ innocenti; ergò gratia donans perſeverantiam diſcernens erit: Prob. iam Min. Gratia determinans,& donans perſeverantiam ſi non aufert poteſtatem non perſeverandi non neceſsitat ad perſeverandum; quia adhùc iuxtà Janſenium eſt libertas à neceſsitate, dum eſt indifferentia poteſtatis; ſed iuxtà D. Proſperum: *Deus ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, vt etiam perſeveraturis illam poteſtatem, quæ poteſt nolle non auferat*; ergò,

*D. Proſper. lib. 2. de vocat. gent. c. 28.*

## SECTIO DECIMA.

*Contraria argumenta diſſolvuntur.*

328 PRim. oppones ex his, quæ tradit P. Ribadeneyra: ſi diſcretio intrinſeca conſentientis nõ eſſet vnicè,& adæquatè in ipſo conſenſu, eſſet, nè homo ſalutaritèr conſentiens diſcerneret ſe à non conſentiente, ſed homo conſentiens ſe diſcernit à non cõſentiente; ergò: Prob. Min. 1. ex illo Æſdræ: *Comederunt omnes, qui ſe ſeparauerunt à coinquinatione gentium terræ, vt quærerẽt Dominum*; & alibi: *Se ſeparauerunt de populis terrarum ad legem Dei*; vbi ex Sacra Scriptura benè agentes ſeparant ſe, quod eſt ſe diſcernere, ab agentibus pravè. ¶ 2. Quàm plurima congerit exempla, in quibus, licèt effectus aliqui ſoli Deo tribuãtur, ex Sacro Textu; tamen alijs in locis tales effectus verè homini conceduntur; ſic tribuitur ab Apoſtolo homini: *Salvum facere ſeipſum*, & tamen dum apud Lucam Chriſtus interrogatur: *Et quis poteſt ſalvus fieri?* Ait illis, *quæ impoſsibilia ſunt apud homines poſsibilia ſunt apud Deum*, ſimiliter Apoſtolus tribuit homini mundare ſe; ſic enim aſſerit: *Si quis emundaverit ſe, erit vas in honorem*; & tamen eſſe hominem mundum ſoli Deo tribuit Job, dum ita Deo affatur: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonnè tu, qui ſolus es*; ex quibus ita ſubſume: iuſtum ſe facit homo, hoc eſt ſalvum, & mundum, licèt iuſtificatio, ſalus, & mundatio noſtra tribuatur ſoli Deo; ergò ſtabit hominem conſentientem ſe diſcretum facere, licèt illius diſcretio ab Apoſt. tribuatur ſoli Deo. ¶ 3. Ad hominem: iuxtà Thomiſtas ex D. Thoma: rectè conciliantur, quod verè homo ſe determinet, licèt priùs determinetur à Deo; ergò, & quod homo ſe diſcernat, licèt priùs diſcernatur à Deo. ¶ 4. Ille ſe diſcernit, qui ponit activè in ſeipſo id quo cõſtituitur diſcretus; ſed homo ponit activè in ſeipſo id quo conſtituitur diſcretus; ergò: Prob. Min. quia ex Auguſt. *Fides diſcernit ab infideli fidelem*, & homo activè ponit in ſeipſo fidem; immò cum idem ſit conſtitutivum, ac diſtinctivum, & per conſenſum liberum conſtituatur homo conſentiens, diſcretus, ſeù diſtinctus à non conſentiente, conſtituetur.

*Ribadeney. de Prædeſt. cap. 1. diſp. 21.*

*Æſdræ 1. c. 6 Æſdræ 2. c. 10.*

*Paul. 1. ad Thimot. 4. 16.*

*Lucæ 18.*

*Paulus 2. ad Thimot. 2. 21.*

*Iob 14. 4.*

*D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6 ad 3.*

*Aug. cap. 5 de Prædeſt. Sanctor. vbi vbi ſup.*

Reſp. hoc argument. minimè contrà nos militare: non enim dubitamus, libere conſentientem ſe diſcernere, dum conſentit, quia cum per conſenſum conſtituatur conſentiens, & diſcretus à non conſentien-

te;

te? in hoc ergò diſsidium non eſt: controverſia ſiſtit; An præter diſcretionem conſiſtentem in conſenſu, liberam conſentienti, ſit alia intrinſeca diſcretio præveniens conſenſum, vnicè libera Deo? Negant Adverſarij, Nos affirmamus; vndè conſentientem diſcerni per conſenſum fatemur, ſed priùs eſſe diſcretum per ſpecialem Dei gratiam donatam, vt conſentiat, pugnamus; vndè non eſt prima, nec vnica diſcretio intrinſeca ipſe conſenſus, ſed ſupponit diſcretionem intrinſecam gratiæ à Deo miſericorditèr collatę; ſicut enim conſentiens libere ſe determinat ad conſenſum, ſed per præviam determinationem ſoli Deo liberam, ita libere ſe diſcernit per conſenſum, ſed per prę viam diſcretionem ſoli Deo liberam. ¶ Et hoc argument. ſibi in terminis propoſſuit M.P. Auguſt. vt ſuprà ex ipſo tranſcripſimus; vt indubiumque profitetur, quod dum ex audientibus verbum veritatis, vni credunt, & alij contradicunt, diſcernuntur, quia volunt iſti credere, nollunt autem illi; ſed cum credentibus præparetur voluntas à Domino vt credant, & non præparetur non credentibus, diſcernendum primo eſt, ex eo, quod deſcendit, ex miſericordia Dei, & ex eo, quod non deſcendit, ex eius iudicio; nec enim alitèr ſalvari poſſe intentum Pauli tribuẽtis ſoli Deo diſcretionem primam, ſcilicèt, gratię, ita vt conſentiens, non poſsit in ſeipſo gloriari de ſuo conſenſu, ſed tantum in Domino, tot efficacibus fundamentis manet ſtabilitum.

*Aug. Supr. num. 286.*

329 Dices verò: non poſſe intelligi, quod conſentiens ſe diſcernat, ſi priùs intrinſecè à ſolo Deo diſcernitur. ¶ Sed teſtante Auguſt. *Qui agitur, agere ipſe vix intelligitur*, & tamen ex Apoſtolo: *Qui ſpiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei, aguntur verò vt agant*; iterùm aiente Auguſt. Si ergò ſtat filios Dei ſpiritu Dei agi, vt ipſi agant: Cùr non conciliabitur, ſpiritu Dei diſcerni, vt ſe diſcernant? ¶ 2. Iuxtà Auguſt. *Deus facit, vt faciamus præſtando vires efficaciſsimas voluntati*; Cùr non diſcernet, vt diſcernamur præſtando vires efficaciſsimas voluntati? ¶ 3. M. Eccleſiæ P. verſans illa S. Ambroſij verba: *Deus, quem vult religioſum facit*, adverſus Pelagiũ, aſsignans opera hominis Religioſi, currere, ſcilicèt, ad Deum, & iugitèr adhęrendo Deo vnum fieri ſpiritum cum Deo, ſic tandem concludit: *Et hoc totum homo niſi Religioſus non facit. Quapropter niſi à Deo fiat, vt hoc faciat, quis hoc facit?* In ſimili dicimus; Deus, quem vult diſcretum facit, conſentire Deo opus eſt hominis ſe diſcernentis; ſed niſi à Deo diſcernatur, vt ſe diſcernat; quis ſe diſcernit?

*Aug. lib. de Geſtis cum Pelagio, c. 3 Paul. ad Roman. 8. 15.*

*Auguſt. de Corrept. & Grat cap. 2. Auguſt. de Gratia Chriſti, cont. Pelag. c. 46.*

330 Oppones 2. ex eodem Ribadeneyra intendente teſtimonium Apoſt. ſuæ ſententiæ potiùs, quàm noſtræ favere, pro quo ſupponit Paulum loqui de diſcretione temporali per dona Dei, ex illis verbis: *Quid habes, &c.* quibus oculos defigit in ornamenta conſentientis, quæ poſſunt inani glorię præbere occaſionẽ; & exinde ſermonem eſſe de gratia intrinſeca efficaci, qua in re conſentimus; ex his infert, quod diſcretio, de qua Apoſt. non eſt prædeterminatio antevertens conſenſum; ſed potiùs gratia includens conſenſum, & ita diſputat; ex contextu Pauli diſcretio illa eſt donum in Deum revocandum, quod inflati homines ſibi ſuperbè arrogant, ſed tale donum nõ eſt prædeterminatio, nullus enim eſt adeò fatuus, vt quæ pro libertate alterius ante ſuum conſenſum habet arroget ſibi, plures verò Hęretico ſpiritu ducti ſuos liberos conſenſus ſibi arrogant; ergò diſcretio, de qua Paulus includit conſenſum, & non eſt gratia prædeterminans. ¶ Confirmat ex ipſo Ribadeneyra, P. Herrera,

*Ribadeneyra vbi ſuprà n. 10.*

*P. Herrera, vbi ſuprà.*

*Auguſt. de Spirit. & Litt. c. 24.*

ex M.P. Auguſt. ſic diſſerente: *Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ volũtatis eſt: quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt, quid enim habes, quod non accepiſti? Verùm etiã confirmat, accipere, & habere anima non poteſt bona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo, ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat Dei eſt, accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis eſt,* ex quibus inſurgunt. Diſcernimur, quatenus accepimus dona, quæ Deus diſcernens confert nobis, ſed accepimus, iuxtà Auguſt. quatenus conſentimus; ergò diſcernimur, quatenus conſentimus. ¶ Vel alitèr, teſtimonium Pauli iuxtà Auguſt. confirmat, quod conſentiens habeat donum Dei, per quod diſcernitur ſuo ipſius conſenſu, & acceptatione, ſed gratiam prædeterminantem non accipimus conſenſu, ſed accepta ſupponitur ad conſenſum, nõ enim eſt, quia conſentimus, ſed vt conſentiamus; ergò donum per quod Deus diſcernit iuxtà Apoſt. non eſt gratia prædeterminans.

Sed hoc argumentum eſſe ineffi-

*P. Alderet. de Scientia Dei, diſput. 30. ſect. 17. à num. 10. Augu. ſup. allatus, n. 21.*

cax mihi manifeſtum eſt; & ſuppono vt indubium contra P. Alderete Apoſtolum loqui de donis ſupernaturalibus, non verò ſolùm de donis naturalibus, ita vt Auguſt. à paritate doctrinam Apoſtoli ad dona ſupernaturalia applicaret: Quòd ex M.P. colligitur ita diſſerente: *In hac Apoſtoli intentione, qua contra humanam ſuperbiam loquitur, dona Dei naturalia ſuſpicari, nimis quantum exiſtimo abſurdum eſt*; vt verùm docetur, quod Auguſt. iudicat nimis abſurdum; & rationem poſteà ſubiungit: *Non ſe ille, quem coërcebat Apoſt. adverſus pecus inflabat, nec adverſus hominem alterum de aliquo naturali munere, ſed aliquod bonum, quod pertinet ad vitam bonam ſibi non Deo tribuens inflabatur, quãdo audire meruit, quis te diſcernit, &c.*

*Auguſtin. vbi ſuprà.*

Vndè ſic diſputo: vel loquitur Paulus de gratia interiori prævenie-te, vel non? ſi ſecundũ, & tamen ex hoc teſtimonio rectè cõvincitur gratia interior prævenians, aliàs Auguſt. argumento ex hoc teſtimonio deſumpto Semipelagianos nec vinceret, nec tangeret; ergò licèt Apoſtolus non loquatur de gratia prædeterminante poteſt ex Apoſt. teſtimonio convinci gratia prædeterminans. Si dicas 1. En contra te argument. quo probas Apoſt. non loqui de gratia prædeterminante. Apoſt. loquitur de illo dono Dei, quod elati homines ſibi ſuperbè arrogant, ſed nullus ſibi ſuperbè arrogat exiſtentiam gratiæ interioris prę venientis, hæc enim, vt de fide eſt, exiſtit pro libertate Dei ante omnem actum ſalutarem no-ſtrum; & vt ſæpiùs aſſerit Auguſt. *Nemò poteſt ſibi tribuere, quod vocatus ſit*; ergo vel de hac gratia non loquitur Paulus, vel poterit loqui de prędeterminante, licèt de illa non poſsint homines elati gloriari, quia donum Dei ante conſenſum noſtrũ.

331 Vndè reſp. Quod homo ille non gloriabatur de aliquo dono gratiæ prævenientis, ſed de ſuo ſalutarî conſenſu; & ideò ſic aſſerebat apud Auguſt. *Diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, & talibus cogitationibus occurrens bonus Doctor aſſeruit, quid habes, &c. A quo niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi*; aſsignat ergò Apoſt. donum gratię, quo Deus diſcernit fidelem, & quod fidelis ſibi tribuere non poteſt, vt reprimat elationem, qua fidelis ille gloriabatur in ſeipſo de fide ſibi libera, & non tantum in Domino; quod donum gratię eſſe prædeterminans efficacitèr colligitur, quia donum gratiæ, vt ex Deo indifferens, nequit eſſe diſcernens, nec tollere iuſtam elationem de conſenſu libero. ¶ Sed Reſp. P. Ribadeneyra; diſcretionem formaliter non poſſe provenire ex donis gra-

*Auguſt. vbi ſuprà.*

*P. Ribaden. vbi ſup. c. 2. num. 20.*

gratiæ æqualibus, & indifferentibus, posse verò ex illis oriri causaliter. ¶ Hæc sæpiùs audio, sed Augustin. ita differentem post verba adducta lego: *Nihil tamen huic sensui, tàm contrarium est, quàm de suis meritis, sic quemquam gloriari, tanquàm ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei*, & non quiesco, sed vlteriùs inquiro, quæ gratia Dei efficit merita, nè quis glorietur? Et statim ita afflatur M.P. *Gratia, quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est, & bonis, & malis* ¶ Nec si dona gratiæ solùm causaliter discernunt, & possunt esse indifferentia, video efficaciam rationis ex hoc testimonio desumptæ ab Augustin. vt de Semipelagianis triumpharet, reijciendo dona naturalia, vt insufficientia, quia indifferentia, & communia.

Confirmatio nostram doctrinam minimè oppugnat. Fatemur esse verùm omninò, quod edocet M.P. quia consentire, & dissentire propriæ est voluntatis, discernimurque cum accipimus cõsentiendo dona Dei, quid ergò, vt sit opus nostrum, discretio illa, vt sit priùs ex gratia Dei adiuvante, vt fiat opus discernens, non solùm cum fit; & ideò post verba argumenti subiungit M. P. *Dei gratia non solùm ostendat, quid faciendum sit, sed adiuvet etiam vt fieri possit, quod ostenderit*, non solùm enim adiuvat, cum acceptantur dona cõsentiendo, sed vt fieri possit, hoc est, prævenit adiuvando, vt dona per cõsensum acceptentur. Nec ex eo, quod hæc acceptatio propriæ voluntati tribuatur, inferas Deo, vt determinanti denegandam esse, quod proferendo, quæ ibidem edocet M. P. apertè colligitur; ita enim afflatur: *Nam si propterea non est opus Dei, quia per nos agitur, vel quia illo donante nos agimus, nec illud est opus Dei, vt mons transferatur in mare, quia per fidem hominum fieri posse Dominus dixit, & hoc ipsorum operi attribuit*; si ergò, quod mons transferatur in mare est ex determinatione Dei, licèt nostræ fidei, per quam fieri posse Christus asseruit, rectè attribuatur, Cùr quod acceptentur dona Dei per consensum non erit ex determinatione Dei, licèt nostræ fidei, dum credimus rectè ab Augustin. attribuatur.

*Augustin. de Spiritu, & Litt. c. 35.*

*Aug. vbi suprà.*

*Marc. 11.*

332 Dices, quod M. P. contraponit, quid habeat, & quid accipiat voluntas, quod Deo tribuit; cum habere, & accipere, quod esse voluntatis proprium testatur; ergò, quia voluntatem habere, & accipere dona per consensum est ex sua determinatione, non Dei. ¶ Sed cùr meliùs nõ dicitur esse ex sua determinatione, & Dei? cõtraponere enim Augustin. in eo stat, quia quid habeat, & accipiat, est ex sola Dei determinatione, habere, & accipere est ex determinatione voluntatis; vndè non est vnica determinatio Dei; ex eo enim, quod aliquid fit in homine, quia ipsi videtur, & quia ipse vult, minimè tollit, quod Deo priùs visum sit; quod Augustin. expressè edocet laudans Ambrosij sententiam, qui exponendo illud Lucæ: *Visum est mihi*; sic edisserit: *Potest non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat, non enim voluntate tantum humana, visum est, sed sicut placuit ei, qui in me, inquit*, loquitur Christus: *Et ideò, qui Christum sequitur, potest interrogatus, Cùr esse voluerit Christianus? Respondere visum est mihi, quod cum dicit non negat Deo visum. A Deo enim præparatur voluntas hominum; vt enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est*, quod ergo Ambrosius ab Augustin. approbatus edocet exponendo Lucam, nos asserimus explicando Augustin.

*Augustin. de Natura, & Gratia, c. 13.*

*Ambrosius sup. Luc. c. 11.*

333 2. Probatio intendens Paulum iuxtà Augustin. non posse intelligi de gratia prædeterminante, quia hæc gratia non accipitur consensu, sed prævenit, vt consentiamus; purè grammaticalitèr intelligit Augustin.

nec enim Auguſt. accipere, & habere dona Dei intelligit, pro eo, quod eſt recipere purè phyſicè, ſed pro eodem, ac acceptare moraliter; aliàs illud accipere dona Dei nō eſſet voluntatis conſentiendo adhùc ſi dono Dei intelligeretur gratia excitans, etenim phyſica acceptio donorum Dei includitur in eo, *quid habeat, & quid accipiat* voluntas, quod Dei eſſe expreſsit Auguſt. In quo ſenſu verbum recipere fuiſſe à Tridentino vſurpatum nullus Theologorum ignorat, dum declarat, quod homo *inſpirationem recipiens illam abijcere poteſt*; vndè *recipere* ſumitur pro eodem, ac acceptare, proùt opponitur ad abijcere, ſeù contemnere.

Cùr verò in his principijs Deus diſcernat conſentientem; non peccātem? Brevitèr dicimus, quod peccans non diſcernitur, quia agit, ſed quia agendo deficit, vel cum defectu agit, & cum Deus non determinet defectum actus, ſed actum, non diſcernit ipſum peccantem; quomodò verò Deus determinans actum peccati non determinet defectum, ſuo loco, *Deo dante*, exprofeſſo diſcutietur.

## ADDITIO.

334 POſtquàm hæc publicam viderunt lucem, de illis accumine, & eruditione mirabili ſcripſerunt Doctor Prado, & P. Ramirez; vndè neceſsè eſt noſtra fundamenta roborare, & obiecta in contrarium diſſolvere.

*Prado, diſp. 10. de Libero Arbitr. ſect. 2. à n. 14.*

Ad rationem ex Auguſt. allatam à num. 287. Reſp. Prado. Ipſa verba Auguſt. apertè inſinuare veram intelligentiam; non enim dicit: *Quod per dona communia omnibus hominibus non diſcernuntur homines ab hominibus*; ſed hanc potiùs propoſitionem reſtringit, dicendo, *per hæc dona*. Vt denotet dona naturalia non poſſe eſſe diſcretiva etiam cauſaliter fidelis ab infideli, etiam quoad fidei initium, ſed debere eſſe gratiam divinam, vt etiam reſpectu iſtius verū ſit dictum Apoſtoli: *Quid habes, quod non accepiſti?* Quod Semipelagiani negabant putantes diſcretionē quoad illud initium, fieri: *Per dona naturalia Dei, vel ipſam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione data eſt, ſivè naturæ vitiatæ qualeſcumque reliquias.* Illud ergò pronomen *hæc* refertur ad dona naturalia, de quibus aſſerit non diſcernere homines ab hominibus, non quia communia ſunt omnibus, quaſi hoc reddatur pro ratione non diſcernendi, ſed de illis ſic communibus aſſerit non poſſe eſſe diſcretiva ob aliam rationem valdè diverſam; nimirum, quia quamvis poſsit naturæ tribui diſcretio *in aliquo naturali munere, quod ineſſe poſsit, & peſsimo*: non verò diſcretio *in bono, quod pertineret ad vitam æternam*; ita vt illi, & non Deo tribuatur.

*Auguſt. de Prædeſtin. ſect. cap. 5.*

*Auguſt. ibi*

Et inquirit à nobis: Ex textu Apoſtoli proùt expoſito ab Auguſtin. probari poteſt, quod diſcretio quoad initium fidei non poteſt fieri per prędetermin. ordinis naturalis, ſed per aliam, quæ attineat ad ordinem gratiæ ſupernaturalis per Chriſtum? Si negamus; infertur textum Apoſtoli vt ab Auguſt. expoſitum inutilem eſſe ad convincendum Semipelagianorum errorem, quia error illorū erat, initium fidei eſſe naturale, & naturæ tribuendum, & ſi ex illo textu non probatur prædeterm. ſupernaturalis, non poteſt ex illo probari, quod initium fidei non ſit naturæ tribuendum ſicut ei tribuuntur alia opera naturalia à Deo naturalitèr prædeterminata: ¶ Si affirmamus: expoſcit ex illo textu probationem: ſicut enim nos inquirimus, in quo principio nititur vis huius illationis Auguſtini: *Deus diſcernit fidelem ab infideli; ergò gratia interior prævenit fidem*: ſi gratia præveniens non eſt diſcretiva, & non communis; ita nobis inquirit:

in

in quo principio nititur vis huius illationis: *Gratia præveniens discernit fidelem; ergò est intrinsicè supernalis*; si donum prædeterm. licet naturale esset discretivum.

335 Sed hæc licèt ingeniosè excogitata vim rationis nostræ ex Apostolo iuxtà expositionem Augustin. desumptæ non infringunt: Contra enim est dum Augustin. ait: *Nunquid per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus* ly per *hæc dona*: designat dona naturę, sed asserit pro ratione non discernendi esse communia omnibus; ergò falsa est solutio: & iuxtà Augustin. doctrinam dona cõmunia non possunt esse discretiva: Prob. antec. 1. Quia iuxtà Augustin. mirabilem stilum modus ille interrogandi est disputandi, seù inferendi, quasi diceret; *hæc dona sunt communia; ergò non sunt discretiva*: si enim illud prędicatum, quod assumit non inferet dona illa non discernere ineptè, & inutilitèr ad intentum illo vteretur; sicut si diceret: *Nunquid per hæc dona, quæ ex Deo sunt, discernuntur homines?* 2. Augustin. ait: *Nũquid illi inimici, qui in suis inimicitijs perierunt, ipsi sunt electi, atque dilecti?* Idem fuit ac convincere Iudæos, qui cõvenerunt adversus Christum non esse electos, atque dilectos, & cùr? Quia in suis inimicitijs perierunt: Ex modò interrogandi inferes Augustin. reddere rationem, Iudæos illos non esse electos, quia in inimicitijs perierũt: & de Gentibus, qui in inimicitijs perierunt rectè colligeretur non esse electos; quin esset solutio dicere; illa verba, *illi inimici*; restringere illam propositionem ad Iudęos, de quibus loquebatur Augustin. Eundem modum interrogandi habet Augustin. in sententia, quàm versamur; ergò dum interrogat exhibet rationem convincentem, quos impugnat.

¶ 3. Quia dum explicans verba Pauli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Inquit: *Nihil autem huic sensui, tàm contrarium est, quàm de suis meritis quemquam gloriari, tanquàm ipse sibi ea fecerit; non gratia Dei, sed gratia, quæ discernit bonos à malis, non, quæ communis est bonis, & malis.* Clarissimè sine illa restrictione; *hæc dona*: asserit gratiam Dei efficientem merita esse discernentẽ bonos à malis, non communem bonis, & malis; ergò est principium Augustin. Gratia communis bono, & malo non discernit bonum à malo: & assignabit pro ratione non discernẽdi dona naturæ esse communia.

Ad interrogationem dicimus: Nil magis oppositum Semipelagianis, quàm prædeterm. etiam naturalem ad initium fidei, qui negabant *fidem, qua Christiani sumus donum Dei esse, tanquàm fides non ab ipso Deo donetur nobis*; sed *nobis ex nobis esse arbitrabantur*; & omne quod est ex prædeterm. Dei, est Dei donum, & nobis ex Deo; sed nos asserimus Deũ per gratiam omnem prædeterm. esse discernentem, & donantem opera naturalia per prædeterm. naturalem; opera salutaria per prædeterm. seù gratiam salutarem; vna opera per *gratiam, qua conditi sumus*, alia per *gratiam, qua Christiani sumus*; Augustin. negavit dona naturalia, quia communia, esse discretiva; efficacitèr inde colligimus dona communia discretiva non esse; inquiris; Omne donum determinans erit discernens? Resp. iuxtà qualitatem termini in quo discernit: Vndè *gratia præveniens supernaturalis*, non colligitur ex illo antecedenti *Deus discernit fidelem*; nisi ratione termini, quia discernit in aliquo ad *vitam bonam* conducente; quod evidentèr expressit Augustin. dicendo gratias discernẽtes naturæ attributas, qua discernimur à pecoribus, & inter homines à deformibus pulchri, vel ingenioſi discernuntur à tardis; sed solùm spiritus fidei discernit ab infideli fidelem.

Ad

*Augustin. de Prædestin. SS. cap. 5.*

*Augustin. de Prædestin. SS. cap. 16.*

*Apost. ad Chorint. 3.*

*Augustin ibi de Prædest. SS. cap. 5.*

*Augustin. de Prædestin. SS. c. 2. & 3.*

*Augustin. sup. n. 285.*

*Vide supra, num. 330.*

Sup. à num. 297. vsque ad 300.

336 Ad rationem adductã ex motivo elationis consentientis si Deus per gratiam non determinat consensum; Respondent. Solutione ibi tradita; quàm fundant: posse quidem hominem gloriari de suo consensu tanquàm elicito cum adiutorio divinę gratiæ: 1. Quia August. ait: *Et si quisque sibi tribuit, quod vocatus venit, non tamen potest sibi tribuere, quod vocatus est.* Cùm ergò posset quis iustè gloriari de eo, quod potest *sibi* iustè *tribuere*; poterit gloriari de suo bono opere, vt elicito ex viribus gratię vocantis. 2. ex August. aiente: *Vt velimus, suum esse voluit, & nostrum: suum vocando nostrum sequendo*: Vndè si est nostrum vocationi consentire poterit homo sibi tribuere, vt ita adiuto, quod consentiat. ¶ 3. Quia idem ampliùs declarat D. August. asserendo: *Nostrum est enim velle, & credere: illius autem dare credentibus facultatem bene operandi. Verùm est quidem; sed eadem regula, & vtrùmque ipsius, verùm est, quia ipse præparat voluntatem: & vtrùmque nostrum; quia non nisi volentibus nobis; quia nec velle possumus, nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus, & vires currentibus præbeat, & perducat, quo vocat.* Ideò igitur Deo tribuendũ, quia eius viribus adiuti consentimus, ad quod non sufficit voluntas nostra: ¶ 4. Quia solùm esse iniustum tribuere sibi, tanquàm suis viribus sufficiẽti, benè operari, non autem debere quemquam non tribuere bonã operationem tanquàm ex viribus gratię elicitam; audiatur S. Doctor, dum ait: *Nemo ergò Deum causetur in corde suo; sed sibi imputet quisque, cum peccat: neque cum aliquid secũdùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate: quando enim volens facit, tunc dicendum erit opus bonum: tunc speranda est operis mercès ab eo, de quo dictum est, reddet vnicuique secundùm opera sua.* Et alibi valdè opportunè: *Si autem dixerimus bonam voluntatem non esse nisi donum Dei, metuendum est, nè infideles, atque impij, non immeritò, sed veluti iustè excusari videantur, ideò non credidisse; quia Deus istam noluit dare voluntatem.* Falso igitur asseritur non posse hominem de suis bonis operibus modò dicto, debitoque gloriari; sed de suis solũ infirmitatibus. Audiatur vlteriùs D. August. explicans hunc textum Apostoli, sic docens: *Hoc vtique totũ, non ideò, vt homo non glorietur, sed vt qui gloriatur in Domino glorietur; quia opera ex gratia: non ex operibus gratia*: Vides, quid sit gloriari in Domino, & non nisi in Domino, gloriari de bono opere, vt elicito ex viribus gratię: Vndè concludit aperto textu D. Bernardi rem diffinientis: *Non ait Apostolus: Si autem accepisti, quid gloriaris?* Sed quid gloriaris, *inquit, quasi* non acceperis? *Vt nõ prohibeat, sed doceat gloriari.* Debilè nimis est istud argumentum sumptũ ex superba elatione, vt illud tam sæpè, & iactantèr nobis obijciatur: Vcusquè Prado. Sed ego addo Div. Bernardum versantem hæc Apostoli verba, & aientem: *Non ait simpliciter quid gloriaris; sed addit* quasi nõ acceperis: *Vt asserat reprehensibilem non qui in habitis, sed qui tanquàm in non acceptis gloriatur*: Ergò ex D. Bernardo iuxtà Apostolum non debet elationis reprehendi, qui in habitis, vt acceptis gloriatur, sed solùm qui gloriatur in habitis, tanquàm in non acceptis.

Aug. lib. 83 q. 68.

Aug. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.

August. de Prædestin. SS. cap. 3.

August. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 2.

Aug. lib. de Spirit. & Litt. c. 33.

Aug. Epist. 106.

D. Bernard. serm. de his verb. Apost.

Doct. Prado vbi sup. à n. 38. vsque ad 40.

D. Bernard. tract. de Diligendo Deo circa principium.

337 P. Ramirez in eadem solutione insistit. Quia, ait, quod ex conceptu libertatis, potest consentiens, sibi tribuere suam discretionem, seù consensum; quia est ipsi imputabilis: quia per ipsum constituitur laudabilis laude *morali*: poterit igitur de ipso, vt accepto gloriari; Et hoc fi-

Ramirez, vbi suprà à num. 85. vsque ad 90.

ne

ne elatione: vt in Rege Ezechia dum
*Isaiæ c. 38.* orabat: *Obsecro, Domine, memento quæso, quomodò ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfectò, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim.*
*2. Apost. 2. ad Timoth. c. 4.* Et in D. Paulo asserente: *Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi.* ¶ Et versans rationem nostram allatam num. 300. postquàm miratur me silentio prætermisisse verba quædam S. Anselmi, & D. Thomæ, de quibus suo loco tractavi, ita scribit: *Mirùm insuper erit, si instãtias cõtra se plena manu non invenerit! Audiat igitur libentèr, quas libenter omisit.* Dicat elatus cõsentiens; cùr non gloriabor de meo consensu? Respondebis ipsi; *quia à Deo accepisti consensum per prædeterminationem.* Replicabit iustè: *De mea prædeterm non gloriabor, quia illam accepi ex Deo, sed de meo consensu in me ipso gloriabor, quia ex mea electione fuit,* cum prædeterm. libertatem, & dominiũ electivum reliquerit: *Gloriabor de eo, quod sim ex mea electione consentiens*: cum non fuerim à Deo præconsentiens: *Gloriabor de eo, quod consensus sit ex me vitalitèr; quod consensum elegero electione creata*: cum à Deo non esset prævitaliter, nec præelectus electione creata, &c.

338 Sed vt ab hoc vltimo incipiam, Resp. me instantias plena manu non invenisse, & vt admirationem augeat, nec edoctus à tanto Magistro invenio: assumptum meum erat: *Consentientem posse in seipso gloriari, de eo, quod non habet ex determinatione Dei, sed vnicè ex sua determinatione*: non de eo, quod vnicè ipse habet, sed de eo, quod habet ex sua vnica determinatione: *Non ergò potest in se ipso gloriari de consensu*, ad quem se determinat ex Dei determinatione: Nec potest gloriari de eo, quod sit consentiens *ex sua electione, quod vivat per consensum, quod per ipsum eligat*; quia hæc omnia sunt ex Dei determinatione, de omnibus igitur his, debet gloriari in Domino, qui *ipsum discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit ipsi.* Sed in his non immoremur.

Solutionis falsitatem suadeamus addẽdo supradictis, vt omninò enim verùm asserimus; hominem non posse iustè gloriari *in seipso* adhùc, vt adiuto viribus gratiæ de *suo opere* salutari; sed iustè de illo gloriari, esse gloriari de illo in *Domino*; sed vt clariùs procedam, triplicem gloriationem distingue: Potest enim, quis gloriari de bonis *nõ habitis*, & tunc *stultè* gloriatur; & ideò dixit Apostolus: *Si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam.* Et vt exponit D. Thomàs: *Dicit* non ero insipiens, *quia gloriabatur de his, quæ habebat. Quando enim gloriatur quis de his, quæ non habet, stultè gloriatur. Apocalyp. 3. Dicit,* quia dives sum, & nullius egeo, *& nescis, &c.* 2. Potest quis gloriari de bonis *habitis, vt non acceptis.* Et hæc gloriatio elatio est, & Pelagiana, quia *quid habes, quod non accepisti? Quasi dicat*, Apostolus, *nihil. Omnia enim bona sunt à Deo secundum illud.* Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. *Et illud.* Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus *tibi*: vt scripsit D. Thomas. ¶ Tertiò potest quis gloriari de bonis *habitis*, & *acceptis*; & asserimus, si quis gloriatur de bonis habitis, & acceptis, *in Domino* à quo accepit, iustè gloriatur, hanc gloriationem docuit Apostolus, non prohibuit, sic gloriari non est superbire, sed humiliari, si quis autem de bonis *habitis*, & *acceptis* gloriatur *in seipso*, hæc gloriatio est prohibita ab Apostolo, est elatio, non Pelagiana, & Hęretica, sed iniusta, & superba: vndè non ita debilè iudicamus argumentum desumptum ex eo, quod *accenditur elatio*, si Deus per gratiam non determinat opera bona; quia homo *in seipso*

*Sup. n. 299.*
*2. Apost. 2. ad Corinth. 12.*
*D. Tho. expon. hæc verba Apost.*
*1. Apost. 1. ad Corinth. 4.*
*Psalm. 103.*
*Paralip. 29.*
*D. Tho. exp. verba Apostol.*

ſeipſo poſſet gloriari de opere habito, & accepto.

339 Aſſumptum prob. 1. Prohibitum eſt à Paulo in illis verbis: *Si accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quòd quis glorietur, *quaſi non accipiens*; & exindè eſt præceptum, quòd ſi gloriatur glorietur, *quaſi accipiens*; ſed qui gloriatur *in ſeipſo* de bonis habitis, & acceptis nõ gloriatur, *quaſi accipiens*: ergò qui *in ſe* gloriatur, gloriatur elatione à Paulo prohibita: Mai. eſt nota: Minorem docet, & probat D. Thom. per hæc verba: *Ille gloriatur, quaſi accipiens, qui omnia Deo adſcribens gloriatur de ipſo, ſicut ſupradictum eſt.* Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Sic autem gloriari non eſt ſuperbire, ſed humiliari ſub Deo, cui homo dat gloriam, ſecundùm illud.* Danti mihi ſapientiam, dabo *gloriam.*

*D. Tho. exp. hæc Apoſt. verba.*

*Eccleſ. vlti.*

2. Prob. Min. ex D. Bernardo: *Aperto textu rem diffiniẽte*, vt Adverſarij aſſerunt, ſed in favorem doctrinæ noſtræ: Apoſtolus *non prohibet, ſed docet gloriari*; ita *vt aſſerat reprehenſibilem, non qui in habitis, ſed qui tanquàm in non acceptis gloriatur*; ſed qui gloriatur *in ſeipſo* de bonis habitis, & acceptis, non gloriatur vt Paulus docet, & gloriatur in bonis acceptis tanquàm in non acceptis ex D. Bernardo; ergò Apoſt. dum nos docet gloriari, & prohibet gloriari tanquã non accipientes, prohibet gloriari *in ſeipſo*, & *non in Domino*: Min. eſt expreſſa Doctoris Melliflui ſententia: in loco in quo expreſſo verſat hęc Apoſtoli verba; ita ſcribit: *Noverat Apoſtolus gloriam propriam eſſe creatoris, non creaturæ: ſecundùm illud.* Gloriam meam alteri non dabo: & gloria in excelſis Deo. *Itemque.* Non nobis Domine non nobis; ſed nomini tuo da gloriam: *Sed conſideravit rationalem creaturam adeò affectare gloriã: vt aut vix, aut nunquam ab hoc compeſci deſiderio poſſit: propterea ſalu-*

*Bern. ſerm. de verb. Apoſt. qui gloriatur, &c.*

*Iſai. 42. Matth. 2. Pſalm. 113.*

*berrimum adinvenit conſilium. Quãdoquidem perſuaderi nobis non poteſt non gloriari: ſaltem* qui gloriatur, *non in altero, non in ſe; ſed* in Domino glorietur: *Itaque, qui gloriatur: iam non in meritis ſuis glorietur.* Quid enim habet, quod non accepit? Si autẽ accepit, quid gloriatur quaſi non acceperit? *In eo ergo à quo accepit glorietur*: (quid clariùs!) *Non quaſi ipſe magnus ſit; ſed quia magnificet eum Deus; hoc eſt, vt in illis, quæ acceperit non quaſi ea non acceperit; ſed quaſi qui ea acceperit glorietur. Neque enim ait* (hęc ſunt verba, quæ opponuntur nobis) *Apoſtol.* Si autem accepiſti, *quid gloriaris, ſed* quid gloriaris *inquit.* Quaſi non acceperis? *Vt non prohibeat, ſed doceat gloriari*; ergò Ap. Paulus iuxtà D. Bernardũ nos docet gloriari; ſed in Domino, *in eo à quo merita accepimus*, ſi autem in nobis ipſis gloriamur, reprehenſione digni ſumus, quia ſi non gloriamur *in eo à quo accepimus*, gloriamur de his, quæ accepimus, quaſi non acceperimus: lege Bernardum, vt neceſſariam hanc doctrinam tradentem ad *ſuperbiam, negligentiam, ingratitudinemque* repellendum: quatenus in *humilitate, & ſolicitudine, & gratiarum actione firmitèr radicati, iam nõ in nobis; ſed* in Domino gloriemur.

Audiatur iterùm D. Bernardus, dum *reprehenſibilem* aſſerit, *qui tanquàm in non acceptis gloriatur*; hoc eſt, quia gloriatur inanitèr in ſe, & non in Domino: *Habere*, (ait) *quod habere te neſcias: quam gloriam habet? Porrò noſſe, quod habeas, ſed quia à te non habeas ignorare: habet gloriam; ſed non apud Deum, apud autem ſe glorianti dicitur ab Apoſtolo:* (Hic ſcripſit verba argumenti, & ita proſequitur,) *meritò vanagloria nũcupatur huiuſmodi, veritatis nimirum ſolido carens fundamento. Veram enim gloriam ab hac ita diſcernit:* Qui gloriatur, *ait*, in Domino glo-

*D. Bernard. tract. de Diligendo Deo circa prin. cip.*

rie-

1. Ad Corinth. 1. rietur: *Hoc est, in veritate. Veritas quippè Dominus est. Vtrùmque ergò scias necessè est: & quid sis, & quod à te ipso non sis: nè aut omninò videlicèt non glorieris, aut inanitèr glorieris.* Nil Illustrius pro nostra doctrina.

340 2. Prob. assumptum: Quia Apost. hæc scripsit: *Vt nè suprà quam scriptum est, vnus adversus alterum infletur*, in verbis enim sequentibus: *Quis te discernit: Assignat rationem, quare vnus non debeat contra alium inflari.* Vt ait D. Thomas: Et, quid est *nè suprà quam scriptum est?* Id est, *vltra formam in præmissis descriptam*: scilicèt in eadem Epistola: *Vt quemadmodum scriptum est*: (apud Hieremiam quidem) *Qui gloriatur in Domino glorietur*: Et ideò dixit S. Chrisostomus: *Nè suprà, id est: Nè contra S. Scripturam, quæ docet non esse superbiendum*: Ergò pro eodem reputat Apost. quod quis glorietur, quasi non acceperit; quàm quod *adversus alterum infletur* contra id, quod scriptum est, *qui gloriatur in Domino glorietur*: Ergò est elatio, seù inflatio, quòd quis de opere accepto glorietur in seipso, & non tantum in Domino à quo accepit:

D. Tho. exp. hæc verba.

1. Ad Corinth. cap. 1.

Hierem. 9. S. Chrisost. ad hæc Apost. verba.

Vide suprà num. 325.

341 Testimonia S. August. mihi obiecta, nescio, quomodò sint, nec levitèr in me; ita scripsi: *Suppono iustè posse quemlibet gloriari de suo bono opere*; (hoc, quod supposui probant,) *sed vt omninò verùm dicimus, nullum posse iustè gloriari in seipso de suo opere laudabili; sed tantum in Domino*: hoc iterùm, vt omninò verùm asserimus, & ampliùs manet firmatum; & quod testimonia August. dum primum docent, secundùm non oppugnent, opportet manifestare ex ipso S. Doctore: Verùm est, quod *quisque sibi tribuit, quod vocatus venit; non tamen potest sibi tribuere, quod vocatus est, quia vocare* est soliùs Dei, *venire* est nostrum, & exindè Dei, (licèt non soliùs,) quia nostrum ex nobis solùm est *mendacium, & peccatum*; Nihil enim boni *habemus, quod non accepimus*: *Nemò* enim, *potest venire* ad Christum, *nisi pater traxerit eum*, ille, ergò facit vt veniamus, dum nos vocati venimus, qui *facit vt ambulemus, vt observemus, vt faciamus*, dum *nos ambulamus, nos servamus, nos facimus*; potest quidem homo gloriari de eo, quod vocatus venit, sed non *in seipso*; sed *in Domino*, à quo *accipit* ipsum venire, trahente vt veniat, & faciente. ¶ In 2. testimonio, verùm dixit August. quòd vt *vellimus est Dei vocando, & nostrum sequendo*: Vndè homo potest sibi tribuere, quod sequitur vocationem, sed id ipsum Dei est, qui *operatur in nobis velle, & de cuius munere venit, vt à fidelibus suis dignè, & laudabilitèr serviatur*; & qui *nos facit amare quod præcipit*: Ita vt ibi asserit Augustin. *Nulla intentio tenetur Apostoli, nisi vt qui gloriatur, in Domino glorietur*, quia *nec ille, cui donat, debet de suis meritis gloriari, non enim habet, nisi quod accepit.* ¶ In 3. & 4. testimonio: principium sanctum est: *Nostrum esse velle, & credere*; Similitèr *opus bonum alienandum non esse à propria voluntate, quia Deus reddet vnicuique secundùm opera sua.* Vndè dicere non possumus, *bonam voluntatem non esse nisi donum Dei*: Quia est fide certum, *Deum ita esse misericordem, vt dona sua faciat merita nostra, quia certum est nos velle cum volumus, sed Deus facit vt velimus bonum*: Vndè non *audeat miser homo quando benè vivit, & benè operatur, in seipso, non in Domino gloriari*; & ob hoc *dictum est*, quid gloriaris, quasi non acceperis? *Id est, quid gloriaris, quasi à te ipso habeas, quod si non accepisses, à te ipso habere non posses.* Et vt *qui nondum habet vndè glorietur, non à seipso speret, sed Dominum præcetur, satius est enim minus quemque habere, quod à Deo petat,*

Sup. n. 299.

Aug. lib. 83. q. 68.

Arausican. Can. 22.

Apost. 1. ad Corinth. 4.

Ioan.

Aug. lib. 4. ad Bonifaciũ

Aug. lib. 1. ad Simplicianum, q. 2.

Apost. Philip. 2.

Eccl. Orat. Dom. 12. & 13. post Penthec.

August. de Prædest. SS. cap. 3.

August. de Grat. & Libero Arb. cap. 2.

August. de Spir. & Lit. cap. 33.

Trident.

August. de Grat. & Liber. Arbit. cap. 16.

Aug. 16. c. 4.

Aug. Epist. 89.

*quam plus habere quod sibi tribuat; quoniam expedit ab imò surgere, quã ex alto cadere.* Et quantò humiliùs nos gerimus, ampliùs capimus: *Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.* ¶ Vltima Augustin. verba nescio quomodo nobis opponuntur: Cùm inter illa verba, *qui gloriatur in Domino glorietur*, & illa, *quia opera ex gratia, nõ ex operibus gratia*; mediẽt ista: *Non ex operibus nè fortè, quis extollatur*: (En vbi elationem vocat operibus gloriari.) *Non quia bona opera, ista pia cogitatione fruſtrãtur, cum reddit vnicuique ſecundùm opera eius, ſitque gloria, honor, & pax omni operanti bonum*: (En argumentum in nos obiectum;) *ſed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia: quoniam fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, niſi ipſa dilectio Dei diffunderetur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus ex nobis. Nec ipſa fides eſſet in nobis, niſi Deus vnicuique partiretur menſuram fidei.* Ergò. Aug. intendit, quod quis in ſe non glorietur ex ſuis operibus, nè extollatur; ſed tantum in Domino diffundente dilectionem, & impertiente menſuram fidei.

*Aug. ſerm. 27. de verb. Domini.*

*Aug. Epiſt. 106.*

342 Ad id, quod addit P. Ramirez Reſp. quòd homo ſine elatione poteſt gloriari de ſuo opere bono, non in homine, ſed in Deo: Sic S. Rex Ezechias orabat Dominum recenſendo ſua bona opera; ſic D. Paulus merita ſua commemorat; ſed lege Auguſt. Illa ita tribuentem gratiæ vt Apoſt. non poſſet gloriari de illis niſi in Domino; quia ex ipſo Apoſt. Salvi facti ſumus *non ex operibus, nè fortè quis extollatur*: Id eſt: *Tanquàm tuis ex te ipſo tibi exiſtentibus, ſed tanquàm his in quibus te Deus finxit, id eſt, formavit, & creavit.* Et ideò ſcripſit Paulus poſtquàm ſua merita commemoravit: *Dominus mihi aſtitit, & confortavit me. Liberavit me ab omni opere malo, cui gloria in ſæcula.* Ergò non ipſi in ſeipſo. ¶ Placet verò addere, quomodò D. Gregorius exponit hæc verba Pauli, quin in ſuis bonis glorietur, ſed ſolùm in *infirmitatibus ſuis*; ita ſcripſit: *Intuendum eſt, quia eo illud tempore intulit, quo iam ex corpore diſceſſurum ſe eſſe cognovit. Sicut enim dum vivimus, debemus bona noſtra à memoria repellere nè extollãt: ita appropinquante exitu, plerumque ea ad memoriam iuſtè revocamus, vt videlicèt fiduciam præbeant, & deſperatum timorem præmant.* Similiter Ezechias appropinquante exitu merita ſua retulit: & ideò dum in ſe divinæ bonitatis munera retuliſſet D. Auguſt. ita ſcripſit: *Taceo multa, & magna miſericordiæ ſuæ circa me opera, nè aliquid gloriæ, quæ tota eius eſt, ad me videatur tranſire. Ita enim ſecundùm hominum æſtimationem ſibi cohærent gratia dantis, & fœlicitas recipientis, vt non laudetur ſolùm, qui ſolus laudandus eſſet, ſcilicèt ille qui dedit, ſed etiam ille, qui recepit.* Quid enim habet aliquis, quod non accepit? *Aut qui gratis accepit, quare laudatur, quaſi velut promeruerit? Tibi ergò laus Deus meus, tibi gloria, tibi gratiarum actio: mihi autem confuſio faciei meæ, qui tot mala feci, & tot bona recepi.* Ergò Sancti non gloriantur in ſeipſis de ſuis bonis operibus, licèt aliquando, vt dona miſericordiæ Dei ſua merita non taceant; ſemper enim dicunt, cum Propheta: *In Deo ſalutare meum, & gloria mea.*

*D. Gregor. lib. 22. Moral. in 31. Iob, cap. 7.*

*Aug. lib. 2. Meditationum, c. 15.*

*Pſalm. 61.*

*Apoſt. 2. ad Timoth. 4.*

*Auguſt. de Grat. & Liber Arbit. c. 6. 7. & 8.*

*Ibi. 2. ad Timoth. 4.*

343 Rationem, quàm adduxi à num. 301. fundando, Deum nõ poſſe eſſe principium efficiens, quin ſimul ſit determinans; quia implicat Deum efficere, vt alteri ſubordinatum, & exindè ex alteriùs determinatione; ampliùs illuſtro: Implicat Deum *efficere* conſenſum, & non *donare* conſenſum: Sed omne donum debet eſſe ex determinatione donantis; ergò im-

implicat Deum efficere conſenſum, & non determinare conſenſum; Mai. eſt nota: Quia Deum efficere cõſenſum eſt voluntatem habere conſenſum, & *quid habet, quod non accepit?* à Deo donante, à quo eſt omne bonũ deſcendens: Prob. Min. Omne *meritum* debet eſſe ex determinatione *merentis*; ergò omne *donum* debet eſſe ex determinatione *donãtis*: Antec. eſt principium ſanctum ab omnibus Catholicis adverſus Hetherodoxos vſurpatum, dum ex meritò bonorum operum probatur voluntatis electivum dominium, quo ſe determinet ad rectè operandum: Conſeq. Prob. Inquirendo principium vi cuius *meritum* neceſſariò exigat eſſe ex determinatione *merentis*; quod equè non ſuadeat *donum* eſſe ex determinatione *donantis*? Si enim dicas, *merentẽ* exhibere obſequium, & neminem eſſe *obſequioſum* niſi offerat de ijs, quæ in ſuo dominio, & poteſtate habet: Contra inſurgo: Sicut merens eſt *obſequioſus*, ita donans eſt *liberalis*, & nemò *liberalis* eſt, niſi præſtet, quæ in ſuo dominio, & poteſtate habet; ex alienis enim, nec obſequioſus, nec liberalis aliquis eſſe poteſt. ¶ Si vlteriùs dicas; quòd omnis merens eſt dignus *retributione*, & premio, & ſolùm poteſt fundari ius, vt retribuatur ei, qui ex ſua determinatione ea, quę in ſuo dominio habebat, exhibuit. Inſto; omnis *donãs* ſit dignus gratitudine, & gratiarum actione, ſicut enim prẹmium debetur *merenti*; gratiarum actio debetur *donanti*: Et nemò tenebitur gratias agere, niſi ei, qui contulit bona ſua, id eſt, ex ſui determinatione, quæ in ſuo dominio, & poteſtate habebat: Ergò ſicut omnis *merens* determinat *merita* ſua: Ita omnis *donans* determinat *dona* ſua: Vndè colligimus, nos conſentientes diſcerni, priùs diſcreti à Deo; nos conſentientes determinari priùs determinati à Deo; quia noſter conſenſus eſt *meritum* noſtrum; & eſt *donum* Dei: & priùs intelligitur Dei *donum*, quàm noſtrũ *meritum*, quia Deus miſericors, non merita noſtra facit dona ſua; ſed è contra, *dona ſua facit merita noſtra.*

*Sup. n. 329.*

*Trident ſeſſ. 6. cap. 16.*

344 Sed ſemper inſiſtimus in ordine ad diſcretionem in actu ſecũdo primatum tenere arbitrium, quia longè perfectiùs eſt concurrere nedum phiſicè, & efficientèr, ſed determinativè, & dominativè ſubijciendo alia principia in ordine ad operandum, quòd obtinet arbitrium; quàm purè phiſicè efficientèr concurrere ex alteriùs determinatione, & dominio, quod convenit Deo: quod enim Deus pluribus alijs titulis excedat arbitrium convincit eſſe cauſam perfectiorem, & principaliorem in ſe; nõ verò, quod perfectiùs concurrat, dum ex alteriùs determinatione efficit.

*P. Ramirez vbi ſuprà, num. 92.*

Sed inſtat P. Ramirez: Pari fundamento inferre contra nos poſſumus, voluntatem equè, ac Deum eſſe cauſam diſcretionis in actu ſecundo; quia ſicut effectus plus tribuitur cauſæ *efficienti, & determinanti*, quàm *purè efficienti*; ſic equè tribuitur cauſæ *efficienti, & determinanti* in conſortio alteriùs cauſæ *efficientis, & determinantis*: deindè ſi cauſa determinans ſubordinat ſibi omnem aliam cauſam concurrentem; Deus, & creatura equè ſe ſubordinabunt, quia cõcurrunt non ſolùm *efficientèr*, ſed *determinativè*. Poſtremò: ſi cauſa *determinans* eſt talis, cui principalitèr tribuitur effectus ratione dominij, quòd habet in effectum: concurrente *determinativè*, nõ ſolùm Deo, verùm voluntate creata, equè erit ſub dominio vtriuſque: Cùr verò (ait) id non intulerint; ſicut ipſi ſciunt, ſic alij viderint?

Reſpondeo me id non intulliſſe, quia nec in mentem venit, quòd poſſet eſſe argumentum; effectus enim equè tribuitur cauſæ *efficienti, & determinanti* in conſortio alteriùs

causæ *efficientis*, & *determinantis*, si causę sint equè efficientes, & determinantes, sed si vna est primum efficiens, & determinans primum, & altera est secundùm determinans, & secundùm efficiens; effectus equè nō tribuitur; sed primo, primæ causæ, & secundo, secundæ causæ. ¶ Deindè causa *determinativa* subordinat sibi omnem causam concurrentem ad effectum ex sua determinatione; solum enim est talis causæ determinativa; cùm verò creatura determinet comprincipia creata, & determinetur à Deo, subordinat sibi in concurrendo comprincipia creata, & subordinatur Deo. ¶ Postremò: Consensus determinatur à voluntate, & à Deo, est sub vtriusque dominio, sed non *equè*, quia Deo subijcitur vt *Domino dominantium*.

345 Rationem adductam num. 304. in sua vi subsistere, ex eo constat; quia nulla assignatur disparitas; cùr Deus est non solùm efficiens *discretionem*, sed etiam *discernens*; si est solùm efficiens *determinationem*, & *non determinans*? si enim dicas *aliam non esse rationem præter naturam ipsam denominationum*: in illis non invenimus differentiam; quia sicut aliud est *efficere determinationem*, aliud determinare; ita aliud est *efficere* discretionem, aliud *discernere*: dona enim naturæ efficiunt discretionem, & non discernunt; sicut ergò in denominatione *determinantis* inquiritur, quid addit *determinare* suprà efficere determinationem, vt Deo conveniat efficere, & non *determinare*? Ita dicimus, si hoc verùm est, *discernere* addit aliquid suprà *efficere* discretionem, & illud assigna, Deoquè convenire, si non convenit Deo *determinare*? Quia ergò discretio ex determinatione est; discernere suprà efficere discretionem est determinare discretionem, seù determinare seggregans, distinguens, & separans ab alio. Non igitur stat Deum efficientem *discretionem*, & *determinationem* discernere, & non determinare.

*P. Ramirez ibi, num. 98.*

## ADDITIO.

346 Specioſum argumentum nobis opponit Doctor Prado; quod ſolvere opportet, alijs omiſsis, quæ alibi proprium habent locum: teſtimonium Apoſtoli aſſumitur ab Auguſtino, ad probandam neceſsitatem gratię prævenientis fidem, etiam quoad eius initium, præſtantem poteſtatem, & ſufficientiam credendi, adverſus Semipelagianos, ſed hoc teſtimonium ſolùm poteſt aſſumi ad probandam gratiam diſcretivam; ergò gratia præveniens, conſtituens poteſtatem, & ſufficientiam credendi, diſcretiva eſt; ſed gratia conſtituens poteſtatem, & ſufficientiam credendi, eſt intrinſicè indifferens, & non ab intrinſeco efficax, adhùc in noſtra ſententia; ergò gratia intrinſicè indifferens poteſt eſſe diſcretiva ex Apoſtolo, iuxtà Auguſtinum. Nō ergò ex teſtimonio Apoſtoli probatur gratia ab intrinſeco efficax: Min. & Conſeq. ſubſumptę, patent, diſcurſus primi ſyllogiſmi eſt rectus: Minor etiam illius conſtat, quis enim neget ex hoc antecedenti *Deus diſcernit*, non poſſe colligi hoc conſequens, *Deus tribuit gratiam, qua nō diſcernit*, ſolùm ergò ex illo teſtimonio poteſt inferri gratia diſcretiva, quod & à nobis fuiſſe diſſertis verbis aſſertum, ſupponit.

*Prado, vbi ſup. n. 72.*

*Sup. n. 237.*

Tota ergò difficultas reducitur ad maiorem, ſcilicèt, hoc teſtimoniū fuiſſe aſſumptum à Divo Auguſtino, ad probandum adverſus Semipelagianos, gratiam conſtituentem poteſtatem, & ſufficientiā credendi, quā probat primò. Totum Auguſtini aſſumptum in illo libro de Prædeſtinatione Sanctorum, erat impugnare errorem Semipelagianorū quoad initium fidei; ſed error Semipelagianorum

rum erat negare neceſsitatem gratiæ, conſtituentis poteſtatem, & ſufficientiam credendi; ergò ad convincendam hanc gratiam, fuit aſſumptum ab Auguſtino hoc teſtimonium: Maior nota, & Minor probatur; error Semipelagianus, quoad fidei initiũ, erat idem, ac error Pelagij circa quæcumque bona opera, & ideò Auguſtinus obijcit illis: *Non ergò receditur ab ea ſententia, quàm Pelagius ipſe, in Epiſcopali iudicio paleſtino, ſicut eadem geſta teſtantur, damnare compulſus eſt.* Sed error Pelagij fuit negare gratiam prevenientem conſtituentem ſufficientiam, & poteſtatem benè operandi; vt & nos ſupponimus, & alibi exprofeſſo probamus; ergò error Semipelagianorum erat negare gratiam conſtituentem ſufficientiam ad initium fidei.

*Aug. lib. 1. de Prædeſt. SS. cap. 2.*

Secundo probatur illa Minor. Error quo aliquando laboraverat Auguſtinus, erat negare neceſsitatem gratiæ tribuentis ſufficientiam ſimplicitèr ad credendum; & ideò dixit: *Vt autem prædicato nobis Evangelio, conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar*, fateturque eſſe eundem errorem ac Semipelagianorum; & ideò dixit paulò ante: *Cum ſimilitèr errarem*, id eſt, ſimili errore, ſed ad iſtum errorem retractandum convinctus fuit Auguſtinus, hoc teſtimonio Pauli, vt ipſe fatetur; ergò Auguſtinus convinctus fuit ex teſtimonio Pauli, ad confitendam neceſsitatem gratiæ, tribuentis ſufficientiam credendi. ¶

*Aug lib. 1. de Prædeſt. SS. cap. 3.*

*Apoſtol. ad Corinth. 3.*

Deniquè, quia fruſtra ad iſtum errorem refellendum, afferret Auguſtinus verba illa Pauli: *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid, quaſi ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, quia per illa ſolùm poteſt probari, gratia prevenies tribuens ſufficientiam.

347 Reſpondeo: Argumentum multa includere, quæ non oportet nunc examinare; Pelagium nunquàm admiſiſſe gratiam veram *ſufficientem*, & diſtinctam à *lege*, & *doctrina*: omninò verùm aſſerimus, & probavimus; An verò Semipelagiani in hoc recederent ab errore Pelagij? ſub lite eſt; Et mihi omninò indubium ex verbis truncatis Auguſtin. adductis identitatem erroris non probari, quia Auguſt. intendit: *Oſtendere fidem, qua Chriſtiani ſumus donum Dei eſſe; & reſpondere eis, qui divina teſtimonia* ab Auguſtin. *adhibita ad hoc dicunt valere, vt* incrementum fidei ſit *ex Deo*: *Tanquàm fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tamen* augeatur *in nobis eo meritò, quo cœpit eſſe in nobis. Non ergo receditur* (en argumenti verba) *ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali iudicio Paleſtino, ſicut eadem geſta teſtantur, damnare compulſus eſt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.* Si hæc vltima Auguſt. verba adduceret non tam confidenter inferret: *Non igitur negari poteſt erroris identitas.* Solùm enim Auguſt. intulit errorem Pelagij, quia gratiam ex meritò initij fidei dari, Semipelagiani aſſerebant: *Quis autem dicat* (Auguſt. ſunt verba) *eum, qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Vnde fit, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Quod obiectum ſibi Pelagius nè damnaretur ipſe damnavit.* Igitur identitas erroris eſt, gratiam dari ex meritis; minimè verò colligitur identitas erroris, negando neceſsitatem gratiæ preſtantis ſufficientiam benè operandi. ¶ Hoc autem *Apoſtolico teſtimonio fuit præcipuè* Auguſtin. *convictus*, cùm *aliter ſaperet*: quia, quid enim habes, quod non accepiſti? *Non ſinit quemquam fidelium dicere, habeo fidem*, (etiam quoad eius initium) *quàm non accepi*: Ex eo tamen principio ſolùm poteſt colligi *gratia diſcretiva*, vt argumentum probat,

*Aug. lib. 1. de Prædeſt. SS. cap. 2.*

*Prado, vbi ſup. n. 74.*

*Auguſt. ibi*

ſed

ſed poteſt colligi *gratia tribuens poteſtatem, & ſufficientiam*, ſicut intullit Conciliũ Arauſicanum; quia illud noſtrum principium, immò, & Auguſt. *Gratia diſcretiva nequit eſſe communis, & indifferens*, ſi intelligatur de *eis, quos diſcernit*; eſt falſum, & nec in hoc ſenſu ab Auguſtin. vſurpatum; ſi intelligatur de *ijs, à quibus diſcernit*. Eſt omninò verùm; & in hoc ſenſu fuit vſurpatum ab Auguſt. & ſuadet gratiam intrinſecè efficacem. Explico ſolutionem: *Sit gratia naturæ attributa, qua diſcernimur à pecoribus, & ſumus animantia rationabilia*; eſt communis omnibus hominibus *quos* diſcernit; ſed non eſt communis pecoribus *à quibus* diſcernit: *Per id* enim, *quod eſt commune omnibus hominibus, non diſcernuntur homines ab hominibus*; ſed diſcernuntur *à pecoribus*: Similitèr *gratia diſcernens bonos à malis, non eſt communis bonis, & malis*; ſed eſt communis omnibus bonis: Gratia tribuens ſufficientiam, & poteſtatem, eſt diſcretiva *ſufficientis à non ſufficiente*: licèt communis omnibus *ſufficientiam* habentibus: non verò poteſt eſſe diſcretiva *credentis à non credente*; quia vtrique communis: Gratia ergò diſcretiva vnius ab alio nequit eſſe communis vtrique: Et ideò intulimus *gratiam* indifferentem, & non intrinſicè efficacem, conſtituentem libertatem, & ſufficientiam credendi, licèt Dei donum, non diſcernere *fidelem* ab *infidelem*, nec *credentem* à *non credente*; quia ſicut libertas credendi eſt vtrique communis, ita, & gratia prævenies conſtituens ſufficientiam, & libertatem: Vndè non eſt diſcretiva, nec ex vi illius reprimitur inflatio, & elatio credentis adverſus non credentem, de ſua *fide*, poterit enim *in ſeipſo* gloriari de illa; licèt non de ſufficientia credendi, quã obtinuit à Deo, ſicut *non credens* culpabilitèr; ipſam enim fidem haberet præ infideli, ex ſua vnica determinatione; ſuppoſita gratia dante ſufficientiam in vtroque ex ſe æquali.

Vndè in forma ad argum. Conc. Mai. quia *Quid habes, quod non accepiſti?* Etiam probat donatam; & acceptam ſufficientiam credendi: & ſimilitèr concedo Min. quia Deum donare eſt Deum diſcernere, accipientem, & habentem, à non accipiẽte: Et diſtinguo illud Conſeq. *Ergò gratia conſtituens poteſtatem, & ſufficientiam diſcretiva eſt*. Sufficiẽtis ad credendum à non ſufficiente: Concedo: credentis à non credente; nego: Et Min. ſubſumptam: *Sed gratia conſtituens ſufficientiam credendi eſt indifferens*; eodem modò diſtinguo: eſt indifferens credenti, & non credenti: Concedo: ſufficienti ad credendum, & non ſufficienti; nego: Et vltimum illud Conſeq. *Ergò gratia indifferens poteſt eſſe diſcretiva ex Apoſt. iuxtà Auguſtinum*; ita diſtinguo; gratia indifferens *eis, quos diſcernit*, poteſt eſſe diſcretiva: Cõcedo: gratia indifferens *eis, à quibus diſcernit*; poteſt eſſe diſcretiva; nego: vt manet ex Auguſtino clarè firmatum.

*Conc. Arauſicanum, Canone 6.*

*Aug. ibi.*

*Auguſt. ibi*

*Auguſt. ibi*

# QVÆSTIO SECVNDA

## VTRVM EX SACRA TRIDENTINA SYNODO COLLIGATVR gratia præveniens adiuvando conſenſum ſalutarem ab excitante diſtincta?

### SECTIO PRIMA.

*Prima ratio prò concluſione affirmativa expenditur.*

348 ALIVD ex fundamentis, quibus Angelica Doctrina fulcitur, ad gratiam prævenientem adiuvantem ab excitante diſtinctam pro viribus propugnandam, ex Sacro Concilio Tridentino deſumitur, cuius efficaciam in hac quæſtione duplici ratione monſtrabo.

*Trident. ſeſ. 6. cap. 5.* Prima deſumitur ex illis verbis S. Concilij, vbi ita definit; vndè ſit in adultis præparatio ad iuſtificationem: *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe*, progreditur verò Sacrum Cõcilium ad exponendum, quæ eſt hæc præveniens gratia à qua ſumitur iuſtificationis exordium in adultis, & primo aſſerit: *Hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*, vbi omnia merita præcedentia gratiam prę-

*Trident. vbi ſuprà.* venientem contra Pelagianos damnat: 2. docet ad quid Deus vocat, tàm expreſsis verbis, vt nihil ampliùs deſiderari poſsit; ita enim ediſſerit: *Vt qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur.*

349 Ex quibus verbis, non ſolùm eſt præveniens gratia excitans, ſed etiam adiuvans, quod ſic probo. 1. Quia gratiam prævenientem docet eſſe vocationem, qua Deus vocat: *Vt per excitantem, atque adiuvantem gratiam averſi à Deo diſponantur ad convertendum ſe*; ergò non ſolùm gratia excitans eſt vocatio prę-veniens converſionem, ſed etiam adiuvans. ¶ 2. Gratia, quæ diſponit homines ad converſionem, eſt ſine dubio præveniens, nequit enim intelligi, quod homo diſponatur ad actum per gratiam non prę-venientem actum, non enim ad actum diſponitur cum agit, ſed vt agat, ſed ex Sacro Concilio: *Homines per adiuvantem gratiam diſponuntur ad convertendum ſe*; ergò gratia adiuvans prævenit converſionem. ¶ 3. Sacrum Concilium expreſsè aſſerit, quòd per gratiam excitantem, atque adiuvantem homo diſponitur ad ſe convertendum aſſentiendo, & cooperando gratiæ; ergò cooperatio eſt effectus vtriuſque gratiæ; ergò gratia adiuvans eſt prę-veniens hanc cooperationem.

350 Adhùc munera vtriuſque prę-venientis gratiæ exprimit S. Synodus, dum ſubiungit: *Ita vt tangẽte Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippè, qui illam, &* *Trident. vbi ſuprà.*

abij-

abijcere potest, vsusquè munus gratiæ prevenientis excitantis, quæ illuminatio, & inspiratio nominatur, qua Deus primò tangit cor, ita vt activè inspirationem recipiat, cum illâ abijcere, sed contemnere possit. Sed statim munus gratiæ adiuvantis, ita exponit: *Nec tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit*, vbi adhùc posita illuminatione, & inspiratione Dei exigitur gratia adiuvans, vt homo libere moveatur ad iustitiam coram Deo: ex quibus colligo, gratiã adiuvantem esse prævenientem; nam sine gratia adiuvante non potest homo ad iustitiam se movere; ergò gratia adiuvans movet hominem ad iustitiam; ergò est præveniens, necessè enim est, quod movens hominem ad iustitiam præveniendo iustitiam moveat.

351 Ex quibus ita immediatè infert S. Concilium: *Vndè in Sacris Litteris, cùm dicitur convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur*, quasi dicat; dum in Sacris Litteris nos Deus ad conversionem vocat, illuminando, & inspirando, libertatis admonemur, non enim Deus excitaret ad bonum, nisi liberi essemus ad bonum amplectendum; pergit verò doctrinam totius capitis coronando edocens: *Cùm respondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur*; ideſt, confitemur nos præveniri gratia Dei adiuvante, vt convertamur; vndè non solùm gratiam adiuvantem esse prævenientem asserit; sed quod hoc fatemur, dum Deum suppliciter deprecamur: *Converte nos Domine, & convertemur.*

352 Ex quibus verbis efficacissimè, si attentè inspiciantur, & non præoccupato animo, nostra colligitur doctrina, & ita discurro. 1. Præter gratiam, qua Deus nos excitat, dum vocat intus dicens: *Convertimini ad me*, & admonemur libertatis nostrę, alia est gratia, quàm petimus dum Deo ita vocanti, respondemus: *Converte nos Domine*; sed gratiam prevenientem petimus, dum semel excitati, & vocati, ita respondemus, aliàs hac responsione: *Dei nos gratia præveniri*, non confiteremur; ergò præter gratiam excitantem, alia est gratia, qua Deus nos prævenit vt convertamur, quæ non potest esse nisi adiuvans. ¶ 2. Dum excitati respondemus Deo: *Converte nos Domine*, gratiam adiuvantem conversionem exposcimus, nos enim Deus convertit cum ad conversionem adiuvat, sed gratiam prævenientem exposcimus, quia dum ita, *respondemus, Dei nos gratia præveniri confitemur*; ergò gratia adiuvans est præveniens.

353 Nota tamen, quàm iustè nos moneat RR. Thyrso asserens: *Monendi sunt, & hortandi adversarij nostri, vt accendant lucernam, & quærant gratiam physicè prædeterminantem in toto illo capite, & nobis dicant in quo angulo illius capitis latet, & in qua clausula Concilij continetur? Et erunt nobis Magnus Appollo.* Sed in toto capite illo Sacri Concilij non latentem, sed manifestissimè expressam esse iam diù N. Thomistæ tradiderunt. Vt Alvarez, Ioannes à S. Thom. Ferre, Cursus Salmanticensis, SS. Lemos, & alij plures: Quærite enim in Concilio gratiam prævenientem adiuvantem conversionem nostram, & invenietis gratiam physicè illam prædeterminantem. Cùm ergò gratiam prævenientem adiuvantem tàm expressis verbis sæpè Concilium affirmet, gratiam physicè prędeterminantem certè agnovit. ¶ Sed instat: *Quia rectè probat P. Molina in Concordia, quæst. 14. art. 13 disp. 37. apud Concilium eadem gratia est excitans, & adiuvans, seù cooperans; illa enim* (inquit Molina) eadem gratia, quæ li-

R. Thyrs. t. 4. disp. 4. sect. 7. num. 132. Alvarez, disp. 82. & alibi sæpè. S. Thom. de Volunt. d. 5. art. 5. n. 15. C. Salm. t. 6. tract. 14. dub. 4. s. 10. Ferre, to. 2. in 1. part. tract. 9. q. 7. sect. 12. Lemos, lib. 4. tract. 4. cap. 22.

R. Thyrso, vbi suprà.

liberum arbitrium prȩvenit, & excitat ad actus, quibus ſe ad iuſtificationem diſponit, dicitur cooperans, ſi arbitrium cum ea conſentiat, atque ſimul pro ſua libertate influat. ¶ Certum eſt apud Societatis DD. non eſſe gratiam adiuvantem prævenientem ab excitante diſtinctam, & ita fuiſſe publicè Romæ aſſertum fatetur SS. Lemos, cum enim aliquando ex Sacro Concilio adſtringerentur planè confeſsi ſunt, quòd ſi ſemel convincitur Concilium docuiſſe, non ſolùm gratiam excitantem, ſed etiam adiuvantem eſſe prævenientem, concludebatur illam adiuvantem eſſe ex Deo ipſo efficacem, & eſſe non ſolũ moralitèr, ſed verè efficientèr, & activè propriè moventem ad conſenſum, eſſeque re ipſa illam, quæ phyſica motio appellatur: & rectè quidem, quia ſi prȩter gratiam, qua Deus excitando prævenit, eſt alia qua prȩvenit adiuvando, non ſolùm prævenit Deus movendo ad conſenſum per motionem moralem, ſeù per motionem ſuadentem, quia hæc ad gratiam excitantem expectat; ſed per motionem phyſicam, & verè effectivam; vndè Deus per gratiam prȩveniret conſenſum phyſicè movendo; vndè prȩmoveret phyſicè, ſed quàm efficacitèr ex Sacro Concilio deductum ſit gratiam, non ſolùm prævenire excitando, ſed adiuvando expendendo illius verba manifeſtum fuit.

*Lemos, lib. 1. tract. 4. c. 18.*

## SECTIO SECVNDA.

*Idem aſſumptum ex regulis fidei Sacri Concilij probatur, & ſolutio adverſariorum evertitur.*

354 PRoſequitur Sacrum Concilium finito illo capite quinto inchoando ſextum, in quo exponit modum præparationis ad iuſtificationem, ita ediſſerens: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum*; ergò ex Concilio vt homo libere moveatur in Deũ debet eſſe excitatus, & adiutus à Deo, ita vt diſponatur ab vtraque gratia ad libere ſe convertendum; ergò vtraque gratia prævenit converſionem.

*Trident. ſeſſ. 6. cap. 6.*

355 Eadem veritas ex Sacro Concilio comprobatur, quia in regulis fidei ex illis capitibus efformatis antequàm Lutherum, & Calvinũ anathematizet, Pelagij errorem cõdemnat: & in 1. Canone definit: *Hominem non poſſe ſe iuſtificari coram Deo ex operibus, quæ fiant per legis doctrinam abſque divina per Ieſum Chriſtum gratia*, vbi declarat non ſufficere ad opera, quę ad iuſtificationem diſponunt, illuminationem, quæ oſtẽdat, quid facere debeamus, quia hæc non recedit à lege, & doctrina, vt continuò contra Pelagium demonſtravit Auguſtinus, ſed exigitur gratia, quæ prȩſtet vires vt faciamus, quod debemus: *Non enim ſolùm Doctorem, ſed adiutorem Deum*, expoſcimus, ait M. P. ita vt *gratia non ſolùm oſtendat, quid faciendum ſit, ſed adiuvet etiam vt fieri poſsit, quod oſtenderit*: Poſteà Canone 2. declarat: hanc gratiam per Chriſtum eſſe ſimplicitèr requiſitam ad opera ſalutaria, & non ſolùm ad facilius, quaſi homo poſſet ſine gratia iuſtè vivere, licèt egrè, & difficultèr. Quibus fidei Regulis Pelagianos errores damnatos fuiſſe nullus dubitat.

*Trid. ſeſſ. 6. Can. 1.*

*Auguſt. de Spirit. & Litt. cap. 6. Trident. vbi ſup. Can. 2.*

356 Tandem Canone 3. ſic procedit: *Si quis dixerit ſine prȩveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio* (pende verba) *hominẽ credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*, ex quibus verbis, ita colligitur: ſine prȩveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio ho-

*Trid. ſeſſ. 6. Can. 3.*

mo non poteſt pęnitere ſicut oportet; ergò vt homo pęniteat, ſicut oportet neceſsè eſt, quod præveniat Spiritus Sancti inſpiratio, atque eius adiutorium; ergò non ſolùm eſt prę-veniens gratia excitans, quæ eſt inſpiratio Spiritus Sancti, ſed debet eſſe prę-veniens gratia adiuvans, quæ eſt eius adiutorium; certè enim, vt notavit M. Ferre ly *præveniente*, adiectivum cum ſit vtrùmque ſubſtantivum afficit, ſcilicèt inſpirationem, & adiutorium; & ideò S. Concil. in illo celebratiſsimo Canone 4. vbi libertatem conciliat cum gratia præveniente, ex parte ſubiecti apponit vtramque gratiam, illis verbis: *Liberum arbitrium motum, & excitatum*, gratiam adiuvantem in ly *motum*; & gratiam excitantem in ly *excitatum*.

*Trident. vbi ſup. Can. 4.*

357 Vndè reiecta manet Doctrina RR. Thyrſo, quę eſt communis inter DD. Societatis; aſſerentis, duo eſſe certa, 1. gratiam prævenientem excitando non ſolùm proponere, & oſtendere obiectum voluntati, ſed etiam præſtare vires ad illud amandum, elevando, & confortando voluntatem, 2. gratiam adiuvantem voluntatem, vt amet, & proſequatur obiectum eſſe prę-venientem, illa enim gratia, quæ prævenit eſt, quæ etiam adiuvat; duo verò alia docet in quibus Schola Societatis conſentit, & Angelica refutat: 1. eſt illam gratiam excitantem, qua Deus præſtat vires non eſſe diſtinctam à gratia adiuvante; 2. eſt; quod licèt gratia adiuvans ſit prævéniens non eſt prę-veniens vt adiuvans; ſed vt excitans; hoc eſt gratia, quę prę-venit excitando adiuvat ſimultanęe cooperando, vel alitèr gratia, quæ prævenit excitat vt agamus; ſed præter hoc excitare, vt agamus non habet prę-venire adiuvando, vt agamus, ſed prę-venit excitando vt *agamus*, ſolùm verò adiuvat *cum agimus*.

*R. Thyrſo, t. 1. diſp. 17. ſect. 10.*

Angelica Schola intendit gratiam prævenientem excitantem eſſe diſtinctam à gratia adiuvante, ſimilitèrque gratiam adiuvantem nō prævenire excitando, ſed ſuppoſita gratia, quæ prævenit excitando ipſam prævenire adiuvando; vndè Deum non ſolùm adiuvare cum agimus, ſed adiuvare vt agamus, & non ſolùm prę-venire excitando mentes, ſed adiuvando actiones.

358 Et has gratias eſſe diſtinctas ex Sacro Trident. Concilio efficaciſsimè deducitur, cùm vtramque eſſe prævenientem expreſsis verbis affirmet, & de ipſis vt diſtinctis loquatur; & 1. dum ait Concilium Sacrum: *Sine prævéniente Spiritus S. inſpiratione, atque eius adiutorio.* Tu ita exponis: *Atque ſimultaneo adiutorio*; ego aſſero: *Adiutorio etiam prævéniente*, quis magis iuxtà mentem Concilij loquitur? Adſtruēs adiutorium ſimultaneum, de quo nihil in Concilio; vel aſſerens adiutorium etiam eſſe prævéniens, quòd appertè videtur declarare, cum illud adiectivum *prævéniens*, quod in Concilio apponitur, tàm inſpirationem, quàm adiutorium iuxtà rectam conſtructionem afficere debeat.

359 Et de his gratijs vt diſtinctis loqui Concilium videtur colligi, 1. Quia ſi iudicaret inſpirationem, & adiutorium eandem eſſe gratiam propior eſſet hæc loquutio: *Sine prævéniente Spiritus S. inſpiratione adiuvante*; ſic enim inſpirationem rectiùs exponeret, ſi eſſe adiutorium iudicaret; ſed non ſic aſſeruit; ſed ita *Sine prævéniente Spiritus S. inſpiratione, atque eius adiutorio*, vbi non inſpirationem adſtruit adiuvantem, ſed præter inſpirationem adiutoriū etiam expoſcit. ¶ 2. Quia ſequeretur Canonem 3. Otioſum fuiſſe in Concilio, nil enim declararet, quòd iam in prioribus definitum non eſſet; quia inſpiratio Spiritus S. eſt gratia excitans, dicitque illam affectionem indeliberatam, per quam voluntas

ad

ad actum salutarem liberum inclinatur, quæ affectio boni sequitur ad illustrationem intellectus, seù illuminationem Spiritus Sancti, comparaturque ad illam, sicut calor ad lucē: Gratiaque excitans ex illustratione, & affectione constituitur, vt suprà statutum est, & ideò à Sacro Concilio iam nuncupatur nomine *illuminationis* Spiritus S. iam *inspirationis*. Sed Concilium definivit esse necessariam gratiam excitando prę veniētem, proùt includit non solùm illustrationem intellectus, sed inspirationem, seù affectionem voluntatis: dum necessariam exposcit gratiam per Christum distinctam à lege, & doctrina; ergò in Canone 3. aliam gratiam exposcit ad consensum salutarem distinctam ab excitante, illuminante, & inspirante, scilicèt adiuvantem.

*Sup. n. 270.*

*Trid. sess. 6. cap. 5. & Can. 3. Idem in Can. 1. & 2.*

## SECTIO TERTIA.

*Argumenta, quæ intendunt gratiam excitantem esse eandem cum adiuvante conteruntur, & nostra conclusio ampliùs roboratur.*

360 PRimo oppones intendendo gratiam excitantem esse eandem cum adiuvante ex RR. Thyrso. Gratia cooperans est gratia adiuvans, sed gratia excitās est cooperans; ergò gratia excitans est adiuvans; Mai. certa, quia idem est cooperari cum arbitrio, ac adiuvare arbitrium. Min. prob. ex illis verbis Concilij: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, &c.* Ex quibus constat liberum arbitrium cooperari cum Deo excitante, dum Deo excitanti assentitur; ergò Deus excitās cooperatur cum arbitrio, siquidem arbitrium cooperari Deo excitanti, & Deum excitantem cooperari arbitrio sunt correlativa; ergò gratia excitans est simul cooperans, dum arbitrium cooperatur.

*R. Thyrso, vbi sup. n. 103.*

*Trid. sess. 6. Can. n. 4.*

2. Assumptum probat. Idem Author. ex illis verbis Sacri Concilij: *Per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum se eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur.* Vndè inferes *eidem gratiæ* assentiendo, asserit Concilium loquendo expressè de gratia excitante, & adiuvante, ergò, quia iudicat gratiam excitantem, & adiuvantem esse eandem gratiam. Omitto alia media, quæ intendunt gratiam adiuvantem esse eandem cum excitante, quia gratia adiuvans debet esse indifferens, ex eo, quod illam possumus *abijcere, & ei dissentire* ex Concilio; hęc enim alibi exprofesso quantum roboris habeant examinavimus.

*Thyrso, vbi sup. n. 105. Trid. sess. 6. cap. 5.*

*Infrà q. 4.*

361 Resp. ad 1. neg. Mai. quia minimè cooperamur cum Deo excitante, nec hoc infertur ex Concilio; argumentum enim hæc duo confundit *cooperari assentiendo Deo excitāti*, quod indubium est, & in Sacro Concilio expressum, sed ad intentū argumenti impertinens; cum hoc, quod est *cooperari assentiendo cum Deo excitanti*, quod nec in Concilio habetur, nec ex illo deduci potest, & hoc est, quod conducebat ad inferēdum Deum excitantem cooperari arbitrio, & gratiam excitantem esse cooperantem. ¶ Vt enim notat rectè M. Ferre. Sicut distincta sunt *credere assentiendo Deo revelanti: & credere assentiendo cum Deo revelante; credere Petro dicenti, & credere cum Petro dicente*; ita diversissima sunt cooperari assentiendo *Deo excitanti*, quod Concilium docet de libero arbitrio, cum hoc, quod est arbitrium cooperari assentiendo *cum Deo excitante*, quod iustè abnuimus. ¶ Consulto dixi *liberum arbitrium* non cooperari cum Deo excitante; quia de *voluntate* rectè dicitur coo-

*M. Ferre 1. 2. in 1. p. in fine fol. 830.*

perari cum Deo excitante, quia gratiam excitantem eſſe cooperantem ſtatuimus ad affectiones illas indeliberatas, quę ſunt primi effectus gratiæ, vt ſuprà diximus: quod docemus cum Schola Thomiſta eſt, gratiam illam cooperantem ad actus indeliberatos, eſſe purè excitantem, non cooperantem actuũ liberorum.

*Sup. n. 269.*

Explico ſolutionem, vt magnam energiam loquutionis Tridentini demonſtremus Reſp. ad 2. quod ly *eidem gratiæ*, non apponitur à Sacro Concilio, quia ſit eadem gratia excitans, & adiuvans; ſed quia gratia præveniens, de qua loquitur S. Concilium habet in vno actu noſtro duos effectus; vt ſtatim exponit illis verbis: *Libere aſſentiendo, & cooperando*, eſt enim actus ſalutaris noſter *aſſenſus*, & *cooperatio*, quia cum ad illum præveniat gratia *excitans*, & *adiuvans*, voluntas ſe convertit libere *aſſentiendo* gratiæ *excitanti*, & *cooperando* gratiæ *adiuvanti*; ſicut enim rectè dicitur eadem gratia excitans, licèt ex illuminatione intellectus, & affectione indeliberata, ſeu inſpiratione voluntatis, quæ inter ſe diſtinguuntur conſtituatur; ita dicitur eadem gratia prævenięns, licèt ex inſpiratione Spiritus Sancti, atque eius adiutorio inter ſe diſtinctis in ſua eſſentia compleatur.

362 Solutionem illuſtro 1. ex rigoroſa terminorum ſignificatione, quàm indubiè obſervavit S. Concilium, in qua ſuadenti minimè dicimur cooperari, ſed ſuaſioni propriè aſſentimus, adiuvanti verò cooperamur; & ita Dęmoni ſuadenti malum pro noſtra fragilitate aſſentimur, ſed propriè non cooperamur, quia non adiuvat ad malum, quod ſuadet; adiuvanti non ſuadenti cooperamur, non verò propriè aſſentimur; cum ergò Deus ad conſenſum ſalutarem, & excitet, ſuadendo, & efficiendo adiuvet, Deo ſalutaritèr agẽdo cooperamur, & aſſentimur; ſed *cooperando* Deo adiuvanti *aſſentimur* Deo excitanti, & ſuadenti; vndè ſicut eſt verùm, & rectè dicitur; voluntas cũ Deo adiuvante cooperatur aſſentiẽdo; ſed non Deo adiuvanti: Ita verè dicitur voluntas cooperatur aſſentiendo Deo excitanti, non cum Deo excitante; & ideò ſi ordinem verborum S. Concilij inſpicias, quia in illo cap. 5. priùs appoſuit gratiam excitantem, quàm adiuvantem ita dixit: *Libere aſſentiendo, & cooperando.* Quia verò in Canone 4. priùs dixit arbitrium motum, quàm excitatum: aſſeruit *cooperari aſſentiendo*, in quo ordine verborum cooperationem eſſe adiuvantis, & aſſenſum excitanti edocuit.

2. Quia hanc proprietatem in ſignificatione terminorum, & vtriuſque gratię prævenientis diſtinctionẽ edoctam reperimus in Concilio Colonienſi, cum ita determinat: *Gratia prævęniens duplex, vna qua Deus prævenit peccatorem, vt reſurgat, altera qua peccator prævenienti Deo aſſentiens iam reſurgit, vtraque voluntatem noſtram prævenit Deus, ſed priorem ſubminiſtrando ſolus operatur: in altera voluntas noſtra Deũ prævenientem ſubſequens, per velle, ſeù conſenſum remiſsionem peccatorũ accipiendo cooperatur*, ecce non vna, ſed duplex eſt gratia præveniens, vna pręveniens peccatorem vt reſurgat; quæ eſt *excitans*; altera præveniẽs etiam, qua peccator reſurgit, *quæ eſt adiuvans*, aſſentiens Deo prævenienti per primam gratiam; in altera verò præveniente gratia voluntas noſtra per velle cooperatur; non ergò voluntas cooperatur Deo vt excitanti per primam gratiam, vt peccator reſurgat, ſed cooperatur aliæ gratiæ prævenienti, qua peccator aſſentiens Deo excitanti iam reſurgit; ſolùm ergò hæc ſecunda præveniens gratia eſt cooperans, non prima. ¶ Synodus etiam Maguntina ſic ediſſerit: *Talis autem iuſtificatio-*

*Concil. Colonienſe in Enchyrid. de Sacram. Pœnitent.*

*Synodus Maguntina, c. 7. de iuſtificat.*

*tionis initium ex Dei gratia provenire; qua ante omne meritum, dum adhùc inimici, & peccatores ſunt excitati, & adiuti, & eidem gratiæ ſic excitanti, & adiuvanti conſentientes, & cooperantes ad iuſtificationem diſponuntur*, ſic ergò debet exponi Trident. dum aſſerit: *Eidem gratiæ cooperatur aſſentiendo*; id eſt eidem gratiæ prævenienti excitanti, & adiuvanti; conſentientes excitanti, & cooperantes adiuvanti, diſponuntur. Qui de his plura eruditiſsimè conſcripta deſiderat conſulat SS. Lemos, qui exprofeſſo diffuſè diſputat gratiam excitantem, non ſolũ non eſſe cooperantem, ſed nec operantem, & diviſionem gratiæ actualis in operantem, & cooperantem eſſe gratiæ prævenientis adiuvantis: de quo alibi exprofeſſo.

*Lemos, lib. 4 part. 1. tract. 8.*

## SECTIO QVARTA.

*Argumenta, quæ intendunt gratiam non prævenire ſub munere adiuvantis enervantur, & noſtra concluſio ampliùs illuſtratur.*

363 2. OPpones: intendendo gratiam ſub munere adiuvantis non eſſe prævenientem, ſed quod gratia, quę venit excitando purè adiuvat ſimultanęe concurrendo; quia gratia adiuvans eſt cooperans; ſed gratia cooperans non eſt prævèniens, ſed concomitans, ergò gratia adiuvans non eſt prævèniens: Mai. certa, & prob. Min. 1. ex illo celebri teſtimonio D. Bernardi: *Ipſa liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum: ſanat, cum immutat affectum: roborat, vt perducat ad actum: ſervat, nè ſentiat defectũ. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo* prævèniat, *in cæteris* committetur. *Ad hoc vtique prævèniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur: ita tamen, quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur: vt mixtim, non ſigillatim, ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum ex illa; ſed, vt totum in illo, ſic totum ex illa.* Ex quibus aureis verbis, ſic 1. inſurgunt; iuxtà Bernardum gratia *in primo prævenit* id eſt, in excitando arbitrium cum ſeminat cogitatum, *in cæteris committatur*; ergò gratia ſolùm vt excitans prę venit, vt cooperans non prævenit, ſed committatur. ¶ 2. Ex illis verbis: *Quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur*; ergò gratia cooperans pariter influit cum arbitrio, non præveniendo.

*S. Bernar. de Grat. & Libero Arbit.*

Prob. Min. 2. Cooperari eſt cum alio operari; ergò gratia ſolùm eſt cooperans arbitrio, vt operatur cũ arbitrio; ſed vt prævèniens operationem arbitrij non operatur cum arbitrio, vt patet; ergò vt prævèniẽs non eſt cooperans. ¶ 3. Cooperans aliquid cooperatur, ſed gratia vt prævenit arbitrium nihil cooperatur; ergò non eſt cooperans: Prob. Min. Gratia ſolùm cooperatur conſenſum ſalutarem, quia in alios effectus non cooperatur, ſed operatur; ſed gratia vt prę veniens non cooperatur conſenſum, aliàs conſenſus prævèniret influxum arbitrij; ergò vt prę veniens nihil cooperatur, quomodò ergo erit cooperans?

364 Pro recta tamen intelligẽtia Angelicæ Doctrinæ præocculis habendum eſt, quod dum indubium vertitur: An gratia cooperans, vt talis ſit prævèniens? Non controvertitur *prioritas dignitatis*, aut *temporis*; ſed tantum prioritas *naturæ, ſeù cauſalitatis*; non prioritas *dignitatis*, quia omnes fatentur excellentiorem, & principaliorem eſſe influxum gratię in piam operationẽ

coo-

cooperatione arbitrij. Non etiam prioritas *temporis*, quia omnes fatẽtur in eodem inſtanti temporis, in quo gratia adiuvat arbitrium; arbitrium influere in cõſenſum cum gratia; ſolùm ergo diſputatur prioritas *naturæ*, ſeù *cauſalitatis*; An, ſcilicèt gratia, vt adiuvans, & cooperans, ſolùm habeat ſimul cum arbitrio agere, vel ſimul habeat movere arbitriũ ad agendum? Vel alijs terminis, an ſolùm adiuvet arbitrium, ſemel excitatum *cum conſentit*, an verò etiam adiuvet arbitrium excitatum, *vt conſentiat*? Negat contraria Schola, Angelica verò noſtra pro viribus propugnat hoc eſſe proprium gratiæ vt adiuvantis, & cooperantis: & prẽter quam ex Sacro Tridentino Concilio hoc efficacitèr deducitur, quatenus gratiam vt adiuvantem prævenientem eſſe ex ipſo fecimus manifeſtũ; alia graviſsima fundamenta indicabo, prius quam contraria fundamenta ſolvam.

365 1. Ex Apoſt. *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram*; & quomodò? *Spiritu Dei aguntur, qui ſunt filij Dei*, eodem Apoſt. edocente. Et quomodò ſpiritu Dei adiuvante agũtur filij Dei? *Aguntur vt agant non vt ipſi nihil agant*, edocente Auguſtino; & quid agunt? Opera meritoria, quæ ſunt propria filiorum Dei, & edocente D. Thoma: *Meritum eſt effectus gratiæ cooperantis*; ergò ſpiritus Dei adiuvans, & cooperans non ſolùm agit cum agimus, ſed etiã agit vt agamus, cum filij Dei ab illo agantur, vt cum illo agant.

*Ad Rom. 8. Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 2.*

*D. Tho. 1. 2. quæſt. 14. in Proœmio.*

366 2. Ex Sacris Concilijs hæc veritas deducitur; 1. ex Arauſicano in illo celebri teſtimonio vbi edocet: *Quoties bona agimus Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur operatur*, Deus ergo operatur in nobis, vt operetur *nobiſcum*; non ſolùm ergo per gratiam cooperantem operatur cum operamur, ſed etiam operatur vt operemur, operatur quidem in nobis, vt operetur nobiſcum. ¶ 2. Ex Tridentino ſic affirmante: *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vites in palmites in ipſos iuſtificatos iugitèr virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & committatur, & ſubſequitur.* Ergò virtus, qua Chriſtus influit bona opera in iuſtis, quę eſt gratia operans, nõ ſolùm ſubſequitur, & committatur, ſed etiam antecedit, & prævenit.

*Arauſican. num. 2. Can. 9.*

*Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificat. cap. 16.*

367 Accedit, quod Gelaſius Pontifex exponens illud Apoſtoli: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*; ſic ſcribit: *Vt oſtenderet, quia donum gratiæ non ipſe præceſſerit, ſed ſuerit ſubſequutus, atque monſtraret cooperatorem ſe eſſe gratiæ ſubſequendo?* Si ergo liberum arbitrium cooperatur gratiæ *ſubſequẽdo*, gratia cooperatur arbitrio *præveniendo*. ¶ Accedit 2. quod Div. Proſper obſecratur Auguſtin. vt lucidiſsimis expoſitionibus dignetur apperire: *Quomodo per iſtam præoperantem, & cooperãtem gratiam liberum non impediatur arbitrium*; vndè 1. ſi gratia cooperans eſt prẽoperans; ergò, & præveniens. ¶ 2. Si gratia ſolùm eſt præoperans excitando moralitèr, & cooperans ex determinatione liberi arbitrij, quid quærit ab Auguſt. S. Proſper, vt ab ipſo edoceatur in hac obſcura, & difficili quæſtione? Quid *ſperat tenuitatem ſuam præſidio diſputationum Auguſt. roborandam*, cum evidentiſsimum ſit, & nulla, nec apparentia difficultatis eſſe poſsit; in eo, quod gratia ita tepidè præoperans, & incooperando arbitrio ſubiecta nullatenus liberum impediat arbitrium?

1. *Ad Corint. 15. Gelaſius in Epiſt. 5. ad Epiſcop. per Picenum.*

*D. Proſper. in Epiſt. ad Aug. circa finem.*

*D. Proſper. vbi ſuprà.*

368 Vndè ad argum. neg. Min. ad 1. probat. ex D. Bernardo deprõptam reſp. Senſum eſſe, quod gratia excitans arbitrium, vt ſeminat cogitatum tempore prẽvenit influxum arbitrij, in cæteris verò committatur tempore, ſed cum ſimultate temporis

ris ſtat, quod gratia præveniat natura, ſeù cauſalitate; & quod hæc ſit mens Meliſſui Doctoris ex ipſo contextu manifeſtè colligitur. 1. ex illis verbis: *Roborat vt perducat ad actū*, ſi enim, dum hæc facit committatur, & aliàs prævenit actum, non enim ſtat roborare perducendo ad actum niſi prę veniendo, loquitur de ſimultate temporis, quę cum prioritate naturæ, ſeù cauſalitatis non pugnat. 2. Ex vltimis verbis: *Totum quidem hoc, & totum ex illa, ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa*, ſi totum in arbitrio ex gratia; ergò non ſolùm gratia operatur cum arbitrio, ſed in arbitrium vt operetur, aliàs totum in arbitrio cum gratia, non ex gratia.

Ad 2. reſp. Quod de conceptu principij cooperantis ſolùm eſt ſimul tempore cum alio operari, nullatenus verò pugnat prioritate naturæ, ſeù cauſalitatis prævenire operationem comprincipij, & ſuadetur: 1. Quia dum gratia adiuvat, voluntas vult, & exindè voluntas cooperatur adiutorio gratiæ, ſed gratiam adiuvare prę venit cauſalitate arbitrium velle; quia ex D. Proſpero: *Divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideò quis adiuvetur, quia voluit, non ideò, quia adiuvatur velit*; etſi quia adiuvatur vult, adiutorium prævenit cauſalitate velle.

*D. Proſper. Ep. ad Auguſt. verſus finem.*

369 2. In favorem huius veritatis ſtat Angelicus M. 1. Quia aſſerit voluntatem cooperari gratiæ vt motam à gratia, & quod cooperatur, vt motum ex terminis priùs movetur, quàm cooperetur; vndè gratia movet arbitrium, dum cooperatur arbitrio. 2. Quia Dr. S. dubitans quomodò concilietur, quod D. Athanaſius dixit in Concilio Niceno: *Quomodò creatori creatura cooperatur intiment nobis*, ſi ex Apoſt. Sancti ſunt cooperatores Dei, ita reſp. *Sciēdum, quod aliquid dicitur* cooperari *alicui dupliciter: vno modò, quia operatur ad eundem effectum, ſed per aliam virtutem, ſicut miniſter Domino, dum eius præceptis obedit; & inſtrumentum artifici à quo movetur: alio modò dicitur, aliquid cooperari alicui, in quantum operatur eandem operationem cum ipſo, ſicut ſi diceretur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quòd vnum alteri cooperatur, ſecundùm igitur primum modum creatura poteſt dici creatori cooperari quantum ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura; ſecundo autem modò creatura creatori non cooperatur*; liberum ergò arbitrium non cooperatur Deo, ſicut duæ cauſæ partiales, vna alteri cooperatur, ſicut duo portantes lapidem; ſed ſolùm cooperatur Deo, ſicut Miniſter dum obedit Domino, & inſtrumentum cooperatur artifici à quo movetur; ſed priùs eſt Dominum præcipere, quàm Miniſtrum obediendo cooperari; & priùs movet artifex inſtrumentum vt operetur, quam inſtrumentum cooperetur artifici; ergò priùs movet Deus per gratiam vt operetur, quàm arbitriū cooperetur Dei gratiæ: Non ergò arbitrium cooperari gratiæ excludit gratiam cooperantem prævenire movendo arbitrium; vndè concludimus cum Auguſt. *Certum eſt nos facere cum facimus; ſed ille*, Deus, ſcilicèt, per gratiam, *facit vt faciamus*, & cum D. Fulgentio: *Non dicat* voluntas, ſcilicet, noſtra *meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adiuvare, ſed dicat gratiæ Dei eſt adiuvare, vt ſit meum velle credere*, non ſolùm ergo, gratia adiuvat cum eſt meum velle credere, ſed vt ſit meum; quia vt proſequitur idem Dr. S. *Tunc enim verè, rectèque ait eius hoc velle, cum eum gratia prævenies cœperit adiuvare.*

*D. Tho. 1. 2. q. 111. art. 2.*

*D. Thom. Opuſc. 1. c. 23*

*Auguſt. de Grat. & Liber. Arbit. cap. 16. D. Fulg. de Incarn. D. N. Ieſu Chriſti, pag. 751.*

ADDI-

## ADDITIO.

370 INgenioſus Societatis ſcriptor potiùs irridet, quàm impugnet noſtram doctrinam, & ait: *Mira ſunt hominum ſtudia*: Thomiſtę veteres in eo toti fuere, vt propulſarent adverſus prædeterminationes phyſicas, ictum argumenti ex doctrina Tridentini formati, Recentes verò prædeterminationem non latentem ſolùm aſſerunt in Tridentino, ſed manifeſtiſsimè expreſſam, quàm confidentiam iure iam diù miratus eſt inter alios modeſtiſsimus ſcriptor, & *Doctor Eximius P. Suarez*. Sed quis quæſo eſt ex Priſcis Thomiſtis, qui ex Tridentina Synodo phyſicas prædeterminationes non probaverit? O magna veritatis vis! Si iam diù miratus eſt inter alios modeſtiſsimus Suarez Thomiſtarum confidentiam aſſerentium in Tridentino manifeſtiſsimè expreſſam prædeterminationem; quomodò eſt cõnatus Recentium Thomiſtarum? Niſi admiratio prophetico ſpiritu præcedat eventum.

*P. Aranda diſp. 6. ſect. 1. n. 328.*

P. tamen Ramirez, & Dr. Prado miro accumine contra nos diſputãt, iam rationes noſtras diſolvendo, iam argumenta difficilia efformando. Duo ſolùm ſunt, quæ ad hanc controverſiam propriè ſpectant: ¶ 1. Vtrùm gratia adiuvans ſit realitèr *ab excitante* diſtincta, vel ſolùm *excitare*, & *adiuvare* ſint diverſa munera eiuſdem gratiæ ex mente Concilij? ¶ 2. Vtrùm gratia ſub munere *adiuvantis*, ſeù *cooperantis* ſit etiam *præveniens*, vel ſolùm concomitans conſenſum arbitrij? Vndè ſolùm, quę ad hæc dubia ſpectant, hinc diſcutienda ſunt; probare enim gratiam *adiuvantem*, non eſſe diſtinctam ab excitante, quia gratia, quæ eſt adiuvans conſtituit *poſſe*, ad quæſtionem tertiam huius diſp. ſpectat: probare ſimilitèr, quia gratia *adiuvans* eſt *reſiſtibilis* ſpectat ad quæſtionem quartam; ſimilitèr probare gratiam, vt adiuvantem non prævenire, quia nobis imputatur ad culpam non adiuvari à Deo, ſpectat ad quæſtionem quintam. His medijs omiſsis, nè eadem inutilitèr repetamus, quid ſpecialitèr dictum ſit circa identitatem realem gratię excitãtis, & adiuvantis, & ad negandum gratiam ſub munere adiuvantis *prævenire*, nunc examinamus.

*P. Ramirez de Prædeſt. c. 5. à n. 17. D. Prado, diſp. 7. de Libero Arbit. per totum.*

371 Ad rationes, quibus ſuprà probavimus Concilium loqui in illo Can. 3. de inſpiratione Dei, & eius adiutorio, vt de gratijs realitèr diſtinctis: tùm ex modo loquendi Concilij: tùm, quia alias Can. 3. otioſus foret. Reſpondet ad 1. potuiſſe Concilium ſatis aptè dicere, *ſine inſpiratione adiuvante*; fuiſſe tamen aptiſsimè dictum, *ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione, atque eius adiutorio*; quia munus adiuvandi in eadem inſpiratione poteſt declarari per adiectivum, & per ſubſtantivum. Ad 2. reſpondet, quod licèt per ly *adiutorio* non inteligatur alia gratia phyſicè adiuvans ab inſpiratione diſtincta, Canon 3. nequaquam otioſus eſſet, quia licèt in 1. & 2. declaratum ſit, vltra legẽ, & doctrinam eſſe ſimplicitèr neceſſariam gratiam per Chriſtum ad poteſtatem eliciendi opera, quibus coram Deo iuſtificemur; tamen per illos Canones declaratum non eſt, quęnam ſit gratia ſic requiſita, & quinam ſint actus, quibus homo ad iuſtificationem diſponitur, ſed vtrùmque declaratur Can. 3. edocente talem gratiam eſſe *inſpirationem Spiritus S.* opera verò ad iuſtificationem diſponentia, eſſe *credere, ſperare, diligere, & pœnitere*; ergò licèt Can. 3. de nulla alia gratia ſit ſermo; niſi de excitante, non poteſt otioſitatis accuſari. ¶ Ad rationem, quam adduximus deſumptam ex verbis Sac. Concil. in illo cap. 5. Vbi primo probavit gratiam excitantem ex illis

*Sup. n. 359.*

*Prado, numero 22.*

*Sup. n. 352.*

illis verbis: *Convertimini ad me*: Et gratiam posteà adiuvantem; ex illis: *Converte nos Domine ad te*. Resp. per primum textum non probari gratiã excitantem, quia illa adhortatio est externa, & solùm *admonet* nos *libertatis*. Gratia autem excitans est interna, & præbens vires. Vndè per illum textum probatur libertas contra Calvinum: per secundum textũ necessitas gratiæ internæ per Christũ contra Pelagium. ¶ Ad authorit. Concil. Colonienſis, dicentis: *Gratiam prævenientem esse duplicem*: Respondet. Concil. non distinguere duas gratias prævenientes conversionem, sed vnam præven. *Conversionem*, quæ est excitãs, & alteram prævenientem non conversionem, sed *Iustificationem*, quæ est ipsa conversio; & quod hęc. 2. gratia non adiuvet præveniendo conversionẽ: Prob. 1. quia illa *altera* peccator *iam resurgit*; ergò non prævenit vt resurgamus: 2. quia priorem gratiam *solus Deus subministrat*, non secundã, vt ex ipso textu patet; sed gratiam præveniẽtem adiuvando solus Deus etiam subministrat; ergò per illam secundam gratiam non intellexit Concil. gratiam distinctam à prima prævenientem conversionem; sed ipsam *conversionem* prævenientem *iustificationem*.

*Sup. n.* 362. *Prado, n.* 27

372 Sed hæc minimè reddunt inefficaces rationes quas adduximus: Et prima ratio non solvitur, quia si *inspiratio* esset *adiutorium* ex mente Concilij, iuxtà eius morem non diceret *sine præveniente Spiritus Sancti spiratione, atque eius adiutorio*; sed sine *spiratione adiuvante*; Tùm: quia Concilium dixit, quod arbitrium *cooperatur assentiendo*, vt denotet *cooperationem esse assensum*; sicut dixit *assentiendo, & cooperando*, vt explicet assensum esse cooperationem; si ergò Concilium existimaret inspirationem esse adiutoriũ, diceret *spirat adiuvando*, vel sine *spiratione adiuvante*, nõ tamen ita dixit, sed sic: *Sine præveniente Spiritus Sancti spiratione, atque eius adiutorio*: ¶ Tùm, quia ly, *atque eius* esset omninò superfluum, si *adiutorium* esset realiter *inspiratio*; vtrùmque enim esse Spiritus Sancti esset notum, si vnum realiter esset alterũ; si ergò dixit *inspirationem esse Spiritus Sancti*; Cùr idem dixit de adiutorio? Nisi quia cum adiutorium esset ab inspiratione distinctum, debuit exponere inspirationem esse Spiritus Sancti, & vlteriùs addere *eius* scilicèt, Spiritus Sancti esse etiam *adiutorium*.

373 2. Ratio ex otiositate Can. 3. si non declaravit gratiam prævenientem ab excitante distinctam, nõ solvitur: Quia Concilium in illis tribus Canonibus vult damnare Pelagium, & gratiam per Christum ad iustificationem necessariam, definire: Non ergò finis tertij Canonis fuit declarare actus, quibus ad iustificationem disponimur esse *credere, spetare, &c.* nec gratiam necessariam esse *inspirationem Spiritus S.* sed esse necessariam ad iustificationẽ aliã gratiam distinctam à gratia excitante, & spiratione, quàm expressè definivit Can. 1. & cuius necessitatem simplicitèr, & non solùm ad faciliùs declaravit Can. 2.

Nec 3. ratio solvitur: Quia ex illo textu: *Convertimini ad me, & ègo convertar ad vos*: Conc. probat gratiam excitantem, & exindè libertatem Catholicam, vt distinctam à Pelagiana, simulque refutat Calvinum, quia nullus agnovit veram excitantem gratiam, vt iam superiùs diximus: quod verò hunc textum non adduceret Concil. ad probandũ libertatem immediatè contra Calvinum: Prob. 1. Quia in hoc textu solùm exprimitur præceptum conversionis: Ergò solùm potest mediatè libertatem probare, quatenus ex præceptis libertas colligitur; Non

*Sup. à num. 10. & infrà disp. 3. q. 1. sect. 1.*

igitur eſt credibilè Conc. omiſsis pluribus teſtimonijs Sacris, in quibus directè exprimitur libertas præiacto teſtimonio vſum fuiſſe ad libertatem ſuadendam: ¶ 2. Quia ad libertatem ſolùm poteſt directè cõducere illud *Convertimini ad me*: exprimens converſionis præceptum; illud verò: *Et ego convertar ad vos*: exprimit Deum excitare alliciendo ad converſionem per præmium, Deũ ſe convertendi ad nos: Ergò ſi Conc. vtraque verba appoſſuit intulit gratiam excitantem, qua *libertatis* verę *admonemur*: non ſolùm probavit exiſtentiam libertatis. Ideòque gratiam adiuvantem, vt diſtinctam ab excitante ex S. Concilio ante exortam controverſiam de auxilijs edocuit Barth. de Medina, vtquè teſtatur P. Molina, illam ex S. Concilio colligunt Soto, & Vega.

*Medina in 1.2.q. 111. explicati, artic. 2.*

*Molina, de Concordia, q. 14. artic. 13. diſp. 37.*

*Dominicus à Soto, de Natura, & Gratia, cap. 16.*

*Andræas à Vega in Cõcil. Trident. cap. 6. 7. 8. & 9.*

374 Valdè aliena à mente Concil. Colonienſis eſt adducta expoſitio, cùm expreſsè diſtinguat duplicẽ gratiam prævenientem *Converſionẽ*, aſſerit enim: *Vtraque voluntatem noſtram prævenit Deus, & Converſione* non prævenit voluntatẽ. Secunda gratia minimè eſt converſio; ſed potiùs, *qua prævenit voluntatem, & peccator aſſentiens prævenienti Deo* per primam quidem gratiam *iam reſurgit*: Nec verè dicitur Concil. aſſeruiſſe priorem gratiam ſolùm Deũ ſubminiſtrare, non ſecundam; vtramque enim ſolus Deus ſubminiſtrat; *Sed priorẽ ſubminiſtrãdo ſolus operatur*: quia in gratia excitãte non operatur arbitriũ: in altera quã etiã ſolus ſubminiſtrat, nõ ſolus operatur, quia *volũtas prævenientẽ Deũ ſubſequẽs per velle, ſeù conſenſum cooperatur*: Hoc eſt in Cõcil. expreſsũ; ergò, & gratiã prævenientem eſſe duplicem; & quod ſecunda gratia arbitrium *cooperatur ſubſequens per velle*: ergò, & gratia cooperatur præveniens ad velle.

*Lemos, lib. 4. p. 1. tract. 7. cap. 22.*

375 Addo 1. in actis Concil. Trid. (refert P. Lemos, qui ex commiſsione Sum. Pontificis legit) habetur, quo d cum Patres inquirerent, quid Deus facit cum hominem vult convertere; hæc verba appoſſuerunt reſpondentes: *Duo facit Deus, primo hominem excitat ſuadendo, & invitando, deindè fortiùs auxilium dat, quo hominem convertit*. Vbi clarè videntur aſſerere diſtingui *illud fortiùs auxilium*, quod ſecundo dat; ab illa gratia *excitante, & ſuadente*, quam primo dedit. ¶ Addo 2. S. Cyrilli Alexandrini aurea verba pro gratia præveniente intrinſecè efficaci à PP. Salmant. adducta; ait enim: *Cum humana natura non ſatis valida eſt, neque per ſe ſufficit, vt malum effugere queat, vna nobiſcum quodammodò cõtendit Deus, duplicique beneficio afficere cognoſcitur, adminiſtrationibus nimirum perſuadens, & ſubſidiũ præſtans fortiùs, quàm vt ab impedienti, aut imperante malo ſuperari poſsit*. Quid expreſsiùs pro diſtinctione gratię ſuadentis à efficaci fortiori, & à malo inſuperabili? Nequid enim eſſe *duplex beneficiũ* vna realitèr gratia, licèt plura exhibẽs munera

*S. Cyrili, lib. 1. de Adorat. & cultu.*

*Salmant. de Gratia efficaci, dub. 4. num. 236.*

376 Sed opp. P. Ramirez Trid. dixiſſe: *Eidem gratiæ* loquendo de excitante, & adiuvãte; etſi ipſas edoceret diſtinctas diceret: *Eiſdem gratijs*: Sed huic argumento ex Molina deſumpto iam ſuprà diximus; & de eo ſcripſit Zumel: *Mirabilis profectò obiectio, quàm ego nunquàm eſſe obiectionẽ dicam*. Vide etiã Lemos.

*P. Ramirez diſput. 5. de Prædeſt. c. 1. num. 18.*

*Molina, vbi ſuprà. Sup. n. 361.*

*Zumel in 1.2. q. 111. art. 3. diſp. 1.*

*Lemos, lib. 4. part. 1. tract. 7. cap. 22.*

377 Aliter opp. Prado. Quia ſi in illo cap. 5. Cõcil. cõtineretur gratia adiuvans ab excitante diſtinta eſſet, quæ in illis verbis: *Converte nos Domine ad te*, & *Convertemur*: continetur; ſed gratia, quæ in his continetur eſt excitans: Ergò. Prob. Min. ex D. Thoma: qui poſtquàm diviſit vocationem inexteriorem, & interiorem, loquendo de iſta, ait: *Et hæc vocatio neceſſaria eſt: quia cor noſtrũ non ſe ad Deum converteret, niſi ipſe Deus nos ad ſe traheret. Ioann. 6.*

*Prado, n. 32. 5. Threnorũ D. Tho. lect. 6. ſuper c. 8. Ep. ad Rom*

Ne-

Nemò poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum, *Threnorum* 5. Converte nos Domine ad te, & convertemur, *& etiam hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia huiuſmodi vocationi aſſentiunt.* Ex quo textu alibi diffuſè examinãdo, ſic prob. ex illo textu: *Converte nos, &c.* D.Thom.probavit *vocationem interiorem*: gratiam, ſeù vocationem, cui *aſſentiunt, prædeſtinati*, ſed nomine *vocationis interioris*, præſertim contrapoſitivè ad exteriorem, nihil aptiùs intelligi poteſt, quam gratia excitans; & ea eſt gratia, cui aſſentimus, quia vt ſuprà diximus: *Suadenti aſſentimus, & adiuvanti* cooperamur; ergò ex Div. Thom. gratia, quæ continetur in textu illo *Converte*, &c. eſt gratia excitans; non ergò ex illo infertur gratia adiuvans ab excitante diſtincta.

*Disp. 3. q. 4.*

*Sup. n. 362.*

Prob.Min. 2. Concilium declaravit contra Pelagium neceſsitatem gratiæ excitantis conſtituentis ſufficientiam vt per converſionem diſponamur ad iuſtificationem, & aliquo textu S.Scripturæ probavit. Sed non ex textu Joëlis; ergò ex textu Threnorum probavit gratiam excitantem: Prob.Min. ex textu Joëlis, ſolùm poteſt colligi gratia externa, qualis eſt S.Scripturæ exhortatio ad converſionem, quæ non recedit à lege, & doctrina, quàm proculdubiò admiſit Pelagius, aliàs ex textu Joëlis proferatur, vel vnus ſyllogiſmus convincens gratiam excitantem cõſtituentem ſufficientiam. ¶ Addit; textus Joelis probat libertatem, quã non negavit Pelagius; ergò ex illo probari nequit neceſsitas gratiæ excitantis, quàm negavit Pelagius.

*Prado à nu-mero 40.*

378 Reſp.neg. Min. Quia illam gratiam petimus, qua Deus convertit, & convertimur; vndè non excitantem indifferentem, ſed adiuvantem, moventem phyſicè, ſeù connexam: Quia per illa verba: *Converte nos, &c patet, quod converſio noſtra ad Deum prævenitur auxilio Dei nos convertentis* (D.Tho.ait) Vndè non ſolùm auxilio Dei nos *excitantis*: Ad eius prob.ex D.Tho. 1. falſum eſt nomine *vocationis interioris*, nihil aptiùs intelligi poſſe, *gratia excitante*; quia certum eſt vocationem interiorem eſſe duplicem; aliam ſufficientem, aliam efficacem: per primam, intelligitur gratia excitans; per ſecundam; *excitans* ſupponitur, & *adiuvans* intelligitur: illa eſt vocatio communis, eorum ſcilicèt, qui invitati noluerunt venire ad nuptias: Hæc eſt vocatio ſpecialis eorum, qui *ſecundùm propoſitum* vocantur ad fidem: de quibus infrà: ex D.Auguſt.& Thom, plura dicemus: Verùm eſt, quod D. Thom. non ita propriè fuit loquutus, ſicut Trident. dum dixit, quod *vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia huiuſmodi vocationi aſſentiũt*, vocationi enim phyſicè moventi, & adiuvanti proprietate maiori dicitur cooperari, quàm aſſentiri; ſed quia illa cooperatio eſt identicè, & materialitèr aſſenſus; dicitur prædeſtinatos vocationi efficaci aſſentiri.

*D.Thom. 3. contr. gent. cap. 149.*

*Infrà q. 4. ſect. 2. & diſp. 3. q. 4.*

379 Ad 2. prob. Concilium nihil in illo cap. colligere ex text. Joelis, quia nec illum adduxit: Textus enim, quo vtitur Concil. eſt deſumptus, ex cap. 1 Zachariæ; aientis: *Convertimini ad me ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum; nè ſitis ſicut Patres veſtri, ad quos clamabant Prophetæ priores dicentes: Convertimini de vijs veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſsimis, & non audierunt, neque attenderunt ad me. Patres veſtri vbi ſunt?* Apud Joelem enim ſolùm reperiuntur in cap. 2. hæc verba: *Convertimini ad me in toto corde veſtro*: aſſerere verò ex præiactis ſolùm colligi gratiam externam non recedentem à lege, & doctrina, quàm proculdubiò admiſit Pelagius, minimè verò colligi, ve-

*Zach. c. 1.*

*Ioelis, cap. 2.*

ram gratiam excitantem, & sufficiẽtem, constitutivam libertatis Catholicæ, nimium favet Jansenistis; si enim ex ijs verbis solùm colligitur *exhortatio externa S. Scripturæ ad conversionem*; idem dicet Jansenius de illo: *Surge, qui dormis, exurge à mortuis*. Et de illo: *Hora est iam nos de somno surgere*. Et de illo: *Quia vocavi, & renuistis. Despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglixistis, ego quoque in interitu vestro videbo*: Sed vnum proferamus syllogismum: Gratia excitans constituitur ex illustrationibus intellectus, vt videat peccator, quàm malum sit reliquisse Dominum, & in quantò periculo sit constitutus, excitantibus motus pios, & indeliberatos, erga bonũ, vel fugam mali; v.g. timoris Dei, vel inferni, aut spei boni promissi; vt ex D. Prosp. suprà diximus; sed in ijs verbis agit Dominus per Prophętam, vt populum ad se trahat, alliciendo per promissionem pręmij, deterrendo per timorẽ pœnæ, & adducendo antiquam parẽtum vesaniam, qui cum similia documenta respuissent (*Spiritui Sancto resistentes*, vt testatur D. Stephanus) in gravia incommoda lapsi sunt: Ergò in ijs verbis continetur gratia excitans, seù sufficiens constituens libertatem nostram ad conversionem: Ecce in vno syllogismo plures: Vide infrà diffusè impugnatum Jansenium hæc, & similia sacra testimonia depravantem, ea interprætando de gratia externa. ¶ Vndè ad id, quod addit Resp. textum Zachariæ (non Joelis, quia de hoc non loquitur Cõciliũ; iterùm dico) probare libertatẽ veram, quia vt vidimus gratiam excitantem convincit, quàm negavit Pelagius, & similitèr Calvinus.

*Ephes. 5.* *Rom. 13.* *Proverb. 1.*

*Prosper suprà n. 270.*

*Actor. 7.*

*Infrà q. 4. sect. 2.*

## ADDITIO.

380 ADrationes, quibus probavimus gratiam adiuvantem *in actu secundo*, seù *cooperãtem* esse prævenientem: facilè videtur sibi respondere; sed rationi ex D. Thoma desumptæ, aiente: *Meritum est effectus gratiæ cooperantis*. Resp. Quid inde? Nunquid dixit, quod est effectus cooperationis gratię? Minimè, hoc autem erat necesse vt gratia pręveniret sub munere cooperandi: Vndè ex hoc textu solũ obtinetur, quod gratia cooperans prævenit meritum, quod est verùm; est enim ipsa excitans: Non autẽ, quod præveniat gratiæ cooperatio, seù gratia in actu secundo cooperans. ¶ Eodem modò Resp. ad Concil. Arausicanum: Deum tribuendo gratiam excitantem, quàm donat sine nobis, & simultanęe concurrendo nobiscũ eadem gratia adiutis *operari in nobis, atque nobiscum, vt operemur*. ¶ Et dum D. Thom. ait: *Voluntatem cooperari gratiæ, vt motam à gratia*; in eodem sensu exponit, vt motam quidem à gratia excitante, sed non ab ipsa vt cooperante: Et tandem exemplo confirmat: quia communitèr asserimus, actum vltimo disponẽtem ad iustificationem procedere à gratia habituali ad quam disponit, sub munere *auxiliantis*, & non sub munere *iustificantis*: Ergò, & poterit cooperatio arbitrij procedere à gratia cooperante sub munere *excitantis*, & non sub munere *cooperãtis*.

*Sup. n. 365. D. Tho. 1. 2. q. 114. in Proœmio.*

*Sup. n. 366.*

*D. Th. adductis sup. n. 366.*

Contra tamen est. Gratia excitans ita est cooperans apud Adversarios, vt munus cooperandi sit ei accidentale, extrinsecum, & ab ipsa gratia excitante separabilè, ergò non verè diceretur *meritum effectus gratiæ cooperantis*; si solùm esset effectus gratiæ excitantis, & gratia sub munere cooperantis ipsum non causaret. ¶ Exemplo redarguo: Contritio non diceretur verè effectus gratiæ iustificantis, dum vltimo ad eam disponit, si solùm procederet à gratia, quæ accidentalitèr, ab extrinseco, & separabilitèr iustificaret, si vt coniuncta cum hoc extrinseco non

*Prado ibi. à n. 28. & 55*

in-

influeret in contritionem. Ideò enim dicimus contritionem causari à gratia iustificante, licet non sub munere iustificantis, quia procedit à gratia sub munere, cui est intrinsecum essentiale, & inseparabilè iustificare; Ergò si meritum solùm causatur à gratia sub munere *excitantis*, cui est accidentale, extrinsecum, & separabilè cooperari, solùm potest verè dici *meritum est dum cooperatur gratia*, non verò meritum est *effectus gratiæ cooperantis*: sicut verè dicitur *meritum est dum cooperatur arbitrium*; non tamen verè dicitur, *meritum est effectus arbitrij cooperantis*: si id, quod addit *arbitrium cooperans* suprà arbitrium, non influit in meritum: Nec interpretatio Arausicani Conc. valet; quia dũ Deus operatur in nobis, vt operetur nobiscum; nequit intelligi de motione, seù operatione inconnexa cum operari nobiscum; sed mens Concilij est Deum operari priùs physicè in nobis, vt operetur pro posteriori nobiscum. ¶ In eodem sensu loquitur D. Thom. dum ait, quod dicitur *gratia cooperans respectu actus, ad quem voluntas se movet, & movetur*; quia sub munere cooperantis priùs movet voluntatem, vt pro posteriori ipsa moveatur. Vt tamen suadeam Deum non alitèr *operari, vt operemur*, nec *facere, vt faciamus*, nisi *priùs* faciendo, & operando opera, quæ nos facimus: Expendo singulare Augustini testimonium Versat M. Pater illa Christi verba: *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet*. Et ait: *Apostolum audiamus*: Credenti, *inquit*, in eum, qui iustificat impium deputatur fides eius ad iustitiam: *In hoc opere facimus opera Christi, quia, & ipsum credere in Christo opus est Christi, hoc operatur in nobis, non vtique sine nobis. Audi ergo iam, & intellige*. Qui credit in me opera, quę ego facio, & ipse faciet: *Priùs ego facio, deindè, & ipse faciet, quia facio, vt faciat*: Nihil pro nostra conclusione expressiùs?

*D. Tho. 1.2. q. 111. art. 2.*

*Ioann. 14.*

*D. Augustin. tract. 72. in Ioannem*

*Ad Rom. 5.*

381 Sed opponit. 1. Prado; stat gratiam excitantem adiuvare *vt possimus*, quin præveniat *posse*: Ergò, & stabit gratiam adiuvantem adiuvare *vt agamus*, quin præveniat *agere*: Conseq. à paritate constat. & Ant. est certum; tùm, quia gratia excitans *adiuvat vt possimus*, ex Tridentino: & de eadem gratia sufficiente dixit Augustin. *Gratia, non solùm ostendat quid faciendum sit, sed adiuvet etiã, vt fieri possit, quod ostenderit*: Tùm, quia *posse* non prevenit, cum illud constituat, nihil enim præcedere potest id ipsum, in quo essentialitèr clauditur. ¶ Confirm. ex D. Thom. de voluntate libera asserente: *Quod determinatè exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate* Ex quibus verbis, ita arguitur: Voluntas se determinat vt *exeat in hunc actum*; v. g. amorem, & non solùm cum *exit*, seù cum amat; & tamen determinatio voluntatis ad amorem, non prævenit ipsum, sed est realitèr ipse amor: Ergò ly *vt*, non semper exposcit præcedentiam in ordine naturæ: Ergò stabit gratiam adiuvare, non solùm *cum* agimus, sed etiam *vt* agamus, & quod adiutorium gratiæ non præveniat *agere*.

*D. Prado, ibi. n. 15.*

*Tridẽt. sect. 6. cap. 11.*

*Augustin. de Spiritu, & Litt. cap. 6.*

*D. Th. in 1. sentẽt. dist. 39. q 1. art. 1. in corp.*

382 Opponit. 2. textum D. Berdi, & nostram solutionem, quàm tradit M. Alvarez; ait: *Valdè diminutam, & aberrantem à mente D. Bernardi, ideòque reijciendam.* 1. Quia commitantia à Div. Bern. asserta est identitatis realis vtriusquè cooperationis gratiæ, & arbitrij; ait enim, quod *à sola gratia cœptum pariter ab vtroque perficitur*: Sed quo influxu? *Non vicissim*, seù non successivè: *Non sigillatim*, ideſt, non vno influxu correspondente gratiæ, & alterò arbitrio: *Sed opere individuo totum singula peragunt*. Ergò cooperatio gratiæ

*Prado, n 60 Sup. n. 368. Alvarez de Auxilijs disp. 82.*

gratiæ, nequit prevenire operationē arbitrij: Patet, quia præcedentia in ordine naturæ non ſtat inter extrema realiter identificata. ¶ 2. Doctrina D. Bern. debet eſſe vniverſalitèr vera; ſed ſi ſermo ſit de præcedentia gratiæ excitantis tempore, aut duratione, nequit eſſe vniverſalitèr vera: Tùm, quia in Angelis in primo inſtanti creationis gratia excitans tempore non præceſsit operationem liberam, & meritoriam: Tùm, quia hæc temporalis præcedentia non eſt vndè neceſſaria probetur: Ergò ſenſus D. Bern. eſt, quod gratia in munere excitandi prævenit natura, ſeù cauſalitate; & in alijs non prævenit, ſed commitatur: & cum vltimum munus gratiæ ſit cooperari arbitrio, cooperatio gratię nequit prævenire operationem arbitrij.

383 Opponit. 3. Gratia cooperans, ſi eſt ab excitante diſtincta ſolùm poteſt eſſe influxus divinus in conſenſum; ſed conſenſus nequit paritèr perfici ab arbitrio, & influxu Dei; quia vna cauſa per ſuum influxum cooperatur, influxus verò vnius cauſæ nequit alteri cauſæ cooperari; ergò ſolus Deus dicetur cooperans arbitrio per gratiam, ſicut per influxum ſuum in conſenſum, gratia verò non erit propriè cooperans arbitrio. Confirmat. vel gratia adiuvans applicat voluntatem, vt cauſet conſenſum ſimul cum gratia excitante; vel vt ſe ſola illum cauſet? Si 1. ergo applicat voluntatem, vt cooperetur, cum gratia excitante; quia cooperatio duorum, nihil aliud eſt, quàm quod vtrùmque ſimul operetur; & exindè gratia excitans eſt cooperās, & ad hoc munus non eſt neceſſaria gratia ab excitante diſtincta. Si 2. inintelligibilè eſt, quod gratia præbens voluntati vires, & ſufficientiam operandi, nihil influat in operationem, cum voluntas operatur.

*Prado ibi, à num. 65.*

*Prado ibi à num. 71.*

384 Opponit. 4. ex D. Auguſt. aſſerente: *Si non eſſes operator* (hominem alloquitur) *non eſſet ille cooperator*, nimirùm Deus; & paulò poſt: *Non enim adiutor eſt ille, ſi nihil agatis: non enim cooperator eſt ille, ſi nihil cooperamini.* Vndè *cooperatio* eſt duorum operatio, & vnū cooperari cum alio conſtituitur ex vtriuſque operatione; ergò gratia non poteſt eſſe præveniens ſub munere cooperationis: Patet, quia dum eſt prę veniens non intelligitur operatio arbitrij, quę eſſentialitèr clauditur in conceptu *cooperationis*. Nec valet, quod diximus, quod gratia dicitur *cooperans*, quia ſimul *tempore* operatur, licèt ſit ordine *naturæ* prior: quia hęc prioritas non eſt *in quo*, ſed *à quo*. ¶ Quia quomodocumque nomines iſtam prioritatem, in ſigno, in quo vna operatio præcedit aliam, nequit alia dari, quia ſicut non poſſum præcedere temporaliter in *hac duratione* rem, quæ in hac duratione datur; non poſſum præcedere *in ſigno* ad id, quod datur in eo ſigno: Ergò in illo non intelligitur *cooperatio*, quæ eſſentialitèr conſtituitur per operationem arbitrij; ſed ex vtroquè ſigno conſtituetur *cooperatio*, ſicut, & *duorum operatio*.

*Auguſt. de verbis Apoſtol. ſerm. 13.*

*Sup. n. 368.*

Vltimò deniquè; licèt gratia cooperans exigat prævenire, non exigit prævenire vt cooperans; ergò gratia præveniens excitando poteſt eſſe cooperans, licèt non præveniat cooperando: Prob. antec. ex D. Thom. gratia habitualis cooperatur nobiſcum actum meritorium; ſed gratia habitualis, vt cooperans non præcedit actum meritorium; nam eius cooperatio non antecedit ordine naturæ influxum arbitrij; ergò ſine præcedentia ordine naturę ſalvatur conceptus gratię cooperantis.

*D. Tho q. 112. 2. q. 111. art. 2. in corpore.*

385 Reſpondeo ad 1. Conceſſo antec. neg. Conſeq. & diſp. eſt, quia ly *vt* aliquando denotat prioritem cauſæ formalis conſtituentis; aliquādo denotat prioritatem cauſæ efficientis: In 1 ſenſu ſumitur ly *vt* dum de

de gratia excitante, seù sufficiente; dicitur, *adiuvat vt possimus*; quia est ratio formalis constituens posse; sicut gratia habitualis est *vt* simus Sancti, & *vt* simus filij Dei; & Beatitudo est *vt* simus Beati: cùm verò dicimus gratiam *adiuvare, vt agamus*, ly *vt* denotat prioritatem causę efficientis: Et ideò Augustinus ait hoc adiutorio *efficitur vt vellimus*: Et in eodem sensu dixit Apostolus: *Misericordiam consequutus sum*, vt *fidelis essem*. De quo infrà: Et ideò intulit Augustinus misericordiam prævenientem fidem, iustorumque *opera gratiæ Dei effectus sunt, & movente, & adiuvante Spiritu Sancto fiunt*, ait Synodus Moguntina; gratia ergò Spiritus Sancti movens, & adiuvans prævenit opera nostra, vt effectus ipsius gratiæ. Ad confirm. eodem modò Resp. Quia voluntatem se determinare, *vt exeat in hunc actum*; v.g. *vt* amet. Ly *vt* dicit rationem formalem, quia voluntas *vt* amet formaliter determinatur à se per *amorem*; vndè non explicat prioritatem naturæ, seù causalitatis effectivè respectu amoris; vndè est vera hæc causalis: *Quia voluntas amat se determinat ad amorem*: in alia verò propositione voluntas *adiuvatur vt agat*: ly vt nequit dicere rationem formalem, quasi adiuvetur per agere: cùm hæc causalis testante D. Prospero sit falsa: *Ideò quis adiuvatur quia vult*.

*Augustin. infrà n. 422.*

*Apost. infrà n. 423.*

*Concil. Moguntinum, cap. 8.*

*D. Prosper, sup. n. 368.*

Ad 2. prob. Impugnationes non cogunt deserere expositionem Div. Bernardi ex M. Alvarez desumptam: Ad 1. enim in contrarium dicimus, operationem arbitrij non esse effectum cooperationis gratiæ, sed gratiæ cooperantis, vt distincte ab excitante, & secundùm munus inseparabilè ab operatione arbitrij. Ad 2. Nõ esse inconveniens D. Bern. solùm loqui de eo, quod regulariter accidit, quia gratia vt seminat cogitatum tẽpore prevenit influxum arbitrij. ¶ Sed dum edoceri à D. Bernardo ampliùs desidero, mentẽ Meliflui Doct. accuratiùs, quàm priùs investigãdo: sentio non esse rectam expositionẽ, quàm tradidi; quasi Sanctus dicat: quod gratia *in primo præveniat* tempore: *In cæteris committetur* tempore: & exindè in cęteris non præveniat; quia sensus est: *In primo tãtum præveniat*, & non committetur: *In cæteris cõmittetur*, & præveniat; Et 1. inter cætera munera gratiæ numerat Sanctus: *Roborat, vt perducat ad actum*: Et in hoc munere roborandi Doctor Prado supponit, & nullus dubitat gratiam prævenire; Ergò non negat in cæteris prævenire, sed potiùs negat in primo *committare*; & ideò ait: *In primo tantũ prævenire; in cæteris*, ait, *committatur*; sed non *tantùm*, quia etiam prævenit. ¶ Quod ex ipso textu colligitur: Sanctus tria distinguit *cogitare, velle, & perficere*; quæ Apost. *Attribuit Deo: non suo arbitrio*; quia *Deus tria hæc operatur in nobis*. Primum, scilicèt, *bonum cogitare*, profectò *sine nobis*; secundùm, idest velle, *nobiscum*: tertiùm *per nos*, seù *perficere*: Hæc autem tria Deum in nobis operari: per gratiam excitantem, *cogitare*, per operantem *velle*, & per cooperantem *perficere*: præveniendo probat Sanctus; cum continuò ait: *Siquidem immittendo* cogitationem *nos prævenit*: *immutando voluntatem sibi per* consensum *iũgit*: *Ministrando, & consensui facultatem per apertum* opus *internus opifex innotescit. Sanè ipsi nos prævenire nequaquam possumus. A Deo ergò sine dubio fit salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum. Verùm* consensus, & opus, *etsi non ex nobis, non iam tamen sine nobis*: Non potiùs Sanctus clariùs dicere, illa tria esse ex Deo præveniente; Sanctus prosequitur: *Cavendum ergo nè cum hæc invisibiliter intra nos, ac nobiscũ actitari sentimus: aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est: aut*

*Philipp. 2.*

*aut Dei neceſsitati, quæ nulla eſt, ſed ſoli gratiæ, qua plenus eſt*, attende verba; & ſtatim audi, quæ opponuntur in argumento: *Ipſa liberum* excitat *arbitrium cum ſeminat cogitatum*: (ergò Deus prȩvenit operando *cogitare*) *Sanat cum immutat affectum* ( ergò prævenit operando in nobis *velle*) *roborat, vt perducat ad actum*, (ergò prævenit operando in nobis *perficere*) *ſic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præveniat*: (quia in primo ſcilicèt, immittendo cogitationẽ operatur *profectò ſine nobis, nec per nos vtique, nec nobiſcum.*) *In cæteris committetur*; quia dum *immutat affectum, & roborat ad actum* non tantum gratia prȩvenit, ſed cõmittatur, quia licèt hæc *non ſint ex nobis, non iam ſine nobis*; quia ſecundum *nobiſcum*, tertium *per nos*; Deus in nobis per gratiam operatur, non tantum ſeminando cogitatum, ſed voluntatem immutando, & velle roborãdo: Hanc iudico eſſe Sanctiſsimi Patris ſententiam.

386 Ad 3. nego Mai. Quia gratia cooperans eſt ab excitante diſtincta; ſed non ſolùm eſt influxus divinus in operationem arbitrij; ſed *operatur* phyſicè *in nobis*, ſeù in arbitriũ *vt operetur nobiſcum*, ſeù cum arbitrio; vndè cooperans duplex habet munus, arbitrium phyſicè movendi, & cum arbitrio operandi; & ideò nõ ſolùm Deus per gratiam cooperatur arbitrio; ſed etiam ipſa gratia eſt propriè arbitrio cooperans. ¶ Ad confirm. dicimus gratiam excitantẽ, vt importat illuminationem intellectus, ſeù cogitationem, & motum indeliberatum voluntatis, ſeù ſanctam inſpirationem, ſolùm movere moraliter ad conſenſum liberum; vt includit qualitatem ſupernaturalem vires exhibentem ad actum liberum, influere phyſicè in ipſum, ſpecialitèr in abſentia habituũ ſupernaturaliũ, & ita gratia adiuvans applicat volũtatem *ſufficienter auxiliatã*, vt cauſet conſenſum; ſed non exindè gratia *excitans* eſt *cooperãs*; quia ex vi motionis phyſicæ gratiæ adiuvantis excitans operatur, & gratia cooperans eſt, quæ operatur phyſicè *in* arbitriũ, vt operetur *cum* arbitrio.

Ad 4. verùm eſſe *cooperari* dicere *duo operari*, ſed non ſimul natura; Spiritus enim gratię, *nos agit*, & *agẽtibus adiutor eſt*; *ipſum nomen adiutoris præſcribit, quia & nos aliquid agimus*; vndè *in bonis operibus efficiendis liberũ arbitriũ operatur, & gratia. Sed primo, & principaliàs gratia*: quia gratia vt cooperans primo movet arbitrium, quòd *quia adiuvatur vult*, & omnis cauſa pertinet ad poſt prædicamentũ *priùs*: dũ igitur intelligitur gratia operans *in* arbitrium, vt operetur: intelligitur *cooperans* inadæquatè; & prævenies, quia intelligitur cauſa operandi *cum* arbitrio: dum intelligitur operatio arbitrij intelligitur gratia *commitãs*, & *cooperans*, ſecundùm aliud munus inadȩquatum ipſius gratiæ.

*D. Auguſt. ſerm. 12. de verb. Apoſtoli.*

*Concil. Senonenſe in initio.*

387 Vltimum, quod obijcitur potiùs probat concl. noſtram; Gratia *habitualis cooperãs*, nõ eſt prȩveniẽs, nec *ſimul natura* cum influxu arbitrij; ſed *ſubſequens* eum, quia *habitibus vtimur, cum volumus*: & *habitus eſt, quo quis vtitur cum voluerit*: quia *habitus eſt diſpoſitio ſubiacens voluntati*: Non ſic poteſt diſcurri de gratia *actuali cooperãte, ſeù adiuvante*, cum non *adiuvetur, quis gratia, quia voluit*; ſed *quia adiuvatur, velit*; Gratia enim adiuvans *ſibi humanam ſubijcit volũtatem*; Nõ enim poſſumus *gratiam Dei ſubdere volũtatibus ab ea prȩventis*: Vndè potiùs inſto: Gratia habitualis eſt *cooperans* licèt natura *ſubſequatur* arbitrij influxum; quia *ſubiacet* in operando arbitrio: Ergò actualis erit cooperans licèt natura *prȩveniat* influxum arbitrij, quia *ſubijcit* ſibi arbitrium.

*D. Th ſuprà n. 82. & n. 227.*

*D. Proſper. Ep. ad Auguſt.*

QVÆ-

# QVÆSTIO TERTIA.

## VTRVM GRATIA PRÆVENIENS ADIVVANDO VOLVNTATEM vt ſalutariter conſentiat, conſtituat poteſtatem ad conſenſum?

### SECTIO PRIMA.

*Gratiam phyſicè prædeterminantem conſenſum eſſe exactam ad conſenſum, & connexam cum conſenſu, ſupponitur, ſed adhùc reſtare controverſiam; An conſtituat poſſe ad conſenſum? Cuius ſtatus apperitur.*

388 GRatiam adiuvantem prævenientẽ conſenſũ ab excitante diſtinctam rectè vocari phyſicè prædeterminãtem iam ſuprà manifeſtum fecimus, vndè his vocibus talem gratiam deinceps vſurpabimus; eſſequè neceſſariam ad conſenſum, & connexam cum conſenſu ex dictis evidenter deducitur: ſi enim hæc gratia præveniens phyſicè adiuvando diſtincta ab inſpiratione Spiritus Sancti admittitur neceſſaria, debet habere hæc prædicata eſſe eſſentialiter *exactam*, vt exiſtat conſenſus; eſſe *præcedentem* prioritate naturę ipſum conſenſum, & eſſe eſſentialiter *connexam* cum actu: nec de his licet NN. Thomiſtis diſputare cum hæc prædicata ſint prima notio gratiæ phyſicè prædeterminantis; ſed illa breviter demonſtremus.

*Sup. n. 273.*

389 Et 1. exigi gratiam prædeterminantem ad conſenſum, deducitur: 1. Quia eſt neceſſaria gratia præveniens cõſenſum per quã Deus diſcernat conſentientem, ſed gratia præveniens diſcretiva, nequit eſſe indifferens, ſed determinans, vt probavimus: ergò, ¶ 2. Adiutorium Dei exigitur vt averſus à Deo per peccatum ſe diſponat ad convertendum ſe ad Deum, ſeù ad elicienda opera, vt opportet ad iuſtificationis gratiam: Ex Sacr. Concilio; ſed hoc adiutorium non eſt gratia indifferẽs, & moraliter excitans, ſed prævenies phyſicè movendo, vt oſtendimus ex ipſo Sac. Concilio; ergò gratia phyſicè prẽmovens ad conſenſum ſalutarem exigitur. ¶ 3. Idem aſſumptum probant NN. Thomiſtæ pluribus alijs medijs, quæ nunc non expẽdimus; ſufficiat indicare eſſe contra rationem primi liberi, & ſupremi domini, quod ſit aliquod bonum, quod immediatè non determinet, ſicut cõtra rationem primi efficientis eſt eſſe aliquod bonum, quod immediatè non efficiat; nec dominium creaturæ cum ſit ſubiectum Deo, pugnat cum immediata ſubiectione ſui exercitij liberi ad Deum; ſicut ſubordinatur vis effectiva creaturæ Deo, vt immediatè efficienti, quia eſt cauſæ ſecundæ Deo ſubiectæ.

*Sup. q. 1. per totam.*

*Sup. q. 2. per totam.*

390 Quod verò hæc gratia ſit præveniens ipſum conſenſum, quatenus ipſum præcedit prioritate naturæ, ſeù cauſalitatis; eſt etiam notum ex præiactis principijs; quia gratia diſcernens eſt præveniens, & gratia adiuvans non purè moraliter excitando, & his nominibus exprimi gratiam phyſicè moventem, & con-

Sup. Diſp. 2. quæſt. 1. & 2.

nexam pro viribus dimicavimus: quibus adde. ¶ 1. Cauſalitas per quam cauſa efficit terminum præcedit ipſum pro priori naturæ, & ideò actio creata eſt prior termino; ſed conſenſus creaturę determinatur à Deo per auxilium, quo adiuvat, vt diximus; ergò tale auxilium eſt præveniens. ¶ 2. Vnum eſſe priùs natura altero eſt eſſe rationem, ſeù cauſam vt exiſtat alterum, non ècontra; quia omnis cauſa ſpectat ad poſt prędicamentum *priùs*; ſed auxilium eſt ratio exiſtendi conſenſum non ècontra; non enim conſenſus determinatur, quia eſt; ſed potiùs eſt, quia determinatur vt ſit; ergò. ¶ Alitèr: voluntas per auxilium applicatur, vt conſentiat; ergò priùs eſt applicata, ac conſentiens; ergò auxilium eſt priùs conſenſu. ¶ Sed hanc prioritatem naturę ex altiori principio efficacitèr colligo: Nam priùs eſt voluntatem Dei efficacitèr decernere conſenſum, quam quod omnipotentia illum exequatur, ſed conſenſus eſt effectus correſpondens exequutioni omnipotentiæ, & auxilium adiuvans efficaci Dei decreto; ergò priùs eſt auxilium conſenſu: Min. certa, & prob. Mai. Tùm, quia appetitus, ſivè elicitus, ſivè innatus non concomittatur operationem, ſed ad eam inſtigat, & applicat: Tùm, quia ſicut cognitio applicat voluntatem vt velit, volitio applicat omnipotẽtiam, vt exequatur, quia ſicut non poteſt amari non cognitum, non poteſt exequi non volitum, ſed cognitio eſt applicatio antecedens volitionem; ergò, & volitio exequutionem: Tùm, voluntas Dei eſt cauſa rerum iuxtà Scripturam, & PP. ergò exequutio omnipotentię pendet à Dei voluntate; ſed non immediatè, quia non eſt exercitium immediatũ voluntatis cum per illàm non denominetur Deus volens, ſed agens; ergò mediatè, media ſcilicèt volitione; ergò volitio prior eſt ipſa executione.

391 Etiam eſt indubium; quod gratia præveniens phyſicè adiuvando, ſeù prædeterminans, eſt eſſentialiter connexa cum conſenſu, cum titulo connexionis ſit diſcretiva, & diſtincta à gratia moraliter excitante ab intrinſeco indifferenti, ſed vlteriùs hæc veritas demonſtratur. ¶ 1. Auxilium prædeterminans connectitur cum ſua efficacia, ſed efficacia auxilij connectitur cum conſenſu, ergò, & auxilium. Mai. nota. Quia auxilium prædeterminans connectitur cum ſuis prędicatis intrinſecis, & eſt ab intrinſeco efficax: & Min. eſt æquę certa; quia auxilium eſſe efficax eſt ſuo effectu non fruſtrari, ſed auxilium exiſtere ad conſenſum, & conſenſum deficere eſt ſuo fine fruſtrari; ergò auxilij efficacia connectitur cum eo, quod ſi auxilium exiſtat conſenſus non deficiat, ſed conſenſum non deficere eſt conſenſum exiſtere; ergò efficacia auxilij connectitur cum conſenſu. ¶ 2. Si deficeret conſenſus deficeret auxilij efficacia, quia auxilium dicitur efficax ab efficientia, etſi deficeret conſenſus non efficeretur ab auxilio, ſed ſi deficit auxilij efficacia deficit auxilium ab intrinſeco efficax, cum deficiente prædicato intrinſeco rei res deficiat; ergò ſi deficeret conſenſus deficeret auxilium ab intrinſeco efficax; ergò, evertendo, à contradictorio conſequentis, ſi auxilium efficax exiſtit, exiſtit conſenſus, ſed vnum eſſe connexum cum alio eſt, quod inferat ex ſua exiſtentia exiſtere alterum; ergò auxilium ab intrinſeco efficax eſt connexum cum conſenſu.

392 In his prædicatis gratię ab intrinſeco efficacis, vel prędeterminantis vtraque Schola cõvenit; quatenus Angelica edocet gratiam efficacem defacto exiſtentem hęc prædicata habere, DD. Societatis fatentur, quod ſi gratia phyſicè prædeterminans eſſet neceſſaria his prędicatis

tis gauderet: Vndè iuxtà omnes cõvinationes possibiles principij actus, quas suprà efformavimus: iam decisum habemus, quod gratia prædeterminans, defacto habet, vel quod haberet si existeret, esse antecedens actum, connexa cum actu, & non indifferens; duo ergò discutienda restant; An esset constitutiva potestatis ad actum, vel secus? Et an sit dependens aliquomodo à voluntate, quatenus sit resistibilis, impedibilis, acquiribilis, vel auferibilis pro nutu voluntatis liberę? 1. in hac quæst. resolvimus; 2. per duas quæstiones sequentes examinabimus.

Sup. n. 191.

393 In 1. ergo dubio substinent DD. Societatis, quod gratia physicè prædeterminans cum sit præveniẽs, & immediatè pręrequisita ad consensum debet esse constitutiva potestatis ad consensum: hoc vniformitèr contendunt, vt exindè suadeãt gratiam efficacem, quæ defacto datur non esse prędeterminantem; quia ex hoc principio duo capitalia argumẽta, quibus gratiam efficacem prędeterminantẽ labefactare cõnantur, valdè corroborant, scilicèt, quod si gratia prædeterminans ad consensum exigitur, potestas consentiendi in prædeterminato non est libera; & quod in non prædeterminato non est verè auxilium sufficiens ad consensum. ¶ Angelica verò Schola substinet, gratiam efficacem prædeterminantem, licèt exactam ad consensum pręveniendo non esse constitutivam potestatis proximæ ad cõsensum; licèt enim aliqui asserant gratiam prædeterminantem se tenere ex parte actus primi, vt illius complementum, non sic exponendi sunt, quasi vellint actum primum proximum compleri constitutivè per gratiam prędeterminantem, sed quia actus primus applicatur ad actum secundum per prædeterminationem, & per illam completur, in quo sensu, & consensus ipse est complementum actus primi; quatenus illius exercitium, & complementum: Resolutionem Angelicę Scholæ per subsequent. sect. illustrandam suscipimus.

## SECTIO SECVNDA.

*Ex eo, quod consensus salutaris non possit esse sine prædeterminatione omninò inefficacitèr colligitur prædeterminationem constituere posse ad consensum.*

394 APud aliquos DD. tantum demeretur Angelica Schola, vt ex ipsa apprehensione terminorum iudicent contradictoria sentire; hęc enim ex terminis impossibilia iudicant: *Prædeterminationem esse exactam ad consensum, & non constituere posse ad consensum*; quia si sine prædeterminatione non potest esse actus, *clamant* quomodò non constituit posse ad actum? Quid enim constituit posse ad rem nisi id sine quo non potest esse res? ¶ Vel alitèr: sine prædeterminatione non potest esse actus, sed dum non potest esse actus non est posse ad actum; ergò sine prædeterminatione non est posse ad actum, sed id sine quo non est posse, posse constituit, vel ad posse exigitur; ergò prædeterminatio posse ad actum cõstituit, vel ad posse exigitur. Valdè fallor si inter alios non ita disputat contra decretum efficax P. Alderete: Dum ita fundat repugnantiam decreti ex se efficacis requisiti, vt libere operemur: *Etenim iuxtà nostram sententiam hæc propositio (homo absque gratia efficaci ad bonam operationẽ operatur rectè) includit contradictionem, igitur nulla est potentia antecedens ad operandum sine tali gratia, alioqui talis potentia respiceret vsum chimæricum, & vsus chimæricus respiceret veram, & realem causam, quod est prorsus inintelligibile.*

P. Alderet. de Scientia, disp. 24. sect. 5.

Quod eſt dicere, hominem operari rectè ſine prędeterminatione eſt chimæra; ergò nequit eſſe potentia vera ad operandum ſine prædeterminatione, quia reſpiceret chimæram; ergò potentia vera ad operandum debet eſſe cum prædeterminatione; ergò prædeterminatio conſtituit, vel exigitur ad potentiam veram rectè operandi.

Sed iſtæ ſunt evidentèr Sophiſticæ argutiæ, quod in limine quæſtionis demonſtrare decrevi, quia licèt publicę diſputationes ſæpiùs illis impediantur, nondum in argumẽtis ſolverentur iudicaret aliquis his fallacijs innixam ſententiam Societatis nobis in hac parte oppoſitam, quæ diverſa aſſumit principia, vt declarabo.

395 Inferre enim aliquid conſtituere poſſe ad actum, quia ita exigitur ad actum, vt actus non poſsit eſſe ſine illo eſt omninò inefficacitèr colligere: quod demonſtro 1. Curſus non poteſt eſſe ſine motu, quia motus eſſentialiter exigitur ad curſum, & tamen ſine motu eſt poſſe ad curſum, in quo palmario exemplo omnes formæ appoſitæ redarguuntur: Inquire 1. Si ſine motu non poteſt eſſe curſus, quomodò non conſtituit poſſe ad curſum? 2. Sine motu non poteſt eſſe curſus, ſed dum nõ poteſt eſſe curſus non eſt poſſe ad curſum, ergò ſine motu non eſt poſſe ad curſum; ergò motus conſtituit poſſe ad curſum: 3. Hominem ſine motu currere eſt chimęra; ergò nequit eſſe potentia vera ad currendũ ſine motu; ergò potentia vera ad currendum debet eſſe cum motu; ergò motus exigitur ad potentiam veram currendi.

396 2. Quid magis exigitur ad actum, quàm prædicata eſſentialia ipſius actus? & tamen ſine prędicatis eſſentialibus actus, datur poſſe ad actum, aliàs non eſſet poſſe, quod nõ reduceretur ad actũ. ¶ Alitèr actus non poteſt eſſe quin ſuum contradictorium deficiat, vt patet, & tamen vt ſit poſſe ad actum non exigitur deficere contradictorium actus, aliàs etiam ècontra vt daretur poſſe ad carentiam actus exigeretur deficere actum; ex quo evidentèr colligeretur, (1) quod poſſe ad actum, quia conſtitutum per defectum carentiæ actus non poſſet coëxiſtere cum carentia actus, & ita carentiam actus non poſſe exiſtere libere. (2) Quod non poſſent ſimul exiſtere poſſe ad actum, & poſſe ad carentiam, quia actus, & eius carentia non poſſunt ſimul deficere, cum actum deficere ſit eius carentiam exiſtere, etſi iſtę poteſtates non poſſent coëxiſtere libertas pœnitus deſtrueretur. ¶ Alitèr: ſuppoſitio eſſentialiter inconiungibilis cum termino, ſeù actione non pugnat cum poſſe agere, imò nec ſuppoſitio non actionis, vt ex prima notione libertatis fuit ſuprà convictum; ergò non omne eſſentialiter exactum ad agere conſtituit poſſe agere: Cõſeq. eſt evidens; quia ſi illa ſuppoſitio non pugnat cum poſſe agere, poſſe agere non conſtituitur per defectum talis ſuppoſitionis, & tamen defectus talis ſuppoſitionis exigitur eſſentialiter ad agere, cum talis ſuppoſitio ſit eſſentialiter inconiũgibilis cum actione. *Sup. n. 170.*

397 Ratio à priori huius veritatis eſt duplex: 1. Quod actus non poſsit eſſe ſine A, ſolùm convincit A eſſe requiſitum, vt ſit actus, quia actus non poteſt eſſe ſine requiſitis vt ſit, ſed A eſſe requiſitum vt ſit actus non ſuadet A conſtituere poſſe ad actum, quia quod conſtituit poſſe non ſolùm eſt requiſitum, ſed prærequiſitum vt actus ſit; ergò, quod actus non poſsit eſſe ſine A, non convincit A conſtituere poſſe ad actum. ¶ Dices, ſaltem ſi actus non poteſt eſſe ſine A, vt prærequiſito, A conſtituet poſſe, & actus non ſolùm non poteſt eſſe ſine prædetermination-

ſed

ſed non poteſt eſſe ſine illa, vt prerequiſita. ¶ Contra 1. Quia iam non ſufficit ad inferendum hoc conſequens; prædeterminatio conſtituit poſſe agere; hoc antecedens: actus non poteſt eſſe ſine prædeterminatione, quod probandum ſuſcepi, cùm in pure requiſitis manifeſtè inſtetur. ¶ 2. Quia nec in prærequiſitis valet diſcurſus cùm manifeſtè inſtetur in actione, & termino. Terminus enim non poteſt eſſe ſine actione, vt prerequiſita, quia præcedit prioritate naturæ, ſeù cauſalitatis terminum, & tamen actio non conſtituit poſſe ad terminum, quia dum deficit actio datur vera poteſtas producendi terminum cum actione.

398 2. Ratio eſt; quia vt aliquid ſit conſtitutivum poteſtatis ad actum non ſufficit, quod ſine illo non poſsit eſſe actus, eſt neceſsè, quod ſine illo non ſit poſſe ad actum, conſtitutum enim nequit eſſe ſine conſtitutivis; vndè nec poſſe poteſt eſſe ſine his, quę conſtituunt poſſe; ſed ſtat, quod detur poſſe agere, quin detur actus, & dum deficit actus poteſt deficere id, ſine quo actus non poteſt eſſe; ergò id ſine quo actus non poteſt eſſe non eſt neceſſe, quod conſtituat poſſe vt actus ſit. ¶ Explicatur hoc: quod actus non poſsit eſſe ſine prædeterminatione ſolùm convincit, quod nullum ſit verùm poſſe, vt actus ſit ſine prædeterminatione; quia hoc poſſe eſſet chimęricum, & ad chimæram; ſed minimè ex eo, quod nullum ſit verùm poſſe, vt actus ſit ſine prædeterminatione, infertur, quod ſine prædeterminatione nullũ ſit verùm poſſe, vt actus ſit cum prædeterminatione; ſicut ineptè ex eo, quod nullum ſit verum poſſe, vt exiſtat curſus ſine motu, quia eſt chimęra, colligeretur, quod ſine motu nullum eſt verùm poſſe, vt exiſtat curſus cum motu; ſed vt prædeterminatio conſtitueret poſſe ad actum erat neceſſe, quod ſine illa nullum eſſet verùm poſſe, vt exiſteret actus cùm illa, quia nequit eſſe verùm poſſe ſine ſuis conſtitutivis; ergò ſtat actum non poſſe eſſe ſine prędeterminatione, & quòd prædeterminatio non conſtituat poſſe ad actum.

Vndè rectè N. Thomiſtæ diſtinguunt hanc propoſitionem: *Sine prædeterminatione nõ poteſt eſſe conſenſus*; ab iſta *non poteſt eſſe conſenſus ſine prædeterminatione*, hanc 2. eſſe veram fatemur, quia ly *ſine prædeterminatione* ſe tenet ex parte termini, ſeù conſenſus; & verùm eſt cõſenſum non poſſe eſſe ſine prædeterminatione eſſentialitèr exacta vt ſit: 1. verò omninò falſam iudicamus, quia ly *ſine prædeterminatione* ſe tenet ex parte ſubiecti, ſeù poteſtatis, & eſt falſum, quod ſine prędeterminatione non ſit poteſtas, quia poteſtas ad conſenſum prędeterminationem non expoſcit; quàm diſtinctionem omnia allata exempla demonſtrant; & alibi, in alijs propoſitionibus eſſe vſurpandam fecimus manifeſtum; vbi videatur. *Sup. n. 170.*

399 Quam doctrinam ex Angelico Mag. N. tranſcribimus; qui cum ſibi opponeret, Deum non poſſe facere niſi facta, quia non poteſt facere niſi, quòd præſcit facturum, & ſolùm præſcit facturum, quòd facit; ita reſpõdet: *Quod hæc locutio Deus non poteſt facere, niſi quod præſcit ſe facturum eſt duplex, quia exceptio poteſt referri ad potentiam, quæ importatur per ly poteſt, vel ad actum, qui importatur per ly facere; ſi primo modo, tunc locutio eſt falſa, plura enim poteſt facere, quàm præſciat ſe facturum, & in hoc ſenſu ratio procedebat; ſi autem ſecundo modò, ſic locutio eſt vera, & eſt ſenſus, quod non poteſt eſſe, quod aliquid fiat à Deo, & non ſit à Deo præſcitum, ſed hic ſenſus non eſt ad propoſitum*, ex qua valdè notanda doctrina ſic diſcurre: ſtat nihil poſſe eſſe factum, quod non ſit prędcitum, & quod ſine *D. Tho. q. 14. de Potentia art. 5. ad 1.*

præſ-

præſcientia Deus ſit potens non præſcita facere cum præſcientia; ergò licèt nihil poſsit eſſe à nobis factum, quod non ſit prædeterminatum, ſine prædeterminatione erit poteſtas faciendi non prædeterminata cum prædeterminatione; vndè ſicut præſcientia actus non conſtituit poteſtatem agendi in Deo, nec in nobis prædeterminatio actus.

Sed cum principio ita inepto non vtantur DD. contrarij, vt videbis apud PP. Ribadeneyra, Izquierdo, & Avendaño; fundamentum contrariæ ſententiæ iam expendimus, vt ad difficultatem accedamus; ad hæc verò præmittenda continuę fallaciæ cogunt.

*Ribadeneyra de Act. Hum. diſp. 14. cap. 1.*
*Izquierdo, vbi ſup.*
*Avendaño, diſp. 12. c. 1. ſect. 2.*

## SECTIO TERTIA.

*Fundamentum ſententiæ contrariæ exponitur, noſtra exemplis illuſtratur, & ex D. Thoma deducitur.*

400 PRædeterminationem debere eſſe conſtitutivam poteſtatis ad actum, ſi ſemel ad actum prærequiritur, in eo fundant Adverſarij, quod ex vna parte eſt ad conſenſum exacta, & aliàs in noſtra poteſtate non eſt; & omne illud ſine quo non poteſt eſſe actus, ſi à voluntate comparari non poteſt debet eſſe in voluntate, vt poſsit verè in actum; vndè, & debet eſſe conſtitutivũ poteſtatis ad actum; illud enim principium, quod ex Suarez deſumunt, & notiſsimum eſſe reputavit, valdè magnificant: *Impoſsibilè eſt me habere in mea poteſtate effectum, niſi habeam actu, vel in mea poteſtate, quidquid eſt neceſſarium vt effectus fiat.*

*Suarez, lib. 5. de Gratia cap. 23.*

401 Angelica verò Schola edocet; prædeterminationem eſſe exactam ad conſenſum, independentem in exiſtendo à noſtra voluntate, non tamen eſſe conſtitutivam poteſtatis ad conſenſum: quod aliquibus exẽplis illuſtrari ſolet: & 1. Deus nunc libere non creat alium mundum; ergò nunc libere poteſt alium mundũ creare; ſed ad creandum alium mundum eſt prærequiſitum decretum creandi alium mundum, quod Deus nunc actu non habet, nec nunc poteſt acquirere, aliàs poſſet mutare decreta, quia decrevit alium mundũ non creare; ergò ſtat nunc in Deo poteſtas ad aliquem terminum, quin actu habeat prærequiſitum ad terminum, quod non poſsit nunc ſibi comparare. ¶ Sed huic exemplo licèt ingenioſo parum fido: quia cum in Deo libertas creandi alium mundum non ſit libertas diſtincta à libertate decernendi creationem alteriùs mũdi; ſicut libere non decrevit creare, libere non creat; & licèt non poſsit coniungere creationem alteriùs mũdi cum ſuppoſitione decreti de non creatione, hæc verò ſuppoſitio fuit omninò libera, & dependens à divina libertate: Nos verò debemus inferre poteſtatem veram, & proximã ad conſenſum ſine prædeterminatione, quę ſit conſtitutiva libertatis ad conſenſum diſtinctæ à libertate erga prædeterminationem; imò veram poteſtatem debemus adſtruere, licèt ſuppoſitio defectus prędeterminationis non ſit nobis libera, nec à noſtra libertate dependens.

402 Vndè meliùs explicatur 2. Voluntas ſine auxilio efficaci eſt verè potens ad conſenſum; vndè non conſtituit poteſtatem conſenſus, & tamen eſt requiſitum ad conſenſum, quia ſi voluntas non eſt efficacitèr adiuta non conſentiet, & tamen non eſt in poteſtate voluntatis illud acquirere, cum à ſolo Deo donetur; ergò ſtat, quod non conſtituat poſſe requiſitum aliquod ad conſenſum, quod voluntas non poſsit ſibi comparare adhùc in ſententia contraria; ergò pariter de gratia prædeterminante. ¶ Sed licèt hoc exemplum veris

veris insistat principijs, quibus efficacitèr colligimus auxilia esse ex se prout à Deo efficacia: tamen in cõtrarijs principijs parum vrget; quia Adversarij cum auxilia constituant ab extrinseco efficacia, in auxilio efficaci duo discernunt realiter separabilia; entitatem auxilij, quæ est vnicè ex Deo auxiliante; & auxilij efficaciam, quę consistit in coniunctione auxilij cum consensu, quæ in nostra potestate sit; entitatem auxilij asserunt esse constitutivam potestatis; efficaciam verò posse à nostra voluntate comparari; vndè nil adstruunt requisitum ad consensum, quod non possit à voluntate comparari, & non constituat potestatem; vndè licèt falsum doceant non inconsequentèr procedunt.

*Alvarez de Auxilijs disp. 23. n. 32.*

403 3. Exemplum desumitur ex M. Alvarez asserente, quod sicut potentia visiva est perfectè potens ad videndum, licèt non habeat lumen, non est tamen potens ad videndum sine lumine, quia visio sine lumine dari non potest; ita, & voluntas est perfectè potens ad cõsensum, licèt non habeat auxilium efficax, nõ verò erit potens ad consensum sine efficaci auxilio, quia consensus sine efficaci auxilio dari non potest. ¶ Sed contra hoc exemplum acritèr dimicant DD. Societatis; quia esto lumen non requiratur, vt sit potentia visiva, per quam videre possumus, sed vt sit visio; tamen certum est, sine lumine non dari potentiam ad videndum sufficientem ad salvandam libertatem, ille enim, cui dest lumen non est liber ad videndum; ergò licèt prærequisitum aliquod non sit exactum ad posse, sed ad agere sine prerequisito non erit libertas, seù potentia expedite libera ad agendum. ¶ Confirmatur: Potentia, quæ in voluntate manet deficiẽte auxilio exacto ad agere, non ad posse, ita est sufficiens ad agendum, sicuti potentia visiva deficiente lumine est sufficiens ad videndum? Vel non ita, sed diverso modo? Si 2. exẽplum allatum ad rem non est: Si 1. ergo sicut sine lumine non salvatur potentia ad videndum sufficiens ad libertatem, ita sine auxilio non erit potentia ad agendum sufficiens ad libertatem.

Fateor esse disparitatem in modo, quo visus exigit lumẽ vt videat, & liberum arbitrium exigit auxiliũ efficax, vt consentiat, sed in exemplis non est desideranda omnimoda similitudo, specialitèr in re, tàm difficili, quàm exagitando M. P. Ecclesiæ exempla adducit, quæ aliquam dissimilitudinem ferunt; nec enim differentia hæc fuit obstans, vt exẽplo luminis vteretur Epistola Synodica Episcoporum Africanorum in Sardinia exulum, quæ est de gratia, & humano arbitrio; vbi sic fantur: *Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce; nam, & oculus ad videndum factus est, sed nisi lumen acceperit non videbit; sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, vt ipsum possit aspicere, sic, & libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritualis infusio.* ¶ Hoc etiam exemplum non semel adducit M. P. sic enim aliquando edocet: *Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ divinitus adiuvetur rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus non solùm vt deleat, quod peccavimus; sed præstet etiam nè peccemus.*

*Aug aducend. sect. 5. per totam. Epistola hæc traditur inter opera Div. Fulgentij.*

*Augustin. lib. 2. de peccat. meritis cap. 5. August. de Natur. & Grat. c. 26.*

404 Ex quibus ita discurro: PP. rectè explicant indigere voluntatem gratia ad rectè vivendum, exemplo luminis, quo indiget visus ad videndum; & tamen in omni sententia debet esse aliqua dissimilitudo, quia lumen non præstat visui vires

res visivas, seù effectivas visionis, sed tantùm visui applicat obiectũ, quatenus exigitur medium esse lucidũ, vt obiectum immitat visui species visibiles; gratia verò non solùm exigitur, vt applicans voluntati obiectum, sed vt prestans voluntati vires effectivas actus salutaris; ergò licèt aliqua sit disimilitudo inter necessitatem luminis ad videndum, & prædeterminationem, quatenus visus sine lumine non habet potentiam visivam expeditam in actu primo ad videndum, sicut habet voluntas sine prædeterminatione ad rectè operandum, tamen necessitas prædeterminationis potest exemplo luminis declarari.

Est ergò similitudo: quia sicut in visu sine luce est virtus ad videndum non sine luce, sed cum lucè, ita vt lux non sit exacta, vt sit visus virtus visiva, sed vt sit visio ad quam est in visu virtus, ita voluntas gratia excitante præventa sine efficaci adiutorio, seù prædeterminatione est potens ad consentiendum non sine prædeterminatione, sed cum prędeterminatione, ita vt prędeterminatio non sit exacta, vt sit in voluntate virtus, seù potestas consentiendi; sed vt sit consensus ad quem est in volũtate excitata virtus. ¶ Quod in causis partialibus declarari etiã potest, vt in intellectu, & lumine gloriæ respectu visionis Beatæ in sentẽtia contraria: intellectus enim sine lumine habet virtutem partialem effectivam visionis, quia hæc virtus est ipsemet intellectus; sed non habet virtutem partialem sine lumine ad producendam visionem sine lumine, aliàs virtus partialis esset ad chimeram, qualis est visio sine lumine, sed sine lumine habet virtutem partialem producendi visionem cum lumine, vt philosophantur contrarij; Cùr ergò non licebit mihi dicere voluntatem cum auxilio sufficiente habere sine prædeterminatione virtutem totalem ad ponendum cõsensum cùm prædeterminatione? Quia sicut lumen non requiritur, vt intellectus habeat virtutem partialem, licèt requiratur, vt existat terminus illius virtutis; prædeterminatio non requiritur, vt existat virtus completa voluntatis ad consensum, sed terminus talis virtutis.

405 Ex D. Thoma efficaciùs prob. assumptum exemplo desumpto ex voluntate efficaci Dei, ita enim edisserit Dr. S. *Quamvis non esse effectus Divinæ voluntatis non possit simul stare cum Divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum Divina voluntate; non enim sunt ista incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari, sed tamen ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur*, eadem doctrina traditur à S. Prospero, ita docente: *Quod Deus voluit eos velle voluerunt, qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, vt etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, qua possunt nolle nõ auferat.* ¶ Ex quibus verbis supponendo D. Thomam loqui de voluntate efficaci, quia loquitur de voluntate coniuncta cum effectu, quæ est efficax, & quia asserit esse impossibilè Deum velle istum salvari, & quod ille damnetur, quod non est verùm de voluntate inefficaci, vt patet in illa, qua Deus vult omnes salvos facere.

*D. Thom. q. 23. de Verit. art. 5. ad 3.*

*D. Prosper. lib. 2. de Vocat. gentiũ. cap. 27.*

Sic probo conclusionem: Voluntas efficax, qua Deus vult existere actum non constituit posse ad actum; ergò nec auxilium efficax, quod Deus confert, vt fiat actus: Consequentia prob. 1. Quia, sicut non potest actus esse sine auxilio, ita nec sine voluntate Dei; si ergo stat actum, non posse esse sine voluntate, & quod sine voluntate detur posse ad actum; Cùr non stabit actum, non posse esse sine auxilio, & quod sine illo detur posse ad actum? ¶ 2. Auxilium efficax

cax est effectus voluntatis efficacis, sed quod est ratio, vt existat constitutivum potestatis, requiritur vt talis potestas sit; ergò si auxilium efficax potestatem constituit, vt sit talis potestas exigitur voluntas efficax; ergò evertendo, si hęc voluntas non exigitur ad potestatem, nec auxiliũ.

Prob. antec. 1: Stat ex D. Thomã Deum velle istum salvari, & quod possit damnari; ergò stabit ècontra Deum non velle istum salvari, & quod possit salvari; ergò posse salvari non constituitur per voluntatẽ efficacem salutis, quia hęc deficeret, si Deus non vellet salutem. ¶ 2. Vt possit damnari non exigitur voluntas damnationis; ergò nec vt possit salvari requiritur voluntas efficax salutis. ¶ Alitèr: carentia voluntatis efficacis actus non constituit posse ad carentiam actus, aliàs hoc posse deficeret existente tali voluntate; ergò nec voluntas efficax constituit posse ad actum, quia sicut se habet affirmatio ad affirmationem se habet negatio ad negationem.

Hoc alia via vrgeo; potest Deus velle efficacitèr existere potestatem actus, & velle efficacitèr non existere actum, quòd à posteriori demonstratur ex eo, quod multoties existit potestas ad actum sine actu, & omnia, quę existunt est, quia Deus vult efficacitèr illa existere, vel permittere, sed tunc existeret potestas actus, & non existeret auxilium efficax ad actum, quia est defectus voluntatis efficacis actus; ergò auxilium efficax non est constitutivum talis potestatis.

## SECTIO QVARTA.

### *Exempla, quæ Adversarios magis vrgent adducuntur.*

406 CVm Adversarij nobis opponant, prædeterminationem exigi ad constituendam potestatem consensus, seù facultatem liberam consentiendi, ex eo, quod sit prærequisita ad consensum, & volũtas non possit illam pro suo nutu cõparare: vt exempla vim faciant debent assumi ex prærequisitis ad terminum, quæ nec voluntas habeat, nec possit sibi acquirere per veram potestatem ad terminum, quàm actu possideat.

407 1. Exemplum desumitur ex libertate Christi ad actus præceptos in sententia PP. Suarez, Molina, & aliorum; in qua Christus est v. g. liber ad omissionem mortis præceptæ, licèt non possit impedire suppotionem præcepti obligantis ad mortem, nec possit coniungere propter impeccabilitatem ex vnione hypostatica omissionem mortis cum suppositione præcepti; vndè sic disputo: stat vera potestas proxima ad omissionem cum suppositione connexa cum actu, quàm voluntas non possit impedire; ergò stat vera potestas ad exercitium, licèt voluntas, nec actu habeat, nec possit acquirere omnia requisita ad illud exercitium; vndè est falsum hoc principiũ, quòd vt certum assumitur: *Omnia requisita ad actum, quæ voluntas nõ potest sibi comparare constituunt potestatem proximam actus*; Conseq. est evidens: Quia cum suppositio est connexa cum actu, carentia suppositionis exigitur ad omissionem actus; aliàs, si voluntas non potest impedire suppositionem, non potest acquirere suppositionis carentiam; vndè idem est esse potestatem proximam ad omissionem cum suppositione cũ actu, quàm voluntas non possit impedire, ac esse potestatem ad exercitium, licèt volũtas, nec actu habeat, nec possit acquirere requisita ad tale exercitium: Antec. verò prob. Quia in illa sententia voluntas Christi est potẽs proximè ad omissionem mortis cum suppositione præcepti obligantis connexa cum morte, quàm

*Suarez d. 37. de Incarn. sect. 3. Molina, 1. p. q. 14. d. 18. membro 4. in resp. ad 8.*

voluntas humana Chriſti non poteſt impedire.

408 2. Exemplum deſumitur ex decreto efficaci conſenſus noſtri liberi independenti in eſſendo à ſciẽtia media, licèt ab illa dependente in operando; quatenus licèt non ſit neceſſaria ſcientia media, vt Deus concipiat illud decretum, exigitur ad diſtribuenda auxilia, vt Deus cognoſcat, quæ efficacia ſunt, quæ inefficacia, quod decretum eſſe poſsibilè edocent nobiles RR. Societatis, apud P. Avendaño; quibus favet P. Ribadeneyra quatenus ſubſtinet tale decretum eſſe innocum libertati: in quo decreto manifeſtè convincitur eſſe falſum principium, quod nobis opponitur vt notum; vndè ſic diſputo: Carentia decreti efficacis conſenſus requiritur, vt non exiſtat conſenſus, vt enim non exiſtat conſenſus neceſſariò exigitur deficere ſuppoſitionem eſſentialitèr connexam cum conſenſu, & decretum ab intrinſeco efficax eſt connexum cum conſenſu; ſed voluntas ſuppoſito decreto efficaci cõſenſus habet poſſe proximum ad carentiam conſenſus, aliàs non eſſet libera ad conſenſum, & tamen, nec actu habet carentiam illius decreti, cuius exiſtentia ſupponitur, nec illam habet in ſua poteſtate; ergò ſtat vera poteſtas ad terminum ſine prærequiſitis, quæ voluntas non habet in ſua poteſtate; non ergò omnia requiſita, quæ voluntas non poteſt ſibi comparare conſtituunt poteſtatem proximam: in Min. ſolùm poteſt eſſe difficultas, quatenus aſſerit, quod voluntas non poteſt comparare carentiam illius decreti; ſed ita efficaciſsimè ſuadetur: voluntas ſolùm poteſt comparare decreti carentiam impediendo decretum, & voluntas ſolùm poteſt impedire decreta impediendo libertatem divinã ad decernendum, quia voluntas Dei ſemel libera ad decernendum à nulla alia libertate poteſt impediri, vt decernat: voluntas verò noſtra ſolùm poteſt impedire libertatem proximã Dei ad decernendum, quatenus impediat ſcientiam mediam conſtituẽtem talem libertatem; cùm ergo hoc decretum efficax ſit independens à ſcientia media in eſſendo, voluntas noſtra non poteſt impedire libertatem Dei ad hoc decretum; vndè, nec quod Deus ita decernat, non ergo poterit carentiam huius decreti ſibi comparare.

*Avendaño, diſp 12. c. 1. Ribadeneyra de Præd. diſp. 22. c. 3. num. 23.*

409 Communitèr RR. Adverſarij, quod ſuppoſitio illius decreti non eſt principij proximi influentis in conſenſum, nec exacti à conſenſu; quia decretum ſolùm influit in conſenſum medio auxilio, & poſsit eſſe ſine decreto, ita prẽintendente conſenſum; cùm enim eius exiſtentia nõ conſtituat proximam neceſsitatem, nec illius carentia immediatam libertatem; erit ergò immediata poteſtas libera omittendi exiſtenti tali decreto; ſecus erit in noſtra prẽdeterminatione, quia non ſolùm eſt connexa, ſed etiam immediatè influens in conſenſum, & exacta ab ipſo conſenſu; quàm doctrinam tradunt plures RR. apud Izquierdo, eãque ſubſtinet P. Coninx; in qua diſparitate nititur Suarez ad componẽdam libertatem Chriſti cum præcepto connexo omninò independenti à libertate Chriſti.

*Izquierdo, diſp. 34. de Deo, n. 48. Coninx 22. diſp. 2. à n. 107. Suarez, vbi ſuprà.*

Sed hæc doctrina fatetur eſſe falſum principium, quod vt manifeſtum nobis opponitur; ſcilicèt: *Quod exigitur vt exiſtat terminus, & voluntas non poteſt acquirere eſt conſtitutivum poteſtatis proximæ ad terminum*; quia non minus exigitur, vt exiſtat diſſenſus carentia illius decreti, quàm carentia prædeterminationis; quia implicat diſſenſum coniungi cum decreto, ſicut, & cum prædeterminatione; deindè, ſicut eſt independens à nobis, quoad exiſtentiã prædeterminatio, & ideò voluntas non poteſt illius carentiam comparare,

rare, ita est independens à nobis, quoad existentiam tale decretum, & voluntas non potest illius carentiam comparare; & tamen carentia decreti non constituit potestatem dissentiendi, quia reperitur simul cum decreto; ergò, nec carentia prædeterminationis constituet potestatẽ proximam dissentiendi; sed potiùs coëxistet prædeterminationi. ¶ Vrgetur: si suppositio connexa, & prærequisita potest esse extra essentiam libertatis proximæ, quia illam præcedit; Cùr non ita suppositio prædeterminationis, quia illam supponit? Non enim est minus extra essentiam rei, quod rem præcedit, quàm quod rem consequitur. ¶ Alitèr: si stat, quod detur pro priori suppositio connexa cum consensu, omninò independens à nostra volũtate, & quod pro posteriori existat potestas proxima ad dissensum, quin hæc potestas evertatur per illam antecedentem suppositionem, quia est extra essentiam proximę libertatis, cum illã præveniat; Cùr implicavit, quod detur pro priori potestas proxima ad dissensum, & adveniat pro posteriori suppositio prædeterminationis connexa cum consensu, & omninò independens à voluntate, quin evertat potentiam proximam dissentiendi, quia extra essentiam libertatis proximę, cùm illam sequatur? Difficiliùs enim est, quod potestas indifferens non auferatur per connexum antecedens, quàm quod non auferatur per connexum subsequens.

*Ribadeneyra, vbi supr. P. Izquierd. t. 2. de Deo, disp. 34. n. 51. Alderete d 3 de Prædest. sect. 10*

410 Scio P. Izquierdo, P. Alderete, P. Ribadeneyra in simili, & alios: substinere, quod decretũ, quo Deus efficacitèr decerneret consensum, per media indifferentia, vel necessitantia, licèt independens à scientia media, esse impedibilè per dissensum, supposito decreto negandi medium necessitans, & conferendi medium indifferens. ¶ Sed quam falsum sit voluntatem posse impedire existentiam decreti efficacis independentis in existendo à scientia media, efficacissimè suadent RR. Thyrso, & P. Junio. Et 1. si decretum decernat consensum, per media indifferentia, vel necessitantia; nullatenus: potest à libertate nostra impediri: Id enim, quod independenter à nostra libertate habet vim impediendi nostram libertatem non est impedibilè à nostra libertate; alioquin libere voluntas foret libera; & hoc decretum est tale, quia ex illo potest Deus moveri ad inducendum medium necessitans; quomodò enim pendet in existendo à nostra libertate, quod potest existere deficiente libertate? Et quod est independens in existendo à libertate; quomodò est à libertate impedibilè, vt voluntas possit illius carentiam sibi comparare? ¶ 2. Absolutè convincitur, quod omne decretum à scientia media independẽs sit in impedibilè adhùc pro suppositione nostræ libertatis; etsi aliàs, media aliqua intendunt debere esse impedibilè pro tali suppositione debẽt inefficacia fateri, si suppositio est possibilis, & nõ chimærica; quia voluntas nostra libera solùm potest impedire decretum determinando in Deo carentiam decreti, cum impedire vnum contradictorium sit alterũ determinare; sed voluntas libera nõ potest determinare carentiam talis decreti; ergò: Prob. Min. Voluntas solùm potest determinare, vt existat in Deo carentia decreti, vel libere, vel necessariò; sed, nec potest determinare Deum, vt sit in ipso carentia huius decreti necessariò, nec vt sit libere; ergò: Prob. Min. quoad primã partem: Libertas Dei in actu primo ad tale decretum, & illius carentiam non constituitur per scientiam mediam, seù contingentem; sed per scientiam simplicis intelligentię; vndè est adequatè quoad omnia sua cõstitutiva Deo necessaria, & in impedibilis, non ergò potest voluntas

*Thyrso, t. 2. disp. 6. sect. 3. & 5. nu. 55. Iunius, sect. 6. c. 7. et 8.*

noſtra determinare, quod carentia talis decreti exiſtat in Deo neceſſariò,& ſine libertate: quid enim ex terminis magis chimæra,quàm quod exercitium aliquod exiſtat neceſſariò in ſubiecto proximè libero ad tale exercitium? Vel,quod exiſtat ſine libertate, id quod ſi exiſtit neceſſariò ſuæ libertati coëxiſtit? ¶ Min. quoad 2. part. non eſt minus nota in principijs contrarijs; quia quælibet libertas expedita à ſeipſa, & non ab alia libertate determinatur ad ſua exercitia libera; vndè ſemel exiſtẽte in Deo in ſigno neceſſariorum libertate expedita ad carentiam huius decreti, vel illius exiſtentiam, non poteſt voluntas noſtra determinare vt exiſtat carẽtia prę decreto: Non poteſt Deus ſuppoſita, & ſalva noſtra libertate conſequenter ad illam determinare noſtra exercitia libera, in ſententia contraria; & homo poterit ſalva,& ſuppoſita Dei libertate conſequenter ad illam determinare exercitia Deo libera?

411 3. Exemplum ad noſtram fundandam doctrinam deſumitur ex prædiffinitione efficaci conſenſus liberi, quàm communitèr protegunt Societatis DD. & vt eius vires demonſtrem,& quantum valeat in illorum principijs inſtantia, quàm Doctè,& diffuſè magnificat SS. Recentior ſuprà laudatus: Suppono: Decretum auxilij A, v. g. quod poteſt purificare conditionem ſcientiæ cõditionatæ conſenſus,vel diſſenſus ſub A; apud Adverſarios non poſſe à noſtra libertate impediri, nec acquiri: quia voluntas noſtra non eſt libera ad ſuam libertatem; vndè nec ad cõſtitutiva ſuę libertatis, cum ergò auxilium A, conſtituat libertatem indifferentem,& ſufficientem ad conſenſum,vel diſſenſum auxilij A, non poteſt auxilium eſſe in exiſtendo à voluntate dependens; vndè ſicut A conſtituit libertatem, & exiſtit pro nutu Dei, Deum conferre auxilium A,conſtituit hanc libertatem; vndè abſque tali decreto, nequit eſſe talis libertas,ſi enim Deus aliud auxilium præter A,donat, etiam donat aliam libertatem.

*M. Carraſco de Volũt. Dei dub. 6. Fundam. 10*

Voluntas noſtra ſolùm poteſt determinare Deum vt præſciat conſenſuram ſub A; vel diſſenſurã, quid hoc vt Deus maneat indifferens ad conferendum A? Quia ſicut auxiliũ A,eſt ex ſe indifferens,vt coniungatur cum conſenſu, vel diſſenſu, ita decretum de tali auxilio eſt ex ſe indifferens, vt coniungatur cum ſcientia conſenſus, vel ſcientia diſſenſus; non enim exigitur in Deo vna ſcientia prælatera, vt Deus conferat auxilium, ſed vt habeat ſcientiam evẽtus ad ipſum ſequuti: vndè ex ſolo decreto purificandi conditionẽ ſciẽtiæ medię conſenſus, parum difficultatis invenio, vt redarguantur contrarij DD. cum hoc decretum non ſit connexum cum ſcientia conſenſus,ſed peraccidens per illam regulẽtur æquè potens dirigi per ſcientiam diſſenſus; ſicut meo iudicio nõ rectè oppugnantur, *alij in ſuo ſenſu abundent*, quod voluntas poſſet impedire auxilium A,ex eo, quod poſſit impedire prædiffinitionem efficacem conſenſus, per quam confertur auxilium ex eo,quod auxilium non exigit per ſe talem prædiffinitionem cum poſſet ſine illa exiſtere; ita, nec ex eo,quod voluntas poſsit impedire ſcientiam conſenſus ſub A infertur,quod poſsit impedire decretum conferendi A, quod per ſe non exigit talem ſcientiam cum poſſet ſine illa exiſtere: non ergò ex tali decreto poteſt evinci, quod voluntas poſsit in diſſenſum, quin poſsit acquirere requiſita ad diſſenſum, quæ actu non habet; quia decretum auxilij ſemper actu habet: quod tale decretum non ſit coniunctum cum ſcientia conditionata conſenſus etiã exigitur ad diſſenſum; ſed hanc coniunctionem poteſt ſibi comparare vo-

voluntas semel libera, quia supposito auxilio potest impedire scientiam consensus per dissensum; vndè, & coniunctionem decreti cum illa scientia.

412 Vt ergo efficaciùs redarguantur contrarij DD. Non debet desumi argumentum ex decreto auxilij, seù purificandi conditionem scientiæ conditionatæ; sed ex prædiffinitione efficaci intentiva cõsensus, quàm communitèr protegunt: Huius prædiffinitionis prædicata sunt esse connexam cum consensu; esse non solùm decretum conferendi auxilium A, sed etiam ex intentione, vt per illud existat consensus, vndè essentialiter supponit scientiam consensus sub A, quia licèt Deus posset conferre A, licèt voluntas non consentiat sub A, implicat tamen, quod intendat efficacitèr consensum per A, nisi sciat consensum extiturum esse sub A.

Ex quo inferunt, quòd voluntas sub auxilio A, potest impedire prædiffinitionem illam, quia potest impedire scientiam consensus sub A; vndè, & prędiffinitionem essentialiter supponentem illam scientiam; licèt ergò hanc prædiffinitionem admittant connexam cum consensu expedite salvant potestatem ad dissensum, sicut potestatem impediendi prędiffinitionem, cuius carentia est ad dissensum exacta.

Hęc pro nunc non abnuo; sed valdè difficilè est conciliare, qualitèr sit potestas ad consensum, dum deficit prædiffinitio consensus; sic enim disputo, voluntas libere dissentiens auxilio A, habet potestatem expeditam ad consensum, aliàs non esset libera; non habet prædiffinitionem efficacem consensus; aliàs non dissentiret: est requisita vt voluntas consentiat, & non potest illam acquirere, licèt possit impedire, cum sit exercitium immediatè Deo liberum; ergò stat vera potestas ad consensum, licèt voluntas, nec actu habeat, nec possit acquirere aliquid ad consensum exactum.

413 Hanc difficultatem recognoscunt DD. cõtrarij; & aliqui resp. talem prædiffinitionem non esse exactam ad consensum; vndè, dum deficit licèt voluntas non possit illam acquirere potest omnia exacta, quæ actu non habet sibi comparare; quę est communior Doctrina. ¶ Alij verò edocent talem prædiffinitionem esse exactam, & quod voluntas semel libera potest talem prędiffinitionem acquirere, dum actu non adest. Sed bellum est ex vtraque parte iustum, solùmque convincunt vtriusque sententię fundamenta: esse aliquid prędrequisitum ad consensum, quod voluntas nec habeat, nec possit acquirere, sine quo sit verùm posse ad consensum: rationes, quæ convincunt talem prędiffinitionem efficacem esse prærequisitam reperies, apud P. Avendaño; qui plures, & Graves DD. Societatis refert pro sua sententia; rationes, quę certè cõvincunt, quod voluntas, licèt possit impedire prædiffinitionem impediẽdo scientiam nullatenus possit acquirere prędiffinitionem determinãdo scientiam, quia hæc est indifferẽs vt coëxistat carentię prædiffinitionis, & solùm constituit libertatem Dei ad prędiffiniendum, reperies apud P. Alderete, & RR. Thyrso, quibus adde, quę supra dixi, & speciales formas, quas adducit ingeniosissimus P. Junio.

*Avendaño, disp. 11. c. 2.*

*Alderete, disp. 4. de Præd. Thyrso, t. 2. disp. 13 sect. 4.*

*Sup. n. 410.*

*Iunio, sect. 6. c. 7. & 9.*

Quæ si rectè perpendas agnosces, quod dum nos ex Sacra Scriptura, & PP. prædiffinitiones efficaces consensus salutaris eruimus, resp. solùm deduci prædiffinitionem efficacem impedibilem dependentem à scientia media; & dum de hac prędiffinitione sua argumenta retorquẽtur illam esse necessariam negant, quasi Ecclesię PP. illas prędiffinitiones, sivè Thomisticas, sivè Jesuitas, quas

ex

ex ſacris teſtimonijs eructarunt non edocerent neceſſarias ad perfectam Dei providentiam, & certitudinem prædeſtinationis: quæ ſi neceſſariæ ſunt in caſſum laborant, vt pro viribus ſtatuant eſſe impedibiles, vt ſalvent, dum adeſt prędiffinitio veram poteſtatem diſſenſus per poteſtatem impediendi prædiffinitionem; cùm difficultas integra ſubſiſtat, quomodò dum abeſt prædiffinitio eſt vera poteſtas ad conſenſum, ſi non eſt vera poteſtas acquirendi prædiffinitionem exactam? Prędiffinitio enim, quæ ſi eſt, eſt immediatè libera Deo non poteſt ſtatui pro noſtro nutu acquiribilis, ſeù à noſtrâ libertate quoad ſuam exiſtentiam determinabilis.

414 Nec adhùc immunes ſunt à ſimili difficultate in ſtatuendo prædiffinitionem efficacem impedibilẽ, vt ſalvent libertatem, ſeù poteſtatẽ diſſenſus, dum adeſt prædiffinitio, ſi ſimul defendunt repugnare creaturam inconvertibilem, ſeù quæ prævideatur omnibus auxilijs diſſenſura: Nam vt exiſtat diſſenſus exigitur carentia omnis prædiffinitionis efficacis conſenſus, quęlibet enim prędiffinitio conſenſus cum diſſenſu pugnat, ſed voluntas non poteſt acquirere carentiam omnis prædiffinitionis efficacis conſenſus; ergò ſtat vera poteſtas diſſenſus ſine poteſtate acquirendi omnia exacta ad diſſenſum: Prob. Min. Acquirere carẽtiam omnis prędiffinitionis eſt impepire omnem prædiffinitionem, cũ idem ſit vnum contradictorium acquirere, ac alterum impedire, ſed libertas non poteſt impedire omnem prędiffinitionem; ergò: Prob. Min. Solùm poteſt Deo impediri prædiffinitio impediendo ſcientiam mediã conſtituentem libertatem Dei prædiffinitivam, quia non poteſt conſequenter ad libertatem exercitium impediri agenti libero. Sed libertas noſtra non poteſt impedire omnem libertatem Dei ad prædiffiniendum, cum neceſſariò exiſtat in Deo ſcientia efficaciæ ſub aliquo auxilio; ergò.

415 Quartum exemplum deſumitur: ex ſcientia media conſenſus ſub auxilio; hæc enim eſt prærequiſita in Deo, vt voluntas conſentiat poſito auxilio: implicat enim volũtatem cõſentire ſub auxilio, & quod Deus non ſciat hanc veritatem, quã primum eſt cognoſcibilis; vndè, & quod illam non attingat ante purificationem conditionis; ſed hæc ſcientia non conſtituit poteſtatem conſentiendi, aliàs poteſtas ad conſenſum pugnaret cum diſſenſu; ergò ſtat prærequiſitum ad agere, quod non conſtituat poſſe agere; Cùr ergò idem non poterit edoceri de auxilio ex ſe efficaci?

416 1. Reſp. ex P. Suarez, & aliorum doctrina hanc ſcientiam eſſe prærequiſitam ex parte Dei non ex parte conſenſus liberi. ¶ Sed hoc impoſsibilè eſt; quomodò enim conſenſus non prærequiret vt producatur à Deo, quod Deus ipſe prærequirit, vt producat conſenſum? Non enim poteſt eſſe effectus à cauſa ſine eo ſine quo cauſa non poteſt in effectum. Conſenſus etiam exigit eſſe à Deo per perfectiſsimam providentiam; ad hanc exigitur excludere caſualitatem, & in certitudinem eventus; vel ergò ad hæc non exigitur ſciẽtia media, vel exigitur? Si 1. fruſtrà adſtruitur in Deo: Si 2. conſenſus noſter illam prærequirit ex parte Dei. *Suarez, lib. 1. de Præd. cap. 9.*

417 Vndè 2. communitèr reſp. Hanc ſcientiam eſſe prærequiſitam; ſed non conſtituere poteſtatem, quia eſt impedibilis, & licèt connexa cum conſenſu poteſt expedite voluntas diſſentire. ¶ Contra 1. ergò, qui cũ P. Ruiz, qui pro ſe refert P. Molina, & alios negant ſcientiam Dei, eſſe à nobis nunc impedibilem, vel, quia ad præteritum non eſt potentia; vel quia *P. Ruiz, diſp. 31. de Scientia. Molina in Conc. diſp. 51.*

quia nunc nequit esse potestas, vt ab æterno non foret, quod ab æterno extitit, debent falsum iudicare principium, quod nobis vt notum opponitur; quia admittèt potestatem dissensus, sine potestate impediendi scientiam consensus, cum defectus talis scientiæ sit ad dissensum prærequisitus. ¶ 2. Quia non rectè suadetur hanc scientiam semel prærequisitam non cõstituere potestatem, quia dependet in existendo à consensu; tùm, quia suprà mostravimus principium constitutivum potestatis posse pugnare cum vno exercitio libertatis, quia connexum cum alio; tùm, quia ego intendo in tuis principijs omne prærequisitum esse constitutivum potestatis; vndè si hoc exposcit esse in impedibilè, & prærequisitum; nè ergò petas principium, debes aliũdè probare hanc scientiam non esse constitutivam potestatis: ratio ergò debet esse, quia est ante, & extra omnem essentiam libertatis, quia nullum principium immediatum cõsensus illam exposcit; Cùr non, & ego de meo auxilio prærequisito nõ possum affirmare non esse constitutivum potestatis; quia est post, & extrà omnem essentiam libertatis, quia nullum principium immediatum cõsensus illud exposcit? Non enim minus est extra essentiam potestatis, quod est ante illam ab illa non exactum, quàm quod post illam: Nonnè actio non est extra essentiam potestatis agendi, licèt immediatè prærequisita, quia à potestate non exigitur, sed à termino, & est post potestatem, licèt ante terminum? In hoc ergò prerequisito inspicies plures formas retorqueri, quia sine illo non potest esse consensus, & sine lllo est verùm posse ad consensum cum illo.

*Sup. disp. 1. q. 9. per totam.*

418 Deniquè; vt voluntas consentiat necesse est, quod Deus conferat auxilium prævisum efficax prę-inefficaci; aliàs consensus non exigeret, quod Deus cum perfecta providentia, & notitia eventus distribueret auxilia ad ipsum; sed licèt pro nutu voluntatis sit, quod auxiliũ A sit, vel non prævisum efficax, pro solo nutu Dei est conferre auxilium prævisum efficax. Vel alitèr; pro nostra libertate stat, quod auxilium sit efficax; pro sola verò libertate Dei, quod auxilium efficax sit; sed quod Deus conferat auxilium efficax præinefficaci non constituit posse consentire, aliàs non esset posse consentire sine consensu; ergò stat esse exactum ad consensum aliquid existens pro sola libertate Dei, quod non constituat posse consentire.

## SECTIO QVINTA.

*Ex M.P. Augusti. probatur gratia efficax præveniens consensum liberum, quæ non constituat potestatem.*

419 ASsumptum nostrum ex M.P. illustratur, distinguente duplex adiutorium ad perseverandum; aliud *sine quo* aliquid non fit, quod iam nominatur sufficiens; & aliud *quò* aliquid fit; quod vocatur efficax: 1. Ita exponit: *Sine alimẽtis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit vt vivat, qui mori voluerit. Ergò adiutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit vt vivamus.* Ita verò 2. explicat: *At verò beatitudo, quã non habet homo, cum data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim, non solùm* sine quo *non fit, verùmetiam* quò *fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium, & quo fit est, & sine quo non fit. Quia etsi data fuerit homini beatitudo, cõtinuò fit beatus: etsi data nunquàm fuerit, nunquàm erit,* Adamo datũ fuit: (edocet M. P.) *Adiutorium perseverantiæ non quo fieret, vt perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset; pos-*

*August. de Corrept. & Gratia, cap. 11. & 12.*

*posset ergò permanere si vellet, quia dederat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet; sed quia noluit permanere profectò eius culpa est cuius meritum fuisset, si permanere voluisset; si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quàm primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine Diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent; adiutorium quippè defuisset sine quo manere non possent*, hæc omnia ad verbum edocet M.P.

*Augus. vbi suprà.*

420 Ex quibus plura in favorem noſtræ concluſionis infero: ¶ 1. Adamus habuit poſſe perſeverare; ergò omnia conſtitutiva poteſtatis ad perſeverandum, ſed non habuit auxilium efficax, *quò* fieret vt perſeveraret; ergò auxilium efficax non conſtituit poſſe ad actum. ¶ 2. Si Adamo defuiſſet auxilium ſufficiens ad perſeverandum non ſua culpa cecidiſſet, quia adiutorium defuiſſet, *ſine quo* perſeverare non poſſet; ergò (1) cùm licèt defuiſſet auxilium efficax ſua culpa cecidiſſet ſine illo habebat poſſe perſeverare, & ſic non erit conſtitutivum poteſtatis perſeverandi; ergò (2) ſi ſine auxilio efficaci non habebat poſſe perſeverare, eadem ratione, ſi adiutorium efficax defuit non ſua culpa cecidit; ex mente ergò Auguſt. adiutorium efficax non eſt, quo poſſumus, & ſine quo non poſſumus; ſed quo fit vt velimus, & perſeveremus. (3) Favet exẽplum, quo vtitur Auguſt. ad exponẽdum auxilium *quò*, ſeù efficax, beatitudinis, ſcilicèt, quàm vocat adiutorium, *ſine quo* non ſum beatus, & *quò* ſum beatus; ergò ſicut beatitudo, licèt neceſſariò exacta, vt ſim beatus non conſtituit poſſe eſſe beatum, quia ſine beatitudine datur poſſe eſſe beatum, non ſine beatitudine, ſed cum beatitudine; ita auxilium efficax, licèt exactum ad conſenſum non conſtituet poſſe conſentire, quia quia ſine illo eſt verùm poſſe ad cõſenſum, non ſine auxilio, ſed cum auxilio.

421 Iam apud DD. contrarios prævalet expoſitio; Auguſt. nomine adiutorij *quò*, non intelligere gratiam aliquam diſtinctam ab ipſo dono perſeverantiæ actualis, ita vt omnes locutiones Auguſt. in toto illo libro, vbi edocet, per auxilium *quò* fieri *vt perſeveremus, non niſi perſeverantes ſimus*; debeant intelligi in genere cauſæ formalis, quatenus perſeverantia perſeveramus, & ſumus perſeverantes; non verò in genere cauſæ efficientis, quaſi tale auxilium ſit aliquod donum diſtinctum ab auxilio *ſine quo*, per quod poſtquàm poſſumus perſeverare, perſeverantia ipſa donetur; cui expoſitioni favet exemplum Beatitudinis, quo vtitur M.P. quia Beatitudo eſt adiutorium præſtans eſſe beatum non efficientèr, ſed formalitèr; & ideò ita edocent PP. Antonius Perez, Decamps, RR. Thyrſo, P. Platel, & alij plures.

*Ant. Perez diſput. 3. de Scient. cap. 4. num. 66. Decamps, lib. 4. diſp. 3. cap. 25. R. Thyrſ. d. 5. de Statu puræ natur. ſect. 6. Auguſt. de Correct. & Grat. c. 11. Platel Synopſi 1, 2. n. 126.*

422 Sed hanc ſolutionem pugnare iudico cum M.P. mente, & cum exprofeſſo alibi ſit diſcutienda, nunc indicare ſufficiat graviſsimum pro noſtra doctrina fundamentum; quia valdè diſtorquet mentem M. P. hæc expoſitio: & vt teſtimonium Auguſt. inconcuſum permaneat: advertè propoſitiones, quas inculcat Auguſt. loquendo de hoc adiutorio: *quò*. Prima aſſerit, quòd per adiutoriũ ſine quo, ſeù gratiam Adami: *Fit vt habeat homo iuſtitiam ſi vellit. Secũda*: Illa quidem, quæ eſt adiutorium *quò*, & gratia potentior in ſecundo Adam; *ergò plus poteſt, qua etiam fit vt vellit, & tantum vellit, tantòque ardore diligat, vt carnis voluntatem, voluntate ſpiritus vincat.*

*Auguſ. vbi ſuprà.*

2. Edocet M.P. de hoc adiutorio *quò*, ſeù potentiori gratia, quæ nunc Sanctis conceditur: *Hæc autem tantà*

*eò maior est, vt parum sit non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si vellit, nisi etiam efficiatur vt vellit*, ex quibus Augustini sententijs Augustini intelligere per adiutorium *quò*, non perseverãtiam formalem; sed auxilium prẹveniens perseverantiam connexum cũ perseverantia, & non constituens posse perseverare, efficacitèr colligo.

423 Ex 1. Augustini sententia, vbi edocet, quod per adiutorium *quò* fit, vt homo vellit, & carnem voluntate spiritus vincat; ergò (1) hoc adiutorium prævenit velle, seù perseverare; & ita distinguitur ab ipsa perseverantia, perseverantia enim non est vt vellimus; sed cum volumus, non vt carnem vincamus, sed cum vincimus; ergò (2) si hoc adiutorium est vt vellimus, & vt vincamus, non est, quia volumus, & vincimus, non ergò est ipsa actualis perseverantia, hęc enim inest nobis, quia carnem vincimus, quia volumus, & quia perseveramus.

Quam efficax sit hìc discursus inspicies, si consideras Conc. Arausicanum ex illis verbis Pauli: *Miseri-cordiam consequutus sum vt fidelis essem*; sic inferens: *Ergò non, quia eram fidelis*; & ex Augustini colligente ex eo, quod gratia datur vt operemur, quod non datur, *quia* operamur, sed prævenit operationem, ergò cum Augustini asserat adiutorium *quò* sanctis nunc concedi vt vellint, diligant, & voluntatem carnis vincant, rectè deducitur; ergò non habent hoc adiutorium, quia volunt, & diligunt, seù perseverant; prævenit igitur ipsam perseverantiam.

*Arausic. 2. cap. 25. Aug. lib. 2. cont. 2. Ep. Pelag. cap. 7. & Ep. 107.*

424 Vrgeò assumptum nisi fallor efficacissimè: Deliravit Jansenius, vt suprà vidimus, negando perseverantiam fuisse speciale Dei donum in Angelis Sanctis; vndè non fuisse Angelos Sanctos specialitèr adiutos à Deo, vt beatificarentur, consequenter, sed stolidè edocuit; qui verò de Jansenio triumpharunt, vt errorem istum convincant arma desumunt, vt videbis apud P. Decamps, ex M.P. Augustini, ita differente: *Istis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, vndè nunquàm casuros certissimè fierent, pervenerunt*; vbi expressè edocet M.P. quod cadentibus Angelis pravis, Sancti ampliùs adiuti ad beatitudinem pervenerunt; ergò habuerunt speciale aliquod Dei donum, vel adiutoriũ, scilicèt perseverantiam.

*Sup. n. 321.*

*Decamps, lib. 3. disp. 3. cap. 10. Aug. lib. 12. de Civitate Dei, c. 9.*

Sed tam manifestum testimonium detorquere connatur Jansenius interpretando Augustini. per illud ampliùs adiutorium in Angelis Sanctis, *quò* ad beatitudinem pervenerunt non intellexisse gratiam prævenientem beatitudinem, sed adiutorium ipsiusmet beatitudinis. Sed hanc ineptam expositionem explodit P. Decamps ex Guillelmo Estio asserente: *Si hoc adiutorium quò Beati Angeli dicuntur ampliùs adiuti, esset ipsa beatitudo sensus redderetur ineptus, scilicèt, Angelis collatam esse beatitudinem, qua ad beatitudinem pervenirent.* Et addit: Quod si hoc adiutorium non prævèniret beatitudinem; sed esset ipsa beatitudo: *Non dixisset Augustini. Ampliùs adiuti pervenerunt; sed potiùs: postquàm pervenerunt, ampliùs adiuti sunt.*

*Iansen. de Gratia 1. hominis, c. 18.*

*Decamps, vbi sup. Estius in 1. dist. 41. sect. 13.*

425 Si hæc argumenta efficacia sunt, vt Jansenium convincant: Etiã prob. assumptum nostrum 1. ex Augustini. Angeli Sancti ampliùs adiuti, quàm mali pervenerunt ad beatitudinem; ex ipso M.P. Sancti nunc ampliùs adiuti, quàm Adam, volunt, diligunt, voluntatem carnis voluntate spiritus vincunt, hoc est perseverant; sed Angelos Sanctos ampliùs adiutos beatificari, evincit speciale adiutorium prævèniens beatitudinẽ, & distinctum ab ipsa beatitudine; ergò Sanctos nunc ampliùs adiutos

perſeverare, convincit ſpeciale adiutorium præveniens perſeverantiam, & diſtinctum ab ipſa perſeverantia. Cùm ergò Auguſt. hoc ampliùs adiutorium vocavit *quò*, per adiutorium *quò*, non intellexit perſeverantiam. ¶ 2. Si argumenta Eſtij efficacia ſunt contr. Janſenium ad convincendum ex Auguſt. in Angelis Sanctis ampliùs adiutorium diſtinctum ab ipſa beatitudine, æquè in ſanctis nunc infertur ampliùs adiutorium diſtinctum ab ipſa perſeverantia, ſenſum enim ineptum rederet Auguſt. propoſitio, ſcilicèt, *Sanctis nunc eſſe collatam perſeverantiã, vt perſeverarent; & qua ad perſeverandum pervenirent*, ſi enim hoc adiutorium potentiùs in Sanctis nõ preveniret perſeverantiam: *Non dixiſſet Auguſt. ampliùs adiuti voluntate ſpiritus carnem vincunt, ſed potiùs poſtquàm vincunt ampliùs adiuti ſunt.*

426 Ex 2. etiam, quod edocet M.P. efficaciſsimè, ni fallor ſuadeo per adiutorium *quò* non intelligere perſeverantiam actualem, quæ nos perſeverantes redit in genere cauſæ formalis, ſed donum perſeverantiã actualem efficiens, & præveniens: edocebat enim M. P. quod hoc maius adiutorium, quod nunc ſanctis cõceditur eſt, *quo efficitur vt vellint permanere in bono*; ſed velle permanere in bono eſt perſeverare actualitèr; ergò hoc adiutorio efficitur ipſa perſeverantia iuxtà Auguſt. ergò (1) iuxtà Auguſt. hoc donum perſeverantiam prævenit, non enim ſtat efficere, & non prævenire, ergò (2) non eſt hoc adiutorium perſeverantia ipſa, ineptè enim, & falsò diceretur, quod perſeverantia efficitur perſeverantia.

427 Efficaciam huius fundamẽti agnoſces, ex his, quę tranſcripſit RR. Thyrſo ex P. Decamps ad ſuadendum M. P. per adiutorium *quò*; perſeverantiam actualem intellexiſſe; ſic aſſerit: *Quamvis hæc verba, adiutorium* quò *aliquid ſit, ad efficientem cauſam trahi poſsint formalis tamen maximè propria ſunt: eaque hoc ſenſu adhiberi inde conſtat, quod S. Dr. definitionem illam verſans, ab eis vocibus cautè abſtineat, quæ efficientis cauſæ actionem clariùs exprimunt; non ait eſſe id quo aliquid* agitur, *quibus verbis adiutorium ad cauſam efficientem pertinẽs alio loco deſcribit, non* efficiendi, *aut producendi vocibus, alijſque eiuſmodi cauſæ efficientis actionem ſignificantibus vtitur*, ex quibus ita infero. 1. Auguſt. expreſsè aſſerit adiutorium *quò* aliquid fit, eſſe quo efficitur vt Sancti nunc vellint permanere in bono, ergò non ſe abſtinet à vocibus, quę efficientis cauſę actionem clariùs exprimunt. ¶ 2. Voce efficiendi vtitur Auguſt. ergò voce ſignificante cauſæ efficientis actionem, etiam iuxtà te. ¶ 3. His vocibus, *quo aliquid agitur*, fateris Aug. cauſam efficientem deſcribere; ergò, & his, *quo aliquid efficitur*, cum efficere ſit agere; ſpecialitèr cum Auguſt. non in cap. 21. ſed in 22. de bono perſeverantiæ; ſic aſſerat: *Accipiant gratiam, qua velint eſſe, & efficiantur electi*; in loco verò, quem verſamur, ſic ediſſerit: *Hac gratia efficitur, vt vellint permanere in bono*, quę ergò differentia, vt hìc non exprimat cauſam efficientem, quàm ibi deſcribit adhùc per te?

*Auguſt. de Bono perſeverantiæ, c. 21.*

428 Nec exemplum Beatitudinis, quo vtitur M.P. obſtat, in exemplis enim non eſt deſideranda omnimoda ſimilitudo: & nonnè rectè inferes, quia adiutorium ſufficiens exemplo alimentorum expoſſuit; ergò ſicut alimentum non eſt virtus intrinſeca potentiæ, qua vivitur, gratia ſufficiens non eſt virtus potẽtiæ, qua operatur? Exemplum ergò adhibetur ad connexionem exponendam; & ideò M. P. inculcat, quod ſi data fuerit Beatitudo homini, *conti-*

*RR. Thyrſo, & P. Decamps, vbi ſuprà.*

*quò fit Beatus*; ita hoc adiutorio *quò* continuò fit perseverans; non ergò obstat exemplum, vt iuxtà Augustin. adiutorium *quò* non sit perseverantia, sed *quò* efficitur perseverantia.

429 Agè modò, & ex his profundè meditatis ita collige; iuxtà M.P. adiutorium *quò* ad perseverandum non constituit posse perseverare; sed hoc adiutorium non est iuxtà M.P. perseverantia ipsa, sed illam prævenit, vt id *quò* efficitur; ergò ex M.P. datur adiutorium præveniens actum, *quò* efficitur actus, non constituens posse ad actum.

430 Alij verò PP. Societatis tã lõgè sentiunt, vt substineant, adiutoriũ *quò* non solùm non esse perseverantiam ipsam, sed nec esse cum ea intrinsecè cõnexum, asserunt enim esse indifferens, & ideò constitutivũ potestatis; si verò dicas, ex Augustino: *Hoc adiutorio non nisi perseverantes esse*, quia *eo invictissimè volunt, indeclinabilitèr, & insuperabilitèr agũtur*, quæ prædicata proculdubiò exigunt connexionem: asserunt, solùm esse *indeclinabilè*, *insuparabilè*, vel vt alij legunt *inseperabilè*, ab extrinseco, proùt procedit ex providentia Dei, & prædiffinitione efficaci operis; vndè adiutorium *quò* nil intrinsecum includere præter *sine quò*, cui superaddit præscientiam cõconsensus sub illo; ita P. Henao cum alijs, nec hanc solutionem impugnãt Thyrso, & Decamps; licèt primam exprofesso fundent. ¶ Sed probo ex August. adiutorium *quò* esse intrinsecè connexum indeclinabilè, & insuperabile. 1. Quia si intrinsecè indifferens potiùs diceretur *declinabilè*, & *superabilè*, quia ab intrinseco, & non ab extrinseco denominari deberet. ¶ 2. Adiutorium id definitur ab Augustin. *Quo fit vt homo vellit, & quo efficitur vt vellit*: Sed ineptè definiretur per extrinsecũ; cuius oppositum permitteret; ergò ab intrinseco habet donare, & efficere velle. ¶

*Henao, sect. 234.*
*Thyrso, t. 4. disp. 4. sect. sect. 3. 21.*
*Decamps, vbi suprà.*
*August. de Corrept. c. 11.*

3. Si adiutorium *quò* esset extrinsecè efficax non esset entitativè distinctũ *à sine quo*, etenim solùm superadderet præscientiam consensus; sed Augustin. de hijs adiutorijs, vt distinctis loquitur; ait enim: *Ipsa adiutoria distinguenda sunt, aliud est adiutorium, sine quo àliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit*; ergò. ¶ 4. Quia, vt testatur Sanctus Hylarius; Masilienses *Molestè ferebant, ita dividi gratiam, quæ vel tũc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perseverantiam*, non qua fieret vt perseveraret: *Sed* sine qua *per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò prædestinatis tale adiutorium perseverantiæ donetur, non solùm vt sine isto dono perseverantes esse non possint, verùmetiam, vt per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Cùr autem molestè ferebant divisionem gratiæ in adiutorium *sine quo*, & *quo* à Sanct. August. edoctam? Quia, Sãct. Hylarius ait, *Dicebant, quandam desperationem hominibus exhiberi*; & ideò asserebãt: *Quod quidlibet donatum sit prædestinatis id posse, & amittere, & retinere*; quod falsum esset, si verùm putarent *eam quosdam perseverantiam percepisse, vt nisi perseverantes esse non possint*; sed si Sanct. August. per adiutorium *quò*, intelligeret adiutorium à præscientia consensus efficax, non possent Masilienses ex eo colligere *desperationẽ hominibus exhiberi, nec falsum esse quod quidlibet donatũ prædestinatis id posse, & amittere, & retinere*, si vera esset Augustini sententia; ergò Sanct. per adiutorium *quò* intellexit adiutorium ab intrinseco connexũ, & efficax.

*August. ibi cap. 12.*
*S. Hylarius, Ep. ad Augustin.*

Respondet P. Henao ea inconvenientia intulisse Masilienses ex adiutorio intrinsecè efficaci, quod decepti existimarunt edocuisse August. ¶ Sed, cùr tantopere elavoravit Sanct, librum de Dono perseve-

*Henao, sect. 234.*

rantiæ, cùm præciſsè ſe exponendo omnes Maſilienſium quęrelas de adiutorio *quò* prędeſtinatorum ſopiret. Poſtremò ſpecialitèr aſſumptũ probo expendendo integra verba Sanct. Auguſt. Sic enim fatur: *Subventum eſt ergò infirmitati voluntatis humanæ, vt divina gratia indeclinabilitèr, & inſuperabilitèr ageretur, & ideò quamvis infirma non deficeret, nec adverſitate aliqua vinceretur.* Voluntatem non deficere, nec adverſitatibus vinci eſt in bono perſeverare; nunc præpondero illam Auguſtin. cauſalem, *ideò voluntas* nõ deficit, nec adverſitate vincitur, hoc eſt, perſeverat; quia ei ſubventum eſt, vt divina gratia indeclinabilitèr, & inſuperabilitèr agatur, ſed ſi gratia ſolùm eſſet indeclinabilis, & inſuperabilis ab extrinſeco, à perſeverantia, ſcilicèt, ipſa, vel à pręſcientia nobis libera perſeverantiæ; cauſalis Auguſtin. eſſet falſa: *Voluntas perſeverat, quia indeclinabilitèr agitur*; cauſalis P. Societatis eſſet vera; ideò volũtas indeclinabilitèr agitur, quia perſeverat; ergò Auguſt. non loquitur de adiutorio *quò* indeclinabili, & inſuperabili ab extrinſeco; ſed ab intrinſeco, & exindè intrinſecè connexo, & efficaci.

*Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 12.*

## SECTIO SEXTA.

*Ratione Theologica prob. gratia præveniens conſenſum, & prærequiſita, quæ poteſtatem ad conſenſum non conſtituat.*

431 EFficax valdè reputarunt Eccleſiæ PP. contra Pelagianos argumentum ex oratione depromptum, ita vt M. P. Auguſtin. nunquàm (quod ſciam) certamen pro gratia Dei cum Pelagianis ſuſcipiat, quin armis orationis debelletur, & gloriosè triumphet.

Sic ergò formatur argumentum Theologicum: Aliquid eſt exactum ad conſenſum, quod nec libertatem conſtituit, nec eſt in noſtra poteſtate, ſed Dei; ergò non omne exactum ad conſenſum eſt, vel in noſtra poteſtate, vel conſtitutivum noſtræ libertatis, ſeù poteſtatis: Prob. antec. Poſtquàm voluntas noſtra eſt libera in actu primo proximo ad conſenſum iuſtè deprecatur Deum, vt donet ei conſenſum ſalutarem, ſed non poteſt voluntas niſi irriſoriè deprecare Deum vt donet ei conſenſum ſalutarem, niſi aliquid ſit exactum ad conſenſum, quod non conſtituat ſuam libertatem, nec ſit in ſua poteſtate; ergò: Min. ex eo conſtat; quod nullus niſi irriſoriè deprecatur ei donari, quod iam ſupponitur habere, pro gratia enim ſemel collata nõ præſtatur ſupplex deprecatio, ſed gratiarum actio: & *quid ſtultiùs* (aſſerit Auguſt.) *quàm orare vt facias, quod in poteſtate habes*, & vt edocet Hieronymus, *fruſtrà ſemper oramus, ſi noſtro arbitrio eſt facere, quod volumus*; ſi ergò ſuppoſita libertate oramus pro cõſenſu ſalutari, aliquid deprecamur ad conſenſum ſalutarem exactum, *aliàs neceſsitas orationis tolleretur*, quod non habemus, *aliàs eſſet gratiarum actio*, nec in noſtra eſt poteſtate, aliàs fruſtrà, & ſtulta oratio foret: ¶ Prob. Mai. ſuppoſita noſtra libertate ad conſenſum iuſtè oramus pro dono Dei ſpeciali à libertatis dono diſtincto; ſed eſt certum conſenſum ſalutarem liberum, & meritorium eſſe donum Dei; quia ex Tridentino, Deus voluit *ſua dona eſſe noſtra merita*, & eſt realiter à libertate diſtinctum, & ſeparabilè, vt patet; ergò ſuppoſita libertate iuſtè oramus ad obtinendum à Deo conſenſum.

*Auguſt. de Natura, & Gratia, cap. 18.*

*Hieron. lib. 2. contra Pelagianos.*

*Trident ſeſ. 6. cap. 16.*

432 Huic difficili fundamento duplicem invenio apud DD. contrarios ſolutionem: 1. apud PP. Ortega, & Herrera: conſenſum enim ſalutarem ſolùm eſſe, aſſerunt, ſpeciale donum Dei ſupra poteſtatem, &

*Ortega cõt. 3. de Deo, diſp. 3. q. 1. Certam. 4. num. 5. Herrera de Præd. q. 9. ſect. 5. n. 68.*

libertatem conſentiendi, quatenus collatio eſt poteſtatis in circunſtantijs, in quibus pręſcit Deus futurum conſenſum, & tunc cenſetur moralitèr collatio cõſenſus, vndè dum pro conſenſu oramus non gratiam diſtinctam à poteſtate conſentiẽdi expoſcimus, ſed gratiam, quàm Deus prævidet congruam, qua gratia ſuppoſita petere à Deo conſenſum ſtultum foret. ¶ 2. Eſt apud P. Avendano, qui edocet prædiffinitionem efficacem, licèt impedibilem ad conſenſum neceſſariam, qua ſtatuit rectè nos petere à Deo conſenſum; quia eſt in poteſtate Dei præparativè prędiffiniendo illum per auxilium prævisum efficax, licèt non ſit in poteſtate Dei formaliter, cum formalitèr ſolùm ſit in hominis poteſtate.

*P. Avend. diſp. 13. c. 1. ſect. 4.*

433 Vt indubium ſupponendum eſt nos iuſtè Deo prætes fundere pro conſenſu ſalutari noſtro: hoc enim expreſſum eſt apud Auguſt. ſic ediſſerentem: *Sed attendat* Eccleſia, *quotidianas orationes ſuas. Orat vt increduli credant; Deus ergò convertit eos ad fidem, orat, vt credentes perſeverent; Deus ergò donat perſeverantiam vſque in finem*, quod alibi pluries contra Pelagianos edocet M.P. ſolùm; ergò eſt diſsidium; an ſolùm oremus pro conſenſu præparativè, ſeù moralitèr conferendo in gratia conſtituente libertatem, vel potiùs deprecemur, vt Deus nobis conferat conſenſum in ſeipſo formalitèr per gratiam ſpecialem diſtinctã à libertate adæquatè? Vel alitèr: An Deus donet conſenſum, non ſolùm determinando libertatem cum præſcientia conſenſus, ſed determinando conſenſum adhùc ſuppoſita libertate? Et hoc ſecundùm eſſe verum.

*Auguſt. de Dono perſever. cap. 7.*

*Aug. vbi ſup. cap. 23. Ep. 107. ad Vitalem, & Ep. 252. & lib. 4 ad Bonifacium, c. 9. & 18.*

434 Prob. 1. Id poſcimus à Deo, quod præcipit Deus, & ideò aſſerit Auguſt. *Nihil in Scripturis Sanctis homini à Domino video iuberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab eius bonitate, vel poſci propter adiutoriũ gratiæ demonſtrandum*; & ideò M.P. ſæpius orabat: *Domine dà, quod iubes, & iube quod vis*; ſed nobis à Deo præcipitur conſenſus ſalutaris in ſeipſo formalitèr, non hæc, vel illa libertas, non hæc, vel illa præparatio ad conſenſum; non ergò Deus ſolùm determinat hanc, vel illam libertatem, ſed præter libertatis gratiam donat gratiam ad conſenſum.

*Aug lib. 2. contr. 2. Ep. Pelag. c. 10. Auguſt. de Bono perſev. c. 20 & in cõfeſſionib.*

Explicatur vis argumenti: fruſtrà deprecatur medium A, præ B, ad obtinendum aliquem finem, qui ſcit quolibet medio oblato eſſe in ſua poteſtate independenter ab alteriùs determinatione aſſequi finem, ſed poſita qualibet libertate à Deo eſt in poteſtate voluntatis independenter ab aliqua nova determinatione Dei obtinere conſenſum; ergò fruſtrà poſcit à Deo libertatem A, præ B, ad obtinendum conſenſum; non ergò poſcimus à Deo conſenſum iuſtè orando, vt tribuat hanc, vel illam libertatem, ſi poſita ſemel à Deo libertate non eſt determinatio alia Dei ad conſenſum exacta.

Alitèr: quod Deus conferat libertatem, quàm prævidet efficacem, vel ex intentione efficaci conſenſus præparatam, vel eſt neceſſarium vt voluntas conſentiat, vel licèt vtilè neceſſarium non eſt? Si 2. tollitur orationis neceſsitas; non enim eſt neceſſarium expoſcere ad obtinendũ finem id, quod neceſſarium nõ eſt, vt finis obtineatur, ſpecialitèr dũ quis præhabet omnia ad finem neceſſaria: Si 1. vlteriùs inquiro, vel voluntas ſemel libera habet in ſua poteſtate præſcientiam illam, aut intentionem Dei, vel ſecus? Si 2. habeo intentũ, quia iam aſſeris aliquid exactum ad conſenſum, quod voluntas ſemel libera in ſua poteſtate non habet, & ita libertatem noſtram non conſtituunt omnia exacta, quæ in noſtra poteſtate non ſunt: Si 1. ergò fruſtrà deprecamur libertatem cum illa

præ-

præſcientia, & intentione, ſi ſemel donata libertate eſt in noſtra poteſtate, excluſa qualibet diſtincta determinatione Dei, illa præſcientia, & prædefinitio; vndè, vt vera eſſet oratio, ſic concipi deberet, Deus dona mihi libertatem, qua donata, ego ex me ipſo ſine aliqua nova determinatione tua faciam vt poſſum, quod illam efficacem prævideas, quod per illam intendas conſenſum, quem ex mea ſola determinatione faciam, & facies: Nonnè hoc eſt expoſcere cõſenſum, & meritum noſtrum, vt donum ſpeciale Dei diſtinctum à libertatis dono?

*D. Proſper in Epiſt. ad Demetriadem.*

435 2. Prob. aſſumptum adducendo D. Proſperi ſpecialem ſententiam, ita affiantis: *Itaque vtendum tibi eſt bis, quæ largitus eſt Deus, & ab eodem ſemper eſt petendum vt donis eius fidelitèr, & ſcientèr vtaris*; vbi non ſolùm à Deo præſtantur dona, ſed benè nos vti donis Dei eſt à Deo petendum: quomodò ergo non erit materia orationis bonus vſus conſequenter ad libertatem, ſeù dona, quæ largitur Deus? Quomodò etiam ſuppoſito dono non erit ex determinatione Dei fidelitèr donò vti? Aliàs expoſcimus à Deo, quod iam Deo liberum non eſt, libertas enim Dei in elargiendo ſua dona apud Adverſarios ſiſtit, ad bonum vſum non extenditur, niſi ſola efficientia Dei ex vnica determinatione noſtra. ¶ Accedit Auguſt. edocens: *Eſt quippè in nobis per Dei gratiam non ſolùm poſſe, quod volumus, verùmetiam velle, quod poſſumus*; ergò conſequenter ad poſſe Deus determinat velle; alitèr enim non eſſet in nobis per gratiam velle, poſtquàm poſſumus; etſi opus eſt hoc gratiæ conſequenter ad poſſe eſt materia orationis ipſum velle formaliter in ſeipſo, & non ſolùm in auxilio præparante cõſtituente poſſe; gratia ergò iſta quàm ſupplices deprecamur, quod donis Dei fideliter vtamur, quod donet velle, quod poſſumus; nec vt exiſtat donum, aut poſſe exigitur, ſed deſideratur, vt bonus vſus, & ipſum velle nobis etiam donetur à Deo poſtquàm poſſumus.

*Auguſt. de Correct. & Gratia, cap. 11.*

436 Quàm ſolidum ſit fundamentum ex oratione deſumptum ad convincendam determinationẽ Dei ad conſenſum ſalutarem, quæ non conſtituat libertatem, inſpicies, ſi ex Sacro Tridentino Concilio eſſe deductum efficacitèr colligo; ſic edocet: *In Sacris Litteris cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur.* En ex Sacro Concilio gratiam conſtituentem libertatem, qua Deus nos excitat, & interiùs vocat inſpirãdo ad converſionem, aſſerens: *Convertimi*, & aliciendo ex prẽmio propoſito, *& ego convertar.* Pergit S. Concil. *Cùm reſpondemus: Converte nos Domine ad te, & cõvertemur: Dei nos gratia præveniri cõfitemur*, Deo ergo, vocanti ad converſionẽ, qua vocatione libertatis noſtræ admonemur, *reſpondemus: Converte nos Domine, & convertemur*, hæc reſponſio eſt deprecatio, qua oramus vt Deus nos convertat; ergò oramus Deum poſtquàm liberi ſumus ad cõverſionem, vt eam nobis donet. Qualitèr ergò, ſi poſtquàm nos vocavit, & liberi ſumus iam non eſt in dominio, electione, & determinatione Dei converſio noſtra? Oramus, ergò, reſpondendo vocationi Dei pro determinatione, & gratia Dei iam ſupponente libertatem noſtram; ſed oramus pro gratia Dei præveniente noſtram converſionem; (1) quia Scriptura Sacra ſic edocet: *Converte nos Domine, & convertemur*, non ita *Cõverte nos Domine cum convertimur*; (2) quia dum ita oramus S. Concil. edocet, quod *Dei nos gratia prævenire confitemur*; ergò, quia gratiam prævenientem converſionem, & ſupponentem libertatem expoſcimus, vt

*Trident. Seſſ. 6. cap. 5.*

convertamur,

437 3. Valdè me premit hæc consideratio; sequitur enim, quod si nulla exigitur determinatio Dei ad actum nostrum liberum præter illã, qua nobis dignatur libertatem conferre; frustrà deprecaretur Ecclesia ad Deum, quod nos liberaret ab omni malo, & peccato; & vt quotidie orat, *vt sua virtute ad nullum declinemus peccatum*: Assumptum prob. frustrà oramus, vt Deus nos liberet à malo omissionis boni præcepti; ergò vt nos liberet ab omni malo: Prob. antec. Frustrà oramus, vt Deus nos liberet à malo omissionis boni præcepti pro casu, quo non adsit ex determinatione Dei auxiliũ sufficiens, seù libertas ad bonũ præceptum; & pro casu, quo ex determinatione Dei adsit in nobis tale auxilium, & libertas; & præscindendo ab eo, quod absit, vel adsit tale auxilium; ergò. Antec. quod 1. partem videtur notum; omninò enim stultũ est exposcere, quod Deus nos liberet à malo chimerico, & impossibili nobis; sed est indubium, quod malũ omissionis boni præcepti est nobis impossibilè, dum deest libertas, seù auxilium sufficiens ad actum præceptum; nullus enim peccat in eo, quod caveri non potest; vt suprà demonstravi; ergò. ¶ 3. Pars antec. est equę certa; quia malum omissionis præscindens ab existentia, vel defectu auxilij sufficientis, est præscindẽs à chimærico, & possibili, quia vt existens cum defectu auxilij est chimæra; & quod præscindit à possibili, & chimærico est chimęra. ¶ 2. ergò partem prob. in qua potest esse difficultas: petere ab alio, quod liberet me ab aliquo malo, pro cassu, in quo non subest sue potestati, sed vnicè meo dominio, & determinationi me à malo liberari, stultissimum est: quis enim ab alio veracitèr exposcit obtinere id, quod vnicè suo dominio subest, & sub alteriùs potestate non est? Sed pro casu, quo voluntas iam habet auxilium sufficiens vnicè est in suo dominio, & potestate se liberare à malo omissionis boni præcepti, sicut, & efficere actum præceptũ, quod immediatę determinationi Dei nequit esse subiectum; ergò non rectè orat; sed potiùs orare se fingit, dum exposcit à Deo, quod ipsam liberet à malo omissionis boni, pro casu, quo adsit ex determinatione Dei auxilium sufficiens ad bonum præceptum.

*Ecclesia ad Primam.*

*Suprà n. 71. vsquè ad 77*

Explico vim argumenti: Inquirendo, quodnam sit obiectum orationis, qua deprecamur Deum, nos liberare *à malo omissionis boni præcepti*, vt oratio imprudens non sit? Vel enim oro liberationem à chimerico malo, vel oro me liberari ab eo, qui non habet in sua electione liberare me; quorum vtrùmque fatuũ est. Nam si oro Deum liberationem ab eo malo *omissionis*, dum *adest libertas* ad bonum præceptum, ita vt obiectum orationis omnia hæc complectatur, oro Deum, vt me liberet, dum non est in sua electione, & determinatione liberare me; quod est fatuum; si exposco liberationem ab eo malo *omissionis* dum *deficit libertas*, exoro liberationem á malo, dum non est malum, sed chimera; ergò vt liberatio ab illo malo sit obiectum orationis prudentis, est cum adest libertas ad bonum, quia adhùc tunc est in electione, & determinatione Dei, vitatio mali omissionis, & executio boni præcepti.

Addo, quilibet Christianus orat Deum, vt liberet eum ab omni peccato; quid autem orat? *Orat vt non peccet, hoc est nequid faciat mali, quod pro Corinthijs orat Apostolus Paulus dicens*: Oramus autem ad Dominum, nequid *faciatis mali*; Vlteriùs inquiro; dum orat nè peccet, orat Deum donare potestatem non peccandi? Minimè: Quia alias exposceret obiectum necessarium; necessaria enim est mihi potestas non peccan-

*Augustin. Innocent. Pontif. Ep. q. 5. 2. Cor. 13.*

peccandi; ratio eſt evidens, quia poteſtas non peccandi ſolùm poteſt deficere per neceſsitatem peccandi; ſed neceſsitas peccandi eſt chimæra, ſicut peccatum neceſſarium; ergò poteſtas non peccandi, deficere non poteſt; vndè libertas non peccandi poteſt deficere, ſicut de facto deficit Chriſto, & Beatis, ſed eſt propter neceſsitatem non peccandi, quam habent; poteſtas autem non peccandi non poteſt deficere, per neceſsitatē non peccandi cum illa connexam, nec per neceſsitatem peccandi, quæ non poteſt exiſtere; ergò hæc poteſtas nequit eſſe orationis prudentis obiectum, cum neceſſariò exiſtat.

En argumentum: Poſita poteſtate expedita planè ſtultum, & inutilè eſt petere actum; vt dicitis, quia dum poſſum omnia exacta ad actum, vel actu habeo, vel poſſum acquirere; & dum poſſum, actus à nulla alteriùs determinatione dependet, ſed ſemper habeo poteſtatem expeditā non peccandi, vt eſt notum; ergò erit ſemper planè ſtultum, & inutilè exorare Deum, *vt non peccem.* Vel aliter: rectè oramus, vt non peccemus ex Apoſtolo; ſemper poſſumus expedire non peccare; ergò poſtquàm poſſumus rectè oramus id ipsū, quod poſſumus licèt id poſſe ſit nobis neceſſarium, ergò poſtquàm poſſumus alteriùs ope indigemus; illius quidē, quem rogamus. Ergò poſtquàm adeſt non peccandi poteſtas ex alteriùs determinatione eſt, quod adiuvetur infirmitas. Valdè fallor, ſi hoc argumentum Sancti Auguſtini non eſt, qui poſt verba ſuperiùs adducta ita ſubiungit: *Vndè ſatis apparet, quod ad non peccandum, ideſt, ad non malefaciendum, quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius poteſtas non ſatisfaciat, niſi adiuvetur infirmitas; ipſa igitur oratio clariſsima eſt gratiæ teſtificatio.* Adhùc ſuppoſita poteſtate; vndè dū nos præmunt Adverſarij, quomodò ſtatuimus poteſtatem, & libertatem conſenſus ſalutaris, cum nec actu, nec in poteſtate habemus gratiam Dei ad eum exactam? Reſpondeamus; quia ita volumus defendere liberum arbitrium, vt apud Deum non perdamus orationis auxilium.

*Auguſt. ibi*

## SECTIO SEPTIMA.

*Vrgentiùs ſuadetur gratia prævéniens conſenſum adæquatè à libertate diſtincta.*

438 PAranda noviſsimè rationi noſtræ ex *oratione* deſumtæ, Reſpondet cum communi ſenſu Scholæ ſuę; Nos poſſe petere à Deo auxilia ad conſentiendum; poſſe etiā petere, quod ea auxilia donet, quæ prævidet efficacia; petere verò conſenſum ſuppoſita libertate plenè cōſtituta per gratiam eſſe planè ſtultū, & prorſus inutilè; vndè cum ex hoc tertio modò orandi infertur eſſe exactam ad conſenſum ſalutarem gratiā non conſtituentem libertatem, aſſumitur antecedens omninò falſum; cū potiùs ex ſtultitia, & inutilitate taliter orandi arguat P. Antonius Perez (Adde RR. Thyrſo, & P. Henao) impoſsibilitatem gratiæ prædeterminantis: Ita enim arguunt: ſi auxilium efficax eſſet in Dei poteſtate, & non in noſtra ſequeretur vtilem eſſe orationem, qua petamus à Deo actū ex ſuppoſitione libertatis, ſed eſt per ſe abſurdum petere actum, qui eſt in noſtra poteſtate, ex ſuppoſitione, quod in noſtra poteſtate ſit; ait enim Auguſtinus: *Quid ſtultiùs, quàm orare vt facias, quod in poteſtate habes?* Nec diſſentit Hieronymus aſſerens: *Fruſtrà ſemper oramus ſi in noſtro arbitrio eſt facere, quòd volumus;* ergò ſuppoſita libertate nullum auxilium eſt exactum ad actum, quod ſit in poteſtate Dei.

*Aranda, diſp. 7. ſect. 13.*

*Ant. Perez diſp. 1. de Provid. c. 5. q. 13. n. 24. Thyrſo, t. 1. diſp. 17. ſect. 11. Henao, ſect. 76.*

*Auguſt. de Natura, & Grat. c. 18.*

*Hiero. lib. 2. adverſ. Pelagianos.*

439 Sed priùs quàm fundamenta noſtra inſtauremus, quàm parum fe-

ferìat iſta retorſio evidentèr appe-
riamus. Reſpondeo enim diſtinguen-
do Min. abſurdum eſt petere actum,
qui eſt in mea poteſtate ex ſuppoſi-
tione, quod ſit in mea poteſtate, ita
vt nullo *egeam adiutorio*, concedo
Min. ex ſuppoſitione, quod ſit in
mea poteſtate, ita vt *alteriùs egeam
adiutorio*, nego Min. & conſeq. ¶
Statim dices ſolutionem eſſe adver
ſus teſtimonia adducta Auguſtini, &
Hieronymi; imò, & implicare in ter-
minis; quia quomodò in poteſtate
habeo id ad quod alteriùs adiutorio
indigeo? ¶ Sed Auguſtinus dedit
ſolutionis terminos, aſſerit enim:
*Quis autem optat, quod in poteſtate
ſic habet, vt ad faciendum nullo indi-
geat adiumento*? Poterit ergò opta-
re ſi in poteſtate ita habet, vt alte-
riùs adiumento indigeat; ſupponit-
que Auguſtinus, aliquid poſſe eſſe in
poteſtate, & ſic vt alteriùs adiutorio
indigeamus. Idemque ſcripſit Sancto
Hylario Sanctus Auguſt. dum ita fa-
tur: *Fruſtrà rogantes Deum dicimus,
nè nos inferas in tentationem, ſi hoc
in noſtra poſitum eſt poteſtate, vt nul-
lo illius adiutorio id valeamus adim-
plere*; ergò nõ fruſtrà eſt oratio, iuxtà
Auguſtinum, licèt aliquid ſit poſi-
tum in poteſtate, ſi ita eſt, vt alte-
riùs adiutorio id adimpleamus. ¶ In
eodem ſenſu loquitur Maximus Hie-
ronymus; probat enim, quod Chri-
ſtus non debuit dicere: *Surgite, &
orate, ne intretis in tentationem*,
iuxtà Pelagium, ſed potiùs, *quid dor-
mitis? Surgite, & reſiſtite: liberum
enim habetis arbitrium, & ſemel vo-
bis conceſſa à Domino poteſtate nul-
lius alteriùs indigetis auxilio*; ergò
iuxtà Hieronym. non fruſtrà oramus
nè intremus in tentationem, ex eo,
quod ſemel ſit nobis à Deo conceſſa
poteſtas, ſi auxilio etiam illius, quẽ
oramus, adhùc poſtquàm eſt poteſtas
conceſſa, indigemus.

*Auguſt. de Peccatorum meritis, c. 6. Aug. Epiſ. 89.*

*Hier. lib. 2. adverſ. Pelagianos.*

440 2. Alijs terminis reſpon-
deo; fruſtrà oramus, quod in pote-
ſtate iam habemus ſi *voluntas ſola
ſufficit*, vt habeamus concedo, ſi vo-
luntas ſola non ſufficit, nego, quia
dum ſola voluntas non ſufficit, nec
ſuperflua, nec imprudens Domino
immolatur oratio; cum verò volun-
tas libera ſola non ſufficiat ad actum
ſalutarem, id ipſum, quod in pote-
ſtate habet iuſtè deprecatur Deum.
¶ Solutio eſt Auguſtini, cuius ſen-
tentia: *Quid ſtultiùs, quàm orare, vt
facias, quod in poteſtate habeas*? Ex
qua argumentum conficitur: ſolùm
tenet dum ita in poteſtate habeo, vt
*ſolus ſufficiam*. Quod planum fit le-
gendo verba Auguſtini immediatè
præcedentia, vt enim Pelagium con-
vinceret Deum eſſe orandum, vt
peccata futura vitentur; ita Sanctus
ait: *Quod licèt non fiat* (vitare qui-
dem peccata futura) *niſi voluntas ad-
ſit, tamen vt fiat voluntas ſola non
ſufficit, ideò* (pende cauſalem) *pro hac
re nec ſuperflua, nec imprudens Do-
mino immolatur oratio, nam quid
ſtultiùs, &c.* Non ergò Auguſt. ne-
gat vtilitatem orationis, licèt volũ-
tas in poteſtate habeat, ſi ſola non
ſufficiat, & in eodem ſenſu locutus
fuit Hieronymus aſſerens: *Non no-
ſtræ ſolùm eſſe poteſtatis facere, quod
velimus, ſed & Dei clementiæ, ſi no-
ſtram adiuvet voluntatem*, vbi ex-
preſsè ſupponit non eſſe ſolùm in
noſtra poteſtate, quod in noſtra eſt,
quàm ſententiam expreſsiùs edocuit
Auguſt. dum ait de Pelagio: *Hic pro-
hibet nos orare, nè intremus in ten-
tationem, cum hoc nè nobis accidat
in noſtra tantum poteſtate eſſe con-
tendit*; non ergò iuxtà Auguſtinum
prohibetur oratio, ne aliquid nobis
accidat ex eo, quod in noſtra pote-
ſtate ſit, ſi non contendimus *in no-
ſtra tantum poteſtate eſſe*. Imò ſup-
ponere videtur Auguſtinus aliquid
poſſe eſſe in noſtra poteſtate, & non
tantum in noſtra. ¶ Accedit; Inno-
centium Pontificem eodem in ſenſu
fuiſſe loquutum PP. Concilij Mile-

*Auguſt. de Natura, & Grat. c. 11.*

*Hier. lib. 2. adv. Pelag.*

*Aug. c. 34. de Nat. & Grat.*

vitani referendo enim illa Pſalmiſtæ verba: *Adiutor meus eſto, nè derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus*, ita ait, *quæ in caſſum dixit ſi tantum* (pende excluſivam) *in eius erat poſitum voluntate, quod à Domino flevili ſermone poſcebat*: poſſumus ergò à Deo poſcere, quod in noſtra eſt voluntate ſi non ſit *tantum* in ea, ſed etiam in voluntate illius, quem flebili ſermone exoramus; ex obiectione igitur noſtra ſententia corroborata manet; vt enim aiebat olim S. Hylarius: *Magna eſt vis veritatis, cum per ea ipſa, quæ ei adverſantur, elucet, & doctrina firmitatem, dum attentatur, acquirit.*

*Pſalm. 26.*

*Innoc. apud Aug. cap. 93.*

*S. Hylarius, lib. 2 de Trinitate.*

441 Probo iam ſuppoſita libertate plenè conſtituta per gratiam ſufficientem nos iuſtè, & rectè exorare Deum ſalutare opus; vt ex inde convincatur Deum adhùc poſtquàm donavit libertatem, novo dono determinare conſenſum. Primo ex Scriptura; Paulus ait: *Condelector Legi Dei ſecunddm interiorem hominem*; vbi ſe ornatum agnoſcit ſufficienti gratia, vt enim aſſerit Auguſt. *Non video quomodò diceret homo ſub lege cõſtitutus, condelector Legi Dei, &c. Cum ipſa delectatio boni, non niſi gratiæ deputanda ſit.* Proſequitur Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meæ.* Vbi dum concupiſcentiæ pugnam ſentiebat erat plenè liber ad eam ſuperãdam delectatione boni *non niſi gratiæ deputanda.* Sed in ſenſu compoſito huius plenæ, & perfectæ libertatis conſtitutæ per gratiam flebili ſermone exorabat: *Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*; & orabat, quia *laborabat nè peccaret*, vt Auguſt. dixit, vel aut alibi edocuit: *Vt conflictu non vinceretur*; Ergò in ſenſu compoſito libertatis plenè conſtitutæ per gratiam rectè oramus Deum, nè peccemus cum tentatione laboramus, & nè conflictu concupiſcentiæ vincamur.

*Apoſt. ad Roman. 7. Aug. cont. 2. Epiſt. Pelagian. cap. 10.*

*Apoſt. ibi.*

*Aug. lib 6. cont. Iulianum, c 11. Aug. lib 5. cont. Iulian. cap. 5.*

442 Secundo ex Summo Pontifice Cęleſtino primo ad Epiſcopos Galliæ, ita ſcribẽte: *Quod ergo tẽpus intervenit, quo eius*, Dei ſcilicèt, *nõ egeamus auxilio? In omnibus igitur actionibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adiutor, & protector orandus eſt.* Vbi Pontifex decernit, nullum eſſe tempus, quo non egeamus auxilio Dei, & non ſit orandus Deus. Adverſarij autem defendunt in tempore libertatis dum poſſumus vitare peccatum, nulla verò adeſt non peccandi ſecuritas, imò potiùs peccatũ imminet, quia ſumus in peccandi periculo, Deum orandum nõ eſſe, quia novo auxilio, & beneficio Dei non indigemus: profectò, ſi ita eſt, tempus intervenit, quo Deus orandus non eſt, contra vniverſalem illam, quam Pontifex ſtatuit.

*Cœleſtin. I. Epiſt. ad Epiſc. Galliæ.*

443 Tertio ex Auguſtino, cuius plurimis ommiſsis duo ſelectã teſtimonia expendam: *Non enim multis opus eſt, ſed efficacibus.* Primum dum ita ait: *Agendæ ſunt Deo gratiæ, quia data eſt poteſtas, & orandum, nè ſuccumbat infirmitas.* Sed dum gratias agimus pro poteſtate, ſeù libertate ipſa adeſt, ſolùm enim exhibemus gratias pro dono collato; ergò poſtquàm data eſt libertas adhùc orandum eſt, nè ſuccũbat infirmitas; non potuit clariùs S. Auguſt. nos edocere vtilitatem orationis ſuppoſita libertate, quàm coniungendo actionem gratiarum pro data poteſtate cum oratione pro recto eiuſdem poteſtatis vſu; nõ enim, ait, orandum eſſe Deum, vt hanc, aut illam libertatem donet; ſed poſtquã pro ſuo libito libertatem donavit, pro qua gratias reddimus, exorandũ eſſe Deum, vt ſub ea libertate infirmitas non ſuccumbat; eſt ergò, in dominio determinativo Dei poſtquàm data eſt poteſtas, quod non ſuccumbat infirmitas. ¶ Alterum

*S. Auguſt. tract. 53. in Ioannem.*

S.

S. Auguſt. ſerm. 13. de verb. Apoſt. poſt medium.

S. Auguſt. teſtimonium eſt cum ita fatur: *Hæc eſt actio noſtra, hæc eſt militia noſtra?* Actiones, ſcilicèt, carnis ſpiritu mortificare. *In hoc agone cùm confligimus Deum habemus ſpectatorem, in hoc agone, cum laboramus Deum poſcimus adiutorem.* Ergò ex S. Auguſt. in conflictu, & pugna carnis, & ſpiritus: *Deum habemus ſpectatorem, & Deum poſcimus adiutorem*; ſed dum Deus ſpectat cum cõfligimus liberi ſumus, quid enim ſpectaret in pugna ab impotente obtinere victoriam? Ergò cum liberi ſumus in certamine carnis, & ſpiritus laborantes: & in conflictatione certantes *Deum* iuſtè, & vtilitèr *poſcimus adiutorem* vt det, *nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Apoſt. 3. ad Corinth. 3.

444 Quartò rationem Theologicam expendo mihi valdè efficacẽ, pro cuius plena intelligentia prẽmoneo, quod latet neminem: Pelagium quidem libero arbitrio in creatione collato ad ſalutaritèr operandum ſolùm legem, & doctrinam adieciſſe, quàm ad *gratiam* aſſeruiſſe *pertinere, quod illam Deus in adiutorium hominibus dedit.* Hancque hæreſim S. Auguſt. S. Hieronymus, Summi Pontifices, & Sacra Concilia pernicioſam decreviſſe, & declaraſſe, præcipuè, quia *impijs diſputationibus dominicam orationem connabatur auferre.* Vndè SS. Patres hanc conſequentiam evidentem exiſtima. vt: *Suppoſitis donis naturæ, & doctrina oſtendente viam per quam ambulare debemus, rectè oramus Deum, vt dirigat græſſus noſtros, & ſalutaritèr operemur*: Ergò *Deus prævenit ſalutare opus per gratiam diſtinctam à doctrina, & donis naturæ.* A contradictorio enim conſequentis intulerunt PP. Pontifices, & Concilia contradictorium antecedentis: Hocquè fundamentum acritèr proſequitur S. Hieronymus, eoquè ſæpiùs innititur S. Auguſt. ſpecialitèr in epiſtola ad Vitalem, vbi, quia aſſerebat: *Deum operari, quantum in ipſo eſt vt velimus, cum nobis nota fiunt eius eloquia*; Ita intulit: *Dic ergo appertiſſimè nos pro ijs, quibus Evangelium prædicamus non debere orare, vt credant, ſed eis tantummodò prædicare.* Quo etiam medio vſus fuit D. Thomas, ad probandum non ſufficere habitum infuſſum gratiæ ad perſeverandum in bono.

P. Conc. Carthagin. ſcrip. Innoc. apud Aug. Epiſt. 90. Epiſt. Conc. Milevitani ad Innoc. apud Aug. 92.

S. Hieron. ad Cteſiphontẽ. Auguſt. Vitali, Epiſt. 107.

D. Thom 3. cont. gent. c. 155.

445 Hoc prænotato ita diſcurro: Hæc conſequentia eſt recta; Eccleſia non ſolùm orat. vt infidelibus nota fiant per *doctrinã* Dei eloquia, ſed etiam vt credant; ergò Deus operatur credere per gratiam prævenientem à doctrina diſtinctam: Ergò ſimilitèr, hæc illatio eſt recta; Eccleſia non ſolùm orat, vt infidelibus donetur libertas credendi per ſufficientẽ gratiam, ſed etiam vt credant; ergò Deus operatur credere per gratiam prævenientem à libertate diſtinctam; ſed antecedens eſt verùm, ſæpiùs enim audimus: *Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, vt eos Deus convertat ad fidem.* Ergò, & conſequens eſt verùm; cætera patent: & probo 1. conſeq. Primò; quia aſſigna principium, quo innixa ſit conſequentiæ PP. bonitas, vt fiat ſyllogiſmus perfectus, quod æquè non inferat ſecundæ conſequentiæ bonitatem, & quo non fiat ſyllogiſmus perfectus? Ego enim vt multis fatear tarditatem ingenioli mei, tale principium non invenio. ¶ Secundo: Bonitas illius conſequentiæ SS. Patrum adverſus Pelagianos fundari ſolùm poteſt (vt arbitror) hoc in principio: *Fruſtrà oramus Deum id, quod cum oramus in poteſtate habemus independenter à nova gratia Dei.* Sed hoc principiũ, ſicut infert, Eccleſiam fruſtrà orare Deum, vt in fideles, quibus manifeſta eſt doctrina credant, ſi Deus non prævenit credere per gratiam diſtinctam à Doctrina; ita probat; Eccleſiã

Aug. ibi.

fruſtrà orare Deum, vt infideles, quibus donata eſt libertas, credant, ſi Deus non prævenit credere per gratiam diſtinctam à libertate; ergò ex oratione infertur Deum prævenire credere per gratiam diſtinctam à libertate ad credendum.

446 Dices; quod dum Eccleſia orat vt credant ij, quibus donata eſt libertas, ſeù ſufficientia credendi, nõ expoſcit Deum gratiam prę venientem à libertate diſtinctam, ſed quod doneт eam libertatem, & gratiam, cui prę videt conſenſuros, potiùs quàm eam gratiam, cui prævidet diſſenſuros; ita Adverſarij.

447 Sed haud facilè erit inſtaurare argum. SS.PP. ex vtilitate orationis depromptum, ſi eius inſuperabilem vim caſſo licèt connatu infringere tentarent Pelagiani; aſſerendo: Eccleſiam iuſtè orare vt credant ij, quibus nota eſt doctrina Evangelica, ſed non expoſcere gratiam diſtinctã, ſed quod doctrina ita proponatur à Deo qualiter prævidet conſenſuros, potiùs, quàm modò, quo prævidet diſſenſuros: Si ita reſponderent, quò principio impugnarentur? Quid fundate talibus Hæreticis regerere poſſet Catholicus? Aſsigna igitur principium æquè non probans, Eccleſiam expoſcere gratiam aliam diſtinctam à libertate, & non ſolùm in alijs circunſtantijs donatam, dum orat vt liberi ad credendum credant.

448 Minimèque hoc effugium Pelagianos latuit, vt argumentum orationis diſſolvere tentarent, ſi Auguſtino credimus, dum latebras Pelagiani dogmatis pandit, exponendo per gratiam iuvantem, vt declinemus à malo, & faciamus bonum nullum auxilium intellexiſſe Pelagium, niſi in lege atque doctrina: *Ita vt ipſas quoque orationes, vt in ſcriptis ſuis appertiſsimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, niſi vt nobis doctrina etiam divina revelatione apperiatur, non vt adiubetur mens hominis, vt id, quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat.* Non potuit Pelagius clariùs aſſerere orationes Eccleſiæ non adhiberi pro gratia à doctrina diſtincta; ſed vt doctrina alitèr manifeſtetur, & nobis *divina revelatione apperiatur*, vt ei acquieſcamus.

*Auguſt. de Gratia Chriſti, cap. 41.*

449 Inſpiciamus Auguſtinum evaſionem iſtam refutantem, vt ex orationibus Eccleſiæ convincat Deũ prævenire credere per gratiam à doctrina diſtinctam; ita ſcribit: *Non enim hoc oramus pro infidelibus, vt fiat eorum natura, ideſt, vt homines ſint, aut vt doctrina eis prædicetur, ſed oramus, vt voluntas corrigatur, doctrinæ conſentiatur, & natura ſanetur.* En medium convincens præparari voluntatem vt credat, non donis naturæ, non doctrina ſic, aut alitèr revelata, ſed gratia à doctrina diſtincta, ſimilitèr inſurgo: *Non enim hoc oramus pro infidelibus*, vt liberi ſint ad credendum, vt eorum voluntas excitetur, vt inſpirationibus pulſentur, ſed vt *voluntas corrigatur* inſpirationi *conſentiatur*, & excitatione ſurgant vt *ſanentur*; ergò quia præparatur voluntas eorum vt credant, per gratiam diſtinctam à vocatione, inſpiratione, & libertate credendi.

*Aug Epiſt 107 ad Vitalem.*

450 Auſculta hæc Auguſtini verba: *Quomodò dicitur, quod per legem Dei, atque doctrinam ſcripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit*: Prę paratur voluntas à Domino, *quandoquidem pro eis, qui eidem doctrinæ contradicentes nolunt ei credere ipſum Deum fide recta rogamus vt velint?* Et præ me ipſum Auguſtini diſcurſum, vt probes gratiam prę venientem à libertate diſtinctam: *Quomodò dicitur, quod* vnicè per gratiam *Dei* excitantem, vocantem, & ſolùm moraliter moventem *præparatur voluntas à Domino, quandoquidem pro eis, qui eidem* gratiæ reſiſtentes, *& contradicentes nolunt* cre-

*S. Aug. ibi.*

*credere, ipsum Deum fide recta rogamus vt velint?* ¶ Dices fide recta rogamus vt velint resistentes Spiritui Sancto, & in vacuum recipientes libere gratiam Dei, non quia exposcimus gratiam distinctam a sufficiente ea, & libertate, qua præparetur voluntas, sed vt sufficientia hæc donetur in alijs circunstantijs, in quibus pręvideatur à Deo fides. ¶ Et si dicerent Pelagiani (vt iam dixisse vidimus in Augustino) fide recta rogamus vt velint contradicentes doctrinę, non quia exposcimus gratiam à doctrina distinctam, qua præparetur voluntas, sed vt hæc *doctrina divina revelatione* ita *apperiatur*, qualiter Deus prævidet ei credituros: Assigna principium, quo hoc effugium refutetur, quod tuam probabilem solutionem æquè non impugnet? Cave tamen, vt pleniùs me edoceas, non probare veritatem Catholicam gratię prævenientis distinctæ à doctrina alijs medijs, quę esse fateor, & agnosco, sed illo ex S. Augustino deprompto: *Orat Ecclesia Deum vt velint contradicentes doctrinæ*; nè argumentum SS. Parentis reddatur inefficax.

## SECTIO OCTAVA.

*Ex Angelico Doctore probatur gratia efficax prævenies consensum liberum, exacta, & non constituens potestatem.*

451 CONclusionem nostram ex D. Thoma confirmare, & stabilire satagam, nullibi expressiùs traddente doctrinam de motione causæ primæ per concursum prævių, seù applicativum; quàm vbi inquirit: *Vtrùm Deus operetur in operatione naturæ?* Vbi primum influxum Dei prævium exponit, cùm non solū affirmet influxum in operationem voluntatis, qui simultaneus est, sed influxum Dei in causam, seù voluntatem operantem, qui necessariò est prævius, nequit enim Deus operari in voluntate simul cum voluntate. ¶ Nec hæsites cum P. Henao, Doct. Sanctum loqui de causis, tàm necessarijs, quàm liberis; cum *in natura, & in voluntate Deum operari statuat*; tribusque argumentis respondeat, intendentibus: *Deum non operari in voluntate operante*; quia est libera, sui actus domina, & in manu consilij sui relicta.

*D. Tho. q. 3. de Potentia art. 7.*

*Henao, sect. 68. n. 751.*

*D. Th. in solut. ad argum. 12. 13. & 14.*

452 Cùm verò diversos modos concurrendi causę primæ cum secūdis Doctor Sanct. assignet: Primùm, quia *Deus dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere possunt.* Secundùm: *Quatenus conservat virtutem naturalem in esse*: Qui modi cōcurrendi ab omnibus sunt admissi, & à nullo in dubium revocati. ¶ Pergit Doct. Sanctus ad explanandum tertium modum concurrendi, his verbis: *Sed quia nulla res per seipsam movet, vel agit, nisi sit movens non motum, tertio modò dicitur vna res esse causa actionis alteriùs, in quantum movet eam ad agendum. In quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad agendum; sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quod applicat accumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit, nisi mota, eo quod huiusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata, cælū autem est alterans non alteratum, & tamen non est movens nisi motum, & hoc non cessat quousque perveniatur ad Deum: sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cuiuslibet rei naturalis, vt movens, & applicans virtutem ad agendum.* Vbi explicat Angelus Doctor illam demonstrationem, quàm alibi expendit ex Aristotele desumptam ex motu inferentem existentiam Dei, seù primi moventis; ex eo, quod *nulla res per seipsam agit, nisi sit Deus, seù movens*

*D. Tho. in corp. artic.*

*D. Tho. 1. p. q. 2. art 3. Aristol. 8. Physic.*

*P. Molina in Conc. q. 14. art. 13. diſ. 26. P. Suarez lib. de Vera intell. cap. 40. & lib. 1. de Concurſu c. 11. & diſput 22. metaph ſeſſ. 2. P. Ruiz de Scientia, diſput. 49 ſect. 2. Oviedo phyſic. cont. 9. punct. 3. ſeſ. 1. Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 2. Ariſtot. 3. phyſic. text. 16.*

*moveus non motum*; ergò omnia alia moventia ſunt ab alio mota, & cum non ſit proceſſus in infinitum in moventibus deveniendum eſt ad Deũ, ſeù vnum primum movens immotum.

453 Hanc motionem cauſæ ſecundæ à primo movẽte, vt agat mota, prævia vocamus, quia motio à Divo Thoma hìc expoſita nequit eſſe ſimultaneus Dei concurſus, vt poſt Molinam agnovit P. Suarez, qui fatetur in hoc teſtimonio D. Thom. concurſum prævium edocuiſſe, intendens, non ſuadens hanc doctrinã in ſumma retractaſſe. Probo aſſumptum adverſus P. Ruiz, P. Oviedo, & alios. Quia per concurſum ſimultaneum cauſa ſecunda non eſt mota, ſeù in potentia, ſed movens, & in actu, quia concurſus iſte eſt actio, ſeù influxus cauſæ in effectum; ſed cauſę ſecundę inferunt exiſtentiam Dei, vt moventia mota; ergò ex cõcurſu ſimultaneo exiſtentia Dei vt primi moventis non demonſtratur. ¶ Alitèr; cauſa ſecunda ad actionẽ, ſeù concurſum ſimultaneum, vel purè ſe movet per ſeipſam, vel per motionem alteriùs moventis? Si primũ ad ſuam actionem erit movens immotum: Si ſecundùm pręviè ad actionẽ movetur, cum ad actionem ab alio moveatur; & moveatur vt ſe moveat, *agitur enim vt agat*, ex Auguſtin. & ex Ariſtotele *motio movẽtis eſt prior motu mobilis*. Alitèr: concurſus ſimultaneus eſt formalitèr ſimultas duarum cauſarum per eundem influxum in eundem effectum; ergò ex vi huius concurſus, vna cauſa ſe movet, & agit *cum* alia, nõ movet aliam, nec agit *per* aliam; haud facilèque erit ex vi huius concurſus invenire rationem; cùr vna cauſa ſit mota, & non alia? Cum enim movens formalitèr, vt tale ſit priùs moto formalitèr vt tali, ex ſimultate vnius cum alio, quomodò inferes vnum moveri ab alio? Dum ergo Doctor Sanct. infert: *Quod Deus eſt cauſa actionis cuiuslibet rei naturalis, vt movens, & applicans virtutem ad agendum*; non intendit cauſam ſecundam movere cum Deo moveute; ſed Deum eſſe prævièmoventem applicando virtutem cauſæ ſecundæ ad agendum, vt ita mota, & applicata agat, & ſe moveat.

454 Non hìc immoror, ſed cum Divo Thoma progredior, ad exponendam naturam huius motionis prævię divinæ, quæ eſt præcipua difficultas, quam verſamur: Deus eſt cauſa actionis cauſę ſecundę, *in quãtum movet eam ad agendum*; *in quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad agendum*; ergò motio hæc non eſt virtus, à qua actio cauſatur; ſi enim motio eſſet virtus, in Deo in quantum movente intelligeretur *collatio virtutis*, contra Div. Thom. ¶ Alitèr: Deus vt pręviè movens confert motionem, ſed Deus vt pręviè movens non confert virtutem, ex Div. Thom. ergò hæc prævia motio non eſt virtus; ergò in ea non debet conſtitui poteſtas, & activitas cauſę, quia poteſtas, & activitas cauſæ in actu primo proximo in virtute cauſę conſiſtit.

455 Non ſolùm explicuit Doct. Sanct. quid non ſit illa motio *prævia*, vt probavimus, & *phyſica*, cum de motione omnis cauſæ ſecundæ expreſsè loquatur, & non omnis cauſa ſit capax motionis moralis, ſed quid ſit etiam expoſuit, dum ait: Quod Deum cauſare actionem cauſæ ſecundæ, in quantum eam movet, licèt non explicet Deum donare, aut conſervare virtutem, in eo tamen *intelligi applicationem virtutis ad agendum, ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo, quod applicat accumen cultelli ad incidendum*; dum homo, ergò, applicat cultellum ad incidendum eſt cauſa inciſionis, nõ quia confert cultello accumen, ſed

quia

quia accumen præſuppoſitum applicat, dum cultellum ad incidendum movet; applicatio ergò, virtutis ad agendum non eſt virtus à qua actio cauſatur, ſed virtutem prę ſupponit conſtitutam; ergò illa Dei motio, quæ applicatio eſt, virtus, aut poteſtas cauſę non eſt, ſed eam ſupponit, in tantum enim movet, in quantum applicat, in ea enim motione ſolùm *intelligitur applicatio virtutis.*

456 Dices forsàn, quòd licèt ex Doct. Sancto efficacitèr probatũ maneat, motionem qua Deus applicat cauſas ſecundas ad agendum eſſe phyſicam, eſſequè prævium, ſeù prævenientem actionem, & diſtinctam à concurſu ſimultaneo, non conſtituere actum primum, nec eſſe virtutem cauſæ, hanc prę viam motionem eſſe prædeterminationem hucuſquè probatum non eſſe, ſtat enim omnia hæc prędicata convenire motioni phyſicę indifferenti, & non determinanti. ¶ Sed contra inſurgo 1. Quod ſi hæc motio prævenit actum ſecundũ, quin conſtituat actum primum; inefficacitèr inferunt adverſarij prædeterm. conſtituere actum primum, quia prævenit actum ſecundum. 2. Quia ſi huic prę claro teſtimonio, in quo Div. Thom. edocuit motionem phyſicam prę viam non conſtituentẽ actum primum adiunguntur alia expreſſa vulgaria Doct. Sancti verba, alibi ſpecialitèr ponderanda, in quibus edocet hanc Dei motionem eſſe connexam cum eo, ad quod movet, quia *ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſsibilè eſt poni, quod voluntas ad illud non moveatur* eſſe prædeterminantem, & non indifferentem clarè colligitur.

*D. Tho. q. 6. de Malo art. 1. ad 3. 2. 2. q. 24. art. 11. Diſp. 3. q. 2. & 3. D. Th. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.*

457 Præmoneo in Janſenium obloquentem Thomiſtas magis eſſe Peripateticos, quam Auguſtinianos, quia neceſsitatem gratię efficacis, quàm aſſerimus eſſe prævie moventem, ſeù prædeterminantem, ex ſubiectione creaturæ ad Deum, vt moventis ſecundi, ſeù moti, ad primum movens immotum cum D. Thoma ex Ariſtotele colligimus, non cum Auguſtino ex lęſione arbitrij, ſeù infirmitate ex læthali, & originali vulnere procedente. Sed quia hanc vnicam cauſam gratiæ Dei efficacitèr moventis agnovit, Janſenius perverſum illud dogma effutivit ſtatuens nullam fuiſſe in ſtatu ſanitatis, nec in Angelis efficacem gratiam, ſed ſolùm gratiam medicinalem efficacem eſſe.

*Janſ. lib. 8. de Gratia Chriſti, c. 2.*

Verùm enim eſt Divum Thomam, & qui ſunt eius aſſeclæ, ex illo principio Philoſophi, *cauſa ſecunda ſe movet mota*, intuliſſe neceſsitatem motionis prę viæ à movente immoto, quæ ad actus ſalutares ſit efficax gratia; ſed cùr exindè, Div. Thom. non Auguſtinianus? Nunquid Auguſtinum deſſerit, vt Ariſtotelem inſectetur? Eandem doctrinam de ſubordinatione ſecundi moventis ad primum, vt ſe moveat expoſuit Magnus P. Auguſt. vt ſolidè convincit P. Lemos; ergò non eſt ratio, vt Divus Thomas a Janſenianis nimis Peripateticus nuncupetur, niſi Auguſtinus eadem nomenclatura deſignandus ſit.

*Lemos, lib. 3. tract. 1. cap. 5.*

Nec ſolùm ex Ariſtotele, ſed etiam ex Litteris Sacris motionem Dei applicantem cauſas ſecundas etiam liberas Div. Thom. deduxit: Haud obſcurè enim edocetur in illo Hieremię: *Et erit dux eius ex eo: & princeps de medio eius producetur: & applicabo eum, & accedet ad me: quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum, vt appropinquet mihi, ait Dominus?* Priùs ergo eſt Deum applicare principem, quàm quod ad Deũ accedat, nec acceſſus iſte, qui per cõſenſum ſalutarem fit, eſt applicatio Dei, non enim ait applicabo, quia accedet ad me, *ſed applicabo, & accedet ad me.* Nec enim ſine hac prævia motione, & applicatione poteſt quis applicare cor ſuum, cũ vt accedat

*Hieremiæ 30. v. 21.*

dat ad Deum, Deus priùs applicet; cor enim dum appropinquat Deo ſalutaritèr operando ipſum ſe applicat: Ergò ſi *ait Dominus quis iſte eſt, qui applicet cor ſuum, vt appropinquet mihi.* Supponit, quod eſt duplex applicatio, vna qua cor ſe applicat ſe appropinquando Deo; altera, qua Deus applicat cor, *vt ſe appropinquet ipſi*: & hæc eſt motio prævia, quam Div. Thom. nuncupat *applicationem virtutis ad agendum.*

## SECTIO NONA.

### *Prædeterminatio non conſtituit poteſtatem actus, vt concilietur cum eius libertate.*

458 HAnc concluſionem adduco propter Illuſt. Godoy, & R. Salmantinum ſuprà laudatum, edocentes prædeterminationẽ revera non conſtituere poteſtatem actus, hoc tamen exactum non eſſe ad libertatem conciliandam: iudico enim, quod ſi prædeterminatio conſtitueret poteſtatem actus adimeret illius libertatem, quod prob. 1. ex principio ſuprà diffusè fũdato, quod conſtitutivum poteſtatis actus, connexum cum actu, & independens in exiſtendo à voluntate tollit libertatem actus; ſed prædeterminatio eſt connexa cum actu, & independens omninò in exiſtendo à voluntate, vt probavi, & fatentur iſti Auctores; ergò prædeterminatio, ſi eſſet conſtituens poteſtatem actus libertatem tolleret.

*Sup. n. 201.*

*Sup. n. 395.*

*Sup. n. 391.*

*Infrà in hac diſp. 2. q. 5.*

459 2. Et mihi vrgentiſsimè; libertas ad actum conſtituitur per poteſtatem ad actum, & poteſtatem ad omiſsionem, quæ poteſtates inter ſe coëxiſtant; tùm, quia hoc eſt eſſe indiffrentiam poteſtatis, quæ conſtituit libertatem; tùm, quia aliàs non eſſet poſſe agere, & poſſe non agere, in quo ſtat libertas, ſed ſi prędeterminatio ad actum conſtitueret poteſtatem actus poſſe agere nõ poſſet coëxiſtere cum poſſe non agere; ergò non eſſet libertas agendi, Min. in qua ſtat difficultas ſic diſcurro; prædeterminatio ad actum conſtituit poſſe ad actum, ergò prædeterminatio ad carentiam actus cõſtituit poſſe ad carentiam; patet hæc conſeq. quia gratis dictum eſſet ponere vnam prędeterminationem ex parte actus primi, & non aliàs; & quilibet poſſet ponere vnam requiſitam, & non aliã; Pergo; ſed deficiente conſtitutivo rei, deficit res, ergò deficiente prædeterminatione ad non agendum deficit poſſe non agere; ſed cum prędeterminatione ad agendum, quæ conſtituit poſſe agere, non ſtaret prędeterminatio non agendi; ergò cum poſſe agere non coëxiſteret poſſe nõ agere. ¶ Alitèr: iſtæ duę prædeterminationes agendi, & non agendi nõ poſſunt ſimul exiſtere, alias actus, & eius carentia ſimul exiſterent; ergò (1) non poſſunt ſimul exiſtere poſſe agere conſtitutum per vnam prędeterminationem, & poſſe non agere conſtitutum per aliam; ergò (2) nũquam verificatur, quod volũtas agit potens non agere, quia ſemper quod agit deficit prædeterminatio non agendi conſtituens poſſe non agere.

Explico vim rationis, vt tacitę inſtantiæ ſatisfaciam; licèt poſsit poteſtas ad actum ſalva ipſius libertate pugnare cum omiſsione actus, vt dixi de gratia, & habitu charitatis, quando inſtat præceptum amandi Deum, quia pugnant cum non amore: non poteſt dari libertas actus, ſi poteſtas ad actum pugnat cum poteſtate ad omiſsionem; ſed ſi prædeterminatio conſtituit poteſtatem actus non ſolùm poteſtas actus pugnaret cum omiſsione, ſed cum poteſtate ad ipſam, quia prædeterminatio ad actum pugnat cum prædeterminatione ad omiſsionem, quæ conſtitueret poſſe omittere; ergò ſi prędeterminatio conſtitueret poteſtatem

*Sup. diſp. 11. q. 9. per tot. à n. 215.*

ſtatem actus tolleret libertatē actus.

460 Si verò terminos inſpicias, & non argumenti vim, & dicas, quod non datur prædeterminatio ad omiſſionem, quia vt voluntas omittat actum non exigitur, quod prædeterminetur ad omittendum, ſed ſufficit, quod non prædeterminetur ad agendum.

Contra 1. Quia transfero argumentum ad libertatem contrarietatis inter actum, & actum, & poſſe amare, & poſſe odio habere non poſſent coëxiſtere, ſicut nec prædeterminationes amoris, & odij; vndè deſtrueretur libertas contrarietatis, & inſiſto: vlteriùs in ipſa libertate cōtradictionis: ſicut exigitur eſſe prædeterminationem actus, vt actus ſit; exigitur non eſſe prędeterminationem actus, vt actus nō ſit; ergò ſi prędeterminationem eſſe cōſtituit poſſe agere, ipſam non eſſe conſtituet poſſe non agere, ſed eſſe prædeterminationem non poteſt coëxiſtere cum non eſſe ipſius; ergò nec poſſe agere conſtitutum per prędeterminationē poſſet coëxiſtere cum poſſe nō agere; vndè labefactatur libertas contradictionis. ¶ Deniquè; quia ex terminis repugnaret, quod non agere coniungeretur cum poteſtate agēdi, quia eſſentialitèr inconiungibilè cum prędeterminatione ad agendū.

461 Si dicas, quod adhùc exiſtente prædeterminatione ad agendum eſſet poteſtas non agendi, licèt non eſſet actu prædeterminatio ad non agendum, quia talis prędeterminatio eſſet poſsibilis, & exiſtentiam vnius prædeterminationis non pugnare cum poſsibilitate alteriùs, & ſic nec cum poteſtate non agendi.

Clarè inſurgo; vel poteſtatem actus conſtituit poſsibilitas prædeterminationis, vel prædeterminatio? ¶ Si 1. fateor ita eſſe, & de nomine contendemus, ſed vt improprietatem loquendi manifeſtem; ita poſſet dici, actionem conſtituere poteſtatem agendi, quia ſicut non eſt poteſtas agendi, ſi non eſt poſsibilis prædeterminatio, ita non eſt, ſi non eſt poſsibilis actio. ¶ Si 2. ergo dum actu non eſt prædeterminatio, licèt ſit poſsibilis, actu non erit poteſtas, licèt ſit poſsibilis, patet hæc conſequ. quia vt actu exiſtat res debent actu exiſtere illius conſtitutiva, quod enim ſit poſsibilè conſtitutiva rei exiſtere non ſuadet rei exiſtentiam, ſed poſsibilitatem: Pergo, ergò cum duæ illæ prædeterminationes coexiſtere non poſsint, nec illæ duę poteſtates, ſed tantum dum vna poteſtas exiſtit altera erit poſsibilis; ergò nūquàm libertas erit. Prob. conſequentiam eodem diſcurſu; poſsibilitas conſtitutivi rei non ſufficit, vt exiſtat conſtitutum, non enim exiſtet Petrus ex eo, quod ſit poſsibilis rationalitas Petri, ſed illæ duę poteſtates conſtituunt indifferentiam poteſtatis, quæ eſt ipſa libertas; ergò ſi illæ duæ poteſtates nunquàm exiſtunt, nec libertas.

462 3. Prob. aſſumptum: ex illa propoſitione Janſenij proſcripta ab Innocentio Decimo: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volētibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſsibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſsibilia fiant*, quàm anathematè damnatam, & hæreticam declaravit: ex qua propoſitione. 1. infero gratiam prædeterminantem non conſtituere poteſtatem ad actum; ita colligendo: homini iuſto non deeſt gratia, qua poſsibilia fiant præcepta Dei; ergò homini iuſto non deeſt gratia, qua poſsibilis fiat actus præceptus à Deo; ſed homini iuſto ſemper, quod peccat deficit gratia prædeterminās actum præceptum, quia dum hæc exiſtit, actus præceptus cum illa connexus exiſtit, & exindè peccatum deficit; ergò gratia prędeterminante nō fit poſsibilis actus præceptus; vndè non conſtituit poteſtatem ad actum.

*Innocentius X. in Cōſtit. quæ incipit Cum occaſione,*

¶ 2. Colligo eſſe neceſſarium, quod prædeterminatio non conſtituat actus poteſtatem, vt non extinguat libertatem; ita diſcurro: vt omiſsio actus pręcepti ſit libera homini iuſto exigit, quod prædeterminatio non conſtituat poteſtatem actus præcepti; ergò libertas omiſsionis idem expoſcit, quia vt omiſsio ſit libera ſolùm deſideratur omiſsionis libertas; ergò, & idem exigit libertas actus, quia eſt libertas omiſsionis, cum libertas vnius contradictorij ſit libertas alteriùs: Cætera patent, & prob. antec. Vt omiſsio actus præcepti ſit homini iuſto peccaminoſa ſolùm exigit, quod ſit libera; quia omiſsio libera actus præcepti eſt peccatum; ſed vt omiſsio actus præcepti ſit peccaminoſa homini iuſto exigitur, quod prædeterminatio non conſtituat poteſtatem ad actum præceptũ; ergò: Prob. Min. Vt omiſsio actus præcepti ſit peccaminoſa homini iuſto, exigitur, quod omiſsio ſit, & ſit gratia, qua poſsibilis fiat actus præceptus; aliàs omiſsio foret peccatũ, dum pręceptum eſt impoſsibilè; ſed vt omiſsio ſit, & ſit gratia, qua poſsibilis fiat actus præceptus exigitur, quod prædeterminatio non conſtituat poteſtatem, vt eſt notum; quia ſi prædeterminatio eſt, omiſsio non eſt; etſi prędeterminatio non eſt, & conſtituit poteſtatem; non eſt gratia, qua poſsibilis fiat actus prędeptus; ergò.

463 Sed illuſtret hanc veritatem M. Eccleſiæ P. ſic enim ſcribit: *Aug. lib. 3. cont. Felicẽ, cap. 3.* *Qui legem ſervare non vult in poteſtate eius eſt ſervare ſi vellit*; & alibi: *Auguſt. de Spiritu, & Litt. c. 31. Sup. n. 81.* *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult, non facit*; & ideò ſuprà ex M. P. contra Janſenium demonſtravimus; quod velle eſt liberum, ſeù in noſtra poteſtate quatenus poſſumus non velle; ſed ſi prædeterminatio conſtituit poſſe ſervare legem: *Qui legem ſervare non vult, nequit in poteſtate habere ſervare ſi vellet*; ita vt ſic verùm, *ſi vellet faceret, & ſervaret*; ergò ſi prædeterminatio cõſtituit poſſe ſervare, non ſervare nequit eſſe liberum, ſeù in poteſtate, & ſic omninò perit libertas: Prob. Min. cum deficit voluntati aliquid exactum ad poſſe ſervare, non poteſt verè affirmari, quod habet in poteſtate ſervare ſi vellet, ſeù quod ſi vellet faceret, ſed ſi prædeterminatio conſtituit poſſe, & quis legem ſervare non vult deficit voluntati aliquid exactũ ad poſſe, ſcilicèt ipſa prædeterminatio; ergò: Prob. Mai. ex Auguſt. ita edocente: *Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 7.* *Poteſt dici homini in eo, quod audieras, & tenueras, perſeverares, ſi velles: nullo autem modò dici poteſt id, quod non audieras, crederes, ſi velles*; Cùr non poteſt dici id, quod non audieras, crederes, ſi velles? Non alia certè ratione, niſi quia non habes in poteſtate credere, quod non audieras; & hoc cùr? Quia audire conſtituit poſſe credere, cùm fides ex auditu; ergò ex Auguſt. non poteſt dici faceres, ſeù ſervares, ſi velles, dum deficit aliquid exactum ad poſſe; non ergò in eo, qui non vult ſervare legem eſſet verùm; ſervaret ſi vellet, dum deficit prædeterminatio exacta ad poſſe ſervare.

¶ Alia fundamẽta omitto: monẽdo 1. quod omnia argumenta Societatis, quæ intendunt prædeterminatione libertatem ſuffocari, dum enervantur etiam ab his Authoribus, quia prędeterminatio non conſtituit poſſe, hac veritate reiecta efficaciùs pugnarent, ſi non vincerent.

2. Hæc diffuſè inferiùs tractanda; vbi probabimus, prædeterm. non ſolùm non eſſe conſtitutivum poteſtatis *exactum*, ſed nec *permiſſum*: *Diſp. 3 q. 43 per totam.* Hocq; eſſe omninò verùm licèt prædeterm. ſit intrinſicè in voluntate recepta, & ab actu diſtincta: præiacta enim fundamenta convincunt prædeterm. non eſſe *exactam* ad poſſe, & quod dũ eſſet exacta periret libertas.

SECTIO

## SECTIO DECIMA.

*Solvuntur argumenta.*

464 PLura opponunt noviſsimè contrarij contra noſtram concluſionem, ſed omnia brevitèr, & clarè evertam: Et 1. objicies ex Ribadeneyra; non eſt voluntas potens amare niſi præmoveatur intentionaliter ab obiecto, ergò non eſt potens amare niſi præmoveatur phyſicè à Deo, antecedens à nobis ſupponitur, & prob. conſeq. ſicut voluntas eſt eſſentialitèr potentia cæca, ita eſt potentia ſecunda, ſicut quia amor creatus eſt exercitium potentiæ cęcæ eſt eſſentialiter dependens à præmotione intentionali obiecti, quia eſt exercitium potentiæ ſecundæ eſſentialiter dependet à præmotione phyſica Dei; at propter primam rationem, ſi non datur præmotio intentionalis obiecti non eſt voluntas proximè potens amare; ergò ſi non datur præmotio phyſica Dei non erit voluntas potens amare, & ita præmotio requiritur ex parte actus primi ad amorē.

*Ribadeneyra, diſp. 14. de Actibus hum. cap. 1. num. 6.*

Confirmant argumentum, idem Ribadeneyra, Thyrſo, & alij poſt Antonium Perez ex Auguſt. de Prædeſt. Sanctorum; vbi verba Pauli: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*, expendens, hęc habet: *Quis enim non videat priùs eſſe cogitare quàm credere? Nullus quippè credit aliquid niſi priùs cogitaverit eſſe credendum* Et infrà: *Si non ſumus idonei cogitare aliquid, quaſi ex nobis metipſis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; profectò non ſumus idonei credere aliquid, quaſi ex nobis metipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus; ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipiamus ex Deo eſt.* Ex quibus ita objicitur; ſicut priùs eſt cogitare quàm credere, ita priùs eſt voluntatem prædeterminari à Deo, quàm conſentire, & ſicut illa cogitatio eſt à nobis inacquiribilis, ita hęc prędeterminatio, ſed quia priùs eſt cogitare, quàm credere, & cogitatio non eſt in noſtra poteſtate, infertur ex Auguſt. ſine cogitatione non dari verùm poſſe ad credendum; ergò paritèr ſine prædeterminatione non datur verum poſſe ad conſentiendum.

*Ribadeneyra vbi ſup. Avendaño diſp. 10. c. 1. ſect. 2. Thyrſo, t. 4. diſp. 4. ſect. 39. & alibi pluries. Antonius Perez de Provident. diſp. vltima ſect. 1. n. 13. Aug. cap. 2. de Prædeſt. Sanctorum.*

Confirmant hoc: prædeterminatio eſt principium conſenſus per illam enim Deus facit, vt faciamus, ſed potentia, vt tradit Div. Thomàs: *Nihil aliud ſignificat niſi principium alicuius actus*; ergò prædeterminatio eſt potentia ad conſenſum: hoc argumentum licèt non ita efficacitèr propoſitum tradit Izquierdo.

*Ribad. vbi ſuprà. Thyrſo, t. 1. diſp. 15. ſect. 2. num. 19. D. Tho. 1. p. q. 41. art. 4. Izquierdo, q. 10. prop. 2. n. 506.*

465 Reſp. hoc argumentum ex æquivocatione procedere, quia fatemur poſſe voluntatis, ſicut, quia potentiæ cæcę indiget cognitione intellectus, quia potentiæ ſecundæ indigere motione Dei, ſed ad poſſe nó indiget motione efficaci, ſed ſufficiente, & per præmotionem efficacem non ſubordinatur Deo vt poſsit agere, ſed vt agat, quia ſubordinatur Deo media volitione efficaci, qua vult actum exiſtere, vt volũtas agat, ſed vt voluntas poſsit, media volitione, qua vult exiſtere poſſe voluntatis, & cum hæc volitio poſsit exiſtere ſine prima, & auxilium efficax ſit effectus primę volitionis ſtat poſſe voluntatis eſſe ſubordinatũ Deo, licèt non habeat phyſicam præmotionem; vndè potiùs exemplo redarguo, vt poſſe voluntatis ſubordinetur intellectui ſolùm indiget voluntas cognitione proponente obiectum, non efficacitèr movente ad actum; ergò vt poſſe voluntatis ſubordinetur Deo ſolùm indigebit voluntas motione ſufficiente, non efficaci.

Vndè ad confirmationem reſp. argumentum Auguſt. eſſe evidens, ſivè à paritate, ſivè à priori, quia ſi ex Paulo non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis; ergò nec credere, vel quia magis eſt credere, quàm co-

gitare, vel quia poſſe credere per ipſum cogitare conſtituitur, ſed poſſe conſentire non conſtituitur per motionem efficacem, ſed per ſufficientem, & ſic redarguo vt ſuprà, ſi licèt non detur poſſe credere ſine cogitatione ſufficiente immiſſa à Deo, datur poſſe credere ſine cogitatione efficaci, licèt non detur poſſe conſentire ſine motione ſufficiente immiſſa à Deo, dabitur ſine efficaci.

Vim confirmationis ex D. Thoma non percipio, quia licèt prædeterminatio ſe teneret ex parte potẽtiæ, potentia non foret, ſicut ſe tenet ex parte actus, quin ſit actus, nec omne principium actus eſt potentia, vt patet in auxilio ſufficiente, habitu, & ſpecie intelligibili, & alijs; vndè D. Thomas debet intelligi de eo, quod ſit potentia omne, quod eſt principium, vt agens, & prædeterminatio non eſt conſentiens, ſed movẽs ad conſenſum; ſicut in alijs principijs ſit manifeſtum; vndè reſp. prædeterminationem non eſſe potẽtiam, quia non eſt agens; non ſe tenere ex parte potentię, quia non eſt principium actus per modum virtutis, ſed applicationis ad actum.

*Thyrſo, t. 1. diſp. 13. ſect 2.*

466 Opponunt 2. & inſurges ex his contra doctrinam traditam: ideò cognitio conſtituit actum primum proximum amandi, quia amor eſſentialiter prærequirit cognitionem, nihilquè volitum, quin præcognitum; ſanè enim alia ratio excogitari non poteſt; ſed amor eſſentialiter prærequirit prædeterminationẽ; nihilque volitum, quin prędeterminatum; ergò prædeterminatio conſtituit actum primum proximum amandi. ¶ Vrgetur; prædeterminatio ſemel prærequiſita ad amorem non eſt ratio; cùr non conſtituat poteſtatem proximam amandi; ergò conſtituit: Prob. antec. vel eſſet, quia non eſt exacta per modum virtutis operativæ, ſed conditionis: hoc non obeſt vt conſtituat, quia exiſtentia cauſæ non eſt virtus effectiva, ſed conditio, & conſtituit poteſtatem proximam: vel eſſet, quia applicat virtutem proximam ad actum; vndè prævenit actum, & nõ conſtituit poteſtatem; ſed hoc non ſufficit, quia omnis applicatio, ſivè *phyſica* per approximationem localem, ſivè *intentionalis* per cognitionem conſtituit poſſe; ergò prædeterminatio, quia applicatio, non rectè à conſtitutivis poteſtatis excluditur. ¶ Dices, alias applicationes ſe tenere ex parte potentiæ, prædeterminationẽ verò intervenire inter potentiam, & actum. ¶ Sed gratis hoc dicitur; cùr enim applicatio prędeterminationis mediat inter potentiam, & actum, ſi omnes aliæ applicationes ſe tenent ex parte potentiæ?

*Sup, n. 128.*

Vrgetur 2. Libertas conſiſtit in poteſtate expedita, vt cum D. Thoma edocuimus, ſed licèt prædeterminatio non conſtituat potentiam in ratione operativæ, conſtituit in ratione potentiæ expeditæ; ergò conſtituit potentiam vt liberam: Prob. Min. Dantur plura prędrequiſita, quæ licèt non conſtituant potentiam in ratione activæ, & operativæ, conſtituunt eam in ratione potentiæ expeditę, ſeù proximè potentis; ſicut indiſtantia localis ad combuſtibilè nõ conſtituit potentiam calefactivam in ratione virtutis activæ, non enim eſt virtus effectiva, conſtituit verò eam proximè potentem, quia reddit approximatam, cum ſit applicatio virtutis activæ ignis; ſed prædeterminatio, licèt non ſit virtus effectiva actus reddit eam applicatam ad agẽdum, cum ſit applicatio virtutis activæ; ergò.

*F. Ildephõſ. Michael. q. 19. de Volũtate, art. 8. d. 1. n. 350.*

467 Ex doctrina M. Fr. Ildephonſi Michaelis olim Primarij Noſtri; quàm valdè notabilem vocat: prævaluit ſolutio; quod licèt omnes alię applicationes prærequiſitæ ad agendum eſſent neceſſariæ ex parte actus primi, ſeù potentiæ proximæ;

præ-

prædeterminatio ſolùm exigitur, vt actus primus reducatur ad actum ſecundum; & ratio eſt: quia ſemper, quod prærequiſitum ad actionem eſt tale, quod illo præſuppoſito poteſt non ſequi actio ſe tenet ex parte potentiæ proximæ: ideò cognitio ſe tenet ex parte actus primi ad electionem, & equs v. g. requiritur ex parte actus primi ad equitandum; quia adhùc poſito equo poſſum non equitare; at verò poſita prædeterminatione ponitur actus re ipſa, quia affert ſecum actum; vndè non requiritur ex parte actus primi.

468 Huic tamen regulæ parum certitudinis tribuo; quia indubium eſt dari plura prærequiſita ad actum connexa cum illo, ſeù quibus poſitis non poteſt non poni actio, & tamen ſe tenent ex parte actus primi, ſeù potentiæ proximæ; viſio beata eſt connexa cum amore Dei, & illa poſita non poteſt non poni amor, & tamẽ requiritur ex parte potentiæ, ſeù actus primi ad amorem; ſimilitèr, principium, quod foret neceſsitas antecedens ad actum, non poſſet eſſe ſine actu, & eſſet requiſitum ex parte actus primi; aliàs non foret neceſſitans: quod edocuit D. Thom. de iudicio determinante bruta ad agendum; ergò omninò inefficacitèr colligitur prędeterminationem non eſſe requiſitam ex parte actus primi; quia eſt connexa cum actu, & illum ſecum affert. ¶ Si dicas; regulam illam intelligi de actibus liberis, non de neceſſarijs; quia licèt prærequiſita ex parte actus primi, ad actum neceſſarium poſsint eſſe connexa, vt in exemplis adductis; ſecus in actu libero, ad quem eſt prærequiſita prędeterminatio. ¶ Fateor ita eſſe, ſed hæc nequit eſſe ſolutio, nec ratio, vt prædeterminatio non conſtituat poteſtatem, niſi incurratur vitioſus circulus, cum manifeſta petitione principij: intendunt Adverſarij, conſenſum prædeterminatum non eſſe liberum: hoc ſuadent, quia prædeterminatio prærequiſita conſtitueret poteſtatem: & hoc antecedens probant; quia omnia prærequiſita, licèt ſe habeant, vt applicationes virtutis activæ ſe tenent, ex parte actus primi. Reſpondes, prędeterminationem nõ exigi ex parte actus primi; quia conſenſus eſt liber; vndè contradictoriũ primi conſequentis reddis pro ratione negandi ſecundam conſequentiam, quod eſt incidere in formalem definitionem petitionis principij: & argumento reſpondes, ſupponendo libertatem conſenſus prędeterminati, quam argumentum evertit, quod manifeſtè eſt principium petere: & cum conſenſum prædeterminatum eſſe liberum colligatur ex eo, quod prędeterminatio connexa non conſtituit poteſtatem, & ita poteſtas manet indifferens; ſi vlteriùs, prædeterminationem non conſtituere poteſtatem colligimus ex libertate conſenſus, dum in hoc circulo vnum viciſsim eſt alteriùs ratio, vtrùmque adſtruitur ſine ratione.

469 Meditavi diſtinctionem novam (quàm me adducto libentiſsimè amplectitur SS. M. Carraſco,) poſteris forsàn placituram, vt obiectionem propoſitam contererem: prærequiſitum, quod non eſt virtus activa, ſed applicatio cauſę, poteſt eſſe duplex, vel applicatio cauſæ ad aliam cauſam, vel applicatio cauſæ ad actum; applicatio prærequiſita cauſę ad cauſam eſt exacta ex parte actus primi, ſeù potentiæ expeditę, ita vt ſine illa, nec ſit actus, nec poſſe ad actum: applicatio verò licèt prærequiſita, quę non eſt cauſæ ad cauſam; ſed cauſæ ad actum non ſe tenet ex parte actus primi, ſeù potentię expeditæ, ita vt ſine illa ſit poſſe ad actum, licèt actus non poſsit eſſe ſine illa, 1. generis ſunt applicationes localis, & intentionalis, 2. verò eſt applicatio prædeterminationis. ¶ Principium, quod aſſumo ratione, & exẽ-

plis

*D. Thom. allatus, num. 125.*

*M. Carraſco de Voluntate Dei, dub. 6 num. 532.*

plis persuadeo: & 1. quoad primam partem, scilicèt, quod applicatio virtutis activæ, seù vnius causæ ad aliã causam constituat posse expeditum ex parte actus primi ad actum; ex eo constat, quod effectus dependet in actu primo ab omnibus suis causis; ergò vsque dum omnes causæ effectus simul sint non est posse expeditum ad effectum; vndè applicatio vnius causæ ad aliam posse constituit: ideò applicatio intentionalis, & localis posse constituunt ad volitionem, vel calefactionem; v.g. Nam cognitio applicat obiectum voluntati, sed obiectum in omni sententia est causa volitionis, sivè formalis, effectiva, aut finalis, iuxtà diversa placita; vndè voluntas non est potens velle obiectum non præcognitum: applicatio verò localis; v. g. ignis ad lignum, licèt non fit applicatio virtutis ad obiectũ erga quod; est applicatio virtutis calefactivę ad subiectum in quo: lignum enim est causa materialis calefactionis, & applicare ignem ligno est causam calefactionis applicare causę, & ideò ignis non est potens expedite calefacere lignum non præapplicatum, seù localitèr distans.

470 Ratio verò principij quoad secundam partem, scilicèt, quod applicatio causæ non ad aliam causam; sed ad actum, non constituit posse expeditum ad agendum; desumitur 1. quia hæc applicatio est potestatis adæquatę, solùm enim potestas adæquata potest reduci ad actum; ergò illam supponit, non constituit, quia priùs est potestatem adęquatam esse, quàm esse applicatam; (2) quia causam applicari ad agendum exigitur, vt agat, nõ vt possit agere, aliàs causam applicari ad non agendum exigeretur, vt posset non agere; vel saltim exigeretur non applicari ad agẽdum: & cum sit impossibilè causam simul applicari, & non applicari ad agendum, & non agendum, simul nõ possent esse posse expeditum agẽdi, & posse expeditum non agendi, & periret libertas. Duo exempla adduco: 1. in actione productiva effectus, quæ non constituit posse expeditum ad agendum, licet sit necessariò exacta vt sit effectus, quia non exigitur vt virtus, nec vt applicatio virtutis ad aliam causam, sed solùm vt causalitas, & productio termini. ¶ 2. Est desumptum ex M. Ferrara, qui nostram doctrinam ita expressè confirmat: qui habet potentiam intellectivam perfectam habitu potest expedite intelligere, & non potest ad actum considerationis exire, nisi adsit voluntatis intentio; cùr ergo hęc motio voluntatis applicans intellectum ad considerandum non cõstituit posse expeditum, si omnes aliæ applicationes posse cõstituunt? Certè, quia motio voluntatis non applicat intellectui causam aliquam intellectionis, sed purè applicat intellectum ad actum intellectionis. *M. Ferrara 3. contra gent. c. 155.*

471 Si tamen hæc, licèt solidè meo iudicio fundata, non placent, doctrinam communem suprà adductam, sic expones: Adiutoria, applicationis intentionalis ad eligendum, localis ad comburendum, equi ad æquitandum, navis ad navigandum, pecuniæ ad emendum: & alia, quam plurima, quæ molestè inculcant Adversarij, exiguntur ad actum, & posse constituunt; quia sunt adiutoria: *sine quibus non fiunt actus, & nõ sunt quibus fiunt*, stat enim omnia hęc adiutoria esse, & non esse actiones; adiutorium verò efficax, edocente Augustino est non solùm, *sine quo non fit, verùmetiam, quo fit propter quod datur, quapropter hoc adiutorium, & quo fit est, & sine quo non fit*; vndè non est necesse, quod exigatur ad posse, sed ad agere. *Aug. lare adductus sect. 5.*

Nota. Hanc consequentiam esse rectam: *Adiutorium* A, *est sine quo non fit actus, & non est quo fit; ergò constituit posse*, vt in alimentis exactis

ctis ad vitam expoſſuit Auguſtinus, & hanc, Conſeq. adducimus, vt omnia adiutoria, de quibus in argumento conſtituant poſſe; hæc verò conſequentia eſt mala: *Adiutorium* A, *eſt ſine quo non fit actus, & quo fit; ergò non requiriritur ad poſſe*; quia evidenter inſtatur in adiutorio neceſsitante, & viſionis beatę ad amandum Deum; vndè nè principium manifeſtè petamus, ſi recurrimus ad libertatem actus adiuti, hanc Conſeq. inefficacem fateri debemus. ¶ Sed inquires: ſi adiutorium *ſine quo* non fit actus, & *quo* fit; aliquando eſt exactum ad poſſe, & aliquando ſolùm ad agere; vnde ſuadebimus, adiutorium efficax gratiæ eſſe ex his, quæ vnicè deſiderantur ad agere? ¶ Reſp. 1. ex Auguſt. quia eſt adiutorium præſtans, *velle, quod poſſumus, non poſſe, quod vollumus*. 2. ex eodem M. P. quia poſſe eſt ſine illo, Adamus enim, cui defuit adiutorium efficax, potuit perſeverare ſi vellet, per adiutoriũ, quod habuit. 3. Quia conſequenter ad noſtram libertatem, hoc adiutorium à Deo expoſcimus, vt ſingulare Dei donum, & beneficium.

*Thyrſo, diſp. 4. ſect. 7. n. 96.* *Aug. lib. 1. de Lib. Arbit. cap. 16.*

472 Sed oppones 3. cum R. Thyrſo poſt alios: Gratia efficax colligitur ex Auguſt. edocente: *Certum eſt nos facere, cum facimus, ſed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficaciſsimas voluntati, qui dixit, faciam vt in præceptis meis ambuletis*; ergò per prędeterminationem Deus prębet vires efficaciſsimas vt faciamus, ſed quod præſtat vires ad agendum conſtituit poſſe agere, & ſpectat ad actũ primũ; ergò prædeterminatio conſtituit poſſe. ¶ Confirm. ex A. vendaño poſt alios: Thomiſtæ exigimus prædeterminationem, vt voluntas contineat vltimam actualitatem effectus, quàm non continet niſi à Deo determinetur, cum ex ſe ſolũ habeat rationem potentię; ſed quęlibet potentia in ratione activę conſtituitur per id, quod eam conſtituit in ratione continentis omnes formalitates effectus; ergò prædeterminatio conſtituit potentiã in ratione activæ.

*Vendaño, diſp. 17. de Libert. c. 2. ſect. 4. n. 8.*

473 Nec vales ſi dicas cum PP. Salmanticenſibus: quod præmotio phyſica, qua parte præſtat vires ad actualitatem, & exiſtentiam operationis cõplet actũ primũ, & qua parte applicat, & determinat actũ primũ nõ eſt actus primus, nec ſecũdus; ſed eſt indiſſolubilis nexus inter vtrùmq; & ſub hoc cõceptu ſupponit actũ primũ nõ præſtat cõplemẽtũ, ſed reductionẽ ad actũ ſecũdũ. ¶ Quia cõtra eſt, quid eſt prædeterminationem complere actum primũ? Eſt purè perficere ipſum, & cõplemẽtũ actus ſecũdi obtinere? Si ita nullus negavit hanc perfectionem, & complementum actus primi prædeterminationi cõpetere; imò, & potiori iure ipſi actui ſecũdo; quia cõplemẽtũ, quod actus ſecũdus tribuit primo, ſolũ pręſtatur àprædeterminatione applicativè, & ab ipſo actu ſecũdo propriè, & formalitèr; ſi eſt vt indicãt iſti SS. PP. cõplere actũ primũ in linea actus primi, quatenus vires illius cõplet, & ſufficiẽtes reddit ad actualitatẽ exiſtẽtiæ, & operationis, cũ illorũ venia, omninò falſum mihi videtur: 1. ex his, quæ ſupra adduxi, vt probarem principium licèt inadæquatum conſtituens poſſe, ſi eſt connexum, & independens à voluntate, eſſe neceſsitatem ſimplicitèr antecedentem, & de medio tollere libertatem; quin ſufficiat munera, & formalitates diverſas aſsignare; nam cùr equo iure in quolibet principio neceſsitante munera diverſa non inveniem, vt præſtat vires ad actũ ſecũdũ, & vt applicat, & determinat ad ipſum? ¶ 2. Ex conſtitutione Innocentij X. errores Janſenij damnantis; homini iuſto præcepta Dei non ſunt impoſsibilia, nec deeſt gratia, qua poſsibilia fiant ſecundùm præſentes, quas habet vires; ſed homini iuſto ſæpè præcipitur exiſtentia, & actualitas operationis, & mul-

*Sup. n. 195.*

*Innoc. X. in Conſtit. quæ incipit: Cũ occaſione.*

toties deficit gratia efficax prædeterminans, aliàs nunquàm peccaret; ergò gratia efficax non dat vires sufficientes ad existentiam, & actualitatem operationis. ¶ 3. Quia actualitas, & existentia operationis non esset libere, imò libertas contrarietatis omninò periret: Prob. sequelam: libertas consistit in potestate completa, & expedita, seù in sufficientia indifferente, vel indifferentia sufficiente; & si præscinditur prædeterminatio requisita ad posse non est sufficientia ad actualitatem; si verò non præscinditur prædeterminatio connexa non est indifferentia: imò cum prædeterminationes ad actualitates contrariè oppositas non possint coëxistere, libertas contrarietatis periret, quæ debet constitui per sufficientiam ad contraria extrema.

P. Palanco de Provid. q. 14. sect. 1. n. 8 fol. 302. August. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 16.

474 Augustini testimoniũ necesse est operosiùs pertractare, quia Doctus Recentior sæpiùs laudatus, miratur quam longè absint ferè omnes Recentiores vtriusquè Scholæ à mẽte Div. August. in explicando vires illas efficacissimas ab ipso traditas: integram referamus August. sententiam: *Certum est* (ait) *nos velle cum volumus, sed ille facit vt vellimus bonum, de quo dictum est*: Præparatur voluntas à Domino; *de quo dictum est*: Deus est, qui operatur in vobis velle, & operari. *Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit*: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea *observetis, & faciatis*. Hucusquè August. ad cuius expositionem tria certa supponit. 1. aliud esse velle nos facere, aliud facere. 2. quod hæc vox *voluntas* apud Sanct. sæpiùs sumitur, non tàm pro ipsa potẽtia, seù principio volitionis, quàm pro ipsa actuali volitione. 3. voluntatem aliquando esse in nobis, ita infirmam, & debilem, vt non sufficiat ad faciendum idipsum, quod volumus, & ideò *à Deo petendum esse, vt tantùm vellimus, quantùm sufficit vt volendo faciamus*. Vndè respondet mentem Sancti esse, Deum facere vt vellimus, purè operando in nobis velle, non vires efficacissimas præstando principio, vt vellit; sed sua operatione immediata; & ideò hoc probat August. ex illo: *Deus est, qui operatur in nobis velle*. Deum verò facere vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, hoc est volitioni, quatenus in nobis operetur nõ volitionem *parvam*, & *invalidam*, sed *magnam*, & *robustam*, volitione enim ita forti vires efficacissimas Deus tribuit, vt faciamus.

*Aug. ibi.*

*Aug. ibi.*

Non diffiteor, voluntatem vsurpari pro actu volendi ab August. nec volitionem boni posse esse ineffacem, vt faciamus, imò infrà exprofesso hæc fundabo. Solùm impugno esse necessarias vires efficacissimas nobis à Deo exhibitas in volitione, vt faciamus, & similes vires non præstari nobis à Deo, vt vellimus, vt non solùm sit intrinseca nobis vis efficacissima, vt faciamus iuxtà August. sed etiam, vt vellimus; vndè istę vires efficacissimæ August. non solùm sunt in volitione, vt imperet executionem, sicut iam olim dixerunt Ripalda, P. Antonius Perez, & alij; sed etiam in voluntate, seù principio, vt se determinet ad electionem.

*Infrà disp. 3. q. 4.*

*Ripalda ad. vers. Bai. disput. 23. sect. 26.*

*P. Ant. Perez de Provid. disputa vlt. sect. 11.*

475 Et 1. Si ob difficultatem exequendi Dei præcepta exigitur Deum conferre vires efficacissimas actui, seù volitioni, vt exequutionẽ boni imperet; cùr propter *terribiles fævasque passiones* retardantes boni electionem, non conferet Deus vires efficacissimas voluntati, vt ad eligẽdum bonum se determinet? 2. Quia August. in libro integro de Gratia Christi, voluntatem, & actionem divinæ gratiæ adiuvari auxilio, idest, velle, & facere, probat adversus Pelagium, exponitque *quemadmodum Deus adiuvando adest voluntatibus*, &

*August. de Gratia Christi, cap. 45. Aug. ibi, c. 34.*

*& actionibus nostris*; & demonstrat *voluntatem, & actionem subministratione S. Spiritus adiuvari*, dum refutat, *Deum non adiuvare vt vellimus, non adiuvare vt agamus.* Vbi ergo diversitas vt dum affirmat nobis Deũ donare vires efficaciſsimas, vt agamus, eas nobis donari neget, vt vellimus? 3. Quia Deum eodem modo facere vt vellimus, ac vt faciamus ex verbis ipsius Augustſ. ex quibus argumentum desumitur, manifestè, ni fallor, deducitur; vndè enim probat Augustſ. Deum *facere vt vellimus bonũ*; quia dictum est *Deus est, qui operatur in vobis, & velle.* Non dixit ampliùs Sanctus ex Apostolo? Fortè ex Bibliopolæ defectu deficit in testimonio vt adducto à præclaro isto Magistro, & *operari*, quod ex Apostolo Augustſ. transcripsit: Quia licèt in vulgata sit *velle, & perficere*; iam alibi Sanctus dixit: *Vel sicut in alijs, & maximè Græcis codicibus legitur, & velle, & operari.* Si ergo Deus facit vt vellimus bonum *operando in nobis velle*, quin nobis exhibeat vires efficaciſsimas vt vellimus, cùr Deus non faciet, vt faciamus bonum *operando, & in nobis operari*, quin nobis exhibeat vires efficaciſsimas vt faciamus, & bonum operemur? Vndè verò probat Augustſ. *Deum facere, vt faciamus præbendo vires efficaciſsimas voluntati*? Ex illis verbis Ezechielis: *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea observetis, & faciatis.* Quod testimonium amplectitur velle, & operari, in vulgata legitur: *Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Paulò que inferiùs; *& displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra.* Quis ex hoc testimonio inferat, Deum ponere in nobis spiritum vires efficaciſsimas exhibentem vt operemur, & non vt in præceptis eius ambulemus, *non corporis gressu, sed mentis affectu*, iudicia Dei custodiamus, & displiceant nobis iniquitates nostræ? Quid enim ampliùs dicit, Deum præstare vires efficaciſsimas vt velimus, quàm *interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum bonas voluntates*?

*Aug. ibi, cap. 5.*

*Augustſ. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 16.*

*Ad Philip. 2.*

*Augustſ. de Gratia Christi, cap. 5.*

*Ezechiel, c. 36. v. 26.*

*Augustſ. de Gratia Christi, cap. 24.*

476 Vndè resp. Indubium esse ex M. P. *Deum facere vt faciamus præbendo vires efficaciſsimas voluntati*; vndè non sunt vires gratiæ ab extrinseco efficaces, neque enim istæ efficaciſsimæ vocari possẽt: sed Deus facit, vt faciamus priùs præstando vires, & posse per auxilium sufficiẽs, posteà per efficax reddendo efficaciſsimas vires auxilij sufficientis; vndè gratia efficax vires supponit, quas efficaciſsimas reddit: vires enim vt ambularet in præceptis Dei habuit Adamus, sed non habuit gratiam, quę efficaciſsimas illas cõstitueret ex M. P. dum enim Deus admonitionibus suadet, auxilio virtutis Christi vires donat, & dum *subsidium præstat fortiùs* eas efficaciſsimas reddit, vtroque autem beneficio nos afficere: Nec hanc Sancti expositionem possunt refutare PP. Salmant. ita enim aliquando asserunt. *Si Augustſ. aliquando asserit auxilium efficax præstare vires, semper adiecit*; efficaciſsimas, insuperabiles, *vel quid simile: per quod denotat auxilium efficax supponere posse vtcumque, & constituere illud posse in ratione efficacis, & invicti, hoc est, cum opere infallibiliter coniuncti.*

*S. Cyrilus, vbi suprà.*

*Salmantic. disp. 2. de gratia efficaci, dub. 4. num. 247.*

Sed hanc expositionem oppugnat. M. Palanco; quia Augustſ. ait Deũ præstare vires efficaciſsimas voluntati, sed vires auxilij sufficientis non possunt dici efficaciſsimæ, adhùc ratione alteriùs auxilij efficacis; Ergò: Probat Min. Vires auxilij sufficientis in prędicto casu solùm essent efficaces

*Palanco, vbi suprà.*

ces ab extrinſeco, & accidentalitèr, ſcilicèt per auxilium efficax ab extrinſeco ſuperadditum, ſed vires ab extrinſeco efficaces efficaciſimę vocari nõ poſſunt; cum ideò aſſeramus, quod Auguſt. non vocaret vires auxilij efficaciſsimas, ſi eſſent efficaces à præſcientia; Ergò. ¶ Reſpondeo: Vires voluntati à Deo exhibitas eſſe efficaciſsimas, ſi eſt intrinſecum voluntati ſufficientèr adiutæ auxilium intrinſecè efficax, non enim eſt extrinſecum virtuti, quod intrinſecè ineſt potentiæ cuius eſt virtus; ſicut iuſtus habet vires meritorias ad miſerendum, licèt miſericordia, ſeù virtus miſerendi ſit diſtincta à charitate, ſeù virtute merendi, quia vtraque eſt iuſto intrinſeca; quid verò ſimile eſt dum efficacia auxilij deſumitur à præſcientia extrinſeca potentiæ, & auxilio?

477 Potiùs, ni fallor, argumentũ ſumit efficaciſsimas vires in oppugnantem: vires efficaciſsimæ ſunt vires intrinſecè, & metaphyſicè connexæ cum effectu; vt ſupponit hìc Author: ſed volitio illa fortis, & robuſta non habet connexionem metaphyſicam cum facere; vt eſt communis Theologorum ſententia, à qua nec recedit hìc Author; nec in actibus purè à voluntate imperatis negari poteſt; imò volitioni illæ efficaci non video Auguſtinum tribuere talem connexionem; ſolùm enim ait: *Tantùm vellimus, quantùm ſufficit, vt volendo faciamus*: Et alibi: *Tantùm quippè accenditur voluntas eorum, vt ideò ſic poſsint, quia ſic volunt*: Ergò in illa volitione non ſunt vires efficaciſsimæ, vt faciamus. ¶ Vel alitèr: vel vires ſufficientes ad faciendum ſunt ſine volitione ita forti, vel non? Si 1. & tamen Auguſtinus dixit de volitione illa præſtare vires efficaciſsimas vt faciamus: ergò gratia efficax poterit præſtare vires efficaciſsimas vt velimus; licèt ſine illa ſint vires ſufficientes ad velle: Si 2. ergo nunquã ſumus ſufficientes facere, quod non facimus; quia dum adſunt vires efficaciſsimæ vt faciamus, facimus; & dum abſunt ſufficientes, facere non poſſumus.

*Palanco, q. 13. ſect. 4.*

*Palanco, q. 17. ſect. 7.*

*Aug. ibi.*

*Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 12.*

478 Ad conf. reſp. Nos non exigere prędeterminationem, vt voluntas cõtineat actualitatem, & exiſtentiam operationis, ſed vt continentia hæc ſit determinata; non vt voluntas ſit potentia ad vtrùmlibet; ſed exigitur vt voluntas non ſit in potentia ad vtrùmlibet; & rationem eſſe, quæ cõmunitèr tradditur: quia cum voluntas habet illam continentiam indifferentem, & potentialem ex parte ſui, indiget vt efficiat motione reducente ipſam ad actum; quia, quod eſt in potentia, & indifferens non poteſt niſi determinetur, determinatum effectum cauſare, & ſe in actum reducere, non verò motio exigitur vt continentia ſit, ſed vt determinetur; non vt potentia ad vtrùmlibet ſit; ſed vt in potentia ad vtrùmlibet non ſit.

479 Duo argumenta deficiunt 1. Quomodò erit poteſtas ad terminum, ſine prærequiſito, quòd voluntas non poteſt comparare? Quod in diſp. 3. diſſolvetur: 2. Quòd decretũ applicativum omnipotentiæ libertatem noſtram conſtituit? Et hoc proprium locum obtinet in tract. de Cõcordia libertatis, cum divinis prędiffinitionibus; nunc indicare ſufficiat, hoc decretum minimè eſſe indifferẽs, quia determinabilè à voluntate; ſed eſſe ex ſe efficax non erga exercitiũ liberum; ſed erga libertatem, vndè inconiungibilè cum defectu libertatis, quàm efficacitèr decernit, coniũgibilè verò cum vtroque libertatis extremo, quia neutrum decernit; minimè verò eſſe conſtitutivum libertatis noſtræ formalitèr, ſed ſolùm effectivè; quia illam efficit, quæ nunc indicare ſufficiat ſuo loco, Deo fovente, exprofeſſo diſcutienda.

*Diſp. 3. q. 4. per totam.*

)?(

AD-

## ADDITIO.

480 PLura ingeniosè excogitarũt contrariæ opinionis Recentiores Docti: tùm, vt nostras rationes infringant; tùm, vt argumenta sua roborent, solutiones nostras impugnando: Duo faciam, & rationes esse adhùc efficaces suadere; Et solutiones inefficaces non probari: In quorum primo tria instaurare oportet; probationem ex M.P.Augustino; ex ratione Theologica, & ex Angelico Magistro.

Ad rationem, qua probabimus adiutorium *quò*, seù efficax non esse constitutivum potestatis ad perseverandum; Resp. Doctor Prado, & evidentèr, vt iudicat, quod Adamus habuit *posse* sine adiutorio *quò*, seù efficaci, quia sine hoc stat posse, peradiutorium *sine quò*, seù sufficiens: cum quo rectè cõciliatur, quod adiutoriũ *quò* quando datur, posse constituat: sicut sine habitu fidei datur posse credere in infideli, non tamen stat, quod existente habitu fidei hìc non constituat posse credere: Et explicat mea doctrina in duobus auxilijs sufficientibus: *Vel animis rationalibus, quælibet est sufficiens ad constituendum hominem neutra est exacta, vt sit aliquis homo: sed quælibet necessariò exigitur, vt sit homo ille, qui per ipsam constituitur.* Et concludit: *Optima, & evidens responsio, sed simul evidens solutio sui argumenti: quin necesse sit recurrere ad solutionem P. Thyrsi nitentem in intelligentia adiutorij* quò, *& sine quò, semper difficili, sed hìc non necessaria.*

Sup. à n. 420 Prado, disp. 6. sect. 7. à n. 93.

Infr. disp. 3. q. 4. sect. 1.

Certè evidens erit solutio si adiutorium *sine quò*, & *quò*, solùm differunt vt duo auxilia sufficientia, aut duæ animæ rationales; & si auxilium *quò* est solùm ab extrinseco, & accidentalitèr connexum cum perseverãtia; sed hęc omnia falsa sunt, & aliena à mente M. Parentis: Vndè ad solutionem est necessaria difficilis intelligentia adiutorij *quò*; recurriturquè ad secundam illam solutionem superiùs impugnatam.

Sup. à n. 430 Prado, disp. 8. sect. 1. à num. 7.

481 Ad eius verò impugnationes alibi respondet, ad 1. Quod per adiutorium *quò* agimur indeclinabilitèr, & insuperabilitèr ab extrinseco ex consortio divinę pręscientiæ. Ad 2. Adiutorium *quò* definiri ab August. secundùm quod ei extrinsecè accidit, quia definit illud secundùm quod differt ab adiutorio *sine quò*, quę differentia est ei extrinseca, & sic definit illud per prędicatum extrinsecum *insuperabilis*, & *indeclinabilis* entitati adiutorij *quò*: sicut si homo definitur vt prædestinatus necesse erit in definitione assumere prædestinationem eidem extrinsecam. Vel ait: tale adiutorium non dici ab August. *indeclinabilè*, & *insuperabilè*, sed solùm dixit, quod per illud *agimur indeclinabilitèr, & insuperabilitèr.* Ad 3. Resp. Hæc adiutoria esse distincta, quia adiutorium dividitur in inefficax, seù *sine quò*, & efficax, seù *quò*; sed non distingui intrinsecè, ita vt divisio sit generis in species, solùm enim distingui extrinsecè, & accidentalitèr, quasi sit divisio subiecti in accidentia. Ad 4. Verùm esse Massilienses, ex adiutorio *quò* intulisse *desperationem hominibus exhiberi*: vt testatur S. Hylarius, sed exindè non est necesse adstruere adiutorium *quò* intrinsicè connexum, quia nil est cogens vt illationem Massiliẽsum, ita difficilèm asseramus, illatio igitur Hæretica solùm nitebatur in difficultate libertatis perseverandi, cum eo, quòd Deus donet perseverãtiam, licèt per donum inconnexum, indifferens, & à nobis determinabilè: Nec ei displicet solutio P. Henao, à me impugnata, quid enim refert Aug. tantopere laborasse librum de Dono Perseverantiæ, vt Massilienses decepti putantes August. edocuisse adiutorium *quò* intrinsicè efficax colligerẽt hominum desperationem. Et ideò Respondet iuxtà August. falsum esse

Prado, ibi, num. 18.

*quidquidlibet donatum prædeſtinatis, id poſſe amittere, & retinere* in ſenſu Maſsilienſium, quia dicebant id poſſe *propria voluntate*; quę verba immediatè ſequentia debui non omittere, quia in ijs denotatur perverſa doctrina, quę dona divinæ gratiæ faciebat dependentia à merito proprio, ex viribus naturæ elicito.

*Prado ibi. num.* 18. Ad vltimum ait cauſalem Auguſt. eſſe veram, quia adiutorium efficax poteſt reddi pro ratione perſeverandi, ſi ly *quia* donotet rationem cauſæ ſimplicitèr ipſius perſeverantiæ: ſed verùm eſt cauſalem Societatis eſſe veram, quia perſeverantia eſt ratio inferens infallibilitatem auxilij. ¶ Adducitque teſtimonia D. Auguſt. vt ſuadeat adiutorium *quò* ex mente M. Parentis conſtituere poteſtatem, quæ nunc omittimus, quia in diſput. ſequenti examinantur.

*Diſp. 3. q. 4.*

482 Sed hęc minimè efficaciam rationum noſtrarum tollunt, Tria prima, ſcilicèt, adiutorium *ſine quò non*, & *quò* ſolùm differre ab extrinſeco, eſſe diviſionem ſubiecti in accidentia, & adiutorium *quò* definiri ab Auguſt. per quid extrinſecum entitati ipſius adiutorij; ſimul impugnantur, quia ex mente Auguſt. hæc adiutoria adinvicem diſtinguntur ex diverſa vtriuſque adiutorij *virtute*, & non aliundè: vndè eſt illa adiutoria confundere, & tantùm effectu, eiuſque præſcientia diſtinguere: ita vt ſolùm diſcriminent penes *eventum*, cùm neque aliud ijs nominibus, *ſine quò*, & *quò*, ſignificari contendunt, niſi quod vnum operetur, alterùm non operetur: Aſſumptum probo: 1. Quia diſtinctionem quoad entitatem vtriuſque adiutorij noverunt Semipelagiani. Deindè *moleſtè ferunt*, ait D. Hylarius, *ita dividi gratiam*, &c. etſi eam minimè probarent, propter errores, quos ex ea diſtinctione gratiarum deduci volebant; quaſi per illam Auguſtinus *deſperationem, aut neceſsitatem* induceret. Sanctiſsimus Pater ſenſum diſtinctionis non improbat, ex illa nullum errorem coligi demonſtrat; Ergò, quia iuxtà Auguſt. ſenſum diſtinctionis attingerunt, & perversè detorquēdo eius authori errores imputarunt; vndè non dixit Hylarius, *ita dividi gratiam* falſo iudicant; ſed *moleſtè ferunt*. ¶ 2. Quia Auguſt. cōparat hæc adiutoria decies novies, & ſumma diſtinctionis eſt, nam adiutorium, *ſine quò* eſt exactum ad manendum *quoniam ſine hoc adiutorio in bono non maneret*; inconnexum verò cū operatione; quia *hoc adiutorium, ſi vellet, deſſereret*. Adiutorium verò *quò, & quo fit eſt propter quod datur, tantum enim, ac tale eſt, vt velimus*: Illa *eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam*: *ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt homo habeat iuſtitiam ſi velit. Secunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit:::Nec illa quidem parva erat. Hæc autem tantò maior vt per illam etiam efficiatur vt homo velit*: quare concludit Adamum *letiore gratia* donatum. Nos *potentiore gratia*. Ergò vtriuſque gratiæ differentia apparet, non aliundè, quàm ex diverſa vtriuſque virtute; quia ſecunda *potentior, maior, & plus potens*. ¶ 3. Conſtat, dum *ipſa adiutoria diſtinguenda* illuſtrat exemplis: *Adiutorium alimentorum eſt* ſine quò *nō fit vt vivamus*: *adiutorium* verò Beatitudinis: *Et quo fit eſt propter quod datur, & ſine quo non fit. Quia ſi data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & ſi data nunquàm fuerit, nunquàm erit. Alimenta verò non conſequenter faciunt, vt homo vivat, ſed ſine illis non poteſt vivere*: Quibus exemplis adiutoria diſtincta quoad entitatem, & activitatem exprimi conſtat; & exēplo Beatitudinis inducto voluiſſe intrinſecam connexionem adiutorij *quò* cum perſeverantia oſtendere: Ita vt SS. Societatis Recentiores intendant eſſe connexionem per identitatem; vt ſuprà diximus; Nec eſt vndè averſemur

*D. Hylarius Epiſt. ad Auguſt.*

*Auguſt. de Corrept. & Gratia, cap. 11. & 12.*

*Sup. n.* 421.

mur connexionem intrinſecam adiutorij *quò* ab Auguſtino tam præſpicuè traditam; quia illa abuſi fuerunt Calvinus, & Janſenius, vt neceſsitatē arbitrio inducerent, ſtat enim Auguſtino adhærere, & aliorum errores vitare. ¶ Et idem fuit M.P. aſſerere voluntatem noſtram *indeclinabilitèr*, & *inſuperabilitèr agi diuina gratia*, ac eam edocere indeclinabilem, & inſuperabilem, ſolùm gratia ſupernaturali poteſt voluntas ſupernaturalitèr agi; ſolùm gratia irreſiſtibili poteſt irreſiſtibilitèr agi; ergò, & ſolùm gratia indeclinabili indeclinabilitèr agi. ¶ Nec 4. ſolvitur: Illationem enim Maſsilienſium eſſe difficilimam dicimus, ſed non ex eo, quod illorum erat argumentum, ſed quia difficultatem agnoverunt S. Patres Proſper, & Hylarius, & illam maximè ponderavit M. Auguſtinus: de quo diffuſè, & ſpecialitèr infrà. ¶ Quod *quidquid-libet donatum prædeſtinatis, id poſſe amittere, & retinere propria voluntate*; (quæ vltima verba omiſsi, quia ad rem non erant; immò ſupponebantur, ſicut enim de inſpirationibus divinis Aug. dixit: *Conſentire autem, aut diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Ita de quodlibet dono, dicebant Maſsilienſes *amittere, aut retinere* propriæ voluntatis prędeſtinatorum eſt.) Vt aſſertum Maſsilienſium impugnavit Auguſt. nō quia dona gratiæ adſtruerent, dependentia à merito elicito viribus naturæ: Sed quia adiutorium *quò* perſeverantiæ, erat cum perſeverantia connexum; Audiamus Auguſtinum: *Nolunt iſtis fratres ita hanc perſeverantiam prædicari, vt non vel ſupplicitèr emereri, vel amitti contumacitèr poſsit, vbi quid dicant parum diligentèr attēdunt, de illa enim perſeverantia loquimur, qua perſeveratur vſque in finem, quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt vſque in finem, ſi autem non perſeveratum eſt vſque in finem, non eſt data*: Quid clariùs, vt nullomodò, ſi *diligenter attenditur* adiutorium *quò*, ſeù donum perſeverantię amitti poſsit? Fortè quod ſubiungit: *Perſeverantiam verò vſque in finem quoniam non habet quiſquam niſi, qui perſeveraverit vſque in finem, multi poſſunt eam habere, nullus amittere.* Vbi connexio intrinſeca adiutorij *quò* patet, quia nullus poteſt illud amittere; Nec nomine adiutorij Sanctus potuit intelligere perſeverantiā formalem; cum adiutorium detur ad comparandam formam, quæ finis, & effectus eſt adiutorij, niſi fortè velis perſeverantiam ſui ipſius adiutorium eſſe; quod admitti non poteſt.

Nec vltimum ſolvitur, quia licèt voluntatem adiuvari poſsit pro cauſa reddi, in ſententia Societatis, vt *volūtas non deficeret, nec vinceretur*, voluntatem *indeclinabilitèr*, & *inſuperabilitèr agi*, non poteſt reddi pro cauſa, (quàm cauſalem edocuit Aug:) cum ab ipſo *non deficere, & non vinci* proveniat, licèt non quod voluntas adiuvetur, tamen quod *indeclinabilitèr, & inſuperabilitèr agatur*.

483 Ad fundamentum, quod ex oratione deſumpſimus, ſolutionem quàm adduximus defendunt, & ad illius impugnationes: Reſpondent. 1. Doctor Prado, cui obiectio non videtur ad modum difficilis; quatuor aſſerendo, quæ ex Auguſt. roborare intendit: & præmiſſa inſtantia, ſingulis noſtris probationibus ſatisfacere; aſſerit primo: non ſolùm iuſtè a nobis peti à Deo *libertatem* conſentiendi, ſed etiam *conſenſum*; quia poſſumus petere à Deo eam libertatem, quàm prævidet efficacem, ſeù coniungendā cum conſenſu; quia hoc in mea manu, non eſt; licèt enim mihi ſit liberū eam quam habeo libertatem reddere efficacem, conſentiendo, non tamen eſt in mea manu, eam, quæ revera de facto à Deo prævidetur, forè efficax, acquirere. Licèt enim poſsim libertati exiſtenti adiungere efficaciam, libertati verò efficaci non exiſtenti nō poſſum præbere exiſtentiam; Et quā-

do

*Disp. 3. q. 1. ſect. 5. & q. 2. ſect. 6.*

*Auguſt. de Spiritu, & littera, cap. 34.*

*Auguſt. de Bono perſeverantiæ, cap. 6.*

*Sup. à num. 434.*

*Prado à n. 107.*

do petimus libertatem non qualecũque; ſed *efficacem*, petimus *conſenſum* ipſum; non vt donum moralitèr diſtinctum ab illa libertate, quàm petimus, licèt moralitèr ſit, quid diſtinctum ab alia libertate, quæ foret inefficax, & quam non petimus.

2. Aſſerit: quod cum conſenſus liber ſolùm poſsit exiſtere ex ſuppoſitione libertatis idem eſt petere conſenſum, ac ipſum petere poſt collatam libertatem; ſed hìc eſſe equivocationem cavendam; quia aliud eſt, quod conſenſus oratione petitus conſequatur ſuppoſitionẽ libertatis; hoc enim eſt verùm; aliud, quod oratio ſignatè petat conſenſum conſequi hanc libertatem numero; hoc enim eſt falſum, quia oratio non ſupponit hanc libertatem, & ea ſuppoſita petit cõſenſum; ſed potiùs petit conſenſum petendo ſuppoſitionem libertatis.

3. Orationem (ait) ſupponentem libertatem aliquam collatam nõ poſſe eſſe prudentem pro conſenſu ſub illa obtinendo, niſi dirigatur vt Deus libertatẽ magis roboret, & perficiat: ¶ Hinc quarto poſt libertatem acceptam, & dum eam experimur in conflictu ſtandi, aut cadendi adhùc *iuſtiſsimum* eſſe orare pro conſenſu, quia *vtiliſsimum* nobis eſt à Deo petere, vt miſericorditèr adijciat novũ ſuæ gratiæ robur; licèt ſtultum forè putet petere à Deo conſenſum, ſub illis ſolis viribus gratiæ, quàm iam habemus. Ex quo infertur immeritò nos obijcere *extingui orationem*, quãdo illam *vtiliſsimam* putant omni tẽpore, pro omni actu bono, aut vitatione peccati, vel pro libertate, vel pro conſenſu; ſolùm enim eſt diverſitas, quod nos aſſerimus ſuppoſita libertate poſſe prudentèr orari pro cõſenſu, non petendo immutationem in conſtitutivis libertatis; iuxtà illos verò, hanc petitionem eſſe imprudẽtem; quia ſolùm poteſt ſuppoſita libertate cõſenſus prudentèr peti, quatenus ſimul petatur, quod immutetur libertas, per novas gratiæ vires?

484 Sed in primo aſſerto non ſolvitur ratio expenſa; quod fruſtrà oramus Deum, vt conferat vnam libertatem præ altera; quia hic modus deprecandi, ſi non continet falſitatẽ, non eſt vndè ſit imprudens: *Domine, dona mihi libertatẽ, quàm malueris, ego enim ex mea vnica determinatione, independenter à noua gratia tua faciam, quod ſemel exiſtens ſit, & à te prævideatur efficax.* *Sup. n.* 434.

In ſecundo aſſerto, non dubitamus valdè diverſa eſſe; quod oratio *ſubiectivè* ſupponat, & conſequatur libertatem conſenſus: Et, quod oratio *obiectivè* tendat in conſenſum cõſequutum ad eius libertatem; hoc ſecundùm ſemper peti, quod oramus conſenſum; ſecundùm ſæpiùs accidere dicimus; Et ideò diſputamus, quomodò ſalvatur oratio, quæ *ſubiectivè* libertatem ſupponat; Et aliquando quomodò aliquis terminus prudentèr petatur, ſi *obiectivè* conſequitur libertatem.

Primus modus fundandi eſt ex oratione conſenſus, *quæ ſubiectivè* ſupponat eius libertatem; de qua eſt tertium, & quartum aſſertum; quod ſcilicèt, ſolùm poteſt prudentèr concipi petendo libertatem in ſuis conſtitutivis immutari.

Sed priùs quàm hęc impugnem Noto duo aſſerere, quaſi à nobis negata, quę certiſsima iudicamus: Primùm, quod *debemus petere illam gratiam, per quam poſſumus*, idquè fundare ſatagit multis Auguſtini teſtimonijs; ſed hoc principium ſacrum, & in Tridentino ſancitum, illis verbis: *Deus iubendo monet petere, quod non poſsis*, fatemur; Dum enim petimus, quod non poſſumus, gratiam per quã poſsimus, petimus; Dubium ſiſtit: An ſit neceſsè orare conſenſum, dum *ſubiectivè* ſupponitur libertas, ſeù gratia per quam poſſumus? *Trident. ſeſſ. 6. cap. 11.*

Secundùm: Quod *poſſumus prudentèr petere à Deo, quod nobis non præ-*

*præcipit Deus*: Quis de hoc dubitat? Non enim nobis præcipit Deus, prædeterminationem, & hãc oramus dũ oramus Deũ determinare, ſeù donare conſenſum; oramus Deum *nobis adverſantia propitiatũ excludere*; & hoc non præcipit nobis Deus: Quod in dubium vertitur eſt; Quomodò ſuppoſita *ſubiectivè* libertate, quàm Deus non præcipit, oremus conſenſum præceptum?

*Domin. 19. poſt Penth.*

485 Ad fundamenta ergo noſtra deſumpta ex illa oratione Auguſt: *Domine da, quod iubes, & iube quod vis*; quàm affirmat, ferrè Pelagium non potuiſſe; ſed magno affectu eam recitabat M. Pater; vt indicat per hęc verba: *Da quod iubes, & iube, quod vis. Tu noſti Domine, de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorũ.* Quæ etiam oratio mirè placuit Sanctæ Thereſiæ, quemadmodũ ſcribitur in eius vita: quàm orationẽ, ſuppoſita *ſubiectivè* libertate, inferre Deum per novam gratiã à libertate diſtinctam donare cõſenſum, & *dare, quod iubet*, quia *nulla ratione peteremus, ſi virtute voluntatis humanæ hoc poſſemus efficere. Non* enim *orãdo peteretur ab eo*, poſt libertatem donatam, *niſi* tunc *ab ipſo tribui crederetur*: potiùs, iuxtà ſententiam contrariam, nos rogandi ſumus, vt gratiæ cooperemur, quàm Deus orandus, vt operetur in nobis, cum poſt datam libertatem ſolùm expectet voluntatem noſtram ex vnica ſua determinatione operaturam. ¶ Similiterquè ad D. Proſperi verba, quod *à Deo ſemper eſt petendum, vt donis eius fidelitèr vtaris*; vndè ſi *ſemper*, poſt dona collata illorum rectum *vſum* petimus: Eodem modò Reſp. petendum eſſe conſenſum *præceptum*, & bonum libertatis *vſum*, ſimul petendo libertatem mutari, & quod Deus adijciat novum robur gratiæ.

*Auguſt. de Bono Perſev. cap. 20. Aug. lib. 10. Confeſſ. cap. 37.*

*Vitæ S. Thereſiæ, c. 13.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. c. 14. et 20.*

486 Sed inſto: Ergò ſuppoſita. Libertate nulla eſt orationis neceſſitas; licèt orare tunc ſit *iuſtiſſimum*, & *vtiliſſimum* nobis: (vt terminis Reſpondentis vtar) Conſeq. videtur conſtans; quia non eſt neceſsè petere, quod non eſt neceſsè; ſi non inutilitèr ſaltem non neceſſariò exoro id, quo non indigeo; Cùr erit neceſsè alterùm exorare, dum poſſum verè ei dicere: *Recede à me non habeo te neceſſarium, dediſti ſemel arbitrij libertatem*: Sed ſuppoſita libertate *ſubiectivè* conſtituta per gratiam, vt conſentiam, vt Deus iubet, non eſt *neceſsè* Deum *miſericorditèr adijcere novum ſuæ gratiæ robur*, nec quod libertas immutetur *maioribus alijs congruiſquè gratiæ donis*: Cùm per quamlibet libertatem, licèt minimã ſit in meo pleno dominio conſentire, quin ſit neceſſaria alteriùs libertatis determinatio; vt Adverſarij ſupponunt: Ergò ſuppoſita *ſubiectivè* libertate non eſt neceſsè exorare Deum vt *donet, quod iubet*, ſeù conſenſum. *Si adeſt poſsibilitas, vt quid rogant? Quod in poteſtate haberetur non vtique poſceretur. Irriſoriam eſſe petitionem* (ait Auguſt.) *à Deo petere, quod ipſo non donante ſit in hominis poteſtate.*

*Auguſt. de Nat. & Gratia, cap. 53. Aug. Ep. 105. Auguſt. de Bono Perſever. cap. 2.*

487 Audiamus Auguſtinum duplex adiutorij genus edocentem: *Cũ videamus* (inquit:) (*exempli gratia*) *& ſine tribulis areas triturari, quãvis adiuvẽt, ſi adſint, & ſine pædagogis poſſe pueros pergere in ſcholã, quãvis ad hoc non ſint inutilia pædagogorum adiumẽta; & multos ab ægritudine ſine medicis convaleſcere, quãvis manifeſta ſint adiutoria medicorum: & alijs ſine cibis pane homines vivere, quamvis panis adiutorium valere plurimum non negetur. Et alia multa, quæ nobis tacentibus, cogitanti, facilè occurrunt. Profectò admonemur, adiutoriorum genera eſſe duo; alia quippè ſunt ſine quibus illud, ad quod adiuvant, effici non poteſt, ſicut ſine navi navigat nemò; ſine voce loquitur, nemò; ſine pedibus*

*Aug. lib. de Geſtis Pelagi, cap. 1.*

gra-

*graditur, nemò: sine luce intuetur, nemò, & multa huiusmodi: vndè est etiã illud, quod nemò sine Dei gratia rectè vivit. Alia verò sunt adiutoria, quibus sic adiuvamur, vt etiam si desint, possit alio modò fieri, propter quod ea requirimus, sicut illa sunt, quæ commemoravi, tribula ad fruges terendas, pædagogus ad puerũ ducendum, medicamentum humanitate cõfectum ad recipiendam salutem, & cuncta talia.*

Hanc adiutoriorum divisionem etiam attulit D. Thomas alijs verbis expressam. Quod enim August. appellat adiutorium, *sine quo illud ad quod adiuvat effici non potest.* Illud nominat S. Thomas *necessarium simplicitèr*; quod verò August. adiutorium, *quod etiam si desit, possit alio modò fieri propter quod id requirimus*, id S. Thomas *necessarium non simplicitèr, sed tantùm secundùm quid*: *Dicendum*, (inquit) *quod necessarium respectu finis dicitur aliquid duplicitèr: vno modò sine quo non potest haberi finis. Sicut cibus est necessarius vitæ humanæ: Et hoc est simplicitèr necessarium ad finẽ. Alio modò dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita convenientèr; sicut equus necessarius est ad iter: Hoc autem non est simplicitèr necessarium ad finem.* Quod & alibi etiam edocuit.

*D Tho. 3. p. q. 65. art. 4. in corp.*

*D. Th. ibi. q. 1. art. 2. in corp.*

488 Ex quibus inferes: supposita libertate, per gratiam excitantẽ constituta, solùm posse peti ad consensum, quod *adiuvet quidem, si adfuerit, possit tamen illud ad quod iubat alio modò fieri, etiam si defuerit*; vel adiutorium ad meliùs, seù non simplicitèr *necessarium*: Sed hoc est petere gratiam ad *faciliùs* implere; & *ipsa oratio non admonevit, quod indigeas adiutorio Domini. Non* enim *posceretur orando, quod homo sibi præstare posset volendo*: Ergò supposita libertate constituta per gratiam non oramus adiutorium, quo indigeamus: nisi Deus donet consensum per gratiam distinctam à libertate.

*Aug. ibi.*

*Aug. Palatino Ep. 6.*

489 Ad fundamentum allatum ex illa oratione Ecclesiæ, *vt ad nullum declinemus peccatum*; dum inquirimus obiectum orationis, qua deprecamur Deum, vt *nos liberet à malo omissionis boni præcepti*: Respondet Doct. Prado instari; quia cõsensus non subsecutus ad prædeterminationem est chymera; ergò solùm possumus prudentèr petere à Deo consensum subsecutũ ad prędeterm. ergò solùm possumus prudentèr petere à Deo consensum ex suppositione prædeterminationis ad ipsum? Negabimus consequentiam, & meritò: Sic ergo dicunt, evitationem peccati existere non posse nisi subsecutam ad aliquam libertatem determinatam, quin indè inferatur quod possimus, hanc evitationem petere ex suppositione collatæ determinatæ libertatis. Vndè vnico verbo illam machinam facilè conteri, (ait P. Ramirez) scilicèt: casum orationis pro quo petimus liberationem à malo omissionis esse casum libertatis ad ipsum vitandum; sed non per orationem, quę supponat casum, nec quæ petat liberationem à malo ex suppositione casus; verùm, quæ petat suppositionem casus, non alitèr, quam in circunstantijs, in quibus coniungendus est cum conversione.

*Sup. n. 437.*

*Prado ibi num. 120.*

*P. Ramirez disp. 5. cap. 3. n. 244.*

490 Instantia in prædeterm. nulla est; oramus Deum, vt donet consensum, & vt libere donet, vndè ex sua determinatione, & dominio; vndè oratio *obiectivè* tendit in consensum, vt donatum, & determinatum à Deo; sed oratio nequit *subiectivè* supponere prędeterminationem cõsensus. Ratio: Nemò petit nisi quod abest. Gratia iam data non est precibus evocanda, sed gratiarum actione in Deum refundenda: Ergò dum *subiectivè* supponitur prædeterm. non est exorandus Deus, vt donet consensum, sed gratias agere tenemur Deo,

Deo, quia donavit consensum: *Orandus* enim *est vt faciat, illi est actio gratiarum reddenda, cum fecerit.* Ratio verò nostra procedit inquirẽdo, obiectùm illius orationis: *Domine, libera me à malo omissionis boni præcepti*: non enim intendimus orationem supponere *subiectivè* libertatẽ: si solùm exoro liberationem à tali malo, ex suppositione libertatis ad bonum præceptum; exoro Deum me liberare ex suppositione, quod sit vnicè in meo dominio, & electione liberare me: si petit suppositionem casus libertatis in circunstantijs, in quibus coniungendus est cum bono precepto. Contra est. Tùm; quod nullatenus petere oportet ad illum finem *liberationis à malo omissionis* suppositionem illam, qua deficiente securiùs obtinebo optatum finem: & deficiente libertate ad bonum præceptum securiùs obtinebo *liberationem à malo omissionis boni præcepti*: nequit enim esse malum moralitèr omittere bonum, quod non possum facere: Ergò non exoro *liberationẽ*, &c. simul petendo suppositionem libertatis. Si peto suppositionem libertatis conditionatè, Idest, quod si Deus libertatem donet, donet prævisam efficacem; restat Argum. superiùs efformatum; quod si semel donata libertate est ex mea vnica determinatione, quod prævideatur efficax; potiùs oratio ita concipi posset: *Domine, si non donas libertatem, liber sum à malo omissionis, si donaveris libertatem, ego ex mea vnica determinatione liberabo me à malo omissionis*; & hoc non est exorare Deum, aut auxilium illius supplicitèr depreca ri.

*Aug. Epist. 107.*

491 Ad id, quod Addimus ex oratione S. Pauli pro Corinthijs dicentis, *oramus nè quid faciatis mali*: ex eo, quod hæc oratio semper *subiectivè* supponit *posse expetite non peccare*: quia dum *non pecco* possum nõ peccare; similitèr dum *pecco*; quia cum peccare sit ex terminis liberè peccare; est, & *posse non peccare*; vndè sivè *peccem*, sivè *non peccem* possum non peccare. Resp. P. Ramirez: confundi potentiam non peccandi *vagè* acceptam, qua ratione indefectibilis, & necessaria est, comprehenditque potentiam non peccandi liberam, & necessariam; cum potestate non peccandi *determinatè* accepta; vt est potentia libera non peccandi, quæ contingens est, neque inepta, vt sit materia prudentis orationis; Petit igitur Christianus dum orat *non peccare* potentiam *liberam* non peccandi: Ecce materiam orationis vtilèm, in quam pro salute spirituali Corinthiorum suas preces dirigebat Apostolus.

*P. Ramirez ibi, n. 241.*

492 Sed contra probo obiectum orationis Apostoli non esse *posse libere non peccare*; sed potiùs ipsum *nõ peccare* suppositа *subiectivè* potestate expedita non peccandi: 1. Quia Augustinus ait: *Non, ait Apostolus, oramus, vt positis nil mali facere, sed nè quid faciatis mali*: Nil expressiùs? ¶ 2. Posse *libere* non peccare suprà posse non peccare, quod necessarium fateris solùm superaddit posse peccare; sed D. Paulus, vt Corinthij non peccarent, seù *vt nil mali facerent* nõ poterat vtilitèr petere *posse peccare*: Ergò Apostolus non dirigebat suas preces in potẽtiam liberam non peccandi: Mai. nota; quia posse libere peccare, est posse peccare, & posse non peccare; vndè dum vna potestas supponitur necessaria, solùm altera potestas desideratur: Min. etiam videtur constans: tùm, quia Paulus solicitus, vt Corinthij non peccarent, non videtur credibilè posse Corinthios peccare, esse materiam vtilèm suæ orationis: Tùm; qui orat optatum finem, nequit petere ex vi illius orationis id quo deficiente securiùs obtinebitur finis, sed Paulus orat pro Corinthijs *nè peccent*; & non peccare securiùs obtinetur si deficit posse

*Augustin. de Gratia Christi, cap. 25.*

peccare, vt patet: ergò per illam orationem non petit Paulus Corinthios *posse peccare*; ergò, nec posse *libere* non peccare: Ergò petit ipsum non peccare, adhùc in ipsis suppositâ potestate expedita non peccandi, quia adhùc postquàm possumus non peccare Dei speciali gratia indigemus, vt non peccemus.

## ADDITIO.

493 FVndamenta adducta per totam Sectionem septimam enervare connantur Recentiores sæpiùs laudati: Doctor Prado refert testimonia gravissima, quibus innixus asserui: *Data potestate expedita per gratiam sufficientem, seù plena libertate, iustè oramus Deum consensum salutarem*; quia licèt in potestate habeat, non sic, *vt ad faciendum nullo indigeat adiumẽto*; solùm enim *frustrà rogamus Deum* dum optatũ *sic in nostra positum est potestate, vt nullo illius adiutorio id valeamus adimplere*; seù dum *semel concessa à Domino potestate nullius alteriùs indigemus* (pende verbum) *auxilio*. Possumus ergo iustè orare Deum suppositâ libertate, quia licèt tunc in potestate habeamus cõsensum, minimè verò ita, vt *nullo alio Dei indigeamus* auxilio, & *adiumento*. ¶ Vel aliter *oramus, vt faciamus, quod in potestate habemus*, dum vt *fiat voluntas sola non sufficit*; solùm enim prohibemur orare, quod *in nostra tantũ potestate esse contenditur*. Refert, inquàm, & Resp. Fateri collata singulari libertate adhùc posse orare pro consensu; quia cùm *solus non sufficiam, & indigeam Dei adiutorio*; solùm esse discrimen; quod nos asserimus, ex suppositione libertatis, nos petere adiutorium, non vt valeam, & sufficientiam tribuat: Ille autem asserit, adiutorium, quo egeo, & petere possum, esse adiutorium potestatis, vt magis adiutus, magis valeam, maioribus viribus possim, & ampliorem sufficientiam habeam ad consentiendum; sed Augustinus in textibus adductis, vt salvet nos esse frustraneam, aut stultam orationem pro consensu, quem voluntas in sua manu habet, recurrere ad adiutorium potestatis: Probat. Tùm, quia est adiutorium vt *valeamus implere*: tum, quia est adiutorium, sine quo *voluntas sola non sufficit*: tùm, quia ait Augustinus alibi: *Vt ostendat ea, quæ implenda iubentur in lege, in oratione esse poscẽda: quod vtiquè vanissimè fieret, si ad illa agenda sine divino adiutorio voluntas humana sufficeret*, & non potest meliùs exprimi adiutorium potestatis, quàm per testimonia affirmantia, quòd sine illo non sumus sufficientes.

494 Opponit 2. in solutionem nostram; sequens Argumentum: Indigentia alieni adiutorij inacquiribilis excusat stultitiam in petitione doni, quod quis habet in sua manu, & libertate: Ergò eadem indigentia excusat culpam in omissione consensus, quem quis habeat in sua manu, & libertate: Ergò eadem indigẽtia excusare debet iustam, & prudentẽ increpationem: Probat conseq. Quia non est ratio, Cùr ad excusandã culpam omittendi, nõ sufficiat idipsum, quod sufficit excusare stultitiam petendi actionem, quæ omittitur. Vndè veretur ingenuè loquendo, per solutionem à me traditam aperiri viam, & offerri argumentum non cõtemnendum, quod possent obijcere contra D. Augustinum & veritatem Adrumetini.

495 Sed reddimus ad superiùs impugnata; oramus enim vt *faciliùs* possemus implere legem; *magis adiuti, maioribus viribus*, quàm licèt *difficiliùs* implere poteramus per gratiam sufficientem, seù libertatem suppositam: Interior enim gratia solùm potest peti, si sufficiens supponitur, vt *faciliùs* lex impleatur: vanum

*Sup. à num. 439. Prado ibi. à num. 113.*

*August. de Grat. & Libero Arbit. cap. 13.*

*Prado ibi. num. 116.*

*Sup. n. 486.*

hum est novas vires petere dum possumus sine ipsis implere : *Dum, quod præcipitur* (ait D. Fulgentius) *ex nobis habere non possumus, admonemur, vt à quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium* : Ergò frustrà petimus auxilium à quo datur præceptum, dum per sufficientem gratiã habere possumus, quod præcipitur, quin nova illius gratia indigeamus.

*D. Fulgent. lib. 2. de Verit. Prædes. cap. 4.*

Nec ex mente PP. illud adiutorium quo *indigemus* dum in potestate habemus, est adiutorium præstans posse, & ad posse exactum, sed donãs agere, & posse supponens; dicere PP. esse *vt valeamus implere*; Et quod voluntas *sola non sufficit* sine illo; Est vt recedant ab errore Pelagij, qui ad verbum *faciliùs* confugiebat, ita vt dum ad gratiam asserendum convinceretur, *diceret dari, vt quod à Deo præcipitur* faciliùs *impleatur, quia sine illa, etsi* minus facilè *fieri tamen, quod divinitus præcipitur potest.* Et ideò asserebant: *Nihil boni sine gratia, quod ad pietatem pertinet, fieri* posse *non dubitet.* Non enim potest adiutorium *simplicitèr necessarium*, seù adiutorium ad *esse*, & non tãtùm ad *meliùs esse*; quod ex Augustin. & Thoma descripsimus; nisi terminis SS. Patrum, explicari: *Esse illud sine quo id ad quod, adiuvat effici non potest*, Ex quo modò loquendi non inferas; ergò est adiutorium potestatis; quia adiutorium *simplicitèr necessarium ad velle, & agere*; divisit M. P. in adiutorium *sine quo*, necessarium ad agere; quia constituit posse; & adiutorium *quò* necessarium ad agere, sed non constituens posse; quia est *quo Deus velle, & operari operatur in nobis*, quia *sine hoc adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus*; Et multoties possumus, & Deus nõ operatur velle; & non agimus bonum: De quo diffusè infrà.

*Augusti. de Grat. Christi, cap. 26.*

*Sup. n. 487.*

*Augusti. de Corrept. & Grat. c. 11.*

*Augusti. de Grat. Christi, cap. 25.*

*Disp. 3. q. 4.*

496 Nec vereatur ex nostra solutione offerri Argumentum non contemnendum, quod Adrumetini *possent* obijcere contra August. Ex eo, quod si rectè rogamus Deum, vt velit, correptus, posset iustè excusari de suo nolle: quasi recte conciliari non possint, orationis necessitas, & correptionis vtilitas: Non, inquam, vereatur, quia hoc Argumentum de facto oppossuerunt Adrumetini S. Augustino; per hæc verba: *Cum voluntas à Domino præparetur, cùr me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potiùs ipsum rogas, vt in me operetur, & velle?* Et vt hanc querelam sopiret: *Vt faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant si non fecerimus* librum de Correctione, & Gratia, *plenum divinæ authoritatis* emisit Aug. Et convinxit *non esse negligendam correptionem, nec ab oratione cessandum pro eis, quos corrigi volumus*; sed de his diffusè loco sæpiùs adducto.

*August. de Correct. & Grat. cap. 5.*

*Aug. ibi. cap. 3.*

*Prosp. Ep. ad August. Aug. ibi. c. 5.*

*Disp. 3. q. 4.*

497 Vndè P. Ramirez, vt *absurdum* ex sententia Thomistarum deducit; hanc propositionem esse falsam: *Data potestate expedita in nobis per gratiam sufficientem ad consensum salutarem frustrà, & stultè petimus à Deo consensum salutarem.* Quia esse veram putat constare ex Aug. aiente: *Quid stultiùs, &c.* Et ex Hyeronimo: *Frustrà, &c.* ¶ Nostram solutionem refert, cum potiùs reputemus inconveniens, quod *supposita libertate, & potestate expedita non oremus Deum prudentèr, & vtilitèr consensum salutarem*: Sed ad testimonia à nobis adducta ex S. August. & D. Hyeronim. suadentia illos PP. evidentèr intulliss contra Pelagium, imprudentem, & inutilèm orationem; quia *ad velle, & operari* esse necessarium adiutorium Dei blasphemè negabat; stare verò ex mente PP. nos prudentèr, & vtilitèr orare id, quod in potestate habemus, si ita in potestate habemus, vt adhùc Dei indigeamus auxilio. Respondet: esse aliquid in potestate, & in sufficiẽtia adæquata, & indigere adiutorio

*P. Ramirez ibi. à n. 216*

*Ramirez ibi. n. 219.*

alteriùs, quod in noſtra poteſtate nõ ſit; eſſe chimæram: Non ſtultè, & inutilitèr peti id, quòd in noſtra poteſtate adæquata eſt, quia eſt cũ dependentia ab adiutorio alteriùs; eſſe ſe implicare in terminis: cum enim PP. componunt aliquid eſſe *in poteſtate*, & indigere auxilio alteriùs; & eſſe in poteſtate, &c. & non fruſtrà, & inutilitèr peti, loquuntur de poteſtate *incompleta*, & *inexpedita*, minimè verò de poteſtate *completa*, & *expedita*, qualis eſt poteſtas *libertatis*, & *arbitrij*. ¶ Idquè comprobare intendit, ex Argumento SS. PP. qui ex eo, quod Pelagius aſſereret in natura poſita lege, & doctrina eſſe poteſtatem expeditam ad opus ſalutare arguebant fruſtrà, & inutilitèr nos orare *nè inferamur in tentationem*; Ergò cenſebant PP. quòd à poteſtate expedita benè valet ad fruſtraneitatem, & inutilitatem orationis pro obtinendo illo; quòd in poteſtate expedita habetur; nec locum eſſe diſtinctioni poteſtatis *dependentis*, & *independentis*: Immò Pelagius poſſet ſe protegere doctrina Argumenti; quia ſi cum poteſtate adæquata, & expedita conſtituta per gratiã ſufficientem eſt orationi prudenti, & vtili locus; ergò quamvis apud Pelagium eſſet poteſtas adęquata, & expedita per naturam, legem, & doctrinam mala erat conſequentia ad invtilitatem orationis.

498 Supponimus Pelagiũ Hæreticè erraſſe in cõſtituenda libertate arbitrij ad opus ſalutare; quia *poſſe* cõſtituit in natura ex creatione, in lege, doctrina, aut exemplo Chriſti, *non* in *aliqua ſubminiſtratione virtutis*, de quo diffuſè infrà; ſed non ſolùm in hoc fuit Pelagij Hęreſis, præiactam intullit, quia peccatum originale negabit; ſed *totum dogma Pelagij expreſſum* ipſius *verbis*, (docuit Aug.) *quo tria iſta* poſsibilitatem, voluntatem, actionem, *tanta ſubtilitate curavit diſtinguere, vt quandocumque legimus, vel audimus divinæ gratiæ adiutorium confiteri, vt à malo declinemus, bonumque faciamus, ſivè in lege, atque doctrina, ſivè vbilibet cõſtituat, ſciamus, quod loquitur: Nec erremus, alitèr eum intelligendo, quàm ſentit. Scire quippè debemus, quod nec* voluntatem, *nec* actionem *divino adiuvari credit auxilio, ſed ſolam* poſsibilitatem, *quàm in his tribus ſolam nos habere affirmat ex Deo, cætera verò duo noſtra eſſe voluit, ita vt nullo indigeant eius auxilio. Et ideò non adiuvet, vt* velimus, *non adiuvet*, vt agamus; *ſed tantummodò adiuvet, vt velle, & agere valeamus.* Hanc Hæreſim damnarunt Concilia, & convincerunt Eccleſiæ PP; quia de medio auferebat orationis vtilitatem; quia *prorſus non oramus Deũ, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos nõ illum credimus facere, quòd oramus*: De quo argumento latiſsimè ſæpiùs Auguſt. Et niſi opera ſalutaria, & adhùc initium fidei, *dona eſſe Dei* confiteretur argumentum PP. evidentèr cõvinceret: *Nemò eſt enim, tã imperitus, tàm carnalis, tàm tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quòd rogari ſe præcepit, vt faciat.*

*Auguſt. de Grat. Chriſti, cap. 5.*

*Aug. epiſt. 107.*

499 Inter Nos verò in Hæreſibus deteſtandis per Dei gratiam, ſumma vnione convenientes: Probabilitèr hinc, & indè exagitatur controverſia, vt mens SS. PP. percipiatur: Siſtit in eo; An iuxtà SS. Patres Auguſtinum, & Hyeronimum; data ſemel poteſtate expedita ad opus ſalutare (Catholicè conſtituta per veram gratiam ſufficientem) ſit inutilè orare Deum ipſum opus, quod in poteſtate expedita habemus? Affirmat hìc Author cum alijs doctoribus ſuæ ſcholæ: Ego nego; quia adhùc data poteſtate expedita, & completa per gratiam ſufficientem, & vera arbitrij libertate adhùc adiutorio Dei indigeo; & exindè vtilitèr orare Deum poſſum: Dicis eſſe ingentem chimæram, & implicare in terminis: Ego etiam

*Auguſt. de Gratia Chriſti, cap. 2.*

*Diſp. 3. q. 4.*

etiam hoc nego, quia isti SS. Patres admittunt orationem vtilèm licèt in potestate expedita,& completa habeam, si alteriùs auxilio indigeo: solùmque intulisse inutilitatē orationis dum in potestate *libera*, & *expedita* habeo,ita vt alteriùs auxilio non indigeo.

*Hyer. allat. num.339.*

500 Et primò accedat S. Hyeronimus,omisso loco,quem superiùs adduximus; iuxtà Hyeron: *Libertas arbitrij in me non destruetur, licèt alteriùs ope indigeam.* Et ::: *Dei potentiæ factos se esse iactant, qui nullius ope indigent*; sed libertas constituta per gratiam sufficientem est potestas creata ad opus salutare; Ergò talis libertas non destruetur, licèt adhùc ope Dei indigeat; Ergò post datam illam perfectam libertatem possumus vtilitèr orare Deum, cuius ope indigemus. ¶ 2. qui habet libertatem expeditam constitutā per gratiam sufficientem non potest dicere Deo: *Recede à me, non habeo te necessarium. Dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem* per gratiam sufficientem *vt faciam, quod voluero, quid rursum te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona cōpleveris*: Sed qui hæc dicere non potest vtilitèr potest exorare Deum, vt necessarium, & vt rursum se ingerat sua dona complendo: Ergò stat vtilitas orationis, licèt in libertate per gratiam constituta sit posse expeditum ad ipsum, quod oratur. ¶ 3. Ita inferebat Hyeron.adversus Pelagiū: *Dormitat ergo Deus in operibus nostris, semel data liberi arbitrij potestate: nec orandus est, vt in singulis operibus nos iubet; cum voluntatis nostræ sit, & proprij arbitrij, vel facere, si volumus, vel non facere si nolumus*: Nos verò, qui cum Catholicis, immò, & Doctissimis Magistris pugnamus à D. Hyeron. edocti; ita probabilitèr arguimus;cum voluntatis nostræ est, & proprij arbitrij per gratiam sufficientem constituti, vel facere si volumus, vel non facere, si nolumus, non est Deus orandus, vt nos iubet, quia potestas expedita,& completa alteriùs adiutorio indigēs est ingens chimæra, & implicat in terminis: Ergò semel data liberi arbitrij potestate per gratiam sufficiētem *dormitat Deus in operibus* nostris; sed hoc est falsum: Ergò, & quod data à Deo potestate expedita, & completa per gratiam sufficientē non ampliùs indigeamus adiutorio, & non vtilitèr oremus Deum ipsum opus salutare, quod possumus: Prob. Min: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit* nos, *Dominus* enim *protectio nostra super manum dexteram nostram custodit* nos *ab omni malo*. Et quid est Deum nos protegere super *manum dexteram* nostram, *vel manū dexteræ nostræ*? (ita legit Augustinus) per *manum potestatem dicit*: M. Pater, & probat ex illo: *Mors, & vita in manibus linguæ*: (Et constat esse potestatem expeditam, & arbitrij; ex illo *reliquit eum in manu cōsilij sui*:) *Ergò si manus potestas, quid est manus dexteræ? De qua dicit Apost. Ioannes*: Dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius: *Esse autem inter filios Dei, hoc est, ad dexteram pertinere: erunt enim omnes filij boni ad dexteram, quibus dicetur*: Venite benedicti Patris mei. *Ergò fides tua manus dexteræ tuæ; id est, potestas*, quę *tibi data est*, vt *sis inter filios Dei manus est dexteræ tuæ*: Et tamen *non nobis sufficit habere manum dexteræ, nisi ille, & ipsam manum dexteræ protegat: quia* Dominus custodiet te ab omni malo: *Qui est tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ, qui nō dormit, neque dormitabit*: Ergò licèt aliquid sit in nostra *manu*, seu in potestate expedita arbitrij, orandus est Deus, quia non dormitat, vt nos protegat, & custodiat, quia *non nobis sufficit habere manum.*

*Hyeron. ibi.*

*Hyeron. ibi.*

*D. Hyer. ad Cteſiphontē.*

*Pſalm. 120.*

*Auguſt. in Pſalm. 120.*

*Proverb. 18*

*Eccleſiaſ. 15.*

*Ioann. 1.*

*Matth. 25.*

501 Sufficeret hoc fundamentum,

tum, vt cõstaret esse de mente S. Augustin. quod possumus orare Deum idipsum, quod expedite, & complete possumus : Et quod data libertate vera adhùc indigemus adiutorio Dei ad idipsum, quod liberi sumus : Sed duo addo : 1. Quia iuxtà Augustin: *Voluntas, quia est in* potestate, *libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in* potestate *non habemus, aut potest non esse, quod habemus*, & ita hanc propositionẽ, *liberum est, quod in nostra est potestate*, vt Augustino certam superiùs tradidimus : Sed Aug. supponit aliquid posse haberi in potestate, & ad faciẽdum, alteriùs adiutorio indigere : Ergò supponit, quod postquàm aliquid est in libertate arbitrij nõ stultè oramus Deum, cuius adiutorio indigemus. ¶ 2. Augustin. impugnat verba Pelagij: *Quod possumus videre oculis, nostrum non est, quod verò benè, aut malè videmus, hoc nostrum* est: His verbis: *Cùr ergò dicitur Deo* : Avertè oculos meos, nè videant vanitatem? *Cùr petitur, quod ad nostram pertinet potestatem, si Deus non adiuvat voluntatem?* Idest, benè velle videre : Nil expresiùs, vt possimus orare Deum velle, quod in nostra est potestate, quia adhùc postquàm ex Deo habemus posse, quod nostrum non est, Deus adiuvat ad velle. Vndè rectè ait P. Ribadeneyra potestate nobis facta ad bonum consensum, hunc esse novam orationis materiam : sæpiùs asserere Augustin.

*Aug. lib 3. de Lib. Arbit. cap. 3.*

*Sup. à n. 78. vsq ad 85.*

*Aug. suprà n 439. & 440.*

*Pelagius apud Aug. de Gratia Christi, c. 15*

*Ribadeneyra de Prædest. disp. 10 cap. 4. n. 48.*

502 Inspiciamus, quid Resp. ad rationes quatuor, quibus probavimus suppositа libertate plenè constituta per gratiam sufficientem, nos iustè, & vtilitèr exorare Deum opus salutare; post illas transcriptas, ita scribit: *Ante impugnationem horũ, quæ ad verbum transcripsi, vt in ipsis Adversarius vim, & efficaciam non desideret, monere non desinam*; minus cautè *processisse, & quasi aviditate scribendi, & impugnandi arreptum, Sapientissimum hunc Doctorem. Tum, quia in prima ponderatione, verba illa, quæ citantur Sancti Augusti, lib. 6. & 5. contra Iulianum, ibi non inveniuntur* : Tùm *maximè, quia in tertia, præcipuum illum text*: Agendæ sunt Deo gratiæ. *Incognitum relinquit, non designans vbi talia verba inveniantur; quæ omnia suspecta possent redere testimonia adducta, vt minus accuratè investigata, & tantùm bona fide ex alijs transcripta: sed absit omnis falsitatis suspicio in tã diligentè perscrutatore operum Divi Augustini, vt in casu simili provocet* N. *eruditissimum Ortega ad latum campum Augustinianæ mentis; sciat tamen ex experientia* : Aliquando bonum dormitare Homerum : *libenterquè admissis citatis locis, nihil probare in suum favorem, sequè sui oblitum, dum non multa*, sed efficacia *quærit; multis, sed non efficacibus interdum vti*. Hucusquè hìc Sapientissimus Magister.

*Ramirez, disp. 5. de Prædest. c. 3 à n. 222.*

503 *Si minus cautè processi, & quasi aviditate scribendi, & impugnandi arreptus*, quia illa Aug. verba *laborabat nè peccaret*, lib. 6. cont. Julianum, cap. 1. non inveniuntur; Nec illa verba *vt conflictu non vinceretur*, lib. 5. cont. Jul. cap. 6: & maximè, quia præcipuum textum *Agendæ sunt Deo gratiæ, &c*: incognitũ reliqui, non designans vbi talia verba inveniantur; Iam *monere* me desinet, vt *minus cautè, quasi arreptum procedentem*; quia iam designavi loca, vbi inveniuntur verba, quæ ex Augustin. adduxi, & præcipuum illum textum incognitum non reliqui : Ergò dum menda in citationes irrepserint, & numeri vitiantur, monendi sunt Scriptores, vt *minus cautè procedentes, quasi aviditate scribendi arreptos*. Moneat igitur Scriptores omnes, licèt Doctos, & in citando accuratissimos : vt inferunt Novarinus, & Jacobus Merlonus Horstius : Nemò expertus putet mendosas citationes

*Novarinus in electis Sacris Lectori sub libri finem.*

*Iacob. Merlonus Præf. n. 10. ad D. Bernard.*

nes ex incogitantia Authorum accidere, sed potiùs ex incuria Amanuẽsium, aut negligẽtia Typographorũ, aut Correctorũ socordia, cõtingere.

504 Præscrutemur, quid dixit, dum ait: *Vt in casu simili provocet N. eruditissimum Ortega ad latum campum Augustinianæ mentis: sciat tamen ex experientia*: Aliquando bonum dormitare *Homerum*. SS.P. Ortega argumentum iustitiæ correptionis contra Thomistas dixit esse discursum M.P. August. ad quod retulit quędã verba minusculis litteris exarata, vt August. Et ego scripsi illa verba, non solùm in locis citatis, verùm, nec in Aug. alicubi esse; Iterùm dico: Res est facti. Quærantur in Augustino; legatur maxima cura: *Nec arbitror succensere potuisse, nisi aut hoc dicerem, quod non debui, aut non sic dicerem vt debui*: Nec illud fuit censurare eruditionem P. Ortega: nefàs enim erit iudicare de Viro docto, & Religiosissimo verba August. finxisse: credibilè est, ex August. locis ibi citatis iudicasse suam sententiam firmari: eam expresissimè verbis suis scripsit, & Typographus, vel Amanuensis conspiciens illa verba post Aug. adductum minusculis litteris exaravit, quasi August. essent, hoc est credibilè, minimè Religiosum Virum Aug. fingere; sed ego neutiquàm excessi, cùm verissimè dixi: verba illa apud August. non esse.

*P. Ortega. controv. 3. de Decreto, disp. 1. q. 7. Cert. 11. fol. 536.*

*Vide Disp. 3. quæst. 4.*

*Aug. Ep. 15.*

505 Sed statim post monitionem ita progreditur SS. P. Ramirez: *Primi fundamenti, ad intentũ, quo proponitur, inefficaciam ostendat nobis non alius, quàm Divus Augustinus*, qui lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap 2. *Petitionem illam Divi Pauli*: Infelix homo, *sic explicat*, liberari à corpore mortis est omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, sed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur vnquam, quibus in resurrectione eadem corpora ad ęterna tormẽta reddentur: *Itaque oppressus Paulus concupiscentiæ pugna, quà in corpore corruptibili afflictabatur, exoptabat corpus corruptioni non expositũ induere per resurrectionẽ ad gloriã, quã sperabat assequi ex gratia Dei per Iesum-Christum. Vide quid gratia resurrectionis in corpore non obnoxio pugnæ passionum, cum gratia prædeterminante ad victoriam pugnæ supposita libertate? Nec pro recognoscendo Apostoli animo, alio opus est, quàm litteram textus percurrere, ex qua facilè inotescit, desiderium Apostoli tendere, non tàm ad victoriam, quàm ad evitationem pugnæ cum domesticis inimicis ex lege carnis, repugnante legi mentis. Vndè concludit* Pater Cornelius Alapide *in præsenti*, est hoc ardens Apostoli ex hoc misero, & mortali corpore, ad beatã, & cœlestem vitam anhelantis *suspirium*. Hucusquè SS. Magister.

*P. Ramirez ibi n. 226. Sup. n. 441. Aug. lib. 1. cont. 2. Ep. Pelag.*

*Cornel. Alapide ad hæc verba Apost. ad Roman. 7.*

506 Sed non possum prætermittere in testimonio tribus lineis post monitionem adducto, falsò designari locum: Non enim sunt verba illa apud Aug. lib. 1. cont. 2 Epist. Pelag. cap. 2: Si tamẽ ideò scriberem: *Ante impugnationem monere non desinã minus cautè processisse, & quasi aviditate impugnandi arreptum SS. hũc Magistrum, &c.* Quid tunc diceres? Ingenuitatem, & veritatem tuam, quàm agnosco, & laudo, exoro? Nõnè, vt jocosè obloquentem despicere, & me vt seriò disputantem nõ audires? ¶ Et si insisterem testimoniũ te adducere, *vt minus accuratè investigatum, & tantùm bona fide ex alio transcriptum*: Ita enim sunt verba illa apud August. non in cap. 2. sed in vndecimo: *Nam, & illud, vbi ait, quis me liberabit de corpore mortis huius: Quis neget Apostolum cum hæc diceret adhùc fuisse in corpore mortis huius? A quo vtiquè impij non liberantur, quibus eadem corpora ad tormenta æterna redduntur.*

*D. August. lib. 1. contr. 2. Epistol. Pelagianorum, c. 11.*

Li-

*Liberari ergo est à corpore mortis huius, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam.* Vides verba Augustini alitèr esse citata, aliqua enim adducit, quæ in Augustino non sunt, & sententiæ ordine inverso referuntur. Transcripta igitur fuerunt bona fide ex Cornelio Alapide, apud quẽ sunt ordine illo, quo referuntur. Si ita, inquam, differerẽ, nec disputator gravis essem, quid enim prodest verba aliqua apud Augustinum non esse, nec ordinem propositionum, si est in Augustino sensus, & sententia.

*D. Hyeron. apud Aug. Epist. 14.*

*Aug. Ep. 15.*

*Aug. lib. 1. cont. 2. Ep. Pelag. c. 11.*

507 Sed contentionem inutilèm omittamus, & si aliquid dixi: *In te culpa sit, qui provocasti; non in me, qui respondere compulsus sum*: Et *si indignatum sensero nihil aliud, quàm veniam deprecabor.* Fateor Apostolũ in illa oratione: *Corpus exoptare spirituale, libertatem gloriæ poscere, quia de concupiscentia carnis, quàm moderando frænebat, tanta humilitate, & pietate gemuit, vt optaret eam non habere potiùs quàm domare.* Non quia, vt ais: *Pro recognoscendo Apostoli animo, alio opus non est, quã litteram textus percurrere; ex qua facilè innotescit*: Non, inquam, propter hoc, quia hanc expositionem nõ clarè ex littera textus colligi facilè inotescet legenti P. Vazquez, qui eã non semel impugnat, sed quia eam expositionem docet Augustinus.

*Vazquez in Exposit. Ep. ad Rom. 7. n. 27: & in 1. 2. disput. 189. cap. 5.*

*Augustin. vbi suprà.*

Sed non solùm libertatem gloriæ exoptabat ex Augustino Apostolus, sed etiam gratiam medicinalem adiuvantem, vt non peccaret, & vt in conflictu non vinceretur, quia ab hoste concupiscentiæ *vinci, subiugariquè metuebat.* Hoc est, ita certum in Augustino quàm quod maximè. Ideòq; hoc testimonio vsus fuit sæpè Augustinus vt Pelagianos convinceret gratiam per Christum, non solùm peccata remittere, verùmetiam, vt non peccemus adiuvare: Consule M. P. expressè probantem, *quòd non tantùm desiderat Apostolus, vt per indulgentiã sit de præteritis impunitus, sed etiam vt sit de cætero ad non peccandũ fortis, & validus. Hinc est, quod clamat* Infelix homo, &c. *Sinatur orare; sinatur adiutorium Medici potentissimi flagitare. Quid contradicitur? Quid obstrepitur? Quid miser misericordiã Christi petere prohibetur? Et hoc à Christianis?*

*Aug. lib. de Natura, & Grat. contr. Pelag. cap. 54. in fine, & cap. 55.*

508 Sed inspiciamus loca, ex quibus suppositi iuxtà Augustinum Apostolum orasse, nè *conflictu vinceretur*, & quia *laborabat, nè peccaret*: Primus est cum Augustin. probando concupiscentiam esse *malum contra quod virtute pugnamus*; subdit: *Denique ista vitia non Medicos vllos corporum quærunt, sed gratia Christi medicante curantur: priùs vt reatu non teneant; deindè vt conflictu non vincant* (Ecce verba, quę ex Augustino desumpsi) *postremò vt omni ex parte sanata nulla omninò remaneant; proindè cum mala concupiscere, malum sit, & bona concupiscere bonum sit, atque hoc bellum quandiù hic vivitur non quiescat, cum caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, quis me liberavit de corpore mortis huius, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum?* Ecce Apostoli verba: ergò ex Augustino Apostolus non solùm orabat, vt vitia concupiscentiæ *omni ex parte sanata nulla omninò remanerent*, vt tu asseris; sed etiam, quod ea vitia *conflictu non vincerent.*

*D. Augustin. lib. 5. contra Iulian. c. 5.*

509 Secundus locus est, vbi impugnante Augustino Julianum ex verbis Apostoli, & Julianus assereret ipsum Augustinum intellexisse verba illa, vt ei obesse nõ possent: (scripsit enim aliquando Augustinus Apostolum de seipso non loqui) Respondet Augustinus. *Non ego solus, aut primus, sic istum locum intellexi, quo evertitur Hæresis vestra, quemadmodum verè intelligẽdus est: immò verò ego priùs alitèr intellexeram, vel potiùs non in-*

*D. Augustin. lib. 6. contra Iulian. c. 11.*

*Augustin. in Expos. prop. ex Ep. Pauli ad Roman. & in lib. 1. ad Simplicianum.*

*intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam scripta testãtur*: (iam probat S. Augustinus verba Apostoli intelligenda esse de ipso Apostolo, & homine sub gratia constituto, quod, & alibi fecit:) *Sed posteà melioribus, & intelligentioribus cessi, vel potiùs ipsi, quod fatendum est veritati, vt viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse Sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium. Hinc factum est, vt sic ista intelligerem quemadmodum intellexit Hylarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ Sancti, notique Doctores, qui & ipsum Apostolum adversus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenuè conflixisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contextatum fuisse senserunt; cõtra quos motus priùs vtique debellandos, nè* dominentur, *& posteà sanandos, vt penitus* extinguantur, *etiam ipsa gloriosa certamina sanctos exercere confessus est.* Ergò ex Augustin. quod Apostolus oraret, vt motus illi *posteà* extinguerentur, minimè tollit, quod oraret nè *priùs* dominentur.

*Aug. lib. 1. Retractat. cap. 23. & lib. 2. cap. 1.*

510 Pergit Augustinus ad referendam & refellendam expositionem Juliani aientis, Apostolum in se transfigurasse superbos Iudæos contemnentes, vt non necessaria dona Christi, cum homini ex Christo conferatur remissio peccatorum, & carnem non cõcupiscere adversus spiritum. Convincit enim, Julianum in hac expositione non recedere à Pelagianorum vetusto dogmatè, quo putabant gratiam Christi sic in sola peccatorum remissione versari, vt non adiubet ad vitãda peccata, & desideria vincẽda carnalia; & ita redarguit: *Neque consideras eum, qui dicit* video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, *& ab hoc malo non se liberari clamat, nisi* gratia Dei per Iesum-Christum Dominum nostrum, *nec Iudæum esse, nec quia peccavit, sed nè peccet potiùs laborare.* Ecce verba, quæ ex Augustino adduxi, vt probarem Apostolum adhùc sub gratia constitutum in illis verbis poscere gratiam Christi, quia *laborabat, nè peccaret.*

511 Et quidem, si Apostolus *solùm exoptat corpus corruptioni non expositum induere per resurrectionem ad gloriam, quàm sperabat assequi, ex gratia Dei per Iesum-Christum*, vt asserit P. Ramirez, quomodò clamat Augustinus nec *solùm, nec primum esse, qui ita intellexit istum locum, quo evertitur Hæresis* Pelagiana? Seù *non dicens necessariam misericordiã Dei, vt nõ peccemus; sed quia peccavimus: Quia medicinale Salvatoris auxiliũ, tantùm in hoc ponit, vt ignoscat commissa præterita, non vt adiubet ad futura vitanda.* Quomodò Cœlestinus probat ex Pauli verbis gratiam Dei per Christum adiubare ad omnem motum bonæ voluntatis, dum scribit: *Superbum est enim, vt quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo* Infelix homo, &c? Quomodò Patres Concilij Carthaginensis, asserunt Pelagianos *nolle omninò cognoscere gratiam, qua Christiani sumus, cuius Apost. prædicator est dicens* condelector *enim* legi Dei, &c. video, & *quis me liberabit? Gratia Dei per Iesum Christum?* Possent enim respondere, Julianus, S. Augustino, Pelagiani, Cœlestino, & PP. Concilij: *Videte, quid gratia resurrectionis in corpore non obnoxio pugnæ passionum, cum gratia adiubante ad victoriam pugnæ*, seù ad non peccandum, seù cum gratia, qua Christiani sumus? Et quid si confidenter adderent, vt non everteretur Hæresis sua verbis Apostoli, *nec pro recognoscendo Apostoli animo, alio opus est, quàm litteram textus percurrere, ex qua facilè innotescit.* Non ergò rationem ita clarè inefficacem adduxi, cum ad eius solutionem negatur ex-

*P. Ramirez vbi suprà.*

*Augustin. de Natura, & Grat. c. 26.*

*Aug. ibi. c. 34.*

*Cœlesti. Ep. 1. ad Episc. Galliæ, c. 9.*

*PP. Concil. Ep. ad Innocent. inter Augustinianas 90.*

*P. Ramirez vbi suprà.*

positio Apostoli, quàm ex Augustin. adduxi tàm certo maxima authoritate suffulta Cęlestini, Concilij Carthaginensis, & Augustini.

512 Addo S. Augustin. ex hoc testimonio Pauli probare gratiam distinctam ab arbitrio, lege, & doctrina liberare *colluctantibus inter se legibus, dum legi mentis lex repugnat in membris, & captivat sub lege peccati*; hoc medio: *Iam habebat iste naturam cum voluntatis arbitrio, nam dicebat*, velle adiacet mihi: *Iam habebat cognitionem legis sanctæ. Nam dicebat*: Peccatum non cognovi nisi per legem: *Ideò nec voluntatis arbitrium, nec legis præceptum; vndè liberaretur de corpore mortis huius, quia vtrùmque iam habebat, aliud in natura, aliud in doctrina, sed gratiæ Dei poscebat auxiliũ per Iesum Christum Dominum nostrum.* Sed pariter iste iam habebat gratiam sufficientem, nam dicebat *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem* cum ipsa *delectatio boni non nisi gratiæ deputanda sit*, ex August. Et vt ait D. Prosper: *Vocati est sub gratia constituti, qui* condelectatur *quidem* legi Dei secundùm interiorem *hominem*; Ergò ideò, nec gratiam sufficiẽtem vndè liberaretur de corpore mortis huius, quia eam iam habebat, in delectatione boni, sed alteriùs gratiæ Dei poscebat auxilium.

*Aug. lib. de Gestis Pelagij, cap. 7.*

*Aug. cont. 2. epist. Pelag. cap. 10. D. Prosper. lib. cont. Collatorem, c. 8*

513 Nunc non roboramus rationes aliàs nostras, & eam, quàm ex D. Thoma desumpsimus: tùm nè nimis prolixa fiat quæstio; tùm, quia de ijs iterùm tractabimus.

*Suprà à n. 404. & n. 451.*

*Infrà disp. 3. quæst. 4.*

## ADDITIO.

514 ARgum. 1. Nobis obiectũ intendit Prado subsistere: & eius solut. impugnat. 1. Quia volũtas vt *cæca* subordinatur intellectui omnis *cognitio* licèt efficax spectat ad actum 1. Ergò quia vt causa secunda subordinatur Deo omnis *motio*, licèt efficax spectat ad actum 1. ¶ Sed Disp. assignavi; quia omnis cognitio applicat volũtati obiectum, seù causam formalem volitionis. Vide ibi.

*Sup. n. 464. Prado ibi. n. num. 18.*

*Sup. n. 461. & infrà n. 517.*

515 2. Impugnat solutionẽ, traditã confirmationi ex D. Aug. desumptæ obseruando. Aug. non arguere à paritate, sed à priori, non enim probat nostrã insufficientiam ad *credere*, eo quod magis sit credere, quàm *cogitare*, ad quod sumus insufficientes; quia hæc ratio nostra est; ratio autem August, est: *Quia credere sine cogitatione non possumus.* Quare argum. Aug. ad hunc syllogismum reducitur: *Sufficientia nostra ad credendum non stat sine cogitatione, sed cogitatio non est ex nobis, sed ex Deo est; ergò sufficiẽtia nostra ad credendum non ex nobis, sed ex Deo est*: Conseq. est manifesta. Min. Apostoli; quod à nobis postulatur est, ratio qua August. probet maiorem, quę simul non probet *sufficiẽtiam nostram ad consensum non stare sine prædeterm.*

*Sup. n. 465. Prado ibi, num. 26.*

516 Resp. falsum esse illud consequens ab Aug. intendi; quia *sufficiẽtiam nostram ad credendum, & ad* cogitandum *non ex nobis, sed ex Deo esse.* Supponebat vt indubium Pelagius (licèt sufficientiam ex Deo, non rectè adstrueret, quia eam fatebatur ex Deo Creatore, Legislatore, Doctore, non Salvatore, & Adiutore per subministrationem virtutis Spiritus S.) ita enim evomebat testante Aug. *Quod homo potest velle bonum, atque perficere soliùs Dei est. Et vt generaliter vniversa complectar, quod possumus omne bonum facere dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit: quod verò benè, vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum est*: Quẽ errorem quatenus asserit *benè cogitare nostrum esse*; ita impugnat SS P. *Quomodò dicit liberi arbitrij elatus assertor, quod possumus bene cogitare, Dei est, quod autem bene cogitamus, nostrum est? Cui respondet humilis gratiæ prædicator*, non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: *Non enim ait, posse cogitare; sed cogitare.*

*Pelagius apud Aug. de Gratia Christi, c. 4.*

*Vide suprà num. 498. Aug. ibi. c. 25.*

*2. Corint. 3.*

Ex

Ex eo, quod sufficientia ex Deo non sit ad *cogitare* ex nobis; infert adversus Semipelag. sufficientiam ex Deo non esse ad *credere* ex nobis, quia *putabant ex nobis esse fidei cæptum*: tùm ex eo, quod *credere* sit magis, quàm cogitare; quæ est ratio Aug. non ex nostro ingenio: *Non enim omnis, qui cogitat, credit: sed cogitat omnis, qui credit.* Et ipsum *credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare*: tũ, quia cogitare *prævenit* credere. Ergò *nemò sibi sufficit ad incipiendã fidem*; cum nemò sibi sufficiat ad cogitare, & *fides si nõ cogitetur nulla est*: Hęc est Aug. doctrina: nunc insta in prędeterm: quæ facit esse ex Deo cõsentire ad quod possumus.

*August. de Prædest. SS. cap. 2.*

517 Solutionem; quàm adduxi suprà, vt applicationes, intentionalis, & localis constituant actum primum, & non applicatio prædeterm. quia scripsi *meditavi distinctionẽ novam posteris forsàn placituram*, impugnat P. Ramirez asserens: *Distinctio hæc, quæ tanquàm principium dicitur à suo authore placitura* fortè *futuris, mihi videtur* certò *non placere præsentibus*; licèt levitèr dicerem: *Vtcumquè temperata est hæc ineptia in eo, quod additum est fortè, vel forsitàn*; vt de aliqua sententia sua dixit Augustinus: Mirùm tamen est *certò* scire P. Ramirez meditationem meam non placere præsentibus; tùm, quia vidi, & audio SS. Primarios Complutenses Angelicæ Scholę illa distinctione frequenter vti; tùm, quia Thomistæ, qui scriptis sententiam Angelicam illustrarunt, & de ea tractarunt, sequuntur, immò laudãt: M. Carrasco, ita scripsit: *Vndè quidã ingeniosus Complutensis meliùs accutissimè distinxit inter applicationem causæ ad eius exercitium, & applicationem causæ ad alteram causam.* Et postquàm diffusè solutionem explicuit, ait: *Cui doctrinæ libentissimè subscribo*: placuit ergò distinctio libentissimè subscribenti, & accutissimam iudicanti. P. Palanco dum de hac distinctione ageret, ait: *Accipe aliam disparitatem, quod applicatio est duplex, causæ ad causam, vel causæ ad actum, &c.* Et ita concludit: *Hanc disparitatem olim à me excogitatam, non sine solatio expressam, meliorique ingenio inventam, & solidè probatam invenio apud D. Castell*; Ergò nõ deceptus fui dum scripsi distinctionem illam posteris placituram, & *forsitàn* dixi.

*Sup. n. 461.*

*Ramirez, disput. 5. de Prædest. c. 3. n. 154.*

*S. August. lib. 2. Retract. cap. 6.*

*M. Carrasco, tract. de Volunt. Dei dub. 6. num. 532.*

*Palanco de Provid. Dei q. 16. n. 82.*

518 Displicuisse solutionem illam SS. Magistro, ex motivis ab ipso adductis, incredibilè iudicarem, si non legerem: deficit primo, ait, in existentia, & subsistentia; constituentibus actum primum; licèt non sint applicationes causæ ad causam. ¶ Nõ dixi esse applicationem causę ad causam omne cõstitutivum actus primi; virtus enim causæ non constitueret actum primum; sed omnem applicationem causæ ad causam, actum primum constituere. Defficit 2. se falsificans, quia prædeterminatio non cõstituit actum primum, & est applicatio causæ secundæ ad primam, & huius ad secundam; Sed hoc iam diù oppositum in se P. Palanco; & rectè negavit prædeterminationem esse applicationem causæ secundæ ad primam; & erat probandum, deficit ergo in probatione; Deficit 3. immeritò vocans præterm. applicationem, cum neque sit pura conditio, neque influxus actualis; sed quid ad ipsum prævium. Sed in hoc omnes Thomistæ peccabunt; & Argumentum ex eo, quod prædeterm. erat applicatio, intendebat constituere actum primum; & ita sumpserunt ex D. Th. qui asseruit: *In quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis; sed applicatio virtutis ad actionem.*

*P. Palanco, vbi sup. n. 83.*

*Div. Thom. sup. adduct. à n. 452.*

519 Alitèr impugnat solutionem nostram D. Prado: 1. Quia respectu actus potentię externæ debet assignari aliquid attinens ad actum primum, connexum cũ illo: hoc enim

*Prado de Lib. Arbit. disp. 6. sect. 1. num. 9.*

requiritur in omni actu primò necessariò: hoc autem connexum; *v. g.* cũ deambulatione, nequit esse, nisi imperium voluntatis; ergò hoc attinet ad actum primum deambulandi: nihilominùs tale imperium non applicat potẽtiam progressivam alteri cõcausę deambulationis; sed actioni ipsi deambulandi, ergò ad actum primum expectare potest applicatio causæ ad solam actionem, & effectum. Confirmaturquè exSententia Illust. Godoy asserentis imperium intellectus se tenere ex parte actus primi ad activum vsum voluntatis: Ergò, & vsus activus istiùs ad actiones potentiæ externæ; & tamen nec imperium intellectuale applicat voluntatem alteri concausæ talis vsus activi; ergò tàm in voluntate, quàm in potentijs externis se tenent ex parte actus primi applicationes illæ, quæ prædictas potentias solùm applicant actioni, & effectui, & non alteri concausæ, quo corruit regula solutionis. 2. Quia applicatio intentionalis, quæ fit per cognitionem, sæpè applicat voluntati obiecta, vel non existentia, vel etiam impossibilia, quæ propterea esse non possunt vera causa amoris; ergò non est applicatio causę ad veram concausam; & tamen talis applicatio verè præcedit ordine naturæ, constituens actum primum ad amorem; ergò regula est falsa. 3. Nam ipse respondens non negat, quòd respectu amoris necessarij possit dari actus primus constitutus prædeterminatione; in quo casu possibili infringuntur ferè omnia, quæ solutio continet: nam prædeterminatio illa applicaret talẽ actum primum, quin illum supponeret adæquatè constitutum ante ipsam, vt est evidens: deindè applicaret illum ad actum secundum, & non ab alteram concausam, & tamen constitueret ipsum; ergò ruit solutio.

*Ill: us Godoy, q. 23. de Præd. tract. 8 disp. 59. §. 8 num. 115.*

520 Respondeo: Ad 1. verùm esse imperium voluntatis solùm applicare *causam*, seu potentiam progressivam ad *actum* deambulandi; sed omninò falsum; imperium volũtatis constituere actum primum, seù potestatem proximam deambulationis: possum enim proximè deambulare licèt non velim: vt convincunt P. Carrasco, & P. Palanco, qui oppositum inintelligibilè vocat, qui enim vult ambulare vult id, quod expedite potest. Nec ratio in oppositum est alicuius momenti: scilicèt, *in omni actu primo* necessariò *debere assignari aliquid expectans ad actum primũ connexum secundo*; quia hoc est verùm de *necessariò* proùt opponitur *contingenti*, quomodò potentia deambulandi necessaria non est: Non de *necessariò* proùt opponitur *libero* quomodò solùm illa potentia necessaria est: Ipse enim Prado, vt certissimum ex PP. & Theologis supponit ad libertatem nõ sufficere, quod potestas sit indifferens quocumque genere indifferentię, sed talis, quæ sit pro suo dominio, & nutu determinativa, & electiva. Vide suprà dicta: ¶ Ad conf. rectè asseruisse Ill. Godoy imperium se tenere ex parte actus primi ad vsum, sicut iudicium ad electionem, quia applicat voluntati obiectum vsus, & ita est applicatio causæ ad causam. ¶ Ad 2. Quod cognitio obiecti non existentis applicat causam obiectivam, vndè est applicatio causę ad causam: Mirùmque est obiectum non existens posse *determinare* obiectivè divinam scientiã, & non posse *causare* obiectivè nostrã volitionem. ¶ Ad 3. Quod dum respectu actus necessarij, actus primus prędeterm. constitueretur, per prædeterm. intelligitur *collatio virtutis*, & non solùm *applicatio virtutis ad actionem*, & adhùc actum primum nõ constituit, vt applicatio, sed vt virtus: Argumentum verò procedit ex prædicato *applicationis*, licèt non sit virtus, vt in applicatione locali.

*Carrasco vbi sup. n. 520. Palanco vbi sup. n. 76.*

*Prado de Lib. Arbit. disp. 1. sect. 1. num. 6.*

*Sup. n. 126.*

QVÆ-

# QVÆSTIO QVARTA.

## VTRVM GRATIA PHYSICE PRÆDETERMINANS sit à noſtra voluntate reſiſtibilis?

## SECTIO PRIMA.

*Ratio fundamentalis DD. Societatis ad ſuadendum gratiam efficacem, qua defacto operamur non eſſe prædeterminantem, ex irreſiſtibilitate gratiæ prædeterminantis deprompta, adducitur, & quid ſentiant NN. DD. exponitur.*

521 OMnes DD. Societatis conveniunt in irreſiſtibilitate gratiæ prędeterminantis edocēda, inintelligibilè enim iudicāt, quod gratia neceſſariò connexa cum cōſenſu ſit reſiſtibilis à voluntate: ex quo arma deſumunt ad labefactandam gratiam prædeterminantem, & probandum gratiam efficacem, qua defacto operamur non eſſe prædeterminantem.

522 Sic enim pro omnibus diſputat SS. olim Primarius noſter emeritus: gratia cum qua defacto operamur eſt talis, cui voluntas poteſt diſſentire, & reſiſtere, ſed gratia phyſicè prædeterminans nō eſt talis, cui voluntas poſsit diſſentire, & reſiſtere; ergò gratia, cum qua defacto operamur non eſt phyſicè prędeterminans: qui ſyllogiſmus eſt in *Baroco*, maiorem vocat de fide, quàm aſſerit indefinitam ſecundùm quantitatem, ſed re ipſa vniverſalem in præſenti materia, quia apud Theologos propoſitio indefinita in materia doctrinali equivalet vniverſali: minor ſyllogiſmi à nobis fatetur; ergò, & conſequens fateri debet. ¶ Vel aliter: Nulla gratia, cui voluntas poteſt diſſentire, & reſiſtere eſt gratia phyſicè prædeterminans, ſed omnis gratia, cū qua defacto operamur eſt gratia, cui voluntas poteſt diſſentire, & reſiſtere; ergò nulla gratia, cum qua defacto operamur eſt gratia phyſicè prædeterminans: quem ſyllogiſmum aſſerit eſſe in *Celarem*; ſed maior eſt noſtra doctrina: minor eſt de fide, *ita ſupponit*; ergò conſequens legitimè illatum verùm eſt.

*D. Peinado in manuſc. de Auxilijs*

523 Si verò dicas, gratiam efficacem eſſe reſiſtibilem in ſenſu diviſo, & prædeterminantem eſſe irreſiſtibilem ſolùm in ſenſu compoſito; vndè irreſiſtibilitatem gratiæ prædeterminantis non pugnare cum reſiſtibilitate gratiæ efficacis. ¶ Contra inſurgit poſt alios; quia reſiſtere alicui virtuti ex terminis dicit compoſitionem cum exiſtentia virtutis, cui reſiſtitur; quid enim notiùs, quàm quod reſiſtere alicui virtuti eſt enervare illam, facere vt ſit ſine effectu, & vt irrita, & vacua maneat? Quod evidenti inductione monſtratur, quid enim eſt reſiſtere voluntati ſuperioris præcipientis; amici conſiliantis, & rogātis, Eccleſiæ definienti, tentationi ad malum pulſanti; niſi componere cū præcepto, cum conſilio, cum Eccleſiæ definitione, & cum tentatione oppoſitū eius, quod ſuperior præcipit, quod amici

amici rogant, quod Eccleſia definit, & ad quod tentatio inſtigat? Virtus enim non reſiſtitur, dum non eſt; vndè, quę dum eſt non poteſt reſiſti, eſt eſſentialitèr irreſiſtibilis. ¶ Vndè inſurgit ſuprà laudatus Recẽtior ſyllogiſmo in Darij; cuius vitium deſiderat vt oſtendamus: omne reſiſtere gratię efficaci eſt componere reſiſtẽtiam cum gratia efficaci, vt probatũ eſt; ſed voluntas iuxtà fidei ſanctiones poteſt reſiſtere gratiæ efficaci; ergò iuxtà fidei ſanctiones poteſt cõponere reſiſtentiam cum gratia efficaci; ſed non poteſt componere reſiſtentiam cum gratia prædeterminante, vt eſt indubium apud omnes; ergò gratia efficax non eſt prędeterminãs.

524 Si verò 2. Dicas, verùm eſſe gratiam prædeterminantem eſſe irreſiſtibilẽ, ſed ex hoc minimè probari gratiam efficacem, qua defacto operamur non eſſe prædeterminantem; quia, nec iuxtà fidei ſanctiones, nec iuxtà veritatem, gratia efficax, qua defacto operamur, reſiſtibilis eſt. ¶ Contra Actus leo argumento, & indiſſolubili apud ipſos inſurgunt ad convincendum ex fidei decretis, gratiam efficacem eſſe reſiſtibilem; 1. ex damnatione facta ab Innocentio X. illius Janſeniani erroris: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquã reſiſtitur*, quàm propoſitionem hæreticam declaravit, & vti talem damnavit: Decreto, quod poſteà contra *aliquos iniquitatis filios* innovavit Alexander VII.

*Innocẽt. X. in Conſtitut. quæ incipit: Cum occaſione.*

*Alexander VII. in Bulla, quæ incipit: Cum autem.*

525 2. Ex Sacra Tridentina Synodo definiente, cum gratia efficaci libertatem noſtram, alias errores Lutheri, & Calvini anathematizando non proſcriberet; duplici quidẽ propoſitione 1. in regulis fidei, vbi aſſerit: *Liberum arbitrium motum, & excitatum cooperari aſſentiendo Deo excitanti, & vocanti, ita vt poſsit diſſentire, ſi vellit*, Deo, ſcilicèt, vocanti vocatione cui aſſentiendo cooperatur; & quid aliud eſt poſſe diſſẽtire gratiæ cum qua defacto operamur, quàm poſſe ei reſiſtere? ¶ 2. Propoſitio deſumitur ex illis verbis: *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippè, qui illam, & abijcere poteſt*, vbi Sacrum Concilium non ſummit recipere inſpirationem purè phyſicè, & materialitèr, ſed moraliter pro eodem, ac acceptare inſpirationem conſentiendo; vndè hominem poſſe abijcere inſpirationem, eſt poſſe eam cõtemnere, ſeù enervare, ſed hoc eſt poſſe reſiſtire, gratię enim reſiſtitur, dum gratia evacuatur; ergò. Ex Sacro Concilio voluntas poteſt reſiſtere gratiæ efficaci.

*Trid. Sess. 6. Can. 4.*

*Trid. Sess. 6. cap. 5.*

526 3. Idem aſſumptum convincere intendunt ex Concilio Senonẽſi, quod poſtquàm ſtatuit gratiam eſſe prę requiſitam, vt homo ſe convertat ad Deum, tantam gratię neceſsitatem libero non præiu dicare arbitrio, his verbis ſuadet: *Nec denique tale eſt huiuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſsit*, ſed auxilium Dei trahentia eſt efficax; ergò auxilio efficaci reſiſti poteſt.

*Concil. Senonenſ. in Decreto 15. fidei.*

527 4. In ſui favorem adducunt Angelicum Mag. ita edocentem: *Sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod poteſt huic motioni reſiſtere*, ſed motio, qua Deus movet ad bonum eſt efficax; ergò ex D. Thoma poſſumus reſiſtere motioni efficaci. ¶ Idemque docere videtur D. Anſelmus, dum ediſſerens de gratia efficaciſsima, qua Paulus converſus eſt, inquit, *licèt percuſſus fuerit Paulus, tamen voluntas eius libera erat, vt reſiſteret, ſi vellet.*

*Div. Thom. Quodlib. 1. art. 7.*

*D. Anſelm ad illa verba. Matth. 6. Fiat voluntas tua.*

528 Hoc argumento vt validiſſimo inſurgunt, & implacabiles, ſeditioſaſquè pugnas inter N. Thomitas pondere difficultatis oppreſſos læti referunt: aliqui enim negant Concilia edocere poteſtatem diſſentiendi,

tiendi, aut reſiſtendi gratiæ efficaci, cum nulla ſit in voluntate poteſtas illam abijciendi; pro hac ſententia adducuntur M. Bañez: (Quem primũ phyſicę prædeterminationis Authorẽ nuncupant,) Ioannes à S. Th. (licèt indicatur, vt parum ſibi conſtans, à qua nota ipſum manifeſtè vindicavimus.) PP. Salmanticenſes noviſsimè; quibus adde ex antiquis P. Nuño: & P. Lorca, quem ſequitur M. Lezana: & tandẽ ita edocet Illuſt. Godoy: Alij verò ſuſtinent voluntatem noſtram poſſe diſſentire, & reſiſtere gratiæ efficaci, licèt non in ſenſu cõpoſito, ſaltim in ſenſu diviſo, & de hac poteſtate in ſenſu diviſo definitiones Conciliorum procedere; ita tandem ſuſtinere videtur Ioannes à S. Thoma, Gonet, M. Alvarez, & alij. ¶ M. Vero Gonet doctrinam reijcit, vt nimis abſurdam R. Thyrſo, quatenus aſſerit voluntatem noſtram poſſe reſiſtere Decreto efficaci Dei in ſenſu diviſo, ſicut, & gratię efficaci; quod eodem modò videri poterat apud Ioann. à S. Thoma: & R. ille M. in conſequentiæ redarguit M. Alvarez, & ex eius ingenua confeſsione evidentia rei compulſus gratiam non eſſe prædeterminantẽ convinci, quia aſſerit omnes fateri debere gratiam efficacem, ſi ſecundum ſuam entitatẽ conſideretur, vt eſt motio creata in voluntate recepta eſſe à volũtate reſiſtibilem; ſolùmque eſſe à voluntate irreſiſtibilem ſecundùm virtutẽ, quã habet ex Deo, vt eſt inſtrumentum voluntatis Dei efficacis; quas diverſas formalites in gratia efficaci etiam diſtinguit M. Ioannes à S. Thoma, & ex Ang. N. Magiſt. manifeſtè colligit.

M. Bañez, 2.2.q.10. à 1 fol.575. Ioannes à S.Thom. q. 19.de volũt. art.6.n.5. Salmantic. tractat. de Grat.efficaci,diſp.7.n. 215. Nuño in 3. p.q.62. art. 5.fol.157. Lorca, diſp. 21.de Grat. fol.687. Lezana de Volũt. diſp. 7.dub.7.n. 55. Godoy t.2. in 3.p. diſp. 67.n.107. Ioann. à S. Tho.vbi ſup. num.11. Gonet, diſp. 4. de Scient. nu.179. & in Apolog. n.26.& diſ pu.6.n.126 Alvar. de Auxil. diſput.92.n.8. Thyrſo, t.1. diſp.17.ſect 5.& ſect.2. Ioann.à S. Th. vbi ſup. num.55. Alvarez vbi ſuprà, diſp.93.n.2

529 Et poſtquàm has omnes Thomiſtarum Doctrinas impugnaret, ſic tandem concludit, R Thyrſo, cũ Eximio Suarez exagerando, quàm efficacitèr ex teſtimonio S. Trident. Cõcilij colligatur prædeterminantẽ non eſſe gratiam efficacem, quæ defacto datur: *Hactenus nullam reſponſionem cogitare potuimus, nec in eorum libris legimus, præter eas, quas retulimus, quæ an ſatisfaciant, iudicio aliorum ſapientium remittimus. Exiſtimoquè rem eſſe dignam Summi Pontificis declaratione, nam agitur de intelligentia eiuſdem definitionis fidei contra Hæreticos huius temporis, ex cuius vera interpretatione, & Cõcilij graviſsimi auctoritas, & ſincera doctrina in articulis de gratia, & libero arbitrio pendet.*

Ioann. à S. Tho.vbi ſup. num.14. D.Thom. 3. cont. Gent. c. 94. circa finem, & c. 98. Thyrſo vbi ſup.ſect.8. Suar.t.2. de Grat. lib.5. cap.40.

530 Sed vt expeditiùs ad pugnam accedamus, priùs traddere opportet quid, vt in dubium credi debet, vt fide divina conſtans; & poſteà diſputare, quid veritas teneat; in his, quæ controvertuntur apud Catholicos; An ſcilicèt gratia prædeterminans ſit reſiſtibilis? An ex Sacris Conc. & SS. PP. colligatur gratiam efficacẽ, qua defacto convertimur eſſe reſiſtibilẽ? An potiùs gratiam efficacẽ eſſe prædeterminantem colligatur, quia gratia efficax, qua Deus nos convertit eſt verè irreſiſtibilis? Quæ omnia iam brevitèr decidimus.

## SECTIO SECVNDA.

### *De fide eſt dari interiorem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtibilem.*

531 PRæcipuum Janſeniani erroris dogma debellandum in hac Sect. ſuſcipimus. Janſenius enim infeſtiſsimũ bellum gratiæ puræ ſufficienti indixit, illamque vt gratiæ *moſtrum* elidere cõnatur: negat enim vllam prorſus in hoc ſtatu gratiam ſufficientem tantum, ideſt, quæ effectu ſuo careat, hanc enim gratiæ medicinalis naturam, vt diſtinctã à gratia ſanitatis, ſtatuit; vt quidquid poteſt, neceſſariò efficiat: ex quo errore Theologiam ferè omnem evertit. Malè agendi neceſsitate peccatores obſtringi docet, quia negat gratiam ſufficientem ad vitanda peccata: Deũ impoſsibilia peccatoribus præcipere,

re, accerrimè defēdit; quia cum gratia efficaci careant, & nulla sit sufficiens, non habent gratiā, vt sint præcepta posibilia: hęc sunt Jansēiani Dogmatis absurda consectaria, quæ ab Eccleſię Decretis abhorrent. Sed nunc non ex his principijs est gratia purè sufficiens comprobanda, quia si reijcitur, toties reiectę, atque execratæ ab Eccleſia blasphęmiæ sequerentur; sed solùm demōstranda, quia est gratia medicinalis interior resistibilis, & cui sępiùs resistitur; quod cōprobandum est, 1. ex Sacra Scriptura: 2. ex Conciliorum Decretis: 3. ex evidenti experientia: 4. ex S. Augusti. & D. Thomæ testimonijs.

532 Ex Sacra Scriptura prob. 1. ex illo Stephani increpantis Iudęos: *Dura cervice, & in circuncisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis*, vbi constat, quod Iudæi gratiæ Spiritus Sancti resistebant. ¶ Confirmatur, vel S. Sanctus inspirabat Iudęis desideria bona, vt posset converti, vel non? Si non habebant inspirationes S. Sancti, quomodò resistebant S. Sancto? Et quomodò Stephanus conqueritur de sua non conversione, si non obtinebant gratiam, qua possent converti? Si habebāt inspirantem S. Sancti interiorem gratiā; ergò non se convertendo interiori gratiæ illi resistebāt; quid enim aliud est resistere gratiæ, quàm cassam reddere illius virtutem, & frustrare eius inclinationem?

*Actorū 7.*

533 Sed Jansenius se defendere nititur, quia dum similia verba expendit, pugnat, intelligi non de interna gratia; sed tantùm de externa, quā esse sufficientem, & resistibilem fatetur. ¶ Hæc verò Jansenij responsio non potest efficaciùs castigari, quàm ostendendo, vndè prodierit. Quod ex Stapletono colligi potest, qui recitat Calvinum, ita exponētem D. Stephani verba: *Resistere spiritui dicuntur, qui eum in Prophætis loquentē contumaciter reijciunt. Neque enim de arcanis revelationibus hic agitur, quas Deus vnicuique intus inspirat, sed de externo ministerio, quod diligenter notandum*, & monentem Calvinum Jansēiani obtemperarunt; sed à Calvino insignitèr depravari hac interprætatione hoc testimonium: & Stephanum loqui de interna inspiratione S. Sancti his verbis convincit nobilis ille Catholicæ veritatis defensor: *Ait S. Stephanus*, S. Sancto resistitis. *Opus autem S. Sancti proprium est intus commovere. Sanè in solo externo ministerio, nisi S. Sanctus cor tāget, S. Sanctus in ipso audiente nihil operatur: vbi autem nihil operatur, ei nec resistitur, nec obeditur. Deindè hæc resistentia de qua hic Stephanus loquitur, ex cordis duritiè oriebatur.* Dura, *inquit*, cervice, in circuncisis cordibus, & auribus. *Atqui cordis durities circa ea propriè versatur, quibus cor movetur, tangitur, afficitur. Tales sunt inspirationes internæ, quæ in materia salutis, & cultus divini non nisi à divino spiritu promanant. Qui sine vllo motu Divino interno Prophetam contemnit, non resistit propriè, & directè S. Sancto, vtpotè qui nil eum moveat, sed personæ, quàm audit.* Quid illustrius?

*Stapletonus in Antidoto in Acta Apost. c. 7. num. 51.*

*Ianſenius, lib. 2. de Gratia Christi, cap. 32.*

534 2. Quia ad Rom. ita Apost. afflatur: *An divitias bonitatis eius*, Dei scilicèt, *& patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniā benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiā tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram.* Quomodò contēnunt divitias bonitatis Dei, si non contemnunt Dei gratiā? Et quomodò contemnunt gratiam, nisi resistendo gratiæ? Quomodò benignitas Dei ad pœnitentiam adducit, si non tribuit auxilium gratię pręstans vires ad pœnitendum? Et quomodò impœnitens cor thesaurizat sibi iram, nisi quia gratiæ adducenti ad pœnitentiam duritia resistit?

*Paulus ad Roman. 2.*

Et nè tàm manifestum testimonium

hium illudatur insigni depravatione, intelligendo Apost. de contemptu gratiæ exteriùs vocantis, & ad pœnitentiam per externas monitiones adducentis; audiamus Augustum exponentem, qualitèr Deus sit: *Longanimis, & multum misericors*; his verbis: *Quid tàm longanimum? Quid tàm multum in misericordia? Peccatur, & vivitur: vocat vndiq; ad correctionem, vocat vndique ad pœnitentiam; vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagelum correctionis, vocat per misericordiam consolationis longanimis, & multæ misericordiæ. Sed observa nè longitudine misericordiæ Dei malè vtendo, tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die iræ. Nam hoc ait Apost: An divitias benignitatis, & lõganimitatis eius cõtemnis?* Et statim infert M. P: *Ergò te Deus longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit.* En ex Aug. quàm varię vocationes gratiæ, nõ solùm externæ præveniunt peccatorẽ, vt ad pœnitẽtiam adducatur, quibus malè vtendo thesaurizat iram Dei, divitias bonitatis, & misericordiæ divinæ contemnit.

*August. in Psalm. 102.*

535 3. Prob. assumptum, quia Apost. ita monet: *Exhortamur nè in vacuum gratiam Dei recipiatis*, & ad quid exhortaretur nè reciperetur in vacuum gratia Dei, si semel recepta non posset per resistentiã evacuari? ¶ Sic Paulus de seipso loquitur: *Gratia eius in me vacua non fuit*, quæ in hoc Pauli gloria, si gratia Dei in nullo vacua est, imò, nec per resistentiam in vacuum recipi potest? ¶ Accedunt: D. Bernardus, & D. Thomas: D. enim Bernard. sic ait: *Paulus studiosissimè cavebat, & cavẽdum docebat malum vacuitatis gratiæ, quæ vacua in ipso non fuit*, malum; ergò vacuitatis gratię est posibilè; frustrà enim tanto studio præcavetur malũ chimæricũ;

*Paulus 2. ad Corinth. 6*

*Paulus 1. ad Corinth. 5.*

*D. Bernard. serm. 54. in Cantica.*

D. autem Thom. sic scribit: *Gratia Pauli non fuit in ipso vacua, quia ea vsus est ad id, ad quod data est sibi*, in alijs, ergò, erit vacua si gratia non vtuntur ad id, ad quod data est ipsis; frustra ergò exhortamur, vt gratia in nobis non sit vacua, vel possumus ea non vti ad id, ad quod data est nobis; potest ergò gratia per resistentiã suo effectu frustrari, & in vacuum recipi. ¶ Et ideò asserebat Paulus: *Contemplantes nè quis desit gratiæ Dei*; quomodò enim potest quis deesse gratiæ Dei, nisi ei resistendo? Idem, ergò est contẽplare, nè quis desit gratiæ Dei, ac nè quis gratiæ Dei resistat.

*D. Thom. ad Corinth. 15. lect. 1.*

*Paulus ad Hæbr. 12.*

536 Prob. 2. Assumpt. gratię interioris in hoc statu lapso resistibilis, ex Sacris Concilijs: & omissis plurimis sacris testimonijs, quæ gratiam purè sufficientem convincunt: gratiam interiorem resistibilem ex Sac. Concilio Trident. & ex Conc. Senonensi efficacissimè colligẽmus; sic edocet S. Tridentina Synodus: *Ita vt tangente Deo cor hominis per S. Sãcti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippè qui illam, & abijcere potest*; quid enim est hominem posse inspirationem abijcere, nisi posse eã contemnere, & ei resistere?

*Trid. sess. 6. cap. 5.*

537 Nec audiendus est Vincentius Lenis, qui inepta explicatione Tridentini sententiam infringit; exponens mentem Concilij esse inspirationem illam esse actum vitalem, & voluntatem aliquid agere, dum illam recipit. ¶ Quia evidens est Concilium per has voces: *Inspirationem recipiens*, non denotare receptionem materialem ipsius inspirationis, sed moralem, quæ consistit in consensu, & acceptatione ipsius inspirationis sanctæ; quod ita notum est, vt Jansenium non latuit, ita enim asserit: *Neque enim Concilium ibi agit de qualibet gratiæ receptione sed de morali, quæ exercetur, non tàm sentiendo inspirationem, quàm consentiendo.* ¶

*Vincent. Lenis, lib. 2. cap. 7. sect. 2.*

*Iansen. lib. 8. de Gratia Christi, cap. 17.*

Quod manifestè convincitur, quia hæc verba adducit Concilium, vt explicet, quod *qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur*, vndè statim subiungit; *ita vt tangẽte, &c.* probat; ergò, peccatores libere assentire gratię, quia ita recipiunt inspirationẽ, vt possint illam abijcere; non ergò loquitur de receptione materiali inspirationis, quasi homo agat recipiẽdo, quia inspiratio est actus vitalis; hęc enim est stulta collectio; inspiratio est actus vitalis; ergò homo libere assentitur gratiæ.

*Trid. sess. 6. cap. 5.*

Accedit ad huius veritatis evidentiam; quod refert Cardinalis Esforcia in Historia Concil. Tridentini; cum enim formaretur prædictum Decretum (*asserit*) Generalem S. Francisci postulasse, vt post illa verba: *Neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens*, adderetur *cum in sua potestate sit illam nõ recipere*, Patribus verò non placuisse; sed addiderunt, quæ sequuntur; *quippè, qui illam, & abijcere potest*, & prudentissimè fecerunt, vt auferrent equivocationem, quę in verbo *recipere* esse posset, posset enim sumi pro receptione physica, qualitèr receptio inspirationis libera non est, cũ sit in nobis, sine nobis libere agẽtibus; vndè fuit appositum verbum *abijcere*, vt denotaretur Concilium loqui de receptione morali inspirationis, quatenus voluntas potest inspirationẽ abijcere dissentiendo, aut resistendo, vel consentiendo recipere, aut acceptare.

*Esforcia in Histor. Trid. lib. 8. c. 13. num. 8.*

538 Sacrum Concilium evidentèr etiam edocuit gratiam interiorẽ resistibilem, dum declaravit in regulis fidei *liberum arbitrium motum, & excitatum cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ita vt possit dissentire, si vellit*, si enim arbitrium Deo excitanti potest dissentire, & gratiæ excitanti interiori potest resistere; vndè gratia excitans ad assensum est resistibilis, quia dissentire gratiæ excitanti ad consensum est eam enervare, frustrare, & irritã reddere; vndè, & ei resistere: quàm futili cavilatione Jansenius tàm manifestum testimonium deprãbavit infrà ostendemus.

*Trid sess. 6. Can. 4.*

*Disp. 3. q 1.*

539 Senonense Provinciale Cõcilium, ita evidentèr eandem veritatem expressit, vt nullum Jansenistis relinquat tergiversandi locum; ita edisserit: *Neque enim liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam, quod illi falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos præstingere; sed iuxtà Sacram Scripturam eò extendimus, vt voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quoddam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta se se convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illã gratiam se præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam; nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hyerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerũt? Frustrà certè Stephanus Iudæos duræ cervicis, & in circuncisi cordis argueret, qui semper Spiritui S. resistèrent: Frustrà Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum nè extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabilitèr raperentur.* En vbi Concilium loquendo de gratia *præveniente interiori* asserit, *nec denique est tale huiusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti nõ possit*; ergò gratiam interiorem resistibilèm expressè edocet; similitèr affirmat: *Quod divinis inspirationibus homines inevitabilitèr non rapiuntur*; quia per resistentiam possunt eas extinguere; neque id solùm docet, sed etiam clarissimis S. Scripturæ testimonijs cõprobat, & convincit. Catho-

*Conc. Senon. Decret. 15.*

540 Catholicam hanc veritatē ex evidenti experientia, & communi Ecclesiæ sensu convincendam aggredimur; sic afflatur S. Laurentius Justinianus: *Quamvis ad insinuandum, hominem Deo posse resistere, multis divinorum eloquiorum valeat auctoritatibus comprobari, id tamen vnusquisque sufficienter experitur in se. Quis oro tanta sanctitate est præditus, vt sæpissimè aspirationi nō renitatur internæ, aut torpore victus, aut propria affectione seductus? O quantis clamoribus introrsus, quantis nè exhortationibus sacris excitatur peccator, antequàm de morte, seù somno delictorum evigilet!* Non solū ergo falsitatis Jansenium evincit S. Scripturæ, & Conciliorum authoritas; sed manifesta experientia, qua constat: *Sæpissimè aspirationi internæ*, homines pertinaciter obluctari. ¶ Hanc veritatem in seipso expertum fuisse Augustinum; elegātèr expressit, dum seipsum resistentem diù divinis inspirationibus describit in libris Confessionum.

*D. Laurent. Iustinianus lib. de Spirit. animæ resurrect. in initio.*

Hoc argumentum his verbis Calvino opponit Bellarminus: *Si non detur gratia aliqua merè sufficiens, nemò poterit verè dicere se non feciſſe tantùm boni, quantùm potuit: nec vllus se meritò reprehenderet, quod gratiæ Dei non sit cooperatus, quantum potuit, & debuit. Nam si nulla sit gratia nisi efficax, nulla erit gratia, cui vlla ex parte vnquam resistatur, ac per hoc vnusquisque nihil vnquā minus aget, quàm id sit, ad quod eum divina gratia movet. At certè sancti omnes seipsos negligētiæ, et ignaviæ accusare solent, ac non se cooperatos esse gratiæ, vt par erat, cum gemitu confitentur.*

*Bellar. lib. 1 de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 11.*

In cuius confirmationem communitèr adducitur Ioannes Thaulerus, qui sanctis hanc formulam confitendi præscribit: *Confiteor me non obedire inspirationibus, & admonitionibus Dei*, eandemque doctrinam mirificè illustrat Galliarum Apostolus eximiæ Sanctus, & Sanctissimè Doctus S. Franciscus Salesius, & exēplo S. Francisci Assisias illustrat, simulque doctrina illius insignis vitæ spiritualis Magistrę, Hispaniæ, imò, & Ecclesiæ immortalē decus, S Theresiæ à Iesu.

*Ioan. Thauler. pagina 667.*

*D. Franc. Salesius lib. 2 de Amore Dei, c. 11. per totum. Iansen. lib. 2. de Gratia Christi, cap. 27.*

541 Quid effugij adaptavit Jansenius? fortè illam distinctionem sibi familiarem duplicis gratiæ, altera, quę consensum imperfectum necessariò elicit; alia, quę consensum perfectum necessariò exprimit: Et quod licèt hæc 2. resisti non possit, secus 1. quia licèt necessariò consensum imperfectum, quem vnicè potest, & ad quem à Deo ordinatur, consequatur, cum consensum perfectum non obtineat, dicitur voluntatem eius internæ suasioni dissentire.

542 Sed hanc responsionem, quàm Jansenius desumpsit ex Andrea Villeto celebri Calvini breviatore, vt probat P. Decamps, argumentis nostris accomodari non posse evidēs est, licèt enim aliquādo interior gratia solùm imperfectum obtineat, cōsensum falsissimum est, quod sæpius non moveat etiam ad cōsensum perfectum, quem nō obtinet: Nam quomodò quis resistit gratię Spiritus S. qui tamdiù gratię cædit, quamdiù ab ea impellitur? Quomodò quis in vacuum recipit gratiam, ei deest, aut dissentit, si statim exhibet consensum imperfectum, qui vnicè à gratia exposcitur, & vnicè per gratiam Deus efficere intendebat? Certè fallacitèr se accusaret non obedire inspirationibus Dei, qui continuò, & necessariò exhiberet quidquid inspiratio præcipit, & Deus per illam vult: & hanc cavillationem adaptari à Jansenio minimè posse ad Tridentini, & Senonensis Decreta equæ evidēs est.

*P. Decamps de Hæresi. Iansen. lib. 1 disp. 8. c. 4.*

543 4. Hanc Catholicam veritatem demonstramus, quia Jansenij oppinio est ex pestiferis Hæreticorū lacunis desumpta; vt eruditione so-

lita comprobant P. Ripalda, & P. Decamps, non verò ex Auguſtino, & Thoma, vt Janſeniani vociferantur; ſed omnia potiùs principia Auguſtinianæ Doctrinæ evertit, & Angelico M. manifeſtè opponitur.

*P. Ripalda cont. Baian. lib. 2. diſp. 23. ſect. 2. P. Decamps lib. 1. diſp. 8.*

Ex Auguſt. præter teſtimonium ſuprà adductum, aliud tàm evidens, quàm commune expendam: vbi differentiam vocationis Dei ſufficientis ab efficaci, & vocationem reſiſtibilem edocet; his verbis: *Ad illam cœnam, quàm Dominus dicit in Evãgelio præparatam, nec omnes, qui vocati fuere venire voluerunt* (reſiſtitur ergo vocatio,) *nec illi, qui venerunt venire poſſent, niſi vocarentur* (vocatio ergo erat ſufficiens, quia poteſtatem veniendi præſtabat;) *itaquè nec illi debent tribuere ſibi, quia vocati venerunt, nec illi, qui nolluerunt venire debent alteri tribuere, ſed tantũ ſibi: Propterea, & ſi quiſquam ſibi tribuit, quod vocatus venit, non tamẽ poteſt ſibi tribuere, quod vocatus eſt; qui autem vocatus non venit, ſicut nõ habuit meritum præmij, vt vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicij, cum vocatus venire neglexerit.*

*Auguſt. adduct. ſup. n. 534. Aug. lib. 83. q. 68.*

544 Nec tàm manifeſtum teſtimonium illudi poteſt effugio, quo noſtri temporis Hæretici hæc, & ſimilia Auguſt. verba interprætantur, exponendo Auguſt. de vocatione extrinſeca Dei, cui nollens venire reſiſtit; non de vocatione interiori prevenientis gratiæ; quia ita vocatus ſemper venit, & venire nunquàm negligit. ¶ Quia contra eſt. 1. Quia vocatio extrinſecùs ſonans oſtendit, quid facere debeamus, non verò donat poſſe facere, quod debemus; vt demonſtrat Auguſtin. adverſus Pelagium; ſed Auguſt. loquitur de vocatione dante poſſe ad nuptias venire; ergò de interna vocatione gratiæ. ¶ 2. Quia ante allata verba, has vocationes, ita expreſsit Auguſt: *Et quoniam, nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus, ſivè intrinſecus, vbi nullus hominum videt*, ecce interiorem vocationem gratiæ, *ſivè extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia, efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis*; ergò Auguſtinus non ſolùm extrinſecam vocationem, ſed internam vocationem gratiæ diſtinguit per efficacem, vel inefficacem, ſeù ſufficientem.

545 Angelicum Eccleſiæ lumen hanc veritatem etiam edocuit: communitèr in illius favorem adducitur; ita ediſſerẽs: *Vocatio eſt duplex, quædam exterior, vt quæ fit per prædicatorem; & hæc non eſt iuſtificatio, ſed diſponit ad eam: quædam verò interior; & hæc quandoque quidem non pertingit ad finem ſuum ex vocati defectu: & hæc vocatio nihil aliud eſt, quam inſtinctus, vel motus ad bonum à Deo immiſſus: Quandoque autem pertingit ad finem, quando ſcilicèt, quis audit vocãtem, & venit ad Chriſtum*; vbi expreſsè duo effugia Hæreticorum præcludit, loquitur enim in ſtatu naturæ lapſæ, & de vocatione interiori, quàm aſſerit aliquando non pertingere ad finem ex vocati defectu; ergò non omnis vocatio interior ſuum obtinet effectum, quia vocatus ei reſiſtit.

*D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 1. n. 1. q. 2.*

546 Aliud adduco ſpeciale, ſed equæ evidens Doct. S. teſtimonium: cum enim aſſerat infidelitatem peccatum, dum ſcilicèt, quis repugnat auditui fidei, vel contemnit ipſam. Ad 1. argum. intendens infidelitatem nõ eſſe peccatum, quia non eſt contra naturam, cum non ſit naturæ habere fidem; ita reſp. *Ad 1. ergo dicendũ, quod habere fidem, non eſt in natura humana; ſed in natura humana eſt, vt mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, et exteriori veritatis prædicationi; vndè infidelitas ſecundùm hoc eſt contra naturam.* En vbi expreſsè edocet, infidelem non ſolùm repugnare exteriori prædicationi; ſed inte-

*D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. ad 1.*

interiori instinctui; ergò in statu lapsus homo repugnat interiori instinctui moventi ad fidem; ergò est interior gratia ad fidem alliciens resistibilis, & quam infidelis contemnens, ei repugnat.

## SECTIO TERTIA.

*Catholica veritas gratiæ interioris in statu naturæ lapsæ resistibilis ex SS. PP. Decretis evidentèr colligitur, & novum Iansenistarum effugium excluditur.*

*Innocent. X in Bulla, quę incipit: Cũ occasione.*

547 SS. D. Innocentius X. sic contra Jansenium declaravit: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus*; ergò hæc propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*, est Catholica, & de Fide: Patet hæc consequentia: Quia secunda propositio est contradictoria, primę ab Ecclesia, vt Hæreticę proscriptæ, & idem est esse de fide, vnum cõtradictorium esse falsum, ac alterum contradictorium esse verùm. Sed in statu naturæ lapsæ aliquando resisti interiori gratię est in hoc statu dari interiorem gratiam resistibilẽ, imò, & cui aliquando resistitur; ergò de fide est iuxtà Ecclesiæ sanctiones dari in statu naturæ lapsæ interiorem gratiam resistibilem, & cui aliquando resistitur. ¶ Vrgetur hoc, licèt de se satis notum; hæc propositio: *Interiori gratiæ nunquàm resistitur*, equivalet huic vniversali: *Nullus est casus in quo interiori gratiæ resistatur*, si enim in aliquo casu interiori gratiæ resisteretur, proculdubiò esset falsum, quod nunquàm tali gratię resistitur; ergò si propositio prima est, vt hæretica ab Ecclesia damnata, & secunda ei equivalens; ergò contradictoria secundę propositionis est de Fide, & Catholica, scilicèt, *aliquis est casus in quo interiori gratiæ resistitur*; & ita de fide est, esse gratiam intetiorem resistibilem, cui voluntas lapsa in aliquo casu resistit.

548 Pelagij causam finitam esse pronuntiavit August. postquàm Hæresis Pelagiana damnata fuit ab Innocentio I. & Jansenistæ, qui tàm ambitioso, quàm falso discipulorum Augustini nomine gloriantur, Jansenij dogmata cum intolerabili pertinacia in Belgio substinent, postquàm ab Innocentio X. sunt, vt hęretica proscripta: imò plures Recentiores Lovaniẽses propositionem Jãsenij, quàm nũc vt Ecclesiæ fulminibus obtritam reijcimus, pallam substinent, & Ecclesiæ iudicium procacitèr illudunt, vt referunt ex innumeris testimonijs Eminent. Aguirre, & RR. Thyrso.

*Aug. serm. 2. de verbis Apostoli, cap. 10.*

549 Sed inspicite, quàm futilis sit cavilatio, qua vim Bullæ Innocentianæ effugere tentant, Frãciscus Vãvianem, & Gummarus Huigens, strictioris observantiæ Lovanienses Magistri apud RR. Thyrso: Propugnavit ille Lovanij, quod *quamvis gratiæ resisti possit, omnis tamen suum obtinet effectum*; sed iste eundem sensum ita expossuit: *Pone non dari impetum sine motu; An idcircò corpus grave nulli impetui resistit? Qua igitur ratiocinij specie negatur resisti gratiæ, etsi singuli huius gradus semper in nobis obtineant id, quod per illos vult Deus?* Eandem sententiam his verbis exprimit: *Faciliùs ostendero, quod natura corrupta semper gratiæ quoddammodò resistit, quam quod nunquàm*; vbi vt vides cum à Jansenij doctrina toties damnata minimè discedant, dum substinent gratiam in hoc statu semper suum obtinere effectum, quem per illam vult Deus, vt fuccum faciant, aliquam affirmant resistentiam gratiæ, quatenus motus concupiscentiæ, vel delectatio terrena gratię pugnat, licèt gratia interior semper victrix evadat: sicut grave sua gravitate resisteret motui sursum, licèt impulsus nunquàm frustraretur motu.

*Aguirre C. Clerũ Gallic. t. 1. disp. 21. sect. 2. Thyrso, t. 4. disp. 4. sect. 63. Thyrso vbi sup. sect. 67. Gummarus in Compendio, pag. 29.*

550 Sed esse Hęreticum, gratiã interiorem semper obtinere effectũ, quem per illam vult Deus: convincitur à Thyrso. Quia hęc propositio: *Interiori gratiæ nunquàm resistitur*, fuit, *ex libro Cornelij Ianseni Episcopi Iprensis excerpta, ac in sensu ab eodem Cornelio Ianseno intento damnata*, ab Innocentio X. vt declaravit, & definivit Alexander VII. contrà nonnullos, quos vocat, *iniquitatis filios*; sed Jansenius solùm edocuit, quod gratiæ interiori in hoc statu nunquàm resistitur, quia gratiam sufficientem non efficacem mõstruosam vocavit; quia gratiam nunquàm frustrari, & suo effectu carere, edocuit; non verò negavit Jansenius esse aliquam luctam, & pugnam inter delectationem terrenam, & delectationẽ cœlestis gratiæ; ergò *gratiæ interiori nunquàm resisti*, est hęreticũ, quatenus in illa propositione affirmatur gratiam interiorem nũquàm frustrari, sed semper suum effectum obtinere: Min. quoad primam partem, scilicèt, Jansenium affirmasse, gratię interiori nunquàm resisti, quia edocuit nullam esse gratiam sufficiẽtem, seù, quæ suo effectu careat: evidentissimis Jansenij testimonijs comprobãt Emin. Aguirre, R. Thyrso, M. Ferre, & ex omnibus Catholicis Scriptoribus, qui de Jansenio triumpharunt appertè colligitur: ¶ 2. pars Min. est æquè certa, scilicèt, Jansenium minimè negasse luctam inter gratiam, & delectationem terrenam; eam enim expressè, his verbis docet: *Quamdiù in hac vita mortali vivimus, esse in homine luctam quandam duarum delectationum, noxæ, & beneficæ, terrenæ, atque Cœlestis, quarum vtralibet vicerit, animum secum consentiẽtem, ac pronum trahit*, non ergo negavit Jansenius in hac mortali vita luctam inter gratiam, & terrenam delectationem.

*R. Thyrs. vbi suprà.*

*Alex. VII. in Bulla cõtra Iansenistas, quæ incipit: Cum autem.*

*Emi. Aguirre vbi sup. R. Thyrso vbi suprà.*

*M. Ferre, tom. 9. de Volunt quæst. 6. sect. 8.*

*Iansen. lib. 4. de Gratia Christi, c. 4.*

551 Quibus addo. 1. Quod omnia argumenta, quę Sect. præterita ex Script. Concilijs, & PP. contra Jansenium produximus, hanc cavillationem equæ erroris convincunt. 1. Stephanus Iudæos increpavit duritiæ cordis, quia *Spiritui Sancto resistebãt*, Cùr? Quia delectatio terrena pugnabat cum gratia interiori S. Spiritus: Minimè. Quia si gratia in illis vincebat pugna non duritiam increpatione dignam argueret; sed potiùs gloriam de victoria gratiæ inferret; deniquè, si Gummarus facilè ostensurũ promittit, quod gratiæ interiori semper resistitur; Cùr Iudæi tàm acritèr increpantur de eo, quòd semper accidit? ¶ 2. Quomodò, quis contemnit Dei gratiam, in vacuum recipit, gratiæ Dei deest, & inspirationẽ Spiritus Sancti abijcere potest, iuxtà Sacram Scripturam, & Tridentinum, si licèt concupiscentia continuò rixetur cum gratia, gratia semper victrix superat, & consensum, quem intendit obtinet? Dicetur enim verè suasiones alteriùs contemnere, qui licèt cũ interiori pugna semper eis obtemperat, & cędit, quantùm ab eo exposcitur? Qua veritate Deus conquæritur? *Quod voluit congregare filios Hyerusalem, & noluerunt*; si quidquid voluit, per gratiam suam consensu filiorum Hyerusalem obtinuit? Fictè etiam, & falso se accusant Sancti, non obedire inspirationibus Dei, si semper, & necessariò, licèt cum pugna concupiscentię, gratiæ obtemperãt, eliciendo consensum, quem vnicè exposcit, & intendit gratia.

552 Addo 2. Sequi ex Janseniano Dogmatè, interiorem delectationem terrenam, seù concupiscentiæ motum, semper obtinere consensum aliquem voluntatis, licèt cum pugna gratiæ, cœlestisquè delectationis: Sequela est manifesta, iuxtà Jansenij Dogmata: 1. Quia, tàm gratiæ, quàm concupiscentiæ tribuit vim necessitandi ad consensum; Cùr ergò concupiscẽtia poterit suo effectu frustrari, ad quem necessariò movet, si gratia

tia ſemper ſuum effectum obtinet? ¶ 2. Quia quando concupiſcentia ad malum trahens conſenſum voluntatis non exprimet? Certè ſolùm, quãdo in ipſius conflictu, & pugna cum delectatione cęleſtis gratiæ, gratia victrix evadit, vel quia fortior, vel quia æqualis. Paritèr, ergo, in eadem pugna, ſi delectatio terrena victrix evadit ſuperando gratiam, vel quia fortior, vel quia æqualis, gratia ad bonum movens conſenſum voluntatis non exprimet: Ait Jãſenius, quod licèt in vtriuſquè delectationis conflictu terrena victrix evadat, cœleſtis verò ſemper conſenſum ſaltem imperfectum boni obtinet; cùr, ergò, paritèr licèt in illa pugna cęleſtis delectatio triumphet, terrena conſenſum ſaltem imperfectum mali non obtinebit?

553 Sequelam verò, ex Janſenij errore manifeſtè deductam, abhorret animus, quia ex illa ſequitur Hæreſis execranda à peſtiferis Hæreſiarchis Luthero, & Calvino edocta, & à S. Tridentina Synodo obtrita, & proſcripta: & (1) Trid. ita edocet: *Concupiſcentia nocere non conſentiẽtibus, ſed virilitèr per Ieſu-Chriſti gratiam repugnantibus, non valet*: Dum ergò, motus concupiſcentiæ nocere non valent non conſentientibus, aliquando eis non conſentimus, & exindè non ſemper conſenſum obtinent. ¶ 2. Lutherus, & Calvinus edocuerunt: *Iuſtum in omni opere bono peccare*, quos damnavit Tridentinum deffiniens: *Conſtat eos Orthodoxæ Doctrinæ adverſari, qui dicunt iuſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare*, & cum in Sanctis concupiſcentia, & gratia continuò pugnent, licèt benè operentur, quia dominetur gratia, ſaltem venialitèr ſemper peccabunt, quia concupiſcẽtia rebellis conſenſum ſaltem imperfectum mali ſemper exprimet. ¶ 3. Quia concupiſcentiam ſemper peccatum inferrè, eſt contra omnium fidelium mentem, & SS. PP. ſenſum, vniformitèr enim edocent, quod *ſentire motus cõcupiſcentiæ non eſt peccatum, ſed eis conſentire*: conſulantur; accerrimus ille Lutheri confutator, Purpura, & martyrio decoratus, Ioan. Roffenſis, & Everhardus Billich in Defenſ. iudicij Cleri Colonienſis adverſus Buccerum, &c.

*Trid. ſeſ. 5. num. 5.*

*Art. 31. Luther. à Leone X. damnatus.*

*Roffenſis aſſert. Lutherana confutatio artic. 31.*

*F. Everhardus Billich. pag. 95.*

## SECTIO QVARTA.

*Gratiam phyſicè prædeterminantem eſſe à voluntate noſtra irreſiſtibilem, ratione convincitur.*

554 HAnc concluſionem omninò veram iudico, & pro illa ita diſputo. Primo. Voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ prędeterminanti in aliquo verò ſenſu, eſt poſſe ei ponere reſiſtentiam, ſed hoc non poteſt voluntas; ergò nec reſiſtere prædeterminationi, & ita gratia prædeterminans erit verè irreſiſtibilis. Prob. Min. Si voluntas prædeterminata ad conſenſum poſſet ei ponere reſiſtentiam poſſet ponere omiſsionem cõſenſus compoſitam cum prædeterminatione, ſed hoc non poteſt voluntas; ergò: Min. eſt certiſsima; tùm, quia omiſsio compoſita cũ prædeterminatione conſenſus eſt chimęra; tùm, quia ſi omiſsio eſſet compoſita cum prædeterminatione conſenſus, vel eſſet compoſita cum conſenſu, vel prædeterminatio ad conſenſum eſſet diviſa à conſenſu, quorum quodlibet eſt chimæra, quia prædeterminatio connectitur cum conſenſu, & omiſsio conſenſus eſſentialitèr pugnat cum conſenſu: Prob. Mai. Poſſe voluntatem ponere reſiſtentiã eſt poſſe ponere omiſsionem eo modò, quo omiſsio eſt reſiſtentia; quid clariùs? Quia ſi licèt poſsit omiſsionem, non poſsit omiſsionem modò, quo omiſsio eſt reſiſtẽtia, non poteſt reſiſtentiam; ſed omiſsio conſenſus ſolùm eſt reſiſtentia prædeterminationis, vt compoſita cum prædeterminationis

minatione; ergò: Min. videtur nota ex supradictis, quia resistere alicui virtuti est componere cum virtute, carentiam effectus, ad quem inclinat virtus; sed ampliùs, prob. omissio nõ est resistentia prædeterminationis: dum non est omissio; quia quod non est non est resistentia, nec est resistentia, dũ est divisa à prædeterminatione, quia dum nõ est prędeterminatio, non est prædeterminatio, cui resistatur, & sicut non est resistentia, dũ non est, quod resistit; non est resistentia, si non est, cui resistatur; sed omissio, si est, & non divisa à prædeterminatione, est composita cum prędeterminatione; ergò omissio solùm est resistẽtia prædeterminationis composita cũ prædeterminatione. ¶ Alitèr: nõ resistitur gratiæ prædeterminanti: *Existente gratia, & deficiente omissione consensus*, quia, cũ tunc existat cõsensus suum assequitur effectũ gratia; nec resistitur gratiæ prædeterminanti: *Existente omissione, & deficiente gratia*; aliàs semper, quod volũtas omitteret resisteret gratię, sed quod nõ est existere gratiam deficiente omissione, nec existerè omissionem deficiẽte gratia est existere omissionem, & gratiam, & sic omissionem compositam cum gratia; ergò resistentia gratiæ prędeterminantis, stat in omissione consensus composita cum gratia prædeterminante; ergò si hæc omissio est chimæra, vt composita, vt resistentia est chimæra.

*Sup. n. 523.*

555 Vndè 2. sic disputo; hìc syllogismus est evidens: *Resistere prædeterminationi, est componere resistẽtiam cum prædeterminatione; sed voluntas non potest componere resistentiam cum prædeterminatione; ergò voluntas nõ potest resistere prædeterminationi.* Sed Mai. est vera, quia omne resistere est cõponere resistentiam cũ eo, cui resistitur; & Min. est æquè certa; quia cum prædeterminatio sit essentialitèr connexa cum sua efficacia, & cum consensu, est ex se inconiungibilis cum ineffícacia, & resistentia, & voluntas nequit componere incõpossibilia; ergò conseq. est verũ.

556 Dices; voluntatem posse resistere prædeterminationi, licèt nõ in sensu composito prędeterminationis, in sensu diviso; & syllogismũ adductum esse defectuosum, quia in illo arguitur à sensu composito ad divisum, sicut dum ita colligitur: *Voluntatem dissentire existente prædeterminatione est componere dissensum cũ prædeterminatione, sed voluntas non potest componere dissensum cum prædeterminatione; ergò non potest dissentire existente prædeterminatione*; quia ineptè infertur ex impotentia in sensu composito impotentia ad sensum divisum.

557 Sed contra multiplicitèr, 1. resistere prędeterminationi in sensu composito illius est chimæra; sed resistere prædeterminationi in sensu diviso etiam est chimæra; ergò nullum est resistere, quod non sit chimæra, & ita nequit esse terminus potestatis veræ: P. Min. Quia quid magis chimęricum, quàm resistere alicui, dũ non est illud aliquid? ¶ Vndè in syllogismo pro ratione adducto minimè arguitur à sensu composito ad divisum, sicut in exemplo solutionis, vbi ex in potentia componẽdi dissensum cum prædeterminatione infertur in potentia ad dissensum existente prædeterminatione; sed potiùs arguitur *à definitione ad definitum*, ex impossibilitate vnius compositionis impossibilitas termini includentis essentialiter compositionem; si enim resistẽtia essentialiter cõstituitur per compositionem cum extremo, cui resistit, vbi est chimęrica hæc compositio erit chimærica resistentia; sed ita disputamus in nostro syllogismo; ergò rectè, & absq; fallacia cõpositionis

558 Vrgeo 1. Si quis fatuè diceret, voluntatem nostram posse *falsificare* scientiam divinam consensus; erroris ipsum increpares, quid enim magis

magis dissonũ, quàm nos posse scientiam Dei falsificare, cùm nec Deus possit falsificare scientiam nostram, quia sciẽtia est actus essentialitèr verus: Sed 1. quo argumento prẹmeres ita delirantem; certè non alio, nisi isto: *Falsificare scientiam consensus est componere dissensum cum scientia; sed voluntas non potest componere dissensum cum scientia; ergò voluntas nõ potest falsificare scientiam*, si verò diceret, quod dum ita arguitur fallacia compositionis incurritur, quia ex impotentia in sensu composito impotẽtia in sensu diviso colligitur: Adhùc instares efficacissimè; hic fallaciã cõpositionis non esse; cum solùm ex repugnantia vnius compositionis inferatur repugnancia termini essentialitèr includentis talem compositionẽ; sed eadem forma in nostro syllogismo pugnamus; ergò rectè. ¶ Explico vim huius discursus: posita scientia divina consensus est in nostra voluntate vera potestas ad dissensum, sed nequit esse aliqua vera potestas ad falsificandam scientiam Dei, quin hìc, nisi stultè adduci possit distinctio sensus compositi, & diuisi; & cùr ita? Certè non alia ratione, nisi, quia dissensus solùm potest falsificare scientiam compòsitus cum scientia, quia dum scientia non est non est falsa, & dissensus ita compositus est chimæra, quia licèt simul cum scientia sit potestas ad dissensum, non est potestas ad dissensum simul cum scientia; vndè insurgo, falsificare includit essentialitèr cõpositionem cum eo, quod falsificatur, quia, quod non est nõ est cum falsitate; ergò resistere includit essentialitèr compositionem cum eo, quod resistitur; quia, quod non est non est cum resistentia, sed potestas ad dissensum composita cum scientia stat cum omni vera impotentia falsificandi scientiam, quia non est potestas ad dissensum ea ratione, qua potest esse falsificatio; ergò similitèr potestas ad dissensum cõposita cum prædeterminatione, stat cum omni vera impotentia resistendi prædeterminationi, quia non est potestas ad dissensum ea ratione, qua sola potest esse resistentia.

559 Vrgeo 2. Voluntas nostra in nullo verò sensu potest gratiam prædeterminantem frustrare; ergò, nec ei resistere: Antec. omnes cõcedunt, & rectè, quia frustrare virtutẽ est eam suo effectu privare, & implicat, quod effectu careat virtus cum sua efficacia, & suo effectu essentialitèr connexa: & conseq. est mihi equæ certum; quia quid aliud est resistere alicui virtuti, quàm eam frustrare? Dum enim effectum obtinet potiùs ei ceditur. ¶ Deniquè: si inquiris; Cùr potestas dissentiendi non est potestas frustrandi prædeterminationẽ? Et cùr ad frustrare nulla est potestas? Statim resp. quia dissensus solùm potest esse frustratio prędeterminationis, vt compositus cum ipsa, qualiter est chimæra; & quia frustrare includit compositionem cum virtute, quæ frustratur; vndè non habet locum distinctio de sensu composito, & diuiso, quia equæ chimærica est frustratio prædeterminationis cum ea composita, ac ab ea diuisa; sed cùr non idem de resistentia? Quia, sicut est imperceptibilis frustratio diuisa ab eo, quod frustratur, ita, & resistentia diuisa ab eo, quod resistitur. ¶ Nec valet si dicas disparitatem esse inter frustrare prædeterminationem, & ei resistere, quia frustrare est absolutè evacuare efficaciam virtutis, & ita nullũ relinquit locum sensui diuiso, quia dum oppositum non fit vincendo efficaciam, frustratio non est: resistere verò posse admittere sensum diuisũ, quia resistentia nõ dicit expugnationem rei, sed connatum; vndè potest admittere respectũ potẽtiæ resistẽtis, & cõnantis in oppositũ ex meritis obiecti, & actus ad quẽ Deus mouet; ita edocere videtur Joan. à S. Th. & sentit Andreas à Cruce. Quia cõtra 1. Si vo-

*S. Tho. de Voluntate Dei disp. 5. art. 6. num. 55. Andræas à Cruce, disp. 120. dub. 3. in fine.*

luntas prędeterminata dissentiret, nō solùm resistiret, sed frustraret, quia prędeterminationem expugnaret, & vinceret, & tamen licèt habeat potestatem dissentiendi non habet potestatem frustrandi; ergò licèt dissentiendo resisteret potestas dissentiendi non est potestas resistendi. ¶ 2. Quia resistere hìc minimè sumitur pro pugna, seù connatu in oppositū, qualitèr vt vidimus Jansenianisumūt ly *resistere*, vt Innocentianam damnationem dolosè illudant; quia in hoc sensu, & defacto continuò gratiæ prędeterminanti resistitur, quia cum ea rixatur tentatio interior cōcupiscentiæ, insuperabilis verò efficacia gratię victrix evadit: & qui adstruūt gratiam prædeterminantem resistibilem ei defacto resisti negant; resistere ergò gratiæ est oppositum eius ad quod gratia movet esse cum gratia; sed hoc esset gratiam frustrare, vel est æquè chimæricum, ac frustrare; ergò.

*Sect. præterita.*

560 Vndè 3. Ita vrgeo: dum Innocentius X. damnavit 2. Janseniį propositionem vt hæreticam, hanc vt Catholicam declaravit: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquādo resistitur*, nonnè hìc definivit Ecclesia aliquando coniungi resistentiam, seù dissensum cū interiori gratia? Certum est; quia aliàs Jansenium non lęderet, cuius Dogma erat resistentiam nunquàm coniungi cum interiori gratia; & licitum foret defendere, quod semper quod voluntas resistit, omnis gratia interior deficit; quod absit. Ergò, quia resistere interiori gratię est componere resistētiā cū interiori gratia; & ideò secūdū credimus, quia Ecclesia declaravit primū Ex quibus infertur, quod dū hęc cōpositio est posibilis, & resistentia: cùm verò compositio est chimærica, & resistentia; si ergo, hęc compositio est chimærica, respectu prædeterminationis, & respectu gratiæ sufficientis est posibilis, resistere gratiæ sufficienti erit posibile, prædeterminati chimæricum; vndè ad tale resistere prædeterminationi non erit potestas vera.

561 4. Ita vrgeo: Voluntas nostra non potest resistere Decreto efficaci Dei, adhuc in sensu diviso; ergò, nec prædeterminationi Dei: Ant. quod videtur negari à Ioanne à S. Thoma, & Gonet, vt omninò verùm edocetur à M. Alvarez, & M. Bañez, videturque expressum D. August. & ex Sacra Scriptura non obscurè deducitur, quia aliàs voluntas nostra posset infirmare decreta efficacia Dei, contra illud Scripturæ: *Supremus Dominus Exercituum decrevit, quis poterit infirmare.* ¶ Denique, quia hęc propositio: *Voluntas potest resistere voluntati efficaci Dei*, esset absolutè vera; quæ manifestè pugnat cum his testimonijs sacris: *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati*, & *voluntati enim eius, quis resistet?* Sequela efficacitèr deducitur, quia propositio, quæ est vera in sensu diviso est absolutè vera; & ideò istæ propositiones, vt absolutè veræ proferuntur: *Prædeterminatus potest dissentire. Iustus potest peccare.*

*Ioann. à S. Tho. & Gonet, vbi sup. Alvarez, disp. 31. de Auxilijs, num. 27. Bañez 2. 2. q. 10. ar. 11. August. c. 14. de Corrept. & Gratia. Isaiæ 14. Esther 13. Ad Roman. 9.*

Consequentia verò mihi evidens est 1. Quia cum prædeterminatio essentialitèr, vt causam supponat Decretum efficax posse ei resistere est posse resistere Decreto. 2. Quia nullam, nec apparentem invenio disparitatem; Cùr voluntas nostra in nullo verò sensu posit resistere decreto efficaci consensus, & posit resistere gratię prędeterminanti consensum? Quia cum decreto, sicut cum gratia consensus componitur potestas ad dissensum, dissensus verò est essentialitèr inconiungibilis cum gratia, & cum decreto; si sufficit ad potestatem resistendi alicui virtuti, quod cum illa componatur potestas ad oppositū eius, ad quod movet, cum decreto consensus componitur potestas ad dissensum, & sic absolutè erit voluntas

tas potens reſiſtere decreto efficaci Dei; quod abſit: ſi verò poſſe reſiſtere alicui virtuti, non ſolùm dicit habere cum virtute poteſtatem ad oppoſitum eius ad quod movet; ſed habere ſimul cum virtute poteſtatem ad oppoſitum coniunctum cum ipſa motione; tunc æquè irreſiſtibilis gratia efficax, ac efficax decretum, quia ſicut eſt impoſsibilè, quod diſſenſus coniungatur cum decreto; ita, & cum gratia ab intrinſeco connexa cum cõſenſu, & cum nulla ſit poteſtas ad impoſsibilè, nulla erit in voluntate vera poteſtas, nec ad diſſenſum compoſitum cum decreto, nec cum gratia, & ſic gratia efficax erit çquè irreſiſtibilis, ac decretum.

562 Vrgeo 5. Quia hæc eſt falſa propoſitio: *Chriſtus poteſt reſiſtere præcepto Patris.* Cùr quidem? Si ſimul cum præcepto mortis eſt potens non mori. Quia non eſt potens ponere non mori compoſitum cum præcepto, qua ſolùm ratione non mori reſiſtit præcepto, quia *vbi non eſt lex non eſt prævaricatio legis, nec reſiſtẽtia legi*; vndè ſicut ſalvatur Chriſtum ſimul cum præcepto mortis poſſe nõ mori, & non poſſe reſiſtere præcepto mortis; ita ſimul cum prędetermination̄e ad mortem poteſt non mori, & nõ poteſt reſiſtere prædeterminationi mortis. Nõ enim invenio, niſi terminis ludimur; Cùr prævaricare ex terminis involuit ſenſum compoſitũ cum eo, quod prævaricatur, & reſiſtere eſſentialitèr non includat compoſitionem cum eo, quod reſiſtitur? Ad Rom. 7.

563 Vndè cautè nota quantum differunt hæc propoſitiones: *Chriſtus poſito præcepto mortis poteſt non mori: Chriſtus poſito præcepto mortis poteſt peccare.* 1. eſt vera, ſicut libertas Chriſti in morte ſubeunda; quia facit ſenſum diviſum, quia non mori diviſum à præcepto eſt poſsibilè, imò hoc vnico modò eſt poſsibilè Chriſto: 2. propoſitio eſt omninò falſa, nec admittit diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diviſi; quia peccare diviſum à præcepto eſt chimæricum ex terminis, & peccare compoſitum cum præcepto eſt chimæricum Chriſto; ita hæc propoſitio: *Voluntas prædeterminata poteſt non conſentire*, eſt vera, quia admittit ſenſum diviſum, cũ non conſentire diviſſum à prędetermination̄e conſenſus ſit poſsibilè, & hoc tantummodò ſit poſsibilè; hæc verò propoſitio: *Voluntas prædeterminata poteſt reſiſtere prædeterminationi*, eſt omninò falſa, & non admittit ſenſum diviſum, quia ſi nõ eſt frãgere præceptũ, diviſim ab eo, quod frangitur; Cùr ſtabit reſiſtere diviſum ab eo, quod reſiſtitur? Aliàs ſenſus compoſitus eſt etiam chimęricus, quia cum gratia efficax prædeterminans ſit connexa cum conſenſu, non eſt componibilis cum reſiſtentia ipſius per non conſenſum; ergò hæc propoſitio nullatenus admittit ſenſum verùm.

## SECTIO QVINTA.

*Prædeterminationem eſſe à voluntate noſtra irreſiſtibilem ex Angelico Mag. efficacitèr probatur: & aliquorum effugium præcavetur.*

564 SVnt aliquæ voces, quæ ex ſua propria ſignificatione compoſitionem cum alio involuunt, ſic credere v.g includit compoſitionem cum vocatione, cui creditur, & ideò aſſerebat Auguſt: *Neque enim anima credere poteſt arbitrio libero, ſi nulla ſit ſuaſsio, vel vocatio, cui credat*; vndè voces iſtæ ſemper ſumũtur in ſenſu compoſito, & dum compoſitio eſt impoſsibilis propoſitiones ex illis efformatæ, ita ſunt falſę, vt nullum ſenſum verùm admittant. *Auguſt. de Spiritu, & Litt. c. 34.*

Ad cuius evidentiam elegantem adduco Div. Thomæ doctrinam. Sic edocet, vt probet Deum non poſſe addere numero prædeſtinatorum: *Quamvis de quolibet abſolutè concedi* *D. Thom. q. 6. de Verit. art. 4. ad 8.*

*di posit, quod Deus potest eum prædestinare, vel non prædestinare, tamẽ supposito, quod prædestinaverit nõ potest non prædestinare, vel èconverso, quia non potest esse mutabilis; & ideò dicitur communitèr, Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, in sensu composito est falsa, in diviso vera; & ideò omnes locutiones illæ, quæ sensũ compositum implicant, sunt falsæ simplicitèr. Vndè non est concedendum, quod numero prædestinatorum potest fieri additio, vel subtractio, quia additio præsupponit illud, cui fit additio, & subtractio, illud à quo subtrahitur, & eadem ratione non potest concedi, quod Deus posit plures prædestinare, quàm prædestinet, vel pautiores.* Hucusquè Doctor S.

565 Ex quibus verbis plura argumenta in confirmationem nostræ doctrinę conficio; primum in 1. verbis: *Deus potest eum prædestinare, vel non; tamen supposito, quod prædestinaverit non potest non prædestinare, quia non potest esse mutabilis*; vbi hæc propositio: *Petrum non prædestinatum Deus potest prædestinare*, est absolutè vera; hęc propositio: *Deus potest mutari*, est omninò falsa, & rationem reddit N. Mag. quia vt posit prædestinare sufficit, quod per suppositionem non prædestinationis non auferatur à Deo potestas prædestinandi, quod est verùm: vt tamen posit mutari erat necesse, quod posset coniungere prędestinationem cũ suppositione non prædestinationis, quod Deus non potest; vndè hic syllogismus non est rectus: *Si Deus non prædestinatum prædestinaret mutaretur; sed Deus non prædestinatum potest prædestinare; ergò potest mutari*; quia arg. à potestate in sensu diviso ad sensum compositum; quia in Min. cõceditur Deo potestas ad prędestinationem divisam à suppositione non prædestinationis, & in consequenti, potestas mutationis ex potestate prędestinandi deducta debet esse ex potestate ad prædestinationem compositam cum suppositione non prædestinationis.

566 Hic verò syllogismus est rectus: *Deum mutari prædestinando est coniungere prædestinationem cum suppositione non prædestinationis; sed Deus non potest coniungere prædestinationem cum suppositione non prædestinationis; ergò non potest mutari prædestinando*: Et est evidens iuxtà D. Thomam; nec hìc arguitur à sensu diviso ad compositum; sed potiùs à definitione ad definitum, quia ex repugnantia compositionis infertur repugnantia mutabilitatis èssentialitèr in voluentis compositionem. ¶ Idem est in nostro casu: si enim mutabilitas essentialitèr includit compositionem cum suppositione, à qua fit mutatio; Cùr resistibilitas non includet essentialitèr compositionem cũ suppositione, cui fit resistentia? Hìc verò modus arguendi: *Si voluntas prædeterminata non consentiret resisteret; sed voluntas prædeterminata potest non consentire; ergò potest resistere*; defectuosus est, quia argum. à sensu diviso ad compositum; quia in Min. enuntiatur, quod cum suppositione prædeterminationis est potestas ad non consensum divisum à suppositione, & potestas resistendi prædeterminationi, quæ infertur in consequenti est potestas ad coniungendum non consensum cum suppositione prædeterminationis, & sic conseq. est mala. ¶ Modus verò arguendi pro conclusione: *Resistere prædestinationi est componere non consensum cum prædeterminatione, sed voluntas non potest hanc compositionem; ergò nec resistentiam*, est evidens, & idem ac proposuit D. Thomas pro immutabilitate Dei, quia non arg. à sensu diviso ad compositũ, sed ex repugnantia vnius compositionis ad repugnantiam termini includentis compositionem, & sic arguitur à definitione ad definitum

tum negativè, seù repugnantèr.

567 2. Ex verbis, quæ subiungit: *Et ideò omnes locutiones illæ, quę sensum compositum implicant sunt falsæ simpliciter*; ergò dantur ex D. Thoma locutiones, quę necessariò faciunt sensum compositum, & sic sunt semper falsæ, si non est posibilis cōpositio. Quæ locutio talis est, si hæc *voluntas potest resistere gratiæ efficaci*, non implicat sensum compositum resistentiæ cum gratia efficaci?

568 3. Ex verbis vltimis: *Vndè non est concedendum, quod numero prædestinatorum potest fieri additio, vel substractio, quia additio præsupponit illud, cui fit additio, & substractio illud à quo substrahitur.* Vbi *addere*, expresè significat compositionem cum eo, cui fit additio, & *substrahere* expresè componit cum eo à quo subtrahitur; ergò resistere expresè componit cum eo cui fit resistentia; sed ex eo, quod additio compositionem significat, quādo additio nequit componi cum eo cui additur, propositio est falsa, & non admittit sensum divisum; & ideò hęc est falsa: *Numero prædestinatorum potest fieri additio*; ergò quandò resistentia nequit componi cum eo, cui fit resistētia propositio non admittit sensum divisum; sed est absolutè falsa: & idem est de substractione.

569 Videatur D. Thom. exponēs, quomodò *Deus possit scire, quod nescit*; quia hæc propositio potest admittere sensum divisum in quo est vera: Nullatenus verò concedi posse, quod *Deus possit scire plura, quàm sciat*, & rationem reddit Dr. S. *Quia cum per hoc, quod dicitur plura importetur comparatio ad præexistentia, semper intelligitur in sensu composito, & eadem ratione nullo modò est concedendum, quod scientia Dei, possit augeri, vel minui.* Si *augere* semper intelligitur in sensu composito; quia importat comparationem ad præexistens, quod augetur, iuxtà D. Thom. Ergò, & resistere semper intelligi debet in sensu composito, quia includit comparationem ad præexistens, quod resistitur.

*D. Thoq. 2. de Scientia Dei, a. 13. ad 5.*

570 Hinc aliquorum effugium, quod deducere volunt ex M. Alvarez, & Ioanne à S. Thoma, omninò pręcluditur; duplicem enim distinguunt conceptum in prędeterminatione; quia potest considerari secundùm suam entitatem, vt est motio creata in voluntate mutabili, & libera recepta; qua ratione voluntas potest ei resistere; vel proùt est instrumentum medio, quo Deus obtinet consensum, & subest decreto efficaci immutabili Dei, sub qua ratione esse à voluntate nostra irresistibilem prędeterminationem, sicut Dei decretum, fatentur.

*M. Alvarez, & M. S. Tho. adducti, n. 528.*

571 Sed equivocationem vitemus; quia hæc sunt valdè diversa: *Prædeterminatio non est irresistibilis, quia motio creata in voluntate recepta. Prædeterminatio est motio quoad suam entitatē resistibilis*; quia aliud est, entitatem motionis esse resistibilem, & aliud, quod ex sua entitate non sit irresistibilis, quia habere potest motio irresistibilitatem; sed non quia motio; sed quia talis, sicut motio illa habet efficaciam non quia motio; sed quia efficax: fateor prædeterminationi non convenire irresistibilitatem, quia motio Dei in voluntate recepta; quia motio Dei sufficiens est resistibilis; sed omninò falsum iudico entitati motionis efficacis convenire resistibilitatem.

572 Et ita disputo: Vel entitas prædeterminationis est connexa ab intrinseco cum consensu, & est ab intrinseco instrumentum decreti efficacis Dei; vel solùm ab extrinseco connectitur cum consensu ratione decreti; ita vt accidat, quod sit instrumentum decreti efficacis Dei? Si primum: 1. Ergò sicut non potest voluntas resistere per dissensum tali gratiæ, vt instrumento decreti Dei, quia

quia non poteſt cõiungere diſſenſum cum illa gratia, vt inſtrumento, non poteſt reſiſtere tali gratiæ ſecundum ſuam entitatem, quia ſic eſt incõiungibilis etiam cũ diſſenſu vtpotè connexa cum conſenſu. ¶ 2. Poſſe reſiſtere entitati gratiæ eſt poſſe voluntatem cõponere reſiſtẽtiam cum entitate gratiæ; ſed hoc eſt poſſe componere reſiſtentiam cum omnibus illis, cum quibus eſt eſſentialitèr compoſita entitas gratiæ, quia componere cum aliquo eſt componere cum illis cum quibus eſſentialitèr componitur illud aliquid; ergò ſi entitas illius gratiæ eſt abintrinſeco compoſita, tàm cum conſenſu, quàm cum decreto efficaci poſſe voluntatem reſiſtere entitati illius gratiæ eſſet poſſe coniungere reſiſtentiam cum decreto, & ſic decreto reſiſtere, quod eſt impoſsibilè. ¶ Si dicatur 2. Quomodò illa gratia dicitur ab intrinſeco efficax, & prædeterminans, ſi ſolũ ab extrinſeco eſt connexa cum conſenſu? ¶ 2. Quia omnis gratia præveniens eſſet ab intrinſeco indifferens, & ita Deus non diſcerneret intrinſecè conſentientem per gratiam contra ſuperiùs dicta. ¶ 3. Quia aliàs quodlibet auxilium purè excitans poſſet dici prædeterminans, licèt de ſe indifferens, quia extrinſecè ſupponens decretum efficax; quod eſt abſurdum.

*Diſp. 2. q. 1. per totam.*

573 Nec obſtant adducta à P. Antonino Maſſoulie in favorem præiactæ ſolutionis: 1. ex D. Thoma ita aſſerente: *Dicendum, quod eius, quod recipitur in aliquo poteſt conſiderari, & eſſe, & ratio.* Hoc eſt, quodlibet accidens poteſt conſiderari, vel vt *res*, vel vt *ratio* eſt: ideſt, vel ſecundùm ſuam entitatem, vel vt eſt agendi vis; *ita, & gratia* (inquit Sanctus Doctor) *ſecundùm eſſe ſuum eſt in libero arbitrio per modum eius, ſicut accidens in ſubiecto; ſed tamen ad rationem ſuæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit ipſum coniungens Deo.* Vbi expreſsè D. Thomas in Divina motione diſtinguit formalitates, quas ſuprà explicuimus. ¶ 2. Quia ſi hæc diſtinctio obtineat locũ vltrà obijcere Adverſarij nunquàm poterunt perueram Canonem Sacri Concilij Tridentini explicari, quod libertas exigat actum oppoſitum, ad quem prævia motio Divina movet, poſſe etiam in ſenſu compoſito cum Divina motione coniungi: Quia ex ipſis Adverſariorum principijs nullum periculum eſt lędendam fore libertatem, ſi voluntas in ſenſu cõpoſito poſſet reſiſtere gratiæ efficaci *ſpecificativè* ſumptæ, & ſecundùm ſuam *entitatem* atqui dicimus, quod voluntas licèt prævièmoveatur poteſt componere diſſenſum cum ea motione ſpecificativè sũpta, & quoad entitatem; ergò nullum periculum eſt nè lædatur libertas.

*Antoninus Maſſoulie, tom. 1. q. 9. Diſſert. 2. D. Thom. q. 24. de Veritate, art. 8. ad 6.*

574 Sed de hac ſolutione iudicium tulit prædictus Author, per hæc verba: *Eam ſolutionem non omninò neceſſariam eſſe, neque exhauriendæ difficultati parem eſſe, multiplici ratione probari poteſt.* Immò niſi velis (iterùm dico) has formalitates eſſe ſolùm ratione diverſas, ita vt ſenſus ſit hanc motionem non eſſe inconiũgibilem cum actu oppoſito, quia *motio*, hoc enim prædicatum convenit motioni ſufficienti, cui ſæpiùs actu reſiſtitur; ſed quia *efficax*, & inſtrumentum Divinę virtutis ſi enim hoc præciſsè dicas ſine inconvenienti admittitur, ſed extrà rem eſt, quia omninò impertinens, vt libertas noſtra poſsit ex ſuo electivo dominio coniungere actum oppoſitum cum Divina motione, vel ſecus; ſi enim illa entitas eſt intrinſecè connexa cũ ſuo termino, & exindè cum ſua efficacia, erit verè inconiungibilis cum termino oppoſito, non enim poteſt oppoſitus terminus coniungi cum entitate motionis *ſeparata* à ſuis prædicatis intrinſecis; quia hoc repugnat ei, nec *coniuncta* cũ ijs prędicatis, quia hoc re-

*Maſſoulie, tom. 2. diſp. 3. q. 4. ar. 2.*

repugnat ipsi termino oppositο, aliàs dissensus posset coniungi motioni cõiunctæ cum consensu. Sicut si quis dixerit irrationalitatem posse coniungi cum animali hominis, exindè quod quia animal non repugnat irrationali, aut cum volitione efficaci Dei posse coniungi actum oppositum, quia volitio efficax nõ repugnat actui oppositο, quia volitio. Nec D. Thomas favet huic discurrendi modo, quia loquitur expressè de *habitu gratiæ* (vt constat ex solutione ad 2. quod sibi oppositS. Doct.) à quo provenit Beatos confirmari in bono, licèt gratia ex se sit mutabilis, quia est in Beatis cum perfecta charitate.

575 Nec argumentum, quod magnificatur in Adversarios vim habet, rectè enim possunt ipsi componere voluntatem posse resistere gratiæ efficaci *specificativè*, & *quoad entitatem*, licèt non possit voluntas ei resistere *reduplicativè* vt efficaci; in nostra autem sententia hoc summè est difficilè: Ratio est, quia gratia est efficax in suis principijs accidentaliter, & extrinsecè; vndè gratia realiter est separabilis ab eius efficacia, poterit ergo dissensus componi cum entitate gratiæ, quin sit componibilis cum eius efficacia; vndè voluntatem non posse resistere gratiæ efficaci *reduplicativè*, nihil aliud significat nisi voluntatem non posse componere dissensum cum assensu: per cuius existentiam redditur gratia accidentaliter efficax. In nostris verò principijs, gratia est intrinsecè efficax, & entitas gratiæ non est realiter separabilis ab eius efficacia, quàm obtinet ex vi sua omninò independenter à consensu; exindequè idem erit volũtatem posse coniungere dissensum cũ entitate gratię, ac posse coniungere dissensum cum sua efficacia, quæ coniunctio ex terminis est impossibilis,

(?)

## SECTIO SEXTA.

*Ex damnatione Ianseniani erroris* (interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur) *inefficacissimè colligitur gratiam efficacem, qua defacto operamur esse resistibilem.*

576 CVm Adversarij inferãt gratiam efficacem non esse prędeterminãtem, quia prædeterminatio est irresistibilis, & gratia efficax, qua defacto operamur est resistibilis; dum prædeterminationem irresistibilem: fatemur, & probavimus, gratiam efficacem esse resistibilem negamus: & quod ex damnatione Jansenij ab Innocentio X. Calvini, & Lutheri à Sacro Conc. Tridentino, & Senonensi, & ex SS. PP. testimonijs, deducatur nostram voluntatem gratię efficaci posse resistere. 1. In hac Sect. demonstrandum suscipimus; alia in sequentibus discutiemus.

577 Et certè quidem ab hac Section. abstinerem, si Adversarij, aliàs Docti, incautè nos non provocarent: Jansenianí vociferant Jansenium anathematè præstringi non posse, quin Dominicani Patres feriantur; audite P. Decamps. Societatis Iesu referentem Jansenistas, tàm importunè, quã falsò similia iactare: *Hoc in circulis apud imperitos, & mulierculas deblaterant, hoc in publicis Doctorum concertationibus vrgent accerrimè, hoc in libellis, quos tàm frequentes emittunt in lucem, magno verborum apparatu, ac pompa cum omnibus expostulant. At istud tamen falsitatem omnem superat, & ab ijs cum stomacho ridetur, quibus vtraque opinio nota est, atque perspecta.*

*P. Henao Event. 18. num. 546.*

*P. Decamps lib. 2. disp. 3 cap. 5.*

578 Sed inefficacissimè ex damnatione 2. Jansenij propositionis deduci gratiam efficacem resistibilem, licèt de se satis notum demonstrare aggredior. 1. ex damnatione vnius propositionis, vt Hęreticę solùm infertur illius contradictoriam esse veram

ram, & Catholicam; hoc ex terminis est notum, quia vnam propositionem esse certo falsam, non est contrariam esse veram, quia contrariæ possunt esse simul falsæ, sed contradictoriam esse veram, quia contradictoriæ non possunt esse simul falsæ; sed huius propositionis damnatæ: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquã resistitur*, contradictoria est hæc: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*, iuxtà Dialecticę indubitabiles regulas; ergò ex damnatione illius propositionis solùm infertur veritas huius: *Interiori gratiæ aliquando resistitur*; sed ex veritate huius propositionis, nequit deduci hæc conclusio: *Interiori gratiæ efficaci aliquando resistitur*; ergò nec ex falsitate propositionis damnatæ.

Min. demomstro 1. Ab amplo ad non amplum sine distributione ampli affirmativè est mala conseq. sicut hæc; interior gratia est in peccatore; ergò interior gratia iustificãs; sed in hac conseq. interiori gratiæ resistitur; ergò interiori gratiæ efficaci resistitur; ita arg. interior gratia in antecedẽti non distribuitur, aliàs sumitur vt sic, vt præscindit ab hac, vel illa gratia interiori, in conseq. infertur non gratia interior in tota sua ampliatione, sed restrictim pro efficaci; ergò sicut hæc cõseq. est mala: homini disputanti nunc resistitur; ergò homini Docto disputãti nunc resistitur, quia si homo non Doctus disputat, cui resistitur est ant. verum, & non conseq. ita defectuosa est conseq. quę nobis opponitur.

579 2. Hæc propositio: *Gratiæ efficaci non resistitur*, stat cum veritate huius: *Gratiæ interiori resistitur*; ergò ex hac veritate non infertur, quod gratiæ efficaci resistitur. Conseq. est evidens, quia si hæc conseq. esset bona contradictorium, conseq. non staret cum veritate antecedẽtis, sed inferret contradictorium antec. Prob. ant. quod gratiæ efficaci nõ resistitur potest stare cũ eo, quod gratiæ sufficienti resistatur, quis enim inferat ex eo, quod non resistitur auxilio efficaci dante agere, quod nõ resistitur auxilio sufficienti dante tantum posse, sed si gratiæ sufficienti resistitur gratiæ interiori resistitur, quia gratia sufficiens interior est; ergò.

Rem exemplifico evidenter: hæc est vera propositio: *Voluntati Dei aliquando resistitur*, ex illo, *quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*; & tamen ex hoc non licèt inferre; ergò voluntati efficaci Dei aliquãdo resistitur; quia hæc propositio saltim est erronea, vel temeraria, quod inferunt ex illa propositione Theologi, est ergò: *Datur in Deo aliqua voluntas, quæ nõ sit efficax*; & ratio est, quia cum voluntas Dei pręscindat ab efficaci, vel inefficaci, ex eo, quod voluntati Dei aliquãdo resistatur, nõ infertur resistentia volũtati efficaci, sed quod aliquando sit voluntas, quæ non sit efficax; ergò cum gratia interior pręscindat ab efficaci, vel inefficaci, ex eo, quod gratiæ interiori aliquando resistatur, non potest, nec cũ apparientia deduci, quod gratiæ efficaci resistatur, sed quod sit gratia interior, quæ non sit efficax. ¶ Sed hęc ita certa sunt, vt culpabilè sit in his immorari; hìc syllogismus est rectus: *Gratia interior aliquãdo est inefficax, sed gratiæ inefficaci resistitur; ergò gratiæ interiori aliquando resistitur*; ergò eo ipso, quod sint veræ præmissæ, est verùm consequens; sed in præmissis non involuitur resistentia gratiæ efficacis; ergò hæc resistentia non involuitur in veritate consequentis ab Ecclesia definita.

*Matth. suprà allata.*

580 Auscultemus fundamentũ, quo innittitur, tàm inefficax argum. hoc syllogismo disputat Recentior suprà laudatus: *Ecclesia declaravit voluntatem nostram posse resistere ei interiori gratiæ, quàm Iansenius irresistibilem substinebat*, aliàs contra Jansenium non definiret, sed gratiam

*Sup. n. 522.*

tiam efficacem esse irresistibilem adstruebat Jansenius; ergò gratiam efficacem esse resistibilem Pontifices declararunt.

Aspicite; An si Mai. huius syllogismi est vera evidentèr inferantur absurda? Assumè cum illa hanc Min. *Sed gratiam efficacem necessitantem esse irresistibilẽ adstruebat Iansenius; ergò gratiam efficacem necessitantẽ esse resistibilem Pontifices declararũt*, Mai.tua est,Min.certissima, quia Jãsenius gratiam efficacem esse necessitantem, & auferentem libertatem à necessitate semper docuit. Conseq. falsum; quia Pontifices non possunt declarare rem ex terminis falsam,scilicèt, formam necessitantem esse resistibilem.

581 2. Assumè cum illa Mai. sui syllogismi hanc Min.*Sed gratiam efficacem ex se, & ab intrinseco esse irresistibilem adstruebat Iansenius;ergò Pontifices declararunt gratiam efficacem ex se,& ab intrinseco esse resistibilem*; Min.est certa, quia gratiam esse ita ex se efficacem, vt necessitaret cõsensum docuit Jansenius: si cõseq.est verùm;tùm quomodò propugnatur gratiam ab intrinseco efficacẽ non esse resistibilem, si esse resistibilem Ecclesia declaravit; tùm,quiaEcclesia definiret id, quod esse falsum tot argumentis probasti, scilicèt gratiam prædeterminantem posse resisti.

582 Resp.iam negando Mai. & ad probationem evidentèr resp.quod vtEcclesia contra Jansenium definiat non est necessè, quod declaret resistibilèm eam gratiã,quàm irrestibilẽ docebat Jansenius; sed sufficit, quod declaret dari gratiam interiorem resistibilèm,quàm negabat Jansenius; duo enim asserebat Jansenius,& gratiam efficacem esse irresistibilèm, & nullam esse gratiam interiorem prævenientem præter efficacẽ;vndè nullam gratiam interiorem esse resistibilem defendebat; Pontifex in damnatione illius propositionis contra Jansenium declaravit,non quia resistibilèm definivit gratiam efficacẽ, quàm irresistibilèm substinebat, sed quia definivit dari gratiam interiorẽ resistibilem,quod negabat; vndè est evidens,quod qui substinet Catholicè gratiam interiorem resistibilèm, licèt verè defendat gratiam efficacẽ irresistibilèm, nec cum apparientia potest damnationem Jansenij incurrere.Hanc esse intentionem Ecclesiæ ita notũ est,vt probatione nõ egeat; sed ex dictis duo evidentèr colliges, 1. Tàm falsò,quàm importunè Jansenianidogmatis vindices de Thomistarum patrocinio gloriari. 2. Quàm iniustè,& inefficacitèr ex damnatione Jansenij gratiam efficacem esse resistibilèm propugnatur.

## SECTIO SEPTIMA.

*Ex Sacro Trident. Concilio, gratiam efficacem esse resistibilèm,minimè colligitur.*

583 SAcrum Trid. Concilium adstruit in libero arbitrio potestatem abijciendi gratiam,& dissẽtiendi gratiæ, vt contra Jansenium manifestum fecimus; sed ex superiùs dictis: duo vt vera in vtraque Schola inferes: 1. Voluntatem nostram nõ posse abijcere gratiam prædeterminantem; quod prob. 1. quia voluntas non potest abijcere gratiam actualẽ Dei,quoad existentiam, quia causatur à Deo in nobis sine nobis, spiritus enim vbi vult spirat; ergò potestas voluntatis ad abijcere gratiam debet esse quoad efficaciam; ergò voluntas non potest abijcere gratiã, cuius entitas est omninò indistincta à sua efficacia; sed entitas gratiæ prædeterminantis est omninò indistincta ab efficacia,vt patet;ergò. ¶ 2. Prob. quia *abijcere* gratiam est eam contẽnere,ac perindè coniungere contẽptum gratiæ, cum ipsa gratia; tũ, quia dum res non est non abijcitur: tùm, quia,sicut resistere includit compo-

Sup. n. 536.

ſitionẽ, cum eo, cui reſiſtitur, & addere cum eo, cui additur, ita, & abijcere, cum eo, quod abijcitur, ſed cõponere contemptum gratiæ prædeterminantis, cum ipſa eſt chimæra, quia eſt eſſentialitèr connexa cũ cõſenſu, quo admittitur; ergò abijcere gratiam prædeterminantem eſt chimęra; ergò ad hoc abijcere nulla eſt in voluntate poteſtas vera.

584 Infero 2. Voluntatem non poſſe diſſentire gratiæ prædeterminanti. Quod prob. 1. diſſentire alicui gratię eſt diſſenſum coniungi cũ illa gratia; ſed diſſenſus non poteſt coniungi cum gratia prædeterminante, vt eſt notum, quia, vel diſſenſus coëxiſteret conſenſui, cum quo pugnat, vel prædeterminatio non coëxiſteret conſenſui, cum quo connectitur; ergò: Prob. Mai. 1. Quia diſſentire alicui eſt ei non aſſentiri; ſed aſſentire ex D. Thom. eſt, *quaſi ad aliud ſentire*; vndè neceſſariò componitur cũ eo, cui aſſenſum præſtat, ſi enim non eſt ſuaſsio nulli eſt aſſenſus; ergò diſſentire eſt compoſitum, cum eo, cui diſſenſum pręſtat. ¶ 2. Nõ datur diſſentire prædeterminationi per exiſtere diſſenſum deficiente tali gratia; quia ſi tunc non eſt ea gratia movens ad aſſenſum, quomodò voluntas ponet ei gratiæ diſſenſum? Sed diſſentire prædeterminationi exigit exiſtere diſſenſum, & quod exigit exiſtere diſſenſum, & nõ exiſtere deficiente prædeterminatione, includit ea exiſtente exiſtere, & ita cum illa coniungi; ergò diſſentire prædeterminationi eſt diſſenſum cũ ea coniungi. ¶ Prob. aſſumptum ſecundo: omnes Theologi, qui Janſenium debellarunt, ex eo, quod iuxtà Trident. voluntas poteſt *abijcere* interiorem gratiam, & ei *diſſentire*, inferunt, quod voluntas poteſt *reſiſtere* interiori gratię, igitur à contradictorio cõſequentis cõſequentia valet; vndè ſi voluntas nõ poteſt reſiſtere gratię prædeterminãti, nec eam abijcere, aut ei diſſentire,

*D. Thom. 1. 2. q. 15. art. 1. ad 3.*

*Sup. n. 536.*

Diſsidium ergò ſiſtit; An ex Sac. Trident. Concilio deducatur voluntatem poſſe abijcere gratiam efficacẽ, aut ei diſſentire? Contrarij affirmant, nos negamus; vndè omninò inefficacitèr colligi gratiam efficacem non eſſe prædeterminantem deducimus.

585 Sit ergo concluſio: ex Trident. non infertur voluntatem poſſe abijcere gratiam efficacẽ, aut ei diſſentire: Prob. 1. partem Concilij per gratiam excitantem intelligit gratiã ſufficientem, & per adiuvantem efficacem, vt eſt notum; ſed ex Conc. ſolùm infertur voluntatem poſſè abijcere gratiam excitantem, nõ adiuvãtem; ergò: Prob. Min. ex verbis Cõc. quibus edocet poteſtatem noſtram abijciendi gratiam: *Ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus S. illuminationem, neq; homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippè, qui illam, & abijcere poteſt*; quid Sancta Synodus declarat? Quod cum Deus tangit cor per Spiritus S. illuminationem homo agit inſpirationem recipiendo: *Quippè, qui, & illam abijcere poteſt* illam, quidẽ inſpirationem, & illuminationẽ, qua Deus tangit cor; ſed inſpiratio, & illuminatio ad gratiã excitantem ſpectant, qua Deus tangit, & pulſat, non ad efficacem, qua movet, adiuvat, & convertit; vt in limine Diſp. apud omnes premiſimus; ergò.

*Trid. ſeſſ. 6. de Iuſtific. cap. 5.*

*Sup. n. 268.*

586 2. Pars probatur Conc. ſolũ edocet voluntatem poſſe diſſentire gratiæ excitanti; ergò non gratiæ efficaci, quæ adiuvans, & movens à Cõcil. vocatur: Prob. ant. quia poteſtatẽ diſſentiendi gratiæ, ita edocet Conc. *Liberum arbitrium motum, & excitatum cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocãti, ita vt poſsit diſſentire*; vbi definit, quod liberum arbitrium motum libere cooperatur aſſentiendo, ita vt poſsit diſſentire; ſed cui gratiæ poteſt diſſentire liberum arbitrium motum? Ei quidem,

*Trid. ſeſſ. 6. Can. 4.*

cui

cui cooperatur assentiendo; sed ex Conc. cooperatur: *Assentiendo Deo excitanti, atque vocanti*; ergò ex Cõcil. solùm infertur, quod possit dissẽtire Deo excitanti, atque vocanti, nõ Deo adiuvanti, & moventi. ¶ Hancque esse mentem S. Concil. vlteriùs colligo ex his, quæ ex Actis eiusdem Conc. refert M. Lemos. In Congregatione enim Generali, die veneris 9. Iulij, fol. 48. pag. 2. sic dicitur: *Homo misericorditèr prævenitur à Deo gratia sua, qua primum excitat ad fidem, huic autem vocationi potest homo adiutus obedire, & reniti.* En vbi expressè præter excitationem exigitur adiutorium ad obedire, & posito adiutorio potest homo obedire, & reniti, non adiutorio; sed huic vocationi excitanti ad fidem.

*Lemos, lib. 4. p. 1. tract. 7. cap. 20.*

587 Cùm ergo Adversarij non possint ex verbis Concilij argumentum desumere ad probandum, volũtatem posse abijcere gratiam efficacem, aut ei dissentire, ex alijs coniecturis hoc probare tentãt, magno cũ strepitu propositis; sed eius efficaciã inspicite: 1. Ita opponunt, Conciliũ loquitur de gratia efficaci, & cum illa libertatem conciliat, aliàs Calvinũ minimè lederet; quia per gratiam efficacem libertatem auferebat, sed Concil. libertatem statuit per posse abijcere, & dissentire; ergò posse dissentire gratiæ efficaci definit. ¶ Vel alitèr; error Calvini erat: *Aliquod esse auxilium gratiæ necessitans, cui voluntas non possit dissentire*; ergò cum error Calvini à Conc. damnatur contradictoria propositio definitur, scilicèt hęc: *Nullum est auxiliũ gratiæ necessitans, & cui voluntas non possit dissentire*, vndè auxilio efficaci volũtas potest dissentire. ¶ 2. Cõfirm. ex Suarez; Doctrina Calvini stat in hac propositione: *Voluntas alicui auxilio gratiæ non potest dissentire*; iuxtà sententiam nostram Concilium solùm declarat: *Voluntas alicui auxilio potest dissentire*; sed istæ propositiones sunt subcontrarię, & possunt esse simul veræ; ergò ex nostra Doctrina sequitur, quod ex mente Concilij non convincitur falsitatis error Calvini. ¶ Deniquè; quis credet, quòd vt Concilium salvet libertatẽ cum omni gratia solam potestatem dissentiendi statuat gratiæ excitanti debili, non efficaci, & robustæ?

*R. Thyr. t. 4 ad 4. sect. et t. 1. disp. 17. sect. 3.*

*Suar. de Auxil. efficaci, cap. 32.*

588 Sed quam debilia sint hæc cognoscès, si esse diversam hanc propositionem: *Nullum est auxiliũ gratiæ*, cum quo *voluntas non possit dissentire*, ab ista: *Nullum est auxilium gratiæ*, cui *voluntas non possit dissentire*, attentè consideras: 1. est vera à S. Concil. edocta, & Hęresim Calvinĩ iugulat, quia cum omni gratia cõponit potestàtem dissensus, & libertatẽ consensus: 2. est falsa, & à mente Cõcil. longè distans, quia Concil. minimè exposcit potestatem abijciendĩ omnem gratiam, sed solam *inspirationem*, nec potestatem dissentiendĩ omni gratiæ; sed *Deo excitanti, atque vocanti*. ¶ Quod duplici exemplo dèclaro: 1. Cum gratia efficaci adhùc reduplicativè, *vt efficaci* cõponitur potestas ad dissensum, & tamen in principijs contrarijs non est potestas ad dissentiendum gratiæ efficaci, *vt efficaci*, quia cum dissensus cõiungatur cum eo, cuius est dissensus, esset componibilis cum gratia efficaci, vt efficaci, qua ratione includit consensum; Cùr ergò de gratia efficaci specificativè sumpta non possumus eodem modò distingüere, quod scilicèt, cum gratia efficaci specificativè est potestas ad dissentiendum, & resistendum, sed non gratiæ efficaci? ¶ 2. Exemplum est: loquamur de gratia Dei, non solùm interiori, & intrinseca; sed proùt comprehendit etiam gratiam externam, & exteriorem; hæc propositio est vera: *Omnis gratia, quæ de facto datur est talis, vt cum ea possit voluntas dissentire, & resistere*, & indubitabilis, aliàs defacto aliqua gratia tolleret libertatem

conſenſus, ſi non componeret poteſtatem diſſenſus: hęc verò propoſitio: *Omnis gratia, quæ defacto datur eſt talis, vt ei poſsit voluntas noſtra diſſentire, & reſiſtere*, eſt omninò falſa, quia inter gratias, quæ defacto dantur, vna eſt prædeffinitio efficax bonę operationis, gratia enim fit cõſentienti, dum Deus decernit cõferre auxilium, quod ſcit efficax: & tamen huic gratiæ non eſt voluntas potens reſiſtere, vt nullus dubitat; ſi ergò ſtat, quod cum omni gratia externa volũtas diſſentire, & reſiſtere poſſit, licèt non omni gratiæ externæ; Cur non ſtabit, quod cum omni gratia interna poſsit reſiſtere, licèt non omni gratiæ internæ?

589 Vndè reſp. Indubium eſſe Concilium loqui de gratia efficaci, vt cum ea libertatem conſenſus conciliet; ſed omninò falſum, hanc libertatem exponere per poteſtatem diſſentiendi gratiæ efficaci, & eam abijciendi; ſed per poteſtatem compoſitã cum gratia efficaci abijciendi inſpirationem, & diſſentiendi excitationi. ¶ Alia, quæ opponuntur, ex falſa intelligentia erroris Calvini procedunt: Non enim in hac particulari erat: *Aliquod eſt auxilium gratiæ, cui voluntas nõ poſsit diſſentire*, quæ eſt vera; *ſed in hac, aliquod eſt auxiliũ gratiæ* cum quò *voluntas non poteſt diſſentire*, & ſic adſtruebat per auxilium gratiæ efficacis libertatem ſuffocari, quia poteſtatem diſſenſus auferebat: imò omnem gratiam ita eſſe defacto blaſphęmavit, quia omnem gratiam excitantem, & inſpirantem abſtulit: imò, & adiuvãtem, vt ſuprà edocuimus, & manifeſtè demonſtratur à validiſsimis Janſenij debellatoribus, Janſenium ſuum errorẽ à Calvino, & ſui erroris fautoribus mutuaſſe: quid ergò Concilium vt anathematis fulmine Calvinum percutiat? Gratiam excitantem, ſeù ſufficientem, quàm voluntas poſsit recipere adiuta, & quàm poſsit abijcere

*Sup. n.* 10.

declarat; voluntatem adiutam cooperari aſſentiendo Deo excitanti, ita vt Deo excitãti poſsit diſſentire, definit: Quid aptiùs vt demonſtret nullum auxilium gratiæ neceſsitare ad conſenſum, ſi nullum aufert poteſtatem diſſenſus? ¶ Nec à memoria recedant, quæ ſuprà ex Sac. Trid. Conc. edocuimus, ex quo manifeſtam fecimus, gratiam prævenientem adiuvantem ab excitante diſtinctam; & ex S. Concil. adiuvãtem eſſe efficacẽ *cum qua*, non *cui*, poſſumus diſſentire; ſicut *cum ea*, non *ei* aſſentimur; Concilium enim riguroſam terminorũ ſignificationem indubiè obſervavit; & ſolùm ſuadenti aſſentimur, aut diſsẽtimus; adiuvanti non aſſentimur, ſed cooperamur. *Sup. n.* 348. & 362.

590 Sed adhùc inſtabis ex eiſdem Recentioribus: 1. Concil. aſſerit voluntatem poſſe abijcere inſpirationem, quàm recipit, & diſſentire excitationi, cui præſtat aſſenſum; ergò loquitur de gratia, cum effectu cõiuncta, ſed gratia cum qua operamur eſt efficax; ergò Conc. edocet poteſtatem diſſentiendi gratię efficaci. ¶ 2. Concilium adſtruit voluntatem poſſe abijcere eam gratiã, quàm poſtulamus, dum orantes dicimus: *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*; ſed gratia, quàm ſic petimus eſt efficax; ergò ex Concilio voluntas poteſt abijcere, gratiam efficacẽ. ¶ 3. Quia vt refert Card Sforcia in 1. formatione illius Canonis S. Concil. ſic legi: *Si quis dixerit hominẽ à Deo motum, & excitatũ, &c.* Aquenſem verò, P. Laynez, & General. S. Auguſtini poſtulaſſe, vt poſt ly excitatum diceretur: *Communi, & ordinaria vocatione*; quia poteſt homo extraordinaria, & miraculoſa vocatione pulſari, quæ poteſtatem diſſentiendi auferat, aſſerebantque ſic exiſtimaſſe Auguſt. de vocatione D. Pauli: Sed PP. vox non placuit, ſed auferendo vocem *hominem* appoſſuerunt *liberũ hominis arbitrium*, evitãdo quęſtionem;

*Trid. cap.* 5.

*Sforcia Pallavicinus in Hiſt. Trid. lib.* 8. *c.* 13.

nem; An id quod proponebatur evenire posset in homine, cum certum sit in libero arbitrio evenire non posse; ex qua Historia vera: Hanc conseq. inferunt. Ergò gratia efficax est vocatio communis, cui voluntas potest dissentire.¶ 4. Quia Calvinus expugnavit: *Motionem gratiæ cui voluntas possit obtemperare, aut refragari*, quàm multis sæculis traditam esse in Ecclesia ipse Calvinus testatur; sed Ecclesia definivit motionem gratię, quàm impugnavit Calvinus; ergò.

*Calvin. lib. 2 inst. cap. 2.*

591 Sed hęc facilia sunt. Ad 1. concl. loqui de inspiratione, quã voluntas possit abijcere, coniuncta cum consensu; sed non ex vi sua, sed ex motione, & adiutorio Dei; vndè inspiratio semper est gratia sufficiens, non enim est gratia efficax, quæ ex vi alteriùs coniungitur cum effectu, sed ex vi cuius infallibilitèr, & cum potestate ad oppositum operamur.¶ Ad 2. neg. Mai. Quia gratia ex Conc. quàm homo potest abijcere, est illa, de qua dum *dicitur in Sacris Litteris convertimini ad me libertatis nostræ admonemur*, vt ex text. Conc. colligitur, quæ est gratia excitans ad conversionem, non adiuvans, qua Deus nos convertit, vt convertamur. Vide superiùs dicta.¶ Ad 3. Quod ex illa Historia, nec cum apparientia colligitur illa consequentia; sed solũ hęc: Ergò excitatio ordinaria, & communis non aufert potestatem dissentiendi.¶ Ad 4. Vel resp. cum M. Lemos, quod de Calvino parum est curandũ, quia vt Pelagianos infamabat Catholicos Doctores; vel, quod gratiam interiorem resistibilem impugnavit ante Jansenium, quàm semper edocuit Ecclesia.

*Trid. cap. 5.*

*Sup. n. 350.*

*Lemos lib. 4 tract. 4. cap. 25.*

(((o)))

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## SECTIO OCTAVA.

*Nec ex Concil. Senonensi, aut Ecclesiæ PP. deducitur gratiam efficacem esse resistibilem.*

592 VErba Senonensis Provincialis Concil. supra traddidimus contra Jansenium, quem vnicè post Lutherum oppugnant; sed ex illis verbis: *Nec denique tale sit huiusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*, contra nos arma desumunt; sed intendo per auxilium, cui resistere possumus Conc. non intelligere auxilium efficax, sed purè sufficiens; quod prob. Concil. convincit, quod possumus resistere auxilio Dei, quia ei defacto sępiùs resistitur, sicut Iudæi à D. Stephano increpati Spiritui S. restiterunt, sed auxilio efficaci defacto non resistitur, quia si ei resistitur iam non est efficax, nec Iudæi fuerunt ab Spiritu Sancto efficacitèr auxiliati; ergò.

*Sup. n. 539.*

Dices: quod gratia efficax potest sumi, vel quoad entitatẽ, & *specificativè*, qualitèr solùm dicit entitatem auxilij indifferentis, cui sępiùs defacto resistitur; vel *reduplicativè*, qualiter ei non resistitur, quia includit entitatem auxilij, & consensum, & Conc. loqui de gratia efficaci in prima acceptione.

593 Cõtra 1. gratia solùm proùt includit consensum est irresistibilis, sed solùm proùt includit consensum est efficax, vt à sufficiente distincta; ergò gratia efficax, vt distincta à sufficiente non est resistibilis, nec ei aliquando resistitur.¶ Explicatur, sicut tu asseris Conciliũ non loqui de gratia efficaci reduplicativè, & vt distincta à sufficienti, quia ita est irresistibilis, cùm *formalitèr* includat ipsum consensum, seù non resistentiam; Cùr mihi non licebit dicere Concilium loqui de gratia sufficienti, non de efficaci, quia gratia efficax involuit *connexivè*, seù terminativè ipsam non resistentiam, & sic non est resistibilis?

2. Solu-

594 2. Solutionem impugno, & conclusionem probo: Cõcilium suadet voluntatem nostram resistere de facto motioni gratiæ Dei, quia de facto resistit voluntati Dei, ex illo Mathæi: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluerunt*; sed nõ potest voluntas nostra resistere voluntati Dei efficaci; sed tantùm inefficaci, vt certum est; ergò nec Concil. de resistentia gratiæ efficacis loquitur; sed inefficacis: aliàs arg. Concil. tale esset; voluntas nostra potest resistere volũtati inefficaci Dei; ergò motioni efficaci gratiæ, quod clarè esse inefficax cognoscitur. ¶ Conf. Concil. probavit volũtatem nostram posse resistere Dei trahentis auxilio, quia potest resistere voluntati Dei, sed ex vi huius rationis solùm suadetur voluntatem nostram posse resistere auxilio, quod sit effectus illius voluntatis Dei resistibilis; ergò hoc solùm intendit Cõcil. sed auxiliũ, quod est effectus voluntatis Dei resistibilis, seù inefficacis, est solùm auxilium inefficax, seù sufficiens; ergò intendit voluntatem nostram posse resistere gratiæ inefficaci, seù sufficienti.

595 3. Ex verbis vltimis Concilij: *Frustrà Paulus admoneret spiritum nè extinguerent, si Divinis inspirationibus homines inevitabilitèr raperentur*; ergò intentum Concilij fuit probare, quod Divinis inspirationibus homines inevitabilitèr non rapiuntur, & exindè, quod auxilio Dei possit volũtas resistere, auxilio, scilicèt inspiranti, quod excitans à Tridentino vocatur; sed nomine auxilij Dei excitantis, seù inspirantis, non intelligitur efficax, quia hoc est adiuvans, & adiutorium distinctum à Divina inspiratione, vt ex Tridentino probavi; ergò ex ipso Concil. Senonensi colligitur solùm intendere voluntatem posse resistere auxilio sufficienti, non efficaci.

596 Sed duo communitèr opponunt. 1. Concil. edocet auxiliõ Dei trahẽtis posse resisti, vt probet: *Quod gratiæ necessitas libero non præiudicat arbitrio*; sed necessitatem gratiæ efficacis libero non præiudicare arbitrio intendit Concil. aliàs Lutherũ non damnaret; ergò auxilium efficax est resistibile iuxta Concil. Aliàs, discursus Concil. ita inefficacitèr procederet: Auxilio sufficienti potest resisti; ergò auxilium efficax libero nõ preiudicat arbitrio. ¶ 2. Quia Conc. auxilium Dei trahentis esse resistibilè edocet; sed per auxilium Dei trahentis intelligitur efficax, de auxilio enim efficaci intellexit August. illud Ioannis: *Nemò potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ergò Conc. auxilium efficax esse resistibilè definit. *Aug lib. 1. contra 2. Epist. Pelag. cap. 19.*

597 Ad 1. resp. Quod error Lutheri, & Calvini à Jansenio ab inferis revocatus in duobus sistebat. 1. quod gratia efficax libertatem aufert: 2. quod nulla erat gratia excitans, seù interior pure sufficiens; vndè homines inevitabilitèr divinis inspirationibus rapi evomebant; vnde Pelagius, & Calvinus gratiam excitantem reijciebant, ille nè periret libertas, iste, quia extincta erat libertas, vt suprà exposui: *Hæretici enim habent quidem facies diversas, sed caudas ad invicem colligatas*, vt asserit Innocẽtius III. Conc. verò vt Lutheranam dementiam proscribat. Gratiam excitantem, inspirantem, resistibilem, & cui sæpiùs, testãte scriptura, resistitur validissimè comprobat: ex qua evidentèr nostra colligitur libertas, frustrà enim excitatur morali suasione, qui tandem operatur simplici necessitate: & hæc est Conc. illatio; cum gratia verò efficaci libertatem conciliat per potestatem resistendi auxilio sufficienti compositam cum efficaci, non verò per potestatem resistendi auxilio efficaci, auxiliũ enim, quod dãtur, vt auxilium resistibilè non resistatur, resistibilè nequit esse. *Sup. n. 160.* *Innoc. III. in Conc. Lateranensi.*

Resp. ad 2. Quod auxilium sufficiens

ciens potest dici trahens, quia trahit, quod sufficientiam moraliter excitãdo, sic sumitur illud: *Draco trahebat secum tertiam partem Stellarum*, nõ enim trahebat efficacitèr interiùs movendo, sed moraliter obiectivè aliciendo: In eodem sensu apud plures exponitur illud: *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum*, quia sicut Christus omnem hominem illuminat, & sufficientèr trahit; si ergò vox trahens in hoc sensu, licèt non ita riguroso exponitur in Sacra Scriptura; Quid mirum, quod ita accipiatur in Conc. Provinciali? ¶ Et hæc expositio ex Trident. roboratur; quia auxilium, quod resistibilè edocet Senonense, hoc *possumus abijcere*, iuxtà Trident. per illud ait Senonense: quod *Deus stat ad ostiũ, & pulsat*, per illud ait Trident. quod *tangit Deus cor hominis*, auxilium pulsans, & tangens est sufficiens, non efficax; sed hoc à Senonensi vocatur *auxilium Dei trahentis*; sed accuratiùs Trident. nominavit *inspirationẽ, & illuminationem Spiritus S.* sed gratia excitans his vocibus nuncupatur; & quidem auxilium trahens: *Quod semper in promptu est, quo Deus stat ad ostium, & pulsat, vt intret si quis apparuerit ianuam cordis*, iuxtà Senonense, solùm trahit excitando, & quoad sufficientiam, quia auxilium efficax iuxtà August. *Efficacissima potestate transfert cor de indignatione, in lenitatem.*

Apocal. 12

Ioann. 12.

Trid. sess. 6. cap. 5.

Concil. Senonense, ibi.

Aug. lib. 1. ad Bonifaciũ cap. 2.

598 Nec ex PP. resistibilitas gratiæ efficacis deducitur: Ad argumentum enim, quod ex Div. Thoma desumunt resp. minimè Angelicum M. nostræ adversari sententiæ, dum enim edocet voluntatem nostrã posse Dei motioni resistere, nõn vult voluntatem nostram posse resistere motioni efficaci, sed sufficiẽti; sic loquitur Dr. S. *Divina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura autem rationali cũ libertate propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad oppositа: & ideò sic movet Deus mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere. Et sic ex Deo est, vt homo se ad gratiam præparet; sed quod gratia careat, non habet causam à Deo, sed ab homine*; sed D. Thom. non loqui de motione efficaci gratiæ, sed excitante, seù sufficienti moraliter suadẽte ex parte obiecti. Colligo 1. Quia motionem Dei posse resisti probat Dr. S. quia *virtus rationalis se habet ad oppositа*; sed ex hoc solùm probatur, quod motio, quæ est sufficiẽs per modum virtutis se habeat ad oppositа, & sit resistibilis, non motio, quæ non sit virtus; sed applicatio virtutis, & determinatio illius ad vnum ex oppositis; ergò. ¶ 2. Quia motio cui potest resisti ex D. Thom. est illa, qua *movet Deus mentem humanam ad bonum*; sed motio mentis ad bonũ est excitatio, seù illuminatio Spiritus S. non motio efficax, quæ voluntatẽ, seù arbitrium movet, & ideò asserimus, quod in Trident. dum formaretur ille Canon 4. licèt P. Laynez instaret, quòd loco illorum verborum: *Liberum arbitrium motum*, poneretur *mens, & intellectus motus, & excitatus*, Conc non annuit, quia per motionem mentis nõ exponeret motionem efficacem ab excitãte distinctam, quia hęc est in arbitrio; & Concil. libertatem cum hac motione cõpossuit per potestatem dissentiendi Deo excitanti; ergò motio Dei resistibilis non est efficax. ¶ 3. Quia D. Thom. edocet defacto resisti motioni, quàm adstruit resistibilem, sed D. Thom. nequit edocere, quod motioni efficaci defacto resistitur; ergò. Prob. Mai. ex illis vltimis verbis: *Et sic, quod gratia careat, non habet causam à Deo, sed ab homine*; vndè ex eo, quod motioni Dei resisti potest infert, quod carẽtia gratiæ causam habet ex homine, seù quod imputatur homini, non posset tamen imputari homini carentia gratiæ habitualis ex

Div. Thom. Quodlib. 1. art. 7. ad 2. sup. allat. num. 527.

In Actis S. Concil. folio 133.

eo,

eo, quod potest motioni Dei resistere, si actu defacto, dum gratia caret motioni Dei non resisteret.

*Sup. n. 527. Anselm. in Matth. c. 6 Ad illa verba: Fiat voluntas tua.*

599 Nec percipio, qua ratione in oppositum adducatur D. Anselm. quatenus asserit: *Quod voluntas Pauli erat libera, vt resisteret si vellet*, cũ expresse ibi distinguat, duas voluntates Dei, vnam misericordiæ resistibilem, qua *vult omnes homines salvos fieri*; quæ non semper providentiæ concordat; Alteram iustitiæ, qua *omnia quæcumque voluit fecit*, & cui *voluntati eius, quis resistet?* Et quę semper providentiæ concordat; solumquè edoceat D. Paulum potuisse resistere, voluntati misericordiæ, qua Deus confert gratiam sufficientem, minimè verò voluntati approbanti, cuius est effectus gratia efficax. ¶ Aliàs authoritates SS. PP. omitto, quia solùm convincunt gratiam interiorẽ resistibilem, quàm fide certam credimus; gratiam verò efficacem esse resistibilem nullatenus suadent, quod nunc abnuimus.

## SECTIO NONA.

*Potiùs probatur gratiam efficacem esse prædeterminantem, quia gratia efficax, qua defacto operamur est irresistibilis, & contraria argumenta enervantur.*

600 EX dictis facilè evertuntur Argutię syllogisticæ suprà adductæ, quibus gratiam efficacem esse prædeterminantem Adversarij impugnant; syllogismus 1. erat sub hac forma in *Baroco*, formatus *gratia, cum qua defacto operamur est talis, cui voluntas potest dissentire, & resistere; sed gratia prædeterminans non est talis, cui voluntas possit dissentire, & resistere, ergò gratia, cum qua defacto operamur, non est prædeterminans*, maior vocatur de fide; sed revera ita est, si de gratia excitante, spirante, & illuminante, intelligatur, hæc enim gratia interior est, cui voluntas potest dissentire, & resistere, si verò intelligatur de gratia prævenięte adiuvante efficaci; nullatenus est de fide, cum minimè deducatur ex S. Concilijs, ex SS. Pontificum Decretis, aut ex SS. PP. testimonijs. Vndè licèt minorem veram fateamur, solũ colliges; gratiam excitãtem, seù sufficientem, cum qua operamur nõ esse prædeterminantem; quod non solùm non abnuimus; sed pro viribus pugnamus, quia gratiam efficacem; seù adiuvantem esse prædeterminantem edocemus.

*Sup. n. 522.*

2. Syllogismus erat sub hac forma in *celarem* formatus, *nulla gratia, cui voluntas potest dissentire, & resistere est prædeterminans, sed omnis gratia, cum qua defacto operamur est gratia, cui voluntas potest dissentire, & resistere; ergò nulla gratia, cũ qua operamur est prædeterminans.* Mai. esse veram probavimus: Minquę vt de fide supponitur omninò est falsa; quia absolutè de omni gratia procedit. Cuius æquivocationẽ manifestam suprà fecimus; licet enim sit omninò certum de fide, quod *omnis gratia, cum qua liberum arbitrium operatur est talis, vt cum ea possit dissentire, & resistere*; nec est fide certum, nec verùm, *quod omnis gratia, cum qua operamur, est talis, cui volũtas possit dissentire, & resistere*, gratia enim efficax, & adiuvando pręveniens, talis non est; vndè alteriùs syllogismi in *Darij*, cuius vitium desiderat, vt ostendamus, nullum quidẽ est; sed consequens est falsum; quia est falsa minor, & ex falso per consequentiam, sine vicio falsum deducitur: & ad probationes min. per speciales Sect. evidentèr satisfecimus.

*Sup. n. 588.*

*Sup. n. 576.*

601 Vndè potiùs opposita via insurgimus: omnis gratia à nostra voluntate irresistibilis est physicè prædeterminans; sed omnis gratia efficax, cum qua defacto operamur, est à nostra voluntate irresistibilis; ergò omnis gratia efficax, cũ qua defacto ope-

operamur est physicè prædeterminans : Syllogismus est in *Barbara*. Mai. fatentur Adversarij, qui gratiam prædeterminantem, & irresistibilem convertunt ; vndè cardo difficultatis vertitur ad Min. quam prob. 1. Licèt detur in Deo voluntas resistibilis à nostra voluntate, omnis tamen Dei voluntas efficax est à nostra voluntate irresistibilis; vt admittunt, & suprà vt certum traddidi ; ergò licèt detur gratia Dei à nostra voluntate resistibilis, omnis tamen gratia Dei efficax erit à nostra voluntate irresistibilis: Prob. conseq. Quia gratia efficax necessariò correspondet, vt effectus voluntati Dei efficaci ; ergò, & gratia irresistibilis volũtati Dei irresistibili.

*Sup. n. 561.*

602 Dices: Voluntatem Dei efficacem esse irresistibilem, quia voluntas Dei efficax est ab intrinseco efficax; vndè, & connexa cum efficacia, & non resistentia ; gratiam verò efficacem non esse ab intrinseco efficacem ; vndè esse resistibilem, quia nullam habet connexionem cum sua efficacia, & non resistentia. ¶ Contra instauro argumentum. Voluntas Dei efficax est ab intrinseco efficax, & exindè irresistibilis, quia connexa cum sua efficacia, & non resistentia; ergò, & gratia Dei efficax : si enim voluntati Dei efficaci correspondet, vt effectus gratia efficax; Cùr voluntati Dei ab intrinseco efficaci non correspondet, vt effectus, gratia ab intrinseco efficax ?

603 Dices : Voluntatem Dei efficacem esse irresistibilem, & connexam cum efficacia, quia cum sit à nostra voluntate impedibilis quoad existentiam minimè pugnat cum nostra libertate, quod sit irresistibilis, & inimpedibilis quoad efficaciam ; secus esse de gratia efficaci, quia cum gratia sit inimpedibilis à voluntate quoad existentiam, omninò tolleret libertatem, si non esset resistibilis, & impedibilis quoad efficaciam. ¶ Vno verbo: vt aliquid cum libertate concordet debet esse, vel resistibilè, vel impedibilè à libertate, vndè licèt voluntas Dei efficax non sit resistibilis libertatem non lædit, quia est à libertate impedibilis ; gratia verò efficax si non esset resistibilis libertatem extingueret, quia non est à libertate impedibilis.

604 Sed contra hanc doctrinã, seù Aduersariorum vnicum asylum plura militant alibi exprofesso examinanda : quatenus traddit impedibilem esse à nostra libertate voluntatem efficacem Dei; quia quomodò est voluntas Omnipotentis, quæ ab alia libertate impediri potest vt vellit? Imò, & ab alia libertate reddi impotens ad velle ? Si enim volitioni Dei non potest *suus* effectus impediri, ob eius fortitudinem, nec voluntati Dei poterit sua volitio impediri ob eius omnipotentiam : & si semel volitio efficax Dei est impedibilis; vndè repugnabit, quod gratia Dei efficax sit impedibilis ? Vndè, licèt irresistibilis cum libertate non pugnabit.

605 Sed insurgo : licèt voluntas nostra non possit impedire, nec superare voluntatem Dei efficacem, tamen nostra libertas subsistit, quatenus velle, aut nolle in nostra sit potestate; ergò licèt voluntas nostra non possit impedire, nec superare gratiã Dei efficacem, tamen nostra libertas subsistit, quatenus velle, aut nolle in nostra sit potestate: Conseq. constat, & antec. his aureis verbis edocetur à M.P. August. *Quis operatur in cordibus eorum salutem nisi Deus, cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium? Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nollentis est potestate, vt Divinam voluntatem non impediat, nec supperet potestatem: de his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipse, quæ vult* velle; ergò, & nolle est in nostra potestate, quin possimus, nec superare divinam potestatem, nec impedire divinam voluntatem,

*August. de Corrept. & Gratia, cap. 14.*

tem. ¶ Consulatur Angel. Dr. qui vt libertatem nostram cum irresistibilitate voluntatis Dei conciliet, minimè ad impedibilitatem talis voluntatis recurrit

D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 4.

606 2. Prob. Principalis Min ex omnibus fundamentis, quibus dari gratiam prævenientem connexam cũ consensu probabimus: iam ex conceptu gratiæ prevenientis discernentis, iam ex necessitate orationis, qua adhùc libertate supposita à Deo consensum exposcimus: Gratia enim cõnexa cum consensu nequit esse resistibilis per dissensum, sed gratia efficax, quæ defacto datur est connexa cum consensu; ergò, & irresistibilis per dissensum. ¶ 3. Gratia efficax est *spiritus Dei, quo aguntur filij Dei*, ex Paulo; & quo *aguntur vt agant*, edocente Augustino: & imperceptibilè videtur, quod possit quis resistere non agendo spiritui Dei, quo agitur, vt agat, & non resistat. ¶ 4. Hæc motio efficax gratiæ compellens vocatur, ex illo *compelle eos intrare*, & *impellens*, à Catheciſmo dicitur, & equæ opponuntur, gratia compellẽs, & impellens ad agendum, & resistibilis, ac gratia determinans ad agendum resistibilis.

Sup. n. 288.

Sup. n. 431.

Ad Rom. 8.

August. de verb. Apostol. exponẽs illud ad Roman.

Lucæ 14. Cathec. S. Pij V. ad illa verba: Creator Cœli.

607 5. Gravissima August. testimonia hanc veritatem fundant: Sed duo brevitèr expendam. 1. dum ita edisserit: *Hæc enim gratia à nullo duro corde respuitur, ideò enim tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur*; si ergò hæc gratia (non omnis gratia, vt Jansenius delirat, ad falsum detorquendo sensum, August. sententiam) à nullo respuitur, à nullo resistitur. ¶ Sed insisto in causali Augustini, non enim ideò cor non respuit gratiam efficacem, quia molle illam suscipit; sed quia aufert cordis duritiam; ergò non resistere gratiæ efficaci non provenit ab extrinseco ex cordis mollitiè; sed ab intrinseco ex sua efficacia, qua aufert duritiam; Conseq. prob. quia vt suprà ex August. traddidi est efficax apud ipsum argumentum: *Deus elegit nos, vt essemus Sancti; ergò non quia eramus Sancti; gratiam consequutus sum, vt sim fidelis; ergò non, quia eram fidelis*; ergò, & nos rectè colligimus; ex August. *Gratia efficax non respuitur, quia datur vt cordis duritia auferatur; ergò non, quia cordis duritia aufertur*; non ergo erit gratia efficax; quia non resistitur; sed ideò non resistitur, quia efficax, si iuxtà August. gratia efficax datur, vt non resistatur; vndè irresistibilis erit.

August. de Prædest. SS. cap. 8.

August. adductus, numer. 423.

608 2. August. Testimonium desumitur, ex verbis, quibus ita efficaciam gratię exponit: *Subventum est igitur infirmitati humanæ voluntatis, vt divina gratia indeclinabilitèr, & insuperabilitèr ageretur*, quis enim intelliget esse resistibilem ab humana volũtate gratiam illam; qua indeclinabilitèr, & insuperabilitèr agitur? Non sit de voce contentio, dum gratiam efficacem esse irresistibilèm substinemus, nihil aliud affirmamus, quàm quod August. gratiam, scilicèt, efficacem esse indeclinabilèm, & insuperabilèm à voluntate.

August. de Corrept. & Gratia, cap. 12.

609 Duo tamen notare placet 1. Quod minimè gratiam efficacem ab intrinseco esse resistibilèm edoceas, quia sic faciliùs cum libertate conciliatur, si licèt sua entitas sit independens à nostra libertate, est dependens à libertate per resistentiam sua efficacia: 1. Quia etiam cum decreto Dei efficaci debet conciliari libertas, quin ab aliquo Thomista possit adstrui dependens à nostra libertate, nec quoad entitatẽ, nec quoad efficaciam, si hæc ergo conciliari debent, quæ nova, nec apparens difficultas, vt concilietur libertas cum gratia efficaci, licèt gratia efficax sit indepẽdens à nostra libertate, quoad entitatem, & efficaciam? ¶ 2. Hæc vrgentissima consideratio me præmit: si in gratia ab intrinseco efficaci, in qua entitas identificatur cum

effica-

inefficacia, eſt entitas à libertate independens, & dependens efficacia, quantò faciliùs erit à libertate independens efficacia, & dependens conſenſus? Abſque dubio enim, minus difficilè eſt adſtruere A, à libertate independens, & B, à libertate dependens, ſi ſunt purè connexa, quàm ſi connexa, & identificata edocentur.

Qualitèr verò cum gratia efficaci irreſiſtibili concilietur libertas? In Diſp. 3. Deo favente accuratè exponemus: Nunc brevitèr indicamus, ex eo componi, quod cum gratia efficaci componitur poteſtas ad diſſenſum diviſum à gratia efficaci; qualitèr diſſenſus nequit reſiſtere efficaci gratię: nec in hoc ſpecialis eſt difficultas; eadem enim via apud Theologos componitur cum præſcientia cõſenſus poteſtas ad diſſenſum, quæ non ſit poteſtas falſificandi ſcientiam; cum decreto Dei libertas conſenſus, quæ non ſit poteſtas reſiſtendi decreto; & apud Thomiſtas cum gratia efficaci libertas conſenſus componitur, quæ non ſit poteſtas fruſtrandi gratiam: ly enim *reſiſtere* eſſentialitèr ſenſum compoſitum exprimit; ſicut ly, *falſificare, & fruſtrare*.

610 Adverto deniquè: quod, ſi N. Thomiſtæ ſtudioſè, & attentè inſpiciantur, nullam eſſe inter illos diſcordiam, aut diviſionẽ; prima enim, quæ ſupponitur eſt; aliquando aſſerere Conc. Tridentinum intelligi de gratia efficaci, aliquãdo verò de gratia ſufficienti Conc. exponere; ſed in hoc nulla eſt oppoſitio, vt apud Ioã. à S. Thoma videri poteſt, qui inconſtãtiæ notatur: Nam certum eſt apud omnes Conc. loqui de gratia efficaci, vt cum ea poteſtatem diſſentiẽdi definiat; quod negamus eſt Conc. cum gratia efficaci componere poteſtatẽ diſſentiendi gratię efficaci; ſed ſolùm excitanti; vndè propoſitio Conc. loquitur ex parte ſubiecti de gratia efficaci, non verò ex parte prædicati, vt cum illa componat diſſenſum, ſeu terminum poteſtatis. ¶ 2. Diſcordia eſt, quia aliqui abſolutè cõcedũt, voluntatem poſſe reſiſtere gratię efficaci, & cum gratia hanc poteſtatem reſiſtendi componunt: Sed per ly *reſiſtere* minimè intelligunt reſiſtentiã formalem; ſed purè materialitèr, pro eodem ac poſſe diſſentire, ſeù poſſe terminum, qui ſi exiſteret reſiſtentia foret; quod colligitur 1. quia ſemper componunt hæc duo *reſiſtere, ſeù diſſentire*: 2. Quia in eodem ſenſu loquuntur de decreto efficaci; de quo intelligi non poteſt Viros Doctiſsimos reſiſtentiam formalem, & ſtrictã poſsibilem affirmare.

Et ideò ita exponit omnes Thomiſtas. Philippus à S. Trinitate; hancquè expoſitionẽ fundat in D. Thom. Pater Maſſoulie, vt defendat P. Gonet à cenſura RR. Thyrſo, ita enim ſcripſit S. Doct. *Poteſt eſſe reſiſtentia duplicitèr: Vno modò ex parte agentis, quando ſcilicèt ex contrario agente virtus ipſius debilitatur; alio modò ex parte ipſius effectus, quando ex cõtraria diſpoſitione impeditur effectus. In omni actione, vbi agens non patitur prima reſiſtentia nõ habet locum; ſed ſecunda ſolùm, vndè in operationibus divinis non attenditur difficultas ſecundùm reſiſtentiam ad agentem; ſed ſecundùm impedimẽtum effectus*; vndè quando Thomiſtæ aſſerunt voluntatem, poſſe reſiſtere decreto efficaci, aut gratiæ efficaci Dei in ſenſu diviſo, non ſumitur propriè reſiſtentia per reſpectum *ad agentem*; ſe in propriè, *ſecundùm impedimentum* effectus, quod eſt idem ac aſſerere volũtatẽ poſſe *diſſentire*. 3. Diſcordia, quæ refertur, quia alij diſtinguũt in gratia efficaci, vnam formalitatem reſiſtibilem, & non aliam; etiam eſt ſuppoſita, quia ex illa formalitate motionis creatæ ſolùm adſtruitur gratia efficax reſiſtibilis negativè, quatenus ex illa non participat irreſiſtibilitatem.

*Philip. à Trinit. diſp. 4 de Gratia Dei, cap. 5. Maſſoulie, vbi ſup. art. 9. D. Thom. in 4. diſt. 11. q. 1. art. 3. q. 3. ad 3.*

## ADDITIO.

P. Palanco, q. 17. de Provid. sect. 10.

611 NOviſsimè P. Palanco conatur exponere Antiquos Thomiſtas aſſerentes : *Voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ efficaci in ſenſu diviſo*: Non ſolùm vt explicui, ſumẽdo ly *reſiſtere* impropriè pro eodem, ac *voluntatem poſſe cum gratia efficaci diſſentire in ſenſu diviſo* ? Sed etiam licèt *reſiſtere* ſumatur in ſenſu proprio.

Pro quo notat, reſiſtentiam propriè ſumptam aliam eſſe *activam*: alteram *formalem*, illam conſiſtere in contranitentia vnius cauſæ ad aliam iſtam autem in oppoſitione, qua vna forma reſiſtit introductioni alteriùs in ſubiecto, qualitèr dicimus calorem intẽſum reſiſtere frigori; egritudinem ſanitati, vmbram illuminationi: Hanquè *arbitratur*, non ſolùm in ſenſu Philoſophorum, ſed etiam Theologorum eſſe veram reſiſtẽtiã; quia iſti inuunctanter affirmant, peccatum læthale reſiſtere gratiæ ſanctificanti, vitium virtuti, amorem proprium amori Dei, & errorẽ veritati.

Vndè reſolvit: Voluntatem noſtram non poſſe reſiſtere *activè* prædeterminationi, quia hoc eſt poſſe reſiſtere in ſenſu compoſito. Poſſe autem ei reſiſtere reſiſtentia propria *formalitèr*, quod eſt poſſe reſiſtere in ſenſu diviſo. Hanc ſecundam partem ex eo probat, quod reſiſtentia *formalis* vnicè importat incompoſsibilitatem formarum in eodẽ ſubiecto, & expoſcit ſenſũ diviſum formę reſiſtẽtis a forma cui reſiſtitur, vt in præiactis exemplis, ſed volũtas ſe determinando ad diſſenſum, ponit determinationem oppoſitam prædeterminationi conſenſus; ergò ei formalitèr reſiſtit. Poſtquàm igitur fatetur ingenuè per reſiſtere formalitèr prædeterminationi nihil aliud intelligere, quàm eius exiſtentiam impedire apponendo obicem, ſeù formale impedimentum ei prædeterminationi paſsivè ſumptæ; per hæc verba concludit: *Nec contra huiuſmodi expoſitionem* aliquid faciunt argumẽta cõtrariorũ, & Doct. Caſtell, quia ſolum probant, voluntatem non poſſe reſiſtere *activè*, quia ita reſiſtere facit ſenſum compoſitum; non autẽ quod non poſsit reſiſtere *formalitèr* gratiæ efficaci, quia huiuſmodi reſiſtentia ſolùm facit ſenſum diviſum ab extremo cui reſiſtitur; vndè per diſtinctionem reſiſtentiæ *activæ*, & *formalis omnia ſolvuntur*. Hactenus prædictus Author.

612 Minimè tamen potui, quæſtione iſta impugnare reſiſtentiã *formalem*, quæ cum impedibilitate confunditur, cùm de reſiſtentia vt diſtincta ab impedibilitate pertracto, in hac quęſtione: impedibilitatem in vltima tractatus qũæſtione, impugnabo. Et non ſatis intelligo, qualiter veteres noſtri Thomiſtæ exponi poſſent de reſiſtentia formali, quia dum vna voce clamant, voluntatem poſſe reſiſtere gratię efficaci, ſimul fatentur, quod actu nunquàm ei reſiſtitur; ſicut, & voluntatem adiutam poſſe diſſentire, & quod nunquàm actu diſſentiet; ſed reſiſtentia hæc formalis multoties actu datur; imò, & sẽper, quod voluntas diviſa à gratia efficaci diſſentit, quia ponit formam incõpoſsibilem formaliter cum ea gratia, non ergò poſſunt intelligi de hac reſiſtentia formali.

Inter firmandam concluſionem autem plurimis medijs ſtabilivi, nullam eſſe reſiſtentiam propriè, quę nõ faciat ſenſum compoſitum cum forma cui reſiſtitur, quæ omninò intacta manent adhùc conceſſa diſtinctione reſiſtentiæ activæ, & formalis; convincunt enim reſiſtentiam formalem eſſe impropriè talem, dum compoſitionem non includit.

613 Addo tamen. 1. Si reſiſtentia formalis eſt propria, & exigens ſenſum diviſum à forma cui reſiſtitur, hæc propoſitio: *Interiori gratiæ*

*in*

*in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur*, (quæ eſt Catholica, & cõtradictoria Janſenij ſecundæ propoſitionis ab Innocentio X. Hæreſeos condemnatę) poſſet intelligi in sẽſu proprio vſurpato à Philoſophis, & Theologis, reſiſtentiam gratię accipiendo formaliter: non quia aliquando connatus gratiæ fruſtretur, & caſſus reddatur; ſed quia exiſtentia gratiæ ſæpiùs impeditur. Conſeq. legitimè ſequitur; non credam tamen concedi poſſe, aliàs illa propoſitio poſſet verificari in ſenſu proprio, & communitèr recepto, quin Hæreſis Janſenij minimè lęderetur.

614 2. Quia hæc propoſitio: *Voluntas noſtra poteſt reſiſtere voluntati efficaci Dei.* In ſenſu proprio intellecta eſſet omninò immunis ab omni cenſura, quod non faciunt Authores, cum oppoſita videatur plurimis Sacræ Paginæ teſtimonijs. Probo ſequelam. 1. Reſiſtere formaliter eſt propriè reſiſtere, & eſt idem ac impedire; ſed prohibitum eſt cenſurare voluntatem noſtram poſſe impedire decretum efficax Dei, cum ſit commune doctrinæ Societatis placitum; ergò nec illam propoſitionem poſſet quis cenſurare, cum id faciant vtriuſquè Scholæ DD. vt videre eſt apud M. Alvarez, & R. Thyrſo. ¶ Prob. 2. Ponere formam incompoſsibilem cũ alia eſt ei formaliter reſiſtere: Sed voluntas noſtra diſſentiendo ponit formam incompoſsibilem decreto Dei efficaci conſenſus; ergò voluntas reſiſtit formaliter decreto Dei efficaci, & exindè propriè, ſi reſiſtere formaliter eſt propriè reſiſtere iuxtà communem ſenſum Philoſophorum, & Theologorum.

*Alva. diſp. 31. de Auxiliis, n. 27. Thyrſo, t. 1. diſp. 17. ſ. 5.*

615 Nec valet ſi reſpondeas, vnam formam ſolùm pugnare alteri formaliter exiſtenti in eodem ſubiecto, & cum decretum ſit in Deo, & diſſenſus in voluntate, per diſſenſum nõ reſiſti formaliter decreto. ¶ Quia hoc gratis dictum videtur, quia ſi reſiſtentia formalis per incompoſsibilitatem formarum exponitur, & per impedire formæ exiſtentiam, & dum impeditur formam exiſtere in proprio ſubiecto reſiſtitur exiſtętię formę in eo ſubiecto; Cur dum obex ponitur exiſtentię formæ in alio ſubiecto non reſiſtitur, vt forma ea in alio ſubiecto exiſtat?

616 Denique: Quia hanc acceptionem reſiſtentiæ proprię, & formalis exigẽtis ſenſum diviſum à forma, cui reſiſtitur minimè in Philoſophis, & Theologis reperio. Licèt enim iſti affirment virtutem reſiſtere vitio, & peccato gratiam, ſicut, & illi, calorẽ reſiſtere frigori: ſenſus omnium eſt, calorẽ reſiſtere frigori (idem in alijs exemplis dicendum) quatenus retardare, & enervare connatur agens; frigidum intendens expulſionem caloris per frigoris introductionem; & ideò dum nullum eſt agens ita intendẽs nulli reſiſtit calor. Quod cõſtat 1. Quia aliàs calor reſiſteret omni frigori poſsibili; quia cum omni forma liter pugnat, & calor meus reſiſteret nivi Alpium. 2. Quia ſi reſiſtere eſt impedire, calor non eſt impediens omne frigus, ſed id quod adeſſet, ſi calor abeſſet; & ideò communitèr dicitur in tractatu de peccatis, ſtudium nõ eſſe impediens auditionem ſacri, dum voluntas, quia non vult audire ſacrum ſe determinat ad ſtudium, potiùs quam ad ludum, quia auditio nõ exiſteret, licèt non eſſet ſtudium. 3. Hanc eſſe mentem Theologorum mihi certò perſuadet, me nõ legiſſe vnquàm, ſanctitatem Dei, aut Chriſti, nec gratiam Beatorum reſiſtere peccato, nec peccatum Dęmonum reſiſtere gratię: tùnc dicitur gratiam reſiſtere peccato, cum caſſum reddit concupiſcentiæ connatum pugnantis cum lege mentis, quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat, & tunc dicitur peccatum reſiſtere gratię, quando Deus nos poſtulat, vt à ſomno ſurgamus, & recedamus à vijs noſtris peſ-

ſi-

simis, in vacuumque inspirationes Dei recipimus: Nunquàm ergò resistentia propriè sumitur pro sola formali incomposibilitate.

*Doct. Perea in Lydiolapide antiprobabilismi, n. 344.*

Vndè inferes inefficacitèr impugnari à Doct. Perea, Professore Salmantino in quoddam ingenioso opere nuper edito, P. Palanco, quasi novam doctrinam defendentem, quia sua primæ solutione negavit voluntatem nostram posse dissentire, & resistere gratiæ efficaci; in ea enim nobiscum, quod ferè omnes Thomistæ defendit: immò omnes ita asserere si *resistere* sumitur *propriè* sustinemus; Nec eius argumentis necesse est satisfacere, fundantur enim in eo, quod Trid asseruit *arbitrium cooperari assentiendo Deo excitanti, atque* adiuvãti, *ita vt possit dissentire*; quæ verba non sunt in Sacro Concilio, solùm enim dixit *assentiendo Deo excitanti, atque vocanti*: Fateor verò rectè inconsequentiæ arguere P. Palanco, quatenus negat voluntatem nostram posse resistere activè voluntati inefficaci Dei, in seipsa; sed solùm in auxilijs sufficientibus: Hoc enim rectè probat esse omninò falsum. Ex illo: *Are sistentibus dexteræ tuæ custodi me.* Et ex illo: *Qui ei resistunt peccant.* Et quia (vt iã observavit Doct. Prado) dum homo peccat volente Deo inefficacitèr nè peccet, homo nec impedit eam volitionẽ, nec peccatum infert eam volitionẽ non existeres; coniungitur ergo cum illa, & resistit volitioni, & non solùm medijs creatis. Infrà tamen impugnabimus doctrinam P. Palanco, quatenus asserit voluntatem nostrã posse *abijcere* gratiam efficacem, & solvemus, quæ in nostram doctrinam opponit novissimè P. Ramirez.

*Perea, ibi, n. 345.*

*Perea, ibi, n. 349.*

*Psalm. 16. Proverb. 21 Prado, de Lib Arbit. disp. 9. sect. 4. num. 54.*

*Infrà disp. 3. q. 5. sect. 3*

*P. Ramirez disput. 5. de Prædest. c. 1 à num. 19. Adamus, c. 6. pag. 614.*

617 Hinc notare placet: quam iniustè Sanctissimum Ecclesiæ lumen tractetur ab Adamo asserente Magn. Parentem tot antilogijs laborare, vt ex illis prægrande satis volumen posset consarcinare; & inter contradictiones referente, iuxtà August. *Gratiam esse victricem, sed & eidem nostram libertatem resistere.* Sed ab obiecta contradictione SS. Patrem liberavit Eminentiss. Noris, Augustinianæ Familiæ immortale decus; per hęc verba: *At de eadem gratia in individuo nunquàm* hoc August. somniavit, vt eadem simul, & vinceret libertatem, eamquè sibi subderet, & nihilominùs à libertate reijceretur; si enim reijcitur, iam non est victrix, sed victa repellitur: Quod si de distincta gratia id August. dixit omnis contradictionis vmbra ab eiusdem dictis procul abest. Itaquè cum Augustinus scripsit: *Hæc itaquè gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur.* Cùm eandem dicit movere *indeclinabilitèr, insuperabilitèr, invictissimè, efficacissimis Viribus, occultissima, efficacissima potestate*, cùm inquàm S. Doctor his, alijsquè epithetis victricis gratiæ energiam exprimit, de congrua, & efficaci accipiendus est. At cum debili quidam gratiæ nostram libertatem resistere traddit, vt cum ait: *Ex duobus ætate iam grandibus impijs; Cùr iste vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocãtem sequatur inscrutabilia sunt iudicia Dei?* Palam fit, quòsdam vocanti Deo resistere, quæ ex alibi dictis, deducuntur, cum adiutorium ministratum Angelis ante lapsum dari etiam in statu naturę lapsæ quibusdam, alijs in pœnam peccati non dari scribit; cùm, inquàm, ista. Docet, de altera gratiæ specie debili, incongrua, & remotè sufficienti loquitur; *vndè nulla hìc contradictionis suspicio Augustinum tangit*: Hucusquè Cardinalis Doctissimus

*Cardinalis de Noris, in Vindicijs Augustinianis, c. 2.*

*August. de Prædest. SS. cap. 8. Cap. 12. dè cor. & grat.*

*Lib. de Gratia, & Lib. Arb. c. 16.*

*Lib. 1. ad Bonif. cap. 10. De Prædest. SS. cap. 9.*

*August. de Cor. & Gratia, cap. 11.*

618 Addo: M. Parent. probare adiutorium perseverãtię esse inamissibilè; hac ratione: *Quomodò enim potest amitti, per quod fit, vt nõ amittatur etiam, quod posset amitti?* Simi-

*August. de Bono perseverantiæ, c. 6.*

militèr probo gratiam efficacem irresistibilem: Quomodò enim potest resisti per quod fit, vt non resistatur etiam, quod posset resisti? Quia per gratiam efficacem fit, vt non resistatur sufficiens, quæ potest resisti.

*Prado de Libero Arbit. disp. 9. sect. 6. infrà.*

619 Frustraneum reputavi mentionem facere de asserto Doct. Prado; qui convictus argumentis nostris fatetur ex secunda propositione in Jansenium ab Innocentio X. damnata non colligi omnem interiorem gratiam resistibilem; si verò aliquid addatur id optimè colligi ex illa damnatione; Hoc autem adiunctum esse; quod *omnis gratia interiùs præveniens esse debet excitans, & indifferens*: quia hoc additum est, quod cõtrovertitur, & ex addito solo infertur, omnem gratiam esse resistibilem; Vndè hoc ex damnatione illa non infertur, nisi damnatio coniungatur cũ aliquo per ipsam nõ definito, ex quo adhùc sine damnatione illa inferatur: Quis in hijs immoretur?

## ADDITIO.

620 COElestinus S.R. E. Presbyter Cardinalis Sfondrati; omnibus sapientia notus, quia author *Galliæ vindicatæ*, dum esset Abbas S. Galli; ab Innocentio XII. Vaticana exornatus Purpura; opus posthumum eddidit, cui titulus: *Nodus prædestinationis ex Sacris Litteris, doctrinaque SS. Augustini, & Thomæ, quantum homini licèt, dissolutus.* Tãquam primum principiũ statuit, quod *Deus quantum in se est, habet impensam, efficacissimamquè voluntatem salvãdi omnes nemine excepto*: quin exindè sequatur omnes salvos futuros, nullumquè periturum; cum voluntati efficacissimę Dei, non solùm possit arbitriũ resistere, sed etiam de facto resistat: Exindè infert Quod Deus nedum omnibus prębet gratias necessarias ad vitam ęternam acquirendã. Verùm, & gratias abundantissimas, copiosissimas, & efficacissimas, quibus omnes facilè possunt salutem cõsequi. Ita vt peccatores obstinatissimi, & ad malum magis indurati efficacissimis, & abundantissimis hijs auxilijs minimè careant. In quo dicẽdi modò tria examinabo, quæ ad hãc quæst. expectant: 1. An liberum arbitrium sæpiùs de facto resistat voluntati Dei efficacissimę? 2. An possit ei potentia antecedenti resistere? 3. An arbitrium nostrum sæpiùs de facto resistat gratiæ Dei efficaci? ¶ Interim concilia hæc SS. Cardinalis verba: Ita alicubi scribit: *Sciendum, hanc esse libertatis creatæ naturam, vt quamcumque etiam efficacissimã gratiam possit eludere, cassamquè reddere; quod si potest, quid mirum est, si aliquando agat? Sicut enim nulla gratia est, quæ tollat libertatem; ita nulla est, quæ tollat potentiam resistendi; quid ergò novi, absurdiquè, imò quid non rationi, & experientiæ consentaneum, resistere aliquando illam, quæ semper potest resistere iuxtà illud.* Vos semper Spiritui Sancto *resistitis*? Vides gratiam efficacissimam libertati nostræ subiectam; Inspice rethoricis, & eloquentissimis coloribus depictam gratiæ efficaciam; ita vt arbitrium subijciat, & nihil ei resistat; ita alibi scribit: *Nulla igitur, tàm fortis, & adversa, aut ex vitio, aut ex natura inclinatio, nulla vis inolitæ consuetudinis, quæ victrici huic gratiæ, non planè succumbat. Hæc ergo est gratia illa victrix, quàm vt cordis humani potiatur, impedire nihil potest, & de hac dictum* est. Nihil est, quod tuæ possit resistere voluntati, si salvare decreveris *Israël*: Hæc secũ pugnare videntur, alter ea conciliet: Nunc de prima propositione assero, esse ita falsum.

*Sfondratus, part. 1. n. 1. pag. 9.*

*Actor. 7.*

*Sfondratus, p. 1 fol. 217.*

*Esther 13.*

*Liberum arbitrium sæpiùs defacto resistere voluntati Dei efficacissimæ,*

621 Quàm quod maximè: Voluntas enim efficax est illa, qua Deus *omnia quæcumque voluit fecit*. Vt enim scripsit

*Psalm. 113.*

*Sfondratus, part. 1. f. 1.*

*Sfondratus, ibi n. 18.*

S. Fulg. lib. 1. de Verit. prædest. c. 10.

scripsit S. Fulgentius; Deus est *Dominus, cuius voluntati nemò resistit, cuius dispositionem nemò mutat; cuius iudicia nemò comprehendit.* Homo ergo resistet voluntati Dei, dum eius dispositionem mutet, & iudicia comprehendat. Si Paulus scripsit: *O homo, tu quis es vt respondeas Deo?* Quis erit homo vt resistat Deo? Idq; edocuit Paulus, quia priùs dixit: *Voluntati eius quis resistet?* Ideòquè asseruit Ioseph fratribus suis: *Num Dei possumus resistere voluntati?* Et aiebat Job: *Quis habet brachium, sicut Deus, aut voce simili tonat, vt velit cum eo contendere, & cum eo luctari?*

Paul. ad Roman 9.

Genes. 50.

Iob. 40.

622 Ex prę iacta propositione, ad nihilum redigi omnipotentiam Dei, edocuit Augustinus per hæc verba: *Nunc priorum fides habet, quàm certa, & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quàm multa possit, & nõ velit, nihil autem velit, quod non possit; quamque sit verùm, quod in Psalmo canitur*; Deus autem noster, in Cœlo, & in terra, omnia quæcumque voluit fecit: *Quod vtiquè non est verùm, si aliqua voluit, & non fecit. Et quod est indigniùs, ideò non fecit, quoniam nè fieret, quod volebat omnipotens, volũtas hominis impedivit. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei, confessionis initium; qua nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur. Neque enim veracitèr ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Si Deus non ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia voluntate creaturæ voluntatis Omnipotentis non impeditur effectus, si voluntas hominis resisteret voluntati Dei eius impediendo effectum, ad nihilum redigeretur Dei Omnipotentia.

S. August. Enchiridiõ, cap. 95. & 96.

623 Tantũ distat à sensu Theologorum, Decreta efficacia Dei de facto frustrari, quod cum id retulisset P. Junio asserat: *Valdè singulare videtur: nam vt Scripturæ, & Patrum testimonia de Divinæ voluntatis, mirum efficacis, & consilij impletione, præteream, nullum apud Thomistas, Scotistas, Nominales, & Baconistas invenies decretum efficax, quod non sit executivum per se, vel per prædeterminationẽ physicã; & in Societate non memini me quemquam legisse præter P. Vson, qui admittat efficax Dei decretum antecedentèr frustrabilè, & absolutè neminem, qui consequentèr, nedum, qui de facto, & frequentèr frustrari concedat.*

Iunius de Prædest. c. 16.

624 Nec valet, quod Cardinalis opponit, quod sequeretur neminẽ quoque peccaturum; quid enim efficaciùs vult Deus, quantum est de se, quàm non peccari? Quia crediderim Cardinalem non advertisse magnam in amore apræciationem, & in odio abominationem distingui debere à volitionis, & nolitionis, efficacia.

Sfrondatus, pagina 604

625 Ex testimonijs sacris pauca proferam; illud Isaię: *Supremus Dominus exercituum decrevit. Quis poterit infirmare?* Certè, qui potest resistere; illud Esthèr: *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati?* Si voluntas nostra posset, esset qui posset; illud Pauli: *Voluntati enim eius, quis resistet.* Quasi dicat, nullus. Illud denique Danielis: *Iuxtà voluntatem suã facit, tàm in virtutibus Cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius*; ergò arbitrium non resistit. Si dicas: hæc debere intelligi de voluntate Dei *effectricè*, quando, scilicèt, cum effectu coniungitur; non de *efficaci*. Contra est, quia vt voluntas effectrix nõ resistatur, necesse non est, vt sit Omnipotẽtis voluntas, nullius enim voluntas resistitur, dum effectui coniungitur. Si autem decreta, & voluntas Dei nõ resistãtur, quia supremi Domini exercituum, seù Omnipotentis, debet esse titulo efficaciæ, seù, quia voluntas Dei si est efficax, est effectrix;

Isaias 14.

Esther 13.

Paul. ad Roman 9.

Daniel, c. 4.

626 Ex Sanctis PP. sufficiat Magnus

Pa-

Parens Auguſt. Vbi totus eſt in hac veritate probanda; & quod minimè opponatur cum illa ſententia: *Quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri*; ita fatur 1. *Sic enim velle, vel nolle, in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem; de his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quæ vult.* Traddit aliquam expoſitionē illius voluntatis, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Et infert: *Non itaque eſt dubitandum voluntati Dei, qui in Cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit fecit. Et qui etiam illa, quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe, quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, quando vult, facit.*

*Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 14.*

627 Omittamus argumenta Theologica, quia ſi Deus ad finem efficacitèr volitum non haberet media efficacia, non eſſet Omnipotens, ſi ea non exequeretur eſſet imprudens: Vndè neceſsè eſt, quod Deus Prudēs, & Omnipotens, finem efficacitèr volitum obtineat, & aſſequatur: quàm rationem his verbis expreſsit Aug. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, non, quod nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nolet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſſet.*

*Aug. Enchiridion, c. 103.*

628 Accedamus deniquè ad ſcrutandam illam Dei voluntatem amoris, & miſericordię, *qua vult omnes homines ſalvos fieri.* Hæc enim eſt voluntas efficax Dei, quàm Cardinalis fruſtrabilem docet, & à reprobis reſiſti defacto, vt tamen ſuadeam hoc alienum eſſe à doctrina SS. PP. & Theologorum, duo expendam. Primum: quod dum Sancti PP. verba Apoſtoli exponunt de voluntate efficaci, ea limitant ad ſolos Prædeſtinatos. Secundum: quod dum ea intelligunt, vt ad omnes in vniverſum homines extendantur, minimè credunt Apoſtolum loqui de voluntate Dei efficaci; ſed de antecedenti, & inefficaci. Vndè inferes, nunquàm Patres docuiſſe voluntatem Dei efficacem, quàm volūtas noſtra fruſtret, & cui de facto reſiſtat.

629 Aſſumptum probo; quia Auguſtinus plurimis locis exponit verba Apoſtoli de voluntate efficaci; ſed tunc ly *omnes* intellexit per diſtributionem accommodam, vt dicitur, ſeù de omnibus hominibus, qui ſalvantur; audiamus Sanctum dicentem: *Ac per hoc cū audimus, & in Sacris Litteris legimus*, qui velit omnes homines ſalvos fieri: *Quamvis certum ſit nobis non omnes homines ſalvos fieri, non tamen ideò debemus Omnipotentiſsimæ Dei voluntati aliquid derogare; ſed ita intelligere, quod ſcriptum eſt*: Qui vult omnes homines ſalvos fieri: *Tanquàm diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri ipſe voluerit, non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit; ſed, quod nullus fiat, niſi quem velit, & ideò ſit rogandus vt velit, quia neceſsè eſt fieri ſi voluerit. De orando quippè Deo agebat Apoſtolus, vt hoc diceret*: Sic *enim intelligimus id, quod in Evangelio ſcriptū eſt*: Qui illuminat omnem hominem; *Non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur; ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur.*

*Auguſt. in Enchirid. c. cap. 103.*

*Ioann. 1.*

630 In qua Auguſtini doctrina. 1. Nota, quod ita exponit Apoſtoli teſtimonium, vt non opponatur ſententiæ, quàm protulit in fine capitis antecedentis: *Quod Deus Omnipotens omnia quæcumque voluit fecit.* Quod eſt idem, ac voluntatem Dei non reſiſti. 2. Nota illa Auguſtini verba: *Ideò ſit rogandus, vt velit, quia neceſsè eſt fieri ſi voluerit.* Per quæ ait D. Thom: *Intelligenda eſt neceſsitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta; ſed conditionalis. Neceſsè eſt enim hanc conditionalem veram eſſe: ſi Deus hoc*

*D. Thom. 1. p. q. 19. art. 8. ad 1.*

*vult, neceſsè eſt hoc eſſe.* Et hæc cõditionalis falſa eſt: ſi voluntas noſtra reſiſtit; licèt Deus efficaciſsimè velit. Deindè duas rationes, quibus initur Auguſtinus ad ſuam expoſitionem. 1. *Quia de orando quippè Deo agebat Apoſtolus*: Et vt Deus oretur pro omnibus nullatenus exigitur, quod Deus velit ſalvare vniverſaliter omnes, potiùs ſi ita eſſet fruſtrà deprecamur Deum pro omniũ ſalute. Vndè, vt oremus Deum, ſufficit, & exigitur, quod nullus ſit ſalvus, niſi, quem ſalvum fieri, ipſe voluerit. ¶ Alia, quia ita intelligitur, quod in Evangelio ſcriptum eſt: *Deus illuminat omnem hominem*; quia certè, quem Deus illuminat eſt, quem Deus ſalvum facere vult.

Hanc expoſitionem iterùm fundat Sanctus, cum ita ſcripſit: *Sed ſicut illud, quod dictũ eſt*: Omnes in Chriſto vivificabuntur: *Cùm tàm multi æterna morte puniantur, ideò dictum eſt, quia omnes, quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiant niſi in Chriſto: Ita quod dictum eſt,* omnes homines vult ſalvos fieri: *Cũ tàm multos nolit ſalvos fieri, ideò dictum eſt, quia omnes, qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt.*

*Aug. Epiſt 107. 2. Corint. 15*

Eamque alibi roborat SS. Dr. his verbis: *Sicut ergo integrè loquimur cum de aliquo litterarum Magiſtro, qui in Civitate ſolus eſt, dicimus: Omnes hìc litteras docet iſte, non quia omnes diſcunt; ſed quia nemò niſi ab illo diſcit, quicumque ibi litteras diſcit. Ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Chriſtum, non quia omnes veniunt, ſed quia nemò alitèr venit, & hos omnes* vult ſalvos fieri. *Tãquàm ſi dicamus verbi gratia. Vna eſt obſtetrix in hac Civitate, quæ omnes excipit, & vnus eſt hìc litterarũ Magiſter, qui omnes docet; neque ibi intelligi poſſunt omnes, niſi qui naſcuntur, neque hìc omnes, niſi qui diſcunt; non tamen omnes, qui naſcuntur litteras diſcunt, ſed cuius claret ingenium, quod & illic rectè dictum eſt, omnes excipit, præter cuius manus nemò naſcitur, & hìc rectè dictũ eſt, omnes docet, præter cuius magiſterium nemò diſcit.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 8.*

*Auguſt. de Peccat. Meritis, lib. 1. cap. 28.*

Eandem intelligentiam loci S. Pauli, ſequuntur D. Anſelmus. Sãctus Proſper, & D. Thomas, per hęc verba: *Ad primum dicendum, quod illud verbum Apoſtoli*: Quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri, &c. *Poteſt triplicitèr intelligi. Vno modò, vt ſit accomoda diſtributio: Secundùm hunc ſenſum*, Deus vult ſalvos fieri omnes homines, *qui ſalvantur, non quia nullus homo ſit, quem ſalvum fieri, non velit; ſed quia nullus ſalvus ſit, quem non velit ſalvum fieri*, vt dicit Auguſt. In eo articulo totus eſt D. Thom. in probando, quod *neceſsè eſt voluntatem Dei ſemper impleri*; ſimilitèrque, quod *quid Deus ſimplicitèr vult, fit*, cum quibus non ſtat voluntatem efficaciſsimam Dei reſiſti, & non impleri.

*D. Anſelm. ſuper Paulũ 1. ad Timot. 2.*

*S. Proſper. 1. de Vocat. Gent. à c. 9. vſquè ad 14*

*D. Tho. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1.*

631 Secundò Auguſt. exponit Apoſtoli verba, ita vt intelligat ly *omnes*, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, nè Apoſtoli verba opponantur ſententiæ, quàm veriſsimam credit, *Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium*, ita Sanctus docet, & fundat hanc expoſitionem: *Et quod ſcriptum eſt*, quod vult omnes homines ſalvos fieri, *nec tamen omnes ſalvi fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in alijs opuſculis noſtris aliquos commemoravimus; ſed hìc vnum dicam; ita dictum eſt*: Omnes homines vult ſalvos fieri, vt *intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt, ſicut dictum eſt Phariſæis*, Decimatis omne olus: *Vbi non eſt intelligendũ, niſi omne, quod habebant. Neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum Orbe decimabant: Secundùm iſtum locutionis modum, dictum eſt.* Sicut, & ego omnibus per omnia placeo. *Nunquid*

*Auguſt. de Corrept. & Gratia, cap. 14.*

*Lucæ 11.*

*1. Corint. 10.*

*quid enim, qui hoc dixit, placebat etiã tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesia, sivè iam intus positis, sivè introducendis in eam.*

*Aug. Enchir. c. 103.* Eandem expositionem traddit alibi. Magnus Parens, rationequè, & exemplo fundat; quia *Omnipotens velle inanitèr non potest quodcumque voluerit.* ¶ Advertendum tamen est, hanc expositionem, sicut, & priorem traddidisse Augustinum nè crederetur, voluntati efficaci Dei posse arbitrium nostrum resistere; parumquè curans, quod hoc, vel illo modò intelligerentur verba Apostoli dummodò hoc non sequeretur; vndè ita concludit: *Et quocumque alio modò intelligi potest, dum tamen credere nõ cogamur, aliquid Omnipotentem Deũ voluisse fieri, factumque non esse, qui sine vllis ambiguitatibus, si in Cœlo,* & in terra, *sicut & veritas cantat:* Omnia quęcumque voluit fecit *profectò facere noluit quodcumque non fecit.*

*D. Prospero vbi suprà. S. Anselm. de Volunt. Dei in fine.* 632 Quam expositionem sequuti fuerunt Divus Prosper, Divus Anselmus, qui ita ait: *Deus vult* omnes homines salvos fieri: *Id est, nulli salvantur, nisi quos vult salvari, vel de omni genere hominum aliqui salvantur,* vel vult omnes salvos fieri; *id est, non cogit aliquem damnari.* Et D. Thomas eandem intelligentiam approbat, cum dicat: *Secundò potest intelligi, vt fiat distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum secũdùm hunc sensum, Deus vult, de quolibet statu hominum salvos fieri mares, & fœminas, Iudæos, & Gentiles, parvos, & magnos; non tamen omnes de singulis statibus.*

*D. Thom. 1. p. q. 19. art. ad 1.*

633 Omissis alijs expositionibus Magni Parentis, ad assumptum non conducentibus. Tertia expositio verborum Apostoli est Apostolum loqui de voluntate Dei conditionata antecedenti, & exindè inefficaci salutis omnium hominum: hanc expositionem sumpserunt Theologi ex S. Ioanne Damasceno; ipsam sequuntur PP. in Sanctoquè Augustino fundatur: tũdum interrogans si voluntas credendi donum Dei est: Cùr non detur omnibus hominibus, cùm Deus vellit omnes homines salvos fieri? Et respondet: *Vult quidem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionẽ veritatis venire, non sic tamen vt eis addimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes iustissimè iudicentur, quod cum fit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangalium non credunt, &c.* Et in libro ad articulos sibi falsò impositos, qui communitèr vt Augustini refertur secundus erat, *quod Deus nolit omnes salvari.* Cui respondet: *Syncerissimè credendum est, atque profitendum, Deum velle, vt omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, solicitè præcipit, quod in omnibus Ecclesijs fidelissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur, &c.* quę verba habentur apud Prosperum ad obiectiones Vicentianas: licètque in Augustino non inveniantur istæ voces, voluntas Dei *antecedens*, & voluntas *consequens*, tamen in substantia plurimis in locis voluntatem antecedentem expressit, vt constat ex triginta testimonijs, quæ congerit P. Decãps.

*Damascen. lib. 2. de Fide Orthod. c. 29. Aug. lib. de Spiritu, & Littera, c. 33.*

*August. ad art. sibi fals. imposit. art. 2.*

*D. Prosp. ad obiect. Vincent. resp. 2.*

634 Displicentq; cõmunitèr Theologi, qui has omnes expositiones Apostolici testimonij non admittunt. Aliqui enim Priores impugnant, ita adhęrendo tertiæ, vt priores Jãsenianas vocent. (Janseniusquè, & Sequaces tertiã, vt Semi-Pelagianam reijciebant) Priores enim expositiones valdè probabiles sunt, ad quod sufficit magna Augustini authoritas, specialitèr cum edoceantur ab Augustino in libris ad Sanctum Prosperum, & Hylarium, qui singularem continent approbationẽ à Papa Hormisda.

*P. Decamps de Hæresis Iansen. lib. 3. disp. 2. c. 2.*

635 Easquè priores expositiones

Sfrond.fol.9

ſuppreſſo Auguſtini nomine, his verbis impugnat Cardinalis: *Cum ergo Apoſtolus de omnibus loquatur, nullumque excludat: Cùr tu excipias, quos ille non excipit: excludas, quos ille non excludit, ſinumque Divinæ miſericordiæ ad paucos conſtringas, quem ille ad omnes dilatat? Paulus dicit omnes: Tu dicis paucos. Cui magis credam Apoſtolo, an tibi?*

S.Proſp. lib. 1. de Vocat. Gent.cap.9.

Sed has argutias iam diù refutavit S. Proſp. reſpondens Semi-Pelagianis pro S. Auguſt: probans, quã conſuetũ ſit in Sacra Scriptura, quod ly *omnes* ponatur pro aliquibus, ita vt ſit diſtributio accõmoda, & quod ſic debet intelligi illud Apoſt: *Vult omnes homines ſalvos fieri*. Et poſteà cap. 12. ita incipit: *Sed cum legerint hæc, vel audierint, qui amant calumnioſa certamina, dicent: Nos per huiuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere definienti, quod Deus* vult omnes homines ſalvos fieri.

636 Attamen expoſitiones inter ſe minimè pugnare, admittendaſquè eſſe efficaciſimè ſuadeò. Primò, quia Magnus P. Auguſt. qui ita exprofeſſo edocuit verba Apoſtoli intelligenda ſolùm eſſe de hominibus, qui ſalvantur, ſimilitèr intellexit Apoſtolũ de omnibus vniverſalitèr hominibus, vt ſuperius retulimus ex ipſo. Secundò ex S. Proſpero, qui poſtquàm expoſitiones Auguſtini ab obiectionibus Semi-Pelagianorum vindicaverit, tertiam expoſitionem tandem admiſit, vt plurimis illius teſtimonijs convincit Eminentiſs. Aguirre: ſufficiat illud, quod reſpondet ſentẽtia octava ad capita Gallorum calumniantium Auguſt. docuiſſe, *quod Deus non vellet omnes homines ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum.* Eam eſſe impoſturam pronunciat, his verbis: *Qui dicit, quod non omnes homines vellit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quam loquendum, ſit de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* Vltimo deniquè convincitur ex Angelico Doct. qui poſtquàm expoſitiones Auguſt. edocuit; concludit ſimul edocendo tertiam ex S. Damaſceno, his verbis: *Tertio ſecundùm Damaſcenum intelligitur de voluntate antecedenti, non de voluntate conſequenti, quæ quidem diſtinctio non accipitur ex parte ipſius voluntatis Divinæ, in qua nil eſt priùs, vel poſteriùs, ſed ex parte volitorum.*

Aguirre, diſput. 127. ſect. 3. à n. 28.

D. Thom. 1. p q. 19. art. 6. ad 1.

Expreſsèque conciliavit Auguſtinum cum S. Damaſceno, aſſerẽs: *Secundùm Damaſcenum verbum Apoſtoli intelligitur de voluntate antecedenti, & non de conſequenti, ſed ſecundùm Auguſtinum intelligitur de conſequenti*: iſtæ ergo expoſitiones inter ſe non pugnãt; licèt ergo expoſitio Auguſtini nullatenus poſsit admitti in ſenſu Janſenij, nec expoſitio Damaſceni poſsit admitti in ſenſu Semi-Pelagianorum. Vna, & altera debent admitti in ſenſu, in quo à PP. edocentur, & à Theologis communitèr recipiuntur.

D. Thom. in 1. diſt. 46. q. 3. art. 3.

637 Ex quibus omnibus ita aſſumptum colligo: qui verba Apoſtoli intelligunt de omnibus vniverſalitèr hominibus, vt certum ſupponunt: eã voluntatem non eſſe efficacem, ſed antecedentem, & inefficacem; vt videri eſt apud Suarez. Qui ea verba intelligunt de voluntate Dei efficaci, & conſequenti, ea limitant ad ſolos prædeſtinatos, qui ſalvantur; ergò nullus ea verba intellexit, vt ex illis poſsit colligi voluntati Dei efficaci reſiſti, quia ſi intelligitur de omnibus hominibus, eſt voluntas Dei, quę reſiſtitur, ſed inefficax: ſi de ſolis prædeſtinatis, licèt ſit voluntas efficax, ſemper adimpletur, nuſquam fruſtratur, nec reſiſtitur.

Suarez, lib. 4. de Provident. c. 2. à num. 1.

638 Vndè colliges ex illis teſtimonijs Sacris, in quibus exprimitur reſiſtentia voluntati Dei, vt eſt illud,

quo-

*quoties volui congregare filios tuos, & noluisti.* Nullatenus deduci, resistere voluntatem nostram voluntati efficaci Dei; sed solùm esse in Deo aliam voluntatem præter efficacem, sicut ex hac veritate Catholica. *Gratia interior est in peccatore*; nullatenus colligi potest gratiam iustificãtem esse in peccatore; sed solùm deducitur esse gratiam interiorẽ actualem, præter gratiam iustificantem habitualem. De secunda propositione.

639 *Arbitriũ potest potẽtia antecedenti resistere Decreto Dei efficaci.* Assero esse omninò falsam; quia nullam esse potentiam physicam, moralem, aut metaphysicam frustrãdi voluntatem Dei efficacem docent omnes Theologi teste P. Arriaga. Immò alibi Hæreticum vocat *voluntatem efficacem Dei posse frustrari.* RR. P. Thyrso, vt absurdissimam reijciendã esse supponit præiactam propositionem. Erroneam iudicat M. Bañez, eiusquè falsitatem efficacitèr probat M. Alvarez.

640 Non me latet in opere posthumo RR. P. Sendin, Seraphicæ Familiæ, esse hanc conclusionẽ: *Dico prædiffinitionem efficacem consensus liberi esse antecedenter componibilem cum carentia consensus prædefiniti.* Sed in additionibus ibi lege: prædictum Mag. re maturiùs, & subtiliùs inspecta oppositum docuisse, & publicè sępè, sæpiùs, defensasse, scriptoquè notatum reliquisse: Similiter lego P. Junio asserentem. *P. Vson* (Vir ingenij admirabilis, vt audivi, cuius mortem, non solùm Collegium Societatis, sed Complutum, quia in flore iuventutis, doluit,) *admisisse efficax Dei decretum antecedenter frustrabile.* Et ipsam lego in Ill. Moneda, confundente potentiam dissensus cum potentia frustrandi Decretum efficax consensus; immò ait: *Neque hoc derogat efficaciæ divini Decreti, quin potiùs illam magnificat, cum voluntatem creatam posse suo Decreto resistere, non dimanat ex Dei impotentia, sed ex beneplacito suæ voluntatis, ita statuentis se habere cũ suis creaturis liberis, vt earum libertatem non destruat.*

641 Sed Decretum efficax Dei esse antecedenter resistibilè, aut frustrabilè, omninò falsum iudico, (censurent ij, ad quos spectat) vt probavi, & licèt Doctissimi aliqui Thomistæ, aliquando asserant voluntatem nostram posse resistere potentia antecedenti, & in sensu diviso Decreto efficaci Dei, iam eos superiùs explicui; quia sumunt *resistere* impropriè pro eodẽ ac *dissentire*, & ideò scripsit Ioannes à S. Thoma, quod in illo verbo *resistere*, non est diversa significatio, quã in eo verbo *impedimentũ præstare.*

Si ita sentiunt DD. de concedentibus in sensu proprio arbitrio nostro potentiam antecedentem resistendi Decreta efficacia Dei, quid sentirent, si audirent, voluntati efficaci Dei arbitrium nostrum sæpiùs de facto resistere, vt Cardinalis docet?

642 Accedamus iam ad tertiam propositionem,

*Arbitrium nostrum sæpiùs de facto resistit gratiæ efficaci Dei.*

Quàm omnes vtriusquè Scholæ Theologi firmissimè reijciunt; quia credunt hanc consequentiam esse rectã: *Arbitrium resistit gratiæ A; ergò gratia A, non est efficax*: licèt inter se disputent, an consequens inferatur à priori, vel à posteriori.

643 Vt tamen inconvenientia, asserti Cardinalis, dum vocat, gratias efficaces eas, quibus abutuntur impij, gratijsquè efficacissimis arbitriũ, sæpiùs de facto resistere: adducam. Primum est, quod ideam gratiæ triũphratricis hoc planè refugit, ponere enim gratiam coniunctam cum carẽtia consensus, ad quem movet, & simul vocare illam gratiam efficacem est nomina, & conceptus gratiæ efficacis,

*P. Arriaga disp. 34. de Prædest. n. 18.*
*Arriaga, de Volunt. disp. 25. n. 21.*
*Thyrso, t. 1. disp. 17. sect 5.*
*Bañez 2. 2. q. 10. art. 1.*
*Alvarez, disp. 31. de Auxilijs, num. 17.*
*Sendin, de Lib. Arbit. disp. 4. sect. Append. n. 17. ibi. n. 54*
*P. Iunio verba sunt, nu. 623.*
*Moneda, q. 14. de Scientia, art. 13. n. 101. ibi. num. 128.*
*Sup. n. 561.*
*Sup. n. 610.*
*Ioann. à S. Tho. 1. p. t. 2. q. 19. disp. 5. art. 6. n. 34.*

cacis, atquè inefficacis permutare, quod vanum, & lubricum eſt.

644 Secundò, quia opponitur Sanctis PP. qui ſemper per gratiam efficacem intellexere eam, quæ modò certo, atquè invencibili ſortitur ſuũ effectum; ita enim de gratia efficaci canit S. Proſper.

*S. Proſper Carm. de ingratis.*

*Ipſa ſuum conſumat opus, cui tempus agendi ſemper adeſt.*
*Quæ geſta vellit non moribus illi ſit mora,*
*Nec cauſis anceps ſuſpẽditur vllis.*

Sed ex Aug. Prob. 1. Adiutorium *quò* eſt gratia efficax ſicut adiutoriũ *ſine quò*, eſt gratia ſufficiens, iuxtà Auguſtinũ ab omnibus Theologis ſequutum; ſed *quò*, eſt adiutorium coniunctum perſeverantiæ, & cum perſeverantia connexum, ſivè ab intrinſeco, ſivè ab extrinſeco, de quo nunc parum curo; vt conſtat ex Auguſtin. Eſt enim adiutorium *quò ſit vt homo vellit, & tantùm vellit, tantòq; amore diligat, vt carnis voluntatem, contraria concupiſcentem volunt ate ſpiritus vincat.* Eſt adiutorium *quò efficitur*, vt Sancti vellint, *vt non ſolùm ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſsint, verùmetiam, vt per hoc donum, non niſi perſeverantes ſint; quia ſubventum eſt infirmitati, volũtatis humanæ, vt divina, gratia indeclinabilitèr, & inſeparabilitèr ageretur, & ideò quamvis infirma non deficeret, nec adverſitate aliqua vinceretur.* Ergò Auguſt. non potuit gratiam efficacem vocare, qua non fit, nec efficitur, vt vellimus, per quã perſeverantes non ſumus, indeclinabilitèr enim, & inſeparabilitèr ea agimur, vt adverſitate nõ vincamur.

*Auguſt. de Correct. & Grat. c. 10. & 11.*

645 2. Auguſtinus per gratiam efficacem non intellexit illam vocationẽ cõmunem, de qua dicitur: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, ſed illam ſpecialem, de qua dicitur: *Omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti.* Hanc tamen vocationem ſecundum propoſitum non renui, non contemni, non fruſtrari, nec reſiſti, conſtat ex Auguſt. & Apoſtolo. Ex Apoſt. quia *quos vocavit, hos, & iuſtificavit.* Ergò qui vocati ſunt Sancti, ſecundum propoſitum, ſemper iuſtificantur: nõ ergo hac vocatione abvtuntur peccatores. Ex Auguſt. *Non omnes vocati, ſecundùm propoſitum ſunt vocati, quoniam multi vocati; pauci verò electi. Ipſi ergo ſecundum propoſitum vocati, qui electi ante conſtitutionem mundi. De hoc propoſito Dei dictum eſt: de Geminis Eſau, & Iacob, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, maior ſerviet minori.* Vocatione ergo ſecundum propoſitum, ſeù efficaci, non abvtuntur reprobi; quia ipſi ſecundum propoſitum vocati, qui electi, & propoſitum Dei ſecundum electionem ex vocante manet.

646 3. Gratia efficax ex Auguſt. eſt ea, qua Pater nos docet venire ad Chriſtum, non *per legis litterã*, quia hæc eſt gratia Pelagiana, quia *littera occidit: lex iubet, non iubat*; ſed *per ſpiritus gratiam.* Hanc verò gratiam nunquàm ſuo effectu fruſtrari. Probat Auguſtinus ex teſtimonio illo Chriſti: *Omnis, qui audivit, & didicit à Patre venit ad me.* Ita enim intulit, ſi *omnis, qui didicit venit; quiſquis non venit, profectò non didicit.* Et alibi ait: *Abſit, vt quiſquam non veniat; qui à Patre audivit, & didicit.* Audire ergo, & diſcere à Patre ex Auguſtino, ſemper coniunguntur.

*Auguſt. de Grat. Chriſt. cap. 13.*

*Auguſt. de Grat. Chriſt. cap. 14.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 8.*

Hanc enim gratiam Auguſtin. docet propriam electorum vocatorum ſecundum propoſitum, ita enim ſcripſit: *Sic docet Deus eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere*, rectè igitur intulit Auguſtinus, pro certo: *Omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: audire enim, & diſcere à Patre,*

vt

*vt veniant ad Christum*, nihil aliud est, quàm *Donum accipere à Patre, quo credant in Christum.* Quomodò ergò de facto frustratur, resistitur, aut contemnitur donum, simul præstans quid agamus scire, & quod scimus agere? Si enim per hanc gratiam accipimus *donum*, *quò* credimus in Christum; qui non credunt in Christum, gratiam, qua Pater nos docet non accipiunt.

647 Nullibi autem expressiùs Mag. Pater vocationem efficacem semper effectui coniunxit, & distinxit vocationem inefficacẽ, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, à vocatione efficaci eorũ, qui secundũ propositũ vocati sunt, nisi cũ scripsit: *Quã vocationẽ significans Apostolus ait*: non ex operibus, *sed* ex vocante dictũ est ei, quia maior serviet minori. *Ex vocante, non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens. Hanc etiam intuebatur cum diceret*: sine pœnitẽtia sunt dona, & vocatio Dei; *ideſt, sine mutatione stabiliter fixa sunt.* De qua vocatione inquit Magn. Pater: *Ad hanc vocationem, qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei, nec potest eorum, quis dicere credidi, vt sic vocarer: prævenit eũ quippè misericordia Dei, quia sic vocatus est vt crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt, & didicerunt à Patre per filium, qui evidentissimè dicit: Omnis, qui audivit, &c.* Non potuit Augustinus expressiùs asserere vocationem efficacem, secundum propositum nũquàm de facto resisti, sed semper esse cum effectu coniunctam.

*Augustin. de Prædest. SS. cap. 16.*

*Ad Rom. 9.*

*Ad Rom. 11.*

648 Concludo his Augustin. verbis: *Hæc itaque gratia* (ideſt efficax, *qua multos credere videmus in Christum*) *à nullo duro corde respuitur*; ergò non stat retardare, aut repellere hanc gratiam cum adhùc durũ cor obsistens, & reluctans ei non sit:: Pẽde SS. Patris rationem: *Ideò quippè tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Quomodò stabit obstare, repugnare, aut contrasistere gratiæ, ita inexpugnabili, quæ ideò datur, vt cordis duritia contra non sistat, & primitus auferatur?

*Augustin. de Prædest. SS. cap. 8.*

649 Vltimo denique; quia asserere, peccatores sæpiùs abuti efficacissimis gratijs, eisquè de facto resistere est de medio tollere divisionem gratiæ in *sufficientem, & efficacem*, quã post exortam Calvini, & sequacium Hæresim Theologi tradiderunt, vt fide certam. Vt ex consensu omnium diffusè inferiùs suadeo.

*Infrà disp. 3. q. 4. sect. 1.*

Assumptum probo. Si gratia efficax non exigit cum effectu coniungi, nulla est gratia sufficiens, quæ non sit efficax. Vndè in hac propositione *omne auxilium gratiæ interioris sufficiens est simul efficax* conveniunt Calvinus, & Cardinalis; vndè vterquè tolit, hanc divisionem gratiæ, licèt ex diversis principijs; Jansenius, quia omnem gratiam interiorem cum effectu coniunxit. Et ideò omnem dixit efficacem vocando *monstrum gratiæ* gratiam ab effectu separatam. Cardinalis verò, quia ad conceptum gratię efficacis, non exposcit coniunctionem cum effectu; vndè licèt omnis gratia sufficiens effectum non inducat est efficax; vndè inepta redditur ea divisio gratiæ in *sufficientem, & efficacem.*

Nota tamen, quod cum Innocentius X. damnavit, vt Hęreticam hanc propositionem: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.* Solùm declaravit esse interiorem gratiam, cui de facto resistitur, quod Jansenius negavit: minimè verò resisti de facto gratiæ efficaci, quia dum gratiæ resistitur gratia non est efficax.

*Propositio 2. damnata ab Innoc. X.*

* * * * * * * * * * * * * * *

QVÆ-

# QVÆSTIO QVINTA.

## VTRVM GRATIA PHYSICE PRÆDETERMINANS SIT à voluntate noſtra acquiribilis, aut impedibilis?

### SECTIO PRIMA.

*Termini explicantur, & ſententiæ DD. referuntur?*

650 GRATIAM phyſicæ prædeterminantem eſſe irreſiſtibilem ſect. anteced. edocuimus: ex quo ipſam eſſe indepentem à noſtra voluntate in ſua efficacia evidentèr colligitur, ſi enim reſiſti non poteſt, nec ſuo effectu fruſtrari; vndè nec inefficax reddi, ſua ergò efficacia à noſtra libertate non dependet; quod ergo nunc diſputamus, eſt an exiſtentia gratiæ prædeterminantis ſit à voluntate dependens? Et cum aliquid in exiſtendo poſsit duplicitèr à nobis pendere, vel quatenus pro noſtro nutu poſſumus illius exiſtentiam cõparare faciendo, quod ſit, vel quatenus poſſumus illius exiſtentiam impedire faciendo, quod nõ ſit, ideò vtrùmque inquirimus; an voluntas poſsit gratiam prędeterminantem acquirere faciendo, quod ſit? Vel ſaltim poſsit eius exiſtentiam impedire, ita vt voluntati imputari poſsit, quod non ſit?

651 Omnes DD. Societatis edocent, quod gratia prædeterminans quoad ſuam exiſtentiam eſt à noſtra voluntate independens, imò hoc aſſerũt de omni gratia interiori actuali præveniente cõſenſum ſalutarem, licèt ex ſe indifferenti; vndè gratiam ſolùm eſſe à nobis depẽdentẽ quoad ſuam efficaciam defendunt; & exindè gratiam eſſe prædeterminantem oppugnare intendunt; quia cum hæc ſit omninò independens à noſtra voluntate, tam quoad exiſtentiã, quàm quoad efficaciam neceſſariò libertatem ſuffocat.

652 Diſsidium ergo eſt inter noſtros Thomiſtas: quidam enim aſſerunt voluntatem poſſe acquirere gratiam prædeterminantem, & eius exiſtentiam comparare, vel impedire: Differunt verò in modo, quo voluntas poſsit prædeterminationẽ acquirere, aliqui enim ſubſtinent voluntatem medio actu poſitivo ſe diſponere ad prædeterminationem obtinendam, & per carẽtiam illius prædeterminationem impedire: Pro qua ſententia referuntur Ávila, & Zumel: Alij verò edocent, quod per peccatum impeditur prædeterminatio, & eius carentia acquiritur; per omiſsionem verò peccati prædeterminationem acquiri: pro hac referuntur Cabrera, & Alvarez, quatenus aſſerit nõ habentem prædeterminationem ſua culpa illam non habere: pro hac etiã adduci poteſt SS. Lemos, quatenus aſſerit, gratiã efficacem eſſe aliquomodò poſitam in noſtra poteſtate, quia à Deo offertur, & eſt paratus illam dare in collatione auxilij ſufficientis, eamquè certò obtineret voluntas, niſi reſiſtendo gratiæ ſufficiẽti, gratiæ efficaci impedimentum præſtaret.

*Ávila de Auxil. c. 7. & 8.*
*Zumel t. 1. Opuſc. diſp. 4. ſect. 2.*
*Cabrera in 3. p. q. 18. a. 4. diſp. 2.*
*Alvarez, q. 23. de Auxil. n. 31.*
*Lemos, lib. 4. tract. 3. cap. 6.*

653 Alij verò noſtri DD. defendunt prædeterminationem eſſe im-

impedibilem, non medio aliquo actu prævio ad ipsam, sed medio ipso actu in quem prædeterminatio influit, ita vt inter illum, & prædetermin. detur mutua causalitas in diverso genere causæ, quia prædeterm. dependet ab actu in genere causę materialis dispositivæ ad suam receptionem, & actus dependet à prædetermin. in genere causæ efficientis influentis in suam existentiam, sicut dicunt Theologi in primo actu charitatis, qui causat gratiam dispositivè, & procedit effectivè physicè ab ipsa grâtia, hac doctrina vtuntur. Alvarez, Ioannes à S. Thoma, quos adducit, & sequitur Gonet. Quem modum dicendi novissimè illustrant PP. Salmanticenses, & fertur illum edocuisse Illust. Herrera, Salmâtice in manuscriptis, in modo verò exponendi qualiter voluntati imputetur carentia gratiæ efficacis per dissensum inter se divisi sunt, vt posteà videbimus.

*Alvarez de Auxil. disp. 102. Ioann. à S. Thom. disp. 20. de Scientia, art. 5. & 9. de Volunt. art. 6. Gonet, disp. 5. de Volût. art. 6. sect. 1 Salmant. de Gratia efficaci.*

654 Alij verò ex nostris Thomistis gratiam prędeterminantẽ omninò independentem à nostra voluntate constituunt, quatenus, nec volũtas possit per actum suum illam obtinere, nec possit per peccatum suum illam imputabilitèr impedire, cui sententiæ libẽtissimè subscribo, quia meo iudicio ex sententia contraria nostra fundamenta gratiæ prædeterminantis debillitantur; contraria argum. quæ gratiam prædeterminantẽ oppugnãt omninò in sua vi subsistũt, & nobis difficultatibus implicatur; quod per sequentes Sect. ostensurum promitto. Authores inferiùs adducã.

*Infrà n. 700.*

## SECTIO SECVNDA.

*Voluntas non potest per actum positivum prædetermin. obtinere, nec prædeterminationis existentiam impedire.*

655 HÆC conclusio est contra AA. primæ sententiæ, & suadetur Primo communi; sed insuperabili argumento; vel ille actus positivus, per quem voluntas se disponit ad prędeterminationem acquirendam, iuxtà primum modum dicẽdi, vel per quem impedit prædeterminationem, iuxtà secundum, vel est prędeterminatus, & fit cum prędeterminatione, vel non est prædeterminatus? Si secundũ; ille est actus creatus sub dominio Dei elicitus à causa secunda; ergò non est ratio exigens prædetermin. ad omnes alios creatos actus, hæc enim probatur ex rationibus, quæ in omnibus actibus suadent, vel in nullo convincunt. ¶ Si enim tibi licèt vnos actus fingere elicitos sine prædetermin. & alios cũ illa, nulla ratione suadebis illius necessitatem, quæ clarè non instetur in actibus, ad quos non esse necessariam fateris, & rationes nostræ necessitatem prædeterminationis in illis actibus vrgebunt.

656 Si verò dicas primũ, scilicèt illos actus positivos, quibus me dispono ad prædetermin. aut illius carentiam esse verè prædeterminatos: inquiro, vel prædetermin. ad hos actus est impedibilis, vel inimpedibilis? Si primũ; ergò erit ad illã prædeterm. impediendam alter actus positibus necessarius, sicut in hoc fuit necessarius ad impediẽdam primam, & cum hic actus positibus sit etiã eadem ratione prædeterminatus, & similitèr illius prædeterm. impedibilis per alium actum, de quo eadem interrogatione procedam vsque in infinitum abeam.

Si dicas secundũ. Scilicèt prædetermin. ad illum actum esse inimpedibilèm: vlteriùs inquiro, vel ille actus est necessarius, vel est liber? Si dicas primũ, ergò (1) necessariò habeo prędetermin; & me dispono ad illam, cum actus, qui est dispositio sit necessarius; ergò (2) non est mihi libere impedibilis prędetermin. cum sit independens à mea libertate actus, qui est prędetermin. acquisitio. Si dicas

ſecundū, ſcilicèt, prædeterminationem ad illum actum eſſe inimpedibilem,& actum eſſe liberum: Primò eſt gratis dictum ponere vnas prædeterminationes impedibiles, & alias inimpedibiles: Secundò; quia ſi ſalvatur libertas illius actus, licèt prædeterminatio ad illum ſit inimpedibilis; Cùr idem non erit in omnibus alijs actibus liberis, licèt ſint inimpedibilitèr prædeterminati?

657 Hoc ſatis efficax arg. Confirmo ex modo arguendi, quo M. Parens Auguſt. impugnabat Semi-Pelagianos aſſerentes adiutoriū Dei exigi ad actus ſalutares; ſed hoc adiutorium poſſe acquiri per actus liberi arbitrij: ita afflatur; *ergò nè vt perveniatur ad adiutorium Dei, ad Deum curritur ſine adiutorio? Et vt Deo adhærentes adiuvemur à Deo, non adiuti non adhærebimus Deo?* Eadem forma arguo; vt perveniatur ad adiutorium efficax prædeterminans Dei, non curritur ſine adiutorio prædeterminante; ergò ſicut adiutorium gratiæ nō poteſt abſolutè poni à nobis acquiribilè, ita nec adiutorium gratiæ prędeterminantis, ſpecialitèr, cum hanc gratiam efficacem aſſeramus propugnaſſe S. Auguſtinum.

*Aug. lib. de Grat. Chriſt cap. 23.*

658 Deniquè mihi omninò difficilè eſt, gratiam efficacem eſſe, ita à noſtra voluntate in ſua exiſtentia dependentem, vt quia nolumus, & reſiſtimus illam non habeamus, quia licèt ex Deo ſit, eſt ita paratus illam conferre in collatione auxilij ſufficientis, & eam ita offert, vt ſi voluntas non ſe impediret illam infallibilitèr obtineret. Vt edocet Sap. Lemos; quia omnia noſtra argumenta, quę gratiam efficacem ab intrinſeco evincunt, enervantur: & primo hoc ſuadeo, hac generali conſideratione; DD. Societatis conſtituunt non entitatem auxilij, ſed eius efficaciam à noſtra voluntate dependentem. Iſti verò DD. edocent non efficaciā auxilij, ſed exiſtentiam auxilij efficacis à noſtra voluntate dependentem: exhibe ergò rationem, quæ convincat efficaciam auxilij nō eſſe à nobis pēdentem, quæ æquè non evincat exiſtentiam auxilij nō pendere à nobis? ¶ Nunc facilè erit noſtris rationibus concluſionem noſtram firmare: poſſet quis iuſtè in ſeipſo gloriari de ſua diſcretione adverſus alterum, ſuppoſita vtriuſquè libertate per auxilium ſufficiens conſtituta, ſi eſſet ex ſuo conſenſu libero, quod auxilium collatum eſſet efficax; ergò ęquè gloriari poſſet, ſi ex ſua libera determinatione proveniret, quod auxilium efficax eſſet ſibi collatum. ¶ Similitèr ratio ex oratione deprompta ad gratiam ab intrinſeco efficacem cōprobādam inefficax redditur: ſi enim ſemel poſita libertate per auxilium ſufficiens eſt iam in noſtra poteſtate, vel auxilium ſufficiens reddere efficax per conſenſum, vt contrarij DD. defendunt, vel comparare auxilium efficax oblatum, & paratum per carentiam negligētiæ, vel peccati, quid à Deo ſupplices deprecamur, quod in noſtra poteſtate iam habemus? Quid oramus Deum pro eo, quod ſcimus offerre, & paratum eſſe dare ſi nos vellimus accipere? Vide ſuperius dicta.

*Sup. à num. 294.*

*Sup. à num. 431.*

659 Certè quidem, ſi Deus ſemper paratus eſt dare gratiam efficacē ad actum præceptum, & noſtra culpa non habemus, quia accipere nollumus, facilè intelligitur iuſtitia increpationis in non obſervante præceptum, ſicut, ſi Deus pręciperet homini, vt volaret, & ei alas offerret, ſi eas accipere nollet rectè corriperetur de non obſervatione præcepti volandi; vt exemplo. Alvarez vtar; vel ſicut ſi Papa alicui daret Epiſcopatum in exhibitione illius offerendo Cardinalatum, ſi homo ille Epiſcopatum recuſſaret, Dignitatis Cardinalitię ſemel oblatæ defectus iuſtè ei imputaretur; vt exemplum M. Lemos adducam. Sed revera non eſt ita facilè cōci-

*Lemos, vbi ſuprà.*

*Alvarez, de Auxilijs diſp. 18.*

*Lemos, vbi ſup. n. 78.*

tiliare iustam increpationem nō observantis præceptum, dum non adest gratia efficax; sic enim opponebant Africani, quidam M.P. Augustinus. *Rectè quidem corriperet, si eam* (gratiam quidem efficacē, seù vocationem secundùm propositum) *mea culpa non haberem; hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo accipere noluissem. Cū ergò, & ipsa voluntas à Domino præparetur; Cùr me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potiùs ipsum rogas, vt in me operetur, & velle?* Sed ex ipso argumento evidens est solutio, si existentia gratię efficacis, est à nobis dependens (correptus enim illam non haberet sua culpa, *cum posset sumere, & nō faceret, & Deo dante accipere noluit*; sed non ita cum argumento convenit M.P. sed statim glorioſus gratiæ defensor asserit, (*ad hæc respondeamus,*) & solutionem per duodecim capita parat; ad quid ergo si in obiectione est lis decisa?

*Augustin. de Corrept. & Gratia, cap. 4. in fine, et 5. in principio.*

660 Sufficiant hæc Aug. verba: *Quomodò vt detur gratia divina voluntas meretur humana, si eis quibus datur, gratuita misericordia datur, vt vera sit gratia? Quomodò in hac re merita pensantur voluntatis humanæ, quandoquidem illis, quibus gratia ista non datur, nullo plerūque meritò, nulla voluntate distantibus, sed similem cum eis, quibus datur habentibus causam, iusto tamen iudicio Dei non datur? Non enim est iniquitas apud Deum, vt intelligant, quibus datur, quàm gratis eis detur, quando iustè vtiquè non daretur, quoniam similem habentibus causam iustè non datur.*

*Aug. Epist 107. ad Vitalem.*

## SECTIO TERTIA.

*Gratia prædeterminans non est dependens à consensu libero, quem efficit in genere causæ materialis dispositivæ.*

661 HAnc conclusionem omninò veram iudico contra Authores aliquos pro secunda sententia adductos, non quia renuam mutuam prioritatem inter causam efficientē, & dispositivam, nō enim mihi displicet, contritionem disponere ad gratiam iustificātem, licèt effective procedat à gratia; sed hanc mutuā prioritatem inter prædeterminationem, & consensum minimè admitti posse propugno.

662 1. Si gratia prædeterminans, seù adiuvans esset dependens à consensu in genere causę dispositivæ, & materialis, esset verùm, quod Deus adiuvat, quia volumus, & non solùm vt vellimus, sed falsum est, & contra M.P. Augustin. quod Deus nos adiuvet, quia volumus, quæstio enim Augustin. cum Pelagio erat: *Vtrùm præcedat hæc gratia; an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, vtrùm ideò nobis detur, quia volumus; an per ipsam hoc etiam Deus efficiat, vt velimus?* Vndè Augustin. negabat gratiam nobis dari, quia volumus, quod affirmabat Pelagius, vt enim asserit Div. Prosper: *Divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideò quis adiuvetur, quia voluit*; ergò adiutorium efficax Dei non dependet à velle, seù cōsensu nostro dispositivè.

*Aug. Epist 107. ad Vitalem.*

*Div. Prosp. Ep. ad August.*

Explico hoc: quia gratia iustificans dependet dispositivè à nostra contritione est vera hæc causalis: homo iustificatur, quia conteritur; ergò si gratia adiuvans, dependet dispositivè à consensu, erit vera hæc causalis: homo adiuvatur, quia consentit.

663 2. Argumentum desumo, ex illa celebri Augustin. sententia: *Voluntas non libertate consequitur gratiam, sed potiùs gratia libertatem*, si enim gratia efficax actualis dependeret dispositivè à consensu libero, voluntas libero consensu assequeretur gratiam efficacem, se ad illam disponendo. ¶ Vrgetur; quia contritio disponit ad gratiam iustificantem, licèt effectivè procedat ab ipsa est absolutè verùm: *Voluntatem contritio-*

*Augustin. de Corrept. & Grat. c. 7.*

*ne consequi gratiam iustificantem.* Ergò paritèr esset absolutè verùm, quod voluntas libertate, seù consensu libero consequitur gratiam efficacem, si licèt consensus dependeat à gratia efficaci effectivè, gratia efficax dependet à consensu dispositivè.

*Aug. lib. 83. q. 68.*

664 3. Insurgo: Quia ex D. Augst. *Licèt quis possit sibi tribuere, quod vocatus veniat, non tamen, quod vocatus sit*, & certè, quis posset sibi tribuere esse efficacitèr vocatum, si suo consensu libero se ad vocationē efficacem disponeret. ¶ Deniquè, quia iuxtà Augst. Nullus potest inscrutabilia iudicia Dei penetrare, & ideò aliam rationem non esse quærēdam: *Cùr iste vocetur, vt vocantem sequatur, at ille, aut non vocetur, aut non ita vocetur*, quàm *ò altitudo divitiarū, &c.* & qui aliam quærit, asserit M. P. *Quærat Augustino doctiores, sed caveat nè inveniat præsumptiores*; & ideò edocebat D. Prosper: *Quæstionem; Cùr hic potiùs, quā ille accipiat gratiam esse impenetrabilem, nec posse ex libero arbitrio solvi*, & quidem si auxilium efficax dependet dispositivè à consensu libero nostro, alia ratio assignari potest; cùr iste prælio habet auxilium efficax? Nec hæc quęstio erit ita impenetrabilis, vt per liberum arbitrium solvi non posset. Esset enim recta solutio, quia hic per consensum liberum se disponit ad gratiam efficacem, & non alter.

*August. de Prædest. SS. cap. 9.*
*August. de Spiritu, & Litt. c. 33.*
*August. de Corrept. & Grat. cap. 8.*
*D. Prosper. lib. 1. de Vocat. gent. c. vltim.*

665 4. A ratione insurgo, si gratia efficax esset dependens à consensu in genere causę materialis, voluntas libere consentiēs libere se disponeret ad gratiam efficacem, & libere eam non impediret; quia libere poneret consensum, qui est dispositio, & non impedimentum gratiæ efficacis, qua ratione homo libere contritus libere se disponit, & non impedit gratiam iustificantem, sed voluntas nequit libere se disponere, & non impedire gratiam efficacē; ergò: Prob. Min. Libere se disponere, & non impedire gratiam efficacem est posse verè illam impedire, sed voluntas nō potest impedire gratiam efficacem; ergò: Mai. nota, & Prob. Min. 1. Quia si voluntas posset impedire gratiam efficacē, hæc esset vera causalis, voluntas caret gratia efficaci, quia illā impedit per peccatum, cum potiùs ècontra sit verùm voluntas peccat, quia (per causalitatem Logicam) caret gratia efficaci, sicut non est vera voluntas habet gratiam, quia nō peccat, sed potiùs ècontra voluntas, non peccat; quia habet gratiam efficacē. ¶ 2. Quia iam habere gratiam efficacem non esset solùm Dei miserentis, sed etiam volentis, atque currentis, nō impediendo, vt potest, ipsam: & non esset etiam verùm illud Apostoli: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, quia Deus non indurat imperciendo malitiam, sed negando gratiam, vt ait Augustinus, & si voluntas posset impedire gratiam, non esset solùm voluntatis Dei illam denegare, sed denegaretur, quia voluntas illam libere impedivit.

666 Vltimo mihi hæc sententia displicet, quia quando datur mutua prioritas in genere causæ efficientis, & materialis, debet distingui duplex formalitas in principio effectivo, ita vt ex vi vnius efficiat, & non causetur, & ex vi alteriùs causetur, & non efficiat, vt dicitur communitèr in illa sentētia mutuæ prioritatis inter gratiam habitualem, & contritionem, quod gratia vt auxilians efficit contritionem, & vt auxilians ab illa non dependet dispositivè, gratia verò vt sanctificans dependet dispositivè à contritione, sed illam non efficit, vt ergo hæc mutua prioritas assignetur inter prædeterm. & cōsensum necessè est duas formalitates assignare in prędeterminatione, vt secundum vnā præcedat effectivè consensum, & nō sit dependens dispositivè à consensu, licèt consensus ad aliam formalitatē dis-

disponat; quas diversas formalitates difficilè est invenire, & fortè inventas erit facilè reijcere; sed advertè, quod formalitas illa effectiva cõsensus debet esse connexa; vndè si illa est independens dispositivè à cõsensu, aliàs libero, frustra laboras ad adstruendam prædeterm. à consensu libero dependentem, vt faciliùs libertatem concilies, quia in illa formalitate independente difficultas integra manet, quin per recursum ad impedibilitatem evacuari possit.

## SECTIO QVARTA.

*Denegatio gratiæ efficacis nequit esse homini imputabilis, quia ortum ducit ex peccato, & propria culpa.*

667 M. Ioannes à S. Thoma, & Gonet satis profundè exagitant, denegare Deum gratiam efficacem ad actum præceptum, quando instat obligatio, & Deus confert auxilium sufficiens, esse voluntati imputabilè, quia per peccatum, seù abusum auxilij sufficientis redditur indigna, gratiæ efficacis, & eius receptioni impedimentum apponit; vndè cum D. Thoma edocent: *Quod licèt non sit in potestate hominis promereri, vel advocare gratiam, est tamen in potestate eius se impedire nè recipiat gratiam.*

*Ioan. à S. Thom. t. 1. in 1. p. disp. 20. art. 5. et t. 2. disp. 5. art. 6. Gonet, disp. 5. de Volũt. artic. 6. D Thom. 3. cont. Gent. cap. 159.*

668 Si tamen eis opponas, hanc doctrinam rectè intelligi posse in denegatione gratiæ efficacis, quæ supponat peccata actualia, vel originale, in cuius pœnam potest Deus gratiam efficacem ad alia peccata vitanda denegare; secus verò, dum denegatio gratię peccatum nullum supponit adhùc originale, vt in Adamo, & pravis Angelis, tunc enim denegatio gratiæ nequit esse voluntaria, quia homo per peccatum eam demeretur, & se impedit ad gratiæ efficacis receptionem.

669 Resp. Quod in Adamo, & Angelis pravis denegatio auxilij efficacis ortum ducit non ex culpa precedente, sed concomittante; quia denegatio gratiæ efficacis potest summi, vel vt se tenet *activè* ex parte Dei, & vocatur permissio peccati, seù pura negatio gratiæ, vel vt se tenet *passivè* ex parte hominis, & est privatio gratiæ; licèt verò denegatio gratiæ, vt se tenet activè ex parte Dei nullam habeat causam in homine, sed reducenda sit in simplicem Dei voluntatem, quia cuius vult miseretur, & quem vult obdurat; vt verò se tenet passivè ex parte hominis habet pro causa peccatum ipsum, licèt tempore concomittans, precedens ipsam denegationem gratiæ in genere causæ dispositivæ, & materialis.

670 Sed contra hanc subtilem doctrinã insurgo: 1. Denegatio gratię efficacis, vt se tenet passivè ex parte hominis dependet dispositivè, & materialitèr à peccato ipso, quod concommittatur, seù à carentia consensus; ergò existentia gratiæ efficacis, vt se tenet passivè ex parte hominis dependet dispositivè à consensu; ans est solutio ipsa, & conseq. prob. Non enim video, Cùr si admittitur illa mutua prioritas inter denegationem, seù defectum prædeterminat, & defectum consensus, nõ debeat admitti inter prædetermin. & consensum? Sicut enim existentia prędeterm. est propriori ad consensum, & denegatio prædeterm. est propriori ad carentiam consensus, si ergo hac prioritate, non obstante denegatio prædetermin. dependet dispositivè, & materialitèr à carentia consensus; Cùr similitèr existentia prædeterminat. non erit dispositivè dependens à ipso consensu?

Si verò conced. conseq. In contra sunt omnia, quæ adduximus sect. præterita; & vlteriùs addo: *Quod erit iam in potestate hominis advocare ad se gratiam*, contra id, quod ex D. Thom. solutio supponit; quod sic

prob.

prob. 1. Quia defectus gratiæ dependet diſpoſitivè à carentia conſenſus, eſt in poteſtate voluntatis per carentiam conſenſus impedire gratiam, & acquirere gratiæ defectum; ergò ſi exiſtentia gratiæ dependet diſpoſitivè à conſenſu erit in poteſtate volũtatis per conſenſum acquirere exiſtentiam gratiæ. ¶ 2. Quia eo ipſo, quod gratia iuſtificans dependet diſpoſitivè à contritione libera, volũtas habet in ſua poteſtate advocare ad ſe gratiam iuſtificantem, dum habet libertatem ad contritionem. ¶ Vrgeo: Denegatio gratiæ efficacis dependet diſpoſitivè à carentia conſenſus; ergò ſi non exiſteret carẽtia conſenſus deficeret denegatio gratiæ efficacis; ſed voluntas habet in ſua poteſtate per conſenſum, quod non exiſtat carentia conſenſus; ergò, & quod deficiat denegatio gratiæ efficacis; ſed denegationem gratiæ efficacis deficere eſt gratiam efficacem exiſtere; ergò voluntas habebit in ſua poteſtate gratiam efficacem exiſtere, & eius exiſtentiam comparare.

671 2. Me præmit hæc conſideratio: in primo peccato Adami, vel Angelorum, quod fuit per actum poſitivum; prędeterminatio ad actum tranſgreſivum præcepti fuit omninò independens à voluntate Adami; ergò, & defectus prædeterminationis ad adimpletionem præcepti: Antec. fatetur Ioannes à S. Thom. & concedi debet ſi exiſtentia prædeterminat. nõ adſtruitur à noſtra voluntate dependens: & conſeq. prob. quia idem eſt Deum prædeterminare trangreſsionem prȩcepti, ac nõ determinare adimpletionem, ſicut idem eſt hominẽ peccare, ac non adimplere præceptum, vndè ſicut implicat tranſgreſſionem nõ eſſe impeditionem adimpletionis, ita implicat prædeterminationem tranſgreſsionis non eſſe impeditionem prædeterminationis adimpletionis; ergò intelligit ilè eſt, quod à nobis ſit independens; prędeterminatio tranſgreſsionis, & quod ſit à nobis dependens non prædetermin. adimpletionis.

*Ioannes à S. Thom. vbi ſuprà.*

672 SS. P. Salmanticenſes aliam noviſsimè, & ingeniosè excogitarunt viam, vt carentia gratiæ efficacis ad adimplendum præceptum ſit voluntati, dum peccat voluntaria, quia homo poteſt illam impedire: ad quod ſuadendum ſupponunt (1) voluntatẽ, vt omittentem peccaminosè ſupponere actum, qui ſit cauſa omiſsionis, quo vellit omittere (2) voluntatem velle omittere eſſe velle auxilium efficax ad actum præceptum deficere, cum carentia auxilij ſit connexa cum omiſsione actus (3) hunc actum, quo voluntas vult omiſsionem, poſſe voluntatem viribus naturalibus evitare, & ſic libere voluntas impedit auxilium efficax ad actum præceptũ per cuius carẽtiam omittit, quia volens omittere voluit auxilio efficaci carere, & cum hunc actum potuerit voluntas libere vitare, dum non voluit, impedibit ex ſe auxilium efficax, cum de ſua culpa voluntas illo caruit. Vndè carentia auxilij efficacis ortum ducit ex peccato, ſed non omiſsionis, quod ſubſequitur carentiam auxilij; ſed ex peccato, quo quis vult omittere, quod antecedit cerentiam auxilij efficacis.

*PP. Salmãt. de Gratia efficaci, dub. 4. n. 260.*

673 Sed hæc doctrina, licèt ſubtilis, parum ſolida mihi videtur; & 1. iudico omiſsionem peccaminoſam eſſe poſſe abſque actu poſitivo, quo quis vellit omittere; quia non agere libere, & peccaminosè, dum eſt actus præceptum, non exigit, niſi non eſſe actum, dum poteſt eſſe, de quo alibi. ¶ 2. Contra 2. notabilè ſic inſurgo, voluntas quando vult omiſsionem actus, & exindè carentiã auxilij efficacis, vel vult carentiã prædiffinitionis efficacis divinæ ad actũ, vel non vult carẽtiam prædiffinitionis? Si dicas primum, & tamen, licèt voluntas vellit carentiam prędiffinitionis, non poteſt dici impediens prędif-

diffinitionem ; ergò licèt voluntas vellit carentiam auxilij efficacis non potest dici impediens auxilium efficax: si dicas 2. non minus connectitur omissio actus cum carentia auxilij efficacis ad actum, quàm connectitur carentia auxilij efficacis ad actum cum carẽtia prædiffinitionis efficacis divinæ, sed stat voluntatem velle carentiam auxilij efficacis, & non velle carentiam prædiffinitionis divinę; ergò,& stabit voluntatẽ velle carentiam actus, & non velle carentiam auxilij efficacis.

674 Contra 3. Notabilè insurgo,quia difficilè est, quod dum adest auxilium sufficiens ad adimplendum prȩceptum possit voluntas vitare actum,quo vellit omittere sine gratia efficaci,ly *sine* non cadente suprà ly *potest*, quia sine illa potest; sed suprà ly *vitare*,quia sine gratia efficaci nõ potest dari vitatio huius actus, quod sic suadeo: in principijs solutionis nõ potest voluntas sine gratia efficaci adimplere prȩceptum supernaturale; ergò non potest sine gratia efficaci vitare peccatum non adimpletionis, sed omissio actus præcepti solùm est peccatum,quãdo volũtas vult omittere; ergò quando instat præceptum, & adest auxilium sufficiens, non potest voluntas sine gratia efficaci vitare actum,quo vellit omittere.

675 Vltimo hanc doctrinam impugno : sicut quando voluntas vult omittere vult carentiam auxilij efficacis connexum cum omissione,quãdo vult agere vult auxilium efficax connexum cum actione;sed voluntas per velle agere nõ acquirit auxilium ad agendum, quod vult ; ergò, nec per velle non agere impedit auxilium efficax,quod non vult. ¶ Vrgeo; ideò voluntas non acquirit sibi auxilium,licèt velit agere, quia cum auxilium sit effectus solius Dei, stat pro solo Deo,quod conferatur; ergò ex eodem principio stabit pro solo Deo,quod impediatur. ¶ Resp. verùm esse,quod ex Dei determinatione non confertur auxilium efficax, sed voluntas peccans redditur indigna gratię efficacis,& cum velle omittere actum prȩceptum sic peccare,ex hoc peccato potest Deus iustè moveri ad negandam gratiam efficacem, & ita homo peccans erit verè impediens gratiam. ¶ Sed admittendo solut. doctrinã insisto in adducto exẽplo; sicut Deus intuitu vnius peccati potest moveri ad denegationẽ gratiæ efficacis ad vitandum aliud peccatum,ita Deus intuitu vnius meriti potest moveri ad collationem gratiæ efficacis, vt existat aliud meritum;& tamen homo per meritum non esset acquirens gratiam efficacem ad ampliùs merendum; ergò nec homo per peccatum erit impediens gratiam efficacem ad ampliùs peccandum.

## SECTIO QVINTA.

*Nullum est fundamentum vt à N. Thomistis adstruatur gratia efficax à nostra voluntate impedibilis, vel denegatio gratiæ efficacis voluntati nostræ imputabilis.*

676 CVm adstruere gratiam ab intrinseco efficacẽ à volũtate nostra in sua existentia aliquatenus dependentem tot difficultatibus implicetur,& rationes nostras inefficaces reddat,quas vtilitates inveniũt isti DD. in hac gratia efficaci ita dependente,referrè, & impugnare decrevi; duo motiva sunt ex vno fine, ex fine quidem debilitandi argumẽta,quæ producunt DD.Societatis,vt gratiam ab intrinseco efficacem impugnent; illam à nostra volũtate impedibilem edocẽt, vt dum adest gratia efficax ad consensum faciliùs libertas consensus,seù potestas ad dissensum percipiatur, quæ sit potestas impediendi gratiam efficacem: similitèrque denegationem gratiæ efficacis

c is esse nobis imputabilem substinet, vt facilius percipiatur iustitia increpationis, qua peccator corripitur, quin excusationem fingere possit, ex carentia gratię efficacis ad vitandum peccatum; sed certè si hæc motiva me convincerent, eque suaderet gratiam *esse efficacē* esse ex nobis, quod absit, ac moverent, vt esset ex nobis *gratiam efficacem esse*; sed quam inutilis sit hæc doctrina ad difficultates auxilij ab intrinseco efficacis dissipandas, iam pro viribus propugno.

677 Asserendo 1. Non debet adstrui vera potestas impediēdi gratiam efficacem, vt cum illa sit vera libertas consensus, seù potestas ad dissensum: & prob. 1. Prædiffinitio efficax divina consensus non debet adstrui à nostra voluntate impedibilis, vt salvetur libertas consensus; ergò nec gratia efficax: Antec. est in Schola Angelica indubium; quia Deus est inimpedibilis in prædiffiniendo, sicut in efficiendo, quia infinitus; & quidem, si prædiffinitio cōsensus posset impediri, & medium in quo Deus scit consensum; ergò, & ipsa scientia divina consensus; scientiam verò divinam à nobis impedibilem abhorret nostra Schola: Prob. conseq. 1. Auxilium efficax est effectus prędiffinitionis Dei efficacis, & ideò inferimus, ex efficacia ex se prædiffinitionis auxilium ex se efficax; ex prędiffinitionis irresistibilitate, & infrustrabilitate auxilium efficax irresistibilè esse, & infrustrabilè; Cùr ergo æquè non colligemus auxilium efficax esse inimpedibilè ex prædiffinitionis efficacis inimpedibilitate? ¶ 2. Si stat vera libertas consensus, seù potestas ad dissensum, quę non sit potestas impediendi *prædiffinitionem* consensui connexam, & dissensui repugnantem; Cùr æquè nō stabit vera libertas cōsensus, seù potestas ad dissensum, quæ non sit potestas impediendi *gratiam efficacem* connexam consensui, & dissensui repugnantem? ¶ Ad vrgeò efficaciter: sicut consensus connectitur essentialitèr cum auxilio efficaci à posteriori, vt effectus illius, auxilium efficax connectitur essentialiter cum prædiffinitione divina efficaci à posteriori, vt effectus illius, si ergò stat, quod auxilium efficax sit connexum cum prædiffinitione, quin potestas impediendi auxilium sit potestas impediendi prædiffinitionē; Cùr æque non compones consensum esse cōnexum cum auxilio, quin potestas impediendi consensum sit potestas impediendi auxilium?

678 2. Ita disputo: sicut dissensus essentialitèr pugnat cum prædeterm. consensus; ita consensus cum ea essentialitèr connectitur, & sicut consentiens potest verè impedire cōsensum, & ponere dissensum, ita dissentiens est verè potens consentire, & acquirere consensum; sed stat in dissentiente vera potestas acquirendi consensum, quin sit vera potestas acquirendi prædeterm. connexam cum consensu, vt fatentur isti DD. ergò stabit in consentiente vera potestas dissentiendi, quin sit potestas impediendi prædeterm. cum dissensu pugnantem: Patet conseq. quia si posse in A, est posse impedire, quod pugnat cum A; Cùr posse in A, non erit posse acquirere, quod connectitur cum A? ¶ Vrgeò, ideò posse dissentientem ponere consensum non est posse ponere prædeterminat. connexam, quia solùm ex vi connexionis infertur, quod sit posse in consensum *posita* prędeterminat, sed non illam *ponendo*, & hoc ideò, quia cum consensus supponat prędeterminat. non per consensum *ponitur*, sed ad cōsensum *supponitur*; Cùr ex his principijs nō similitèr edocebitur, quod consentientem posse dissentire non est posse impedire prędeterminat. dissensui pugnantem? Quia ex vi oppositionis dissensus solùm infertur, quod posse habeat pro termino dissensum impe-

dita

ĉita prędeterm. non eam impediẽdo, & hoc ideò, quia cum diſſenſus ſupponat impeditam prędeterminat. nó impeditur per diſſenſum: Sicut enim poſſe ponere B, non eſt poſſe ponere A cõnexum, ſi A ex terminis ſupponitur ad B, poſſe ponere B, pugnans cum A, non erit poſſe impedire A, ſi A ex terminis ſupponitur impeditum ante B.

679 3. Ex ſua doctrina, quatenus aſſerunt, denegationem gratię efficacis eſſe à nobis impedibilèm, vt ſe tenet paſsivè ex parte hominis, licèt non ſit à nobis impedibilis proùt ſe tenet activè ex parte Dei; ſic efficacitèr inſurgo: Magis connectitur denegatio gratiæ efficacis, vt ſe tenet activè ex parte Dei, cum denegatione, vt ſe tenet paſsivè ex parte hominis, quàm denegatio gratiæ paſsivè ſumpta connectitur cum peccato, cũ illa ſit identitas, hæc pura connexio; ſed ſtat in voluntate vera poteſtas impediẽdi denegationem gratiæ *paſsivè*, quæ non ſit poteſtas impediendi ipſam *activè*, ergò meliùs conciliabitur vera poteſtas impediendi peccatum, quin ſit poteſtas impediendi denegationem gratiæ; vndè, & vera libertas, ſeù poteſtas impediendi conſenſum, quæ nõ ſit poteſtas impediẽdi gratiam. ¶ Aliter vrgeo; prædeterminatio ad actum tranſgreſsivum præcepti eſſentialitèr pugnat cũ gratia efficaci ad adimpletionẽ prędcepti, ſicut tranſgreſsio eſſentialitèr pugnat cum adimpletione; & cum pugnare cum vno contradictorio ſit cum alio connecti, prædetermin. ad tranſgreſsionem erit eſſentialitèr connexa cum carentia gratiæ efficacis ad adimpletionem, & tamen prędeterm. ad actum, qui ſit tranſgreſsio, adſtruitur omninò independens à noſtra libertate, & denegatio gratiæ, licèt eſſentialitèr connexa à noſtra libertate dependens; ergò, & faciliùs erit trãſgreſsio à libertate dependens, licèt ſit independens denegatio gratię efficacis connexa cum tranſgreſsione. ¶ Declaro efficaciam huius diſcurſus: quando duo ſunt incompoſsibilia libertatem poſſe in vnum eſt poſſe impedire alterùm, vel non ita? Si 2. ergò ſtabit cõſenſum, ſeù adimpletionem eſſe eſſentialitèr incompoſsibilèm cum denegatione gratiæ efficacis, & quod vera poteſtas libera in conſenſum non ſit poteſtas impediẽdi denegationem gratię: Si 1. ergò cum adimpletio ſit eſſentialitèr incõpoſsibilis cum prædeterminatione ad tranſgreſsionem, libertatem poſſe in adimpletionem erit poſſe impedire prędeterm. ad tranſgreſsionem, quod negant iſti DD.

680 Aſſero 2. Licèt Deus deneget gratiam efficacem in peccati pœnam non exindè eſt voluntati peccatoris imputabilis denegatio gratiæ efficacis: ſic diſputo 1. Sicut poteſt Deus intuitu vnius peccati denegare gratiam efficacem ad vitandum peccatũ, ita, & intuitu vnius meriti poteſt præſtare gratiam efficacem ad aliud meritum, ſed gratia efficax nõ eſſet voluntati imputabilis licèt intuitu meriti fuiſſet conceſſa; ergò, nec denegatio gratiæ erit imputabilis, licèt propter demeritum denegata. ¶ 2. Sicut Deus poteſt punire demeritum per denegationem gratię efficacis, ita poteſt punire per denegationem gratiæ ſufficientis, peccatũ enim meretur omnem pœnam poſsibilèm, & Deus poteſt denegare omne donum gratuitum ob illius malitiam, ſed carentia auxilij ſufficientis non eſt voluntati imputabilis, licèt detur in pœnam peccati, aliàs peccarent non credendo, qui non habent auxilium ſufficiens ad credendum, & non eſſent infideles *negativè* contra D. Thom. ergò, nec carentia auxilij efficacis erit imputabilis, licèt detur in pœnam peccati. *D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1.*

3. Et à priori: Solùm eſt effectus voluntarius, & imputabilis apponenti cauſam, quando effectus eſt in cauſa

ſa præviſus, & præintentus; vt contra Janſenium cõmunitèr edocent Theologi, ſi enim effectus eſſet voluntarius, licèt per ſe non ſequeretur ad cauſam, & prævideretur, dum apponitur cauſa, ille qui in pœnam peccati in amentiam incideret peccaret non eliciendo opera præcepta, quod eſt abſurdum, ſed licèt Deus denegaret auxilium efficax ob peccatum, hic effectus non eſſet præviſus, & præintentus in cauſa; ergò nec volũtati peccantis imputabilis: Prob. Min. Quia carentia auxilij efficacis non ſequitur per ſe ad præcedens peccatum; ſed Deus pro libito hanc pœnam imponeret, nec etiam peccãs prævideret Deum in pœnam peccati eſſe denegaturum auxilium efficax; ergò.

## SECTIO SEXTA.

*Ampliùs probatur gratiam prædeterm eſſe à voluntate noſtra in impedibilèm quoad exiſtentiam, ita vt eius defectus non poſsit eſſe voluntati noſtræ imputabilis.*

681 OVia poſt hæc ſcripta lego in Rec. quoddam ſæpè laudato concluſionem contra me exprofeſſo munitam, ita vt abſolutè iudicet me deferuiſſe opinionem in D. Thom. expreſſam, & inter Thomiſtas communem, eandem ſententiam ampliùs illuſtrare cogor; & vt videas, qui ſunt moderni in doctrina D. Thom. cæcutientes, duo notare placet. 1. vt principum Sanctum omnibus Catholicis: prędeterminationem, ſeù gratiam efficacem eſſe impedibilèm terminativè, connexivè, ſeù paſsivè; quia hoc nihil aliud ſonat, quàm terminum, cũ quo connectitur eſſe à voluntate impedibilem, quod eſt indubium, cum terminus, ſeù conſenſus, cum quo cõnectitur gratia efficax ſit mihi liber; vndè dum dicis eſſe mihi liberã prædeterminationem paſsivè, ſeù illam participare, quatenus eſt mihi liberũ conſentire, aut non cõſentire; ita certum eſt, vt nec indubiũ vertatur: difficultas enim ſiſtit; an gratia efficax, ſivè intrinſecè inhærens in conſentiente, ſivè non inhærens ei, quod ad præſentem controverſiam non multũ intereſt, ſit à voluntate noſtra verè impedibilis, vt realitèr diſtincta à conſenſu? Clariùs, an voluntas noſtra impediendo conſenſum, ſeù ponendo diſſenſum verè impediat gratiam efficacem à conſenſu diſtinctam; ita vt voluntati non ſolùm verè imputetur deficere cõſenſum, ſed etiam deficere gratiam?

*P. Palanco, quæſt. 18. de Providẽt. n. 37.*

682 2. Nota vt dubium percipiatur, quid debet intelligi per hoc, quod eſt agens aliquod impedire B, exempli gratia, per A, non enim eſt præciſsè agens illud ponere A, & A eſſe iuconiungibilè cum B, per hoc enim præciſsè A, ſolùm eſt impedimentum purè *paſsivum*, vt exiſtat B, non verò eſt impedimentum *activũ*, vt exiſtat B, & exindè agens non verè dicitur impediens activè B per A: in hoc enim ſenſu, certum eſt voluntatem per diſſenſum impedire, ſeù ponere impedimentum paſsivũ gratiæ efficaci ad conſenſum, immò, & ſcientiæ conſenſus, & prædiffinitioni divinæ; quia evidens eſt voluntatem noſtram ponere diſſenſum, & diſſenſum eſſe inconiungibilèm cum gratia efficaci, ſcientia Dei, & prædiffinitione conſenſus: A ergò eſſe impedimẽtum activum exiſtentiæ B, ſeù agens impedirẽ B per A; exigit agens efficere A, & A eſſe, eſſe formalitèr deficere B, vel rationẽ *à priori* excluſivã exiſtentiæ B: vndè cum diſſenſus non ſit formale excluſivum gratiæ efficacis ad conſenſnm, & ſit cum ea inconiungibilis; ſolùm voluntas poteſt per diſſenſum impedire gratiam efficacem conſenſus, quatenus diſſenſus ſit ratio à priori excluſiva gratię efficacis conſenſus; vndè hoc ſolùm eſt, quod indubium vertitur, dum inquiritur; An volũtas poſsit impedire gra-

gratiam efficacem conſenſus? An ſcilicèt, diſſenſus poſsit eſſe ratio à priori excluſiva gratiæ efficacis conſenſus?

Rem explico; nè, vt ſæpiùs accidit, poſt diuturnam diſquiſitionem in terminis ipſius dubij implicemur. Agens determinare B per A non eſt agens efficere A, & A eſſe connexum cum B, ſed vlteriùs exigit conceptus determinandi B, A eſſe rationem à priori exiſtentiæ B: hoc eſt indubiũ; & ideò voluntas per conſenſum non determinat gratiam efficacem, licèt conſenſus ſit connexus cum gratia; quia conſenſus non eſt ratio à priori exiſtentiæ gratiæ efficacis; vndè cõmunitèr dicimus voluntatem determinare conſenſum *determinata* gratia, non *determinando* gratiam, volũtatem ponere conſenſum *poſita* gratia efficaci, non *ponendo* gratiam efficacem, & quod inquirimus eſt; An non ſolùm ſit verùm voluntatem impedire conſenſum, ſeù ponere diſſenſum *impedita* gratia efficaci, ſed etiã ſit verùm voluntatem impedire conſenſum *impediendo* gratiam efficacẽ?

683 Concluſionem autem noſtram, nempè, voluntatem per diſſenſum non impedire gratiam efficacẽ, ſeu prædeterminationem conſenſus; ſic probo: Voluntas nequit impedire per diſſenſum niſi, id quod à priori, vel formalitèr per diſſenſum excluditur; ſed per diſſenſum non excluditur, nec formalitèr, nec à priori prædeterminatio conſenſus; ergò voluntas per diſſenſum, nequit impedire prædetermin. conſenſus: Mai. eſt explicatio dubij, & prob. Min. non excluditur formalitèr, nec à priori per diſſenſum, quod deficit pro priori ad diſſenſum; ſed prædeterminatio conſenſus deficit pro priori ad diſſensũ; ergo. Prob. Min. Priùs intelligitur deficere prędeterminationem conſenſus, quàm deficere conſenſum; ſicut priùs intelligitur exiſtere prædeterminationem conſenſus, quàm conſenſum exiſtere, ſed ſignum, in quo deficit conſenſus eſt ſignum, in quo intelligitur diſſenſus, vt patet; ergò.

¶ Aliter, prædeterminatio ad conſenſum eo in ſigno intelligitur deficere dum deficit, in quo intelligitur exiſtere, dum exiſtit, ſed dum exiſtit intelligitur exiſtẽs in ſigno priori ad conſenſum: ergò dum deficit intelligitur deficiens in ſigno priori ad defectum conſenſus.

684 Vrgentiùs: dum Deus prędeterminat actum peccati, hìc actus non eſt ratio à priori determinativa ſuæ prædeterminationis, vt fatemur; ergò, nec eſt ratio à priori excluſiva prædeterminationis ad actum præceptum: Prob. conſeq. Prædeterminatio ad actum tranſgreſsivum præcepti eſt formalitèr excluſiva prędeterminationis ad actum adimpletivum: ergò ſtare nequit, diſſenſum excludere à priori prædeterminationem oppoſitam, niſi à priori determinet ſuam: idẽ enim eſt à priori excludere B, quod formalitèr excluditur per A, ac à priori determinare A.

685 Sed dices cum ingenioſo R. prædeterminationẽ accipi poſſe dupliciter, vel *activè*, vt ſe tenet ex parte Dei, qualitèr eſt actio divina, qua Deus gratuito efficit noſtrum conſenſum, aut determinationem; vel *paſsivè*, proùt participatur à voluntate, quę participatio eſt indiſtincta à noſtro conſenſu, ſeù determinatione, & ſi prædeterminatio 1. modò ſumatur ſic prævenire exercitia noſtra, vt ſit à nobis inimpedibilis; quia Deus ita eſt ſupremus Dominus donorum ſuorum, vt à nullo impediri poſsit, vt ea conferat; poteſt tamen voluntas impedire gratiam prædeterminantem in 2. ſenſu; quia per diſſenſum ponit obſtaculum conſenſui, ſeù receptioni gratiæ.

*Palanco, q. 17. ſect. 6.*

Sed ſtatim, ac iſta perlegi miratus ſum valdè, quod iſte me, & alios Thomiſtas acritèr impugnet, & primo argumento ita ſuccumbat, vt

manus det; nos non dubitamus prædeterminationem passivè, aut terminativè sumptam, seù consensum, vt clariùs loquar, esse à nobis impedibilem, imò hoc, vt principium sanctum fatemur, solùm ab hostibus libertatis Catholicæ dubitabilè; solùm cõtrovertitur; An prædeterminatio, sivè intrinseca nobis, quia qualitas inhærẽs, sivè extrinseca nobis, quia actio, quod in præsenti impertinẽter se habet, vt realitèr distincta à consensu, sit à nobis impedibilis: qui eam inimpedibilem fatentur, nobiscũ sentiunt, sicut cum fide iudicant, dum eius terminum, seù consensum impedibilem supponunt.

686 Vndè dum dicitur voluntatem posse impedire gratiam efficacẽ, non causaliter à priori, nec dispositivè, sed formalitèr, seù exclusivè, quatenus peccatum est incompossibilè formalitèr cum gratia efficaci, est extrà terminos quęstionis exire, quia certum est dissensum excludere formaliter consensum, seù gratiã efficacem passivè; dubium sistit, an voluntas possit impedire gratiam efficacem, vt realitèr à consensu distinctam? In quo dubio nequit adduci distinctio illa de gratia *activè*, aut *passivè* sumpta, quia gratia passivè est ipse consensus.

687 Et 1. si affirmatur absolutè voluntatem posse impedire gratiam efficacem, quia eam potest impedire passivè, aut terminativè, qualiter est ipse consensus; Cùr negatur voluntatem posse acquirere gratiam efficacem, cum eam possit acquirere *passivè*, & terminativè; quia potest comparare consensum?

2. Est in dominio electivo Dei negare gratiam efficacem, ergò defectus gratię efficacis magis imputatur Deo, quàm voluntati, prob. ant. est in dominio electivo Dei gratiam efficacem donare, vt patet, quia est supremus Dominus gratiæ; ergò, & eam denegare: patet conseq. quia dominium liberum, seù electivum versatur inter contradictoria, & impossibilè est esse in dominio electivo rem existere, & in eodem non esse rem deficere.

688 Resp. Palanco; dominium liberum Dei esse *positivum* ad existẽtiam gratię efficacis, sed solùm permissivum ad eiusdem gratiæ defectũ: asserit enim permissionem peccati, seù carentiam gratię esse à Deo volitam permissivè, nõ causalitèr; & exindè permissionem peccati esse prædestinationis effectum, quatenus Deus ex fine prædestinationis permittit peccatum: *Et peccatum ipsum permissum ordinat in bonũ prædestinati*, *Palanco ibi n. 84. & 91*

689 Sed hæc valdè mira sunt, & ex confusione *carentiæ gratiæ efficacis*, cum peccato, procedunt; quis enim hucusquè dixit, libertatem non esse determinativam vtriusquè exercicij libertatis, sed determinativam vnius, & permissivam alteriùs? Hoc enim est confundere exercitium libertatis, cùm eius termino, seù obiecto; omne exercitium divinum est à Deo libere determinatum, si necessarium non est: & Deus verè, & nõ necessariò permittit peccatum: ergò permissionem Deus libere determinat, vel positivè, si est exercitium positivum, vel negativè, si est negativũ; à quo dictum est, permissionem esse à Deo permissam, cui enim permissionem permittit? Obiectum permissionis, seù peccatum est permissum; permissio verò est volita; Deus permittit, & permittit, quia vult permittere; ergò permissio est volita à permittente, licèt obiectum permissionis sit permissum.

Audiamus Augustt. & Thomam; ille ait: *Propterea namque* magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates eius, *vt miro, & ineffabili modò non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit volũtatem: quod non fieret, si non sineret; nec vtiquè nolens sinit, sed volens*: & iste *Augustt. in Enchirid. c. 101.*

D. Th. in 1. distinct. 47. q. 2. art. 4.

iſte docuit: *Vnde dicitur, quod Deus non vult mala fieri, ſed vult permittere mala fieri*: Ergò certum ex SS. PP. eſt Deum velle poſitivè permittere peccata.

Illa vltima verba: Deus ordinat *peccatum permiſſum in bonum prædeſtinati*, neſcio an ab alio vcuſquè dicta ſint; alias peccatum poſſet dici prædeſtinationis effectus, quia à Deo ordinatum in bonum prædeſtinati; & ex D. Thom. *Deus habet præſcientiã etiam de peccatis, ſed prædeſtinatio eſt de bonis ſalutaribus*; quomodò enim erit à Deo ordinatum peccatũ permiſſum, ſi eſt de fide peccatum non eſſe à Deo præordinatum, aut prędefinitum?

D. Tho. in c. 8. Epiſt. ad Rom. lect. 6.

Licèt enim ſit probabilè, peccatum numerari, inter *omnia, quæ cooperantur in bonum ijs, qui ſecundùm propoſitũ vocati ſunt ſancti*, ideò eſt, *quia adeò eſt Omnipotens, & bonus Deus, vt benefaciat etiam de malo*; & ex malis benefacere non eſt ordinare malum ad bonum, ſed ſummere ex malo boni occaſionem.

Ad Rom. 8

Auguſt. in Enchirid. c. 11.

690 Deniquè prob. concluſ. & argum. ſentẽtiæ oppoſitę infringitur: ponere formam incompoſsibilem cũ alia forma non eſt impedire exiſtentiam illius formæ, niſi forma oppoſita inferat, ſeù inducat per modum rationis à priori carentiam alteriùs formæ; ideò enim viſus, licèt cauſet viſionem incompoſsibilem cum forma ligni, non impedit exiſtentiam eius in materia, quia eius carentiam ſupponit per formam vivẽtis, à qua procedit; ſed licèt voluntas poſsit diſsẽſum incompoſsibilem cum gratia efficaci ad conſenſum, non poteſt diſſenſus inferre per modum rationis à priori carẽtiam efficacis gratię, quia carentia grãtiæ efficacis eſt prior diſſenſu, ſeù carentia cõſenſus, ſicut gratia efficax eſt prior conſenſu; ergò licèt volũtas poſsit ponere diſſenſum, non poteſt impedire gratiam efficacem conſenſus.

691 Vnica ſolutio adhiberi poteſt huic argumento, negando nempè Min. quia licèt gratia efficax ſit prior conſenſu; carentia gratiæ efficacis nõ eſt prior diſſenſu, ſeù carentia cõſenſus; vndè diſſenſus poteſt eſſe ratio à priori inferens defectum gratiæ, licèt conſenſus non poſsit eſſe ratio à priori inferens gratiam. ¶ Quod explicari poteſt, quia malè colligitur carentiam vnius formæ eſſe priorem carentia alterius formæ, ex eo, quod vna forma ſit altera forma prior, vt plurimis exemplis manifeſtum ſit: 1. quia vita eſt prior quàm reſpiratio, & tamen non ſequitur carentiam vitæ eſſe priorem carentia reſpirationem, ſed pluries contrarium accidit, quia dum quis ſuffocatur, vel ſuſpenditur, carentia reſpirationis eſt prior carentia vitæ. ¶ 2. Habitus fidei eſt prior fidei aſſenſu, quia eius cauſa, & non valet ècontra, quia diſſenſus Hæreticus eſt prior carentia fidei: ſimiliter gratia habitualis eſt prior bonis operibus; & tamen carentia gratiæ non eſt prior carentia boni operis; cũ homo in pœnam operis debiti carentiæ, gratia privetur. ¶ 3. Quia idem concipitur in formis oppoſitis, ita enim poſſunt duo extrema contradictoriè oppoſita comparari ad vnam formam; vt vnum extremum cõtradictionis ſit poſteriùs illa forma, & aliud extremum contradictionis ſit priùs quã carentia talis formæ; amor enim v.g. eſt prior, quã carentia odij, & tamen carẽtia amoris nõ eſt prior, quàm odium; ſimilitèr forma ignis; eſt prior carentia formæ ligni; & tamen carẽtia formæ ignis nõ eſt prior forma ligni, ſed potiùs ècontra, ergò conſenſus, & illius carentia, ita poſſunt comparari ad gratiam efficacẽ, quod conſenſus ſit poſterior gratia efficaci, & omiſsio conſenſus ſit prior gratiæ efficacis carentia; vndè voluntas noſtra per omiſsionem conſenſus poterit impedire gratiam efficacem.

Et ratio à priori eſt; quia gratia effi-

efficax eſt prior cõſenſu ex eo, quod eum cauſat; ideò enim voluntas conſentit, quia adiuvatur à Deo; ſed carentia gratię efficacis non cauſat carentiam conſenſus; hæc enim cauſalis: *Voluntas non conſentit, quia non adiuvatur à Deo*, eſt falſa; vt inferiùs tanquàm principium ſanctum ſtatuemus; ergò carentia gratiæ efficacis non erit prior carentia conſenſus, vndè voluntas omittendo conſenſum, poteſt gratiam efficacem impedire, & eius carentiam acquirere, licèt per conſenſum non poſsit gratiam efficacem comparare.

*Infrà num. 696.*

692 Sed contra hanc ſolutionem ſtat: quod licèt non inferatur per conſequentiam formalem, quod carentia gratiæ efficacis ſit prior, & independens à carentia conſenſus, ex eo, quod gratia efficax ſit prior, & independens à conſenſu; colligitur tamen per conſequentiam materialẽ, ex eo, quod priùs debet exerceri libertas Dei conferendi, aut non cõferendi gratiam efficacem, quàm libertas noſtra conſentiendi, aut non conſentiendi, & quod illa Dei libertas à nullo extremo noſtræ libertatis eſt impedibilis, aut determinabilis: ex quibus principijs infertur, quod cum vnum extremum noſtræ libertatis ſit connexum cum alio extremo libertatis divinæ, ſicut extremum poſitivum libertatis divinæ intelligitur priùs extremo poſitivo libertatis creatæ; ita, & extremum negativum; cum hac tamen differentia, quod extremum poſitivum eſt priùs prioritate phyſica, & cauſalitatis; extremũ autem negativum ſolùm eſt priùs prioritate logica intelligentiæ, ſeù illationis.

Vndè ita inſurgo, priùs intelligitur in Deo libertas donandi conſenſum per gratiam efficacem, quàm intelligitur in me libertas ad conſentiendum, & illa libertas, nec eſt à me impedibilis, nec determinabilis, vt contra DD. Societatis arguit noſtra Schola, conſtituentes prædefinitiones à noſtra voluntate impedibiles, quatenus poteſt impedire libertatem Dei ad ita prædiffiniendum; ergò voluntas noſtra per exercitium ſuæ libertatis nequit impedire Deum, vt conferat gratiam; hoc enim eſſet determinare Deum, vt gratiam non cõferat, quia impedire vnum contradictorium eſt alterum determinare; ergò ſicut per exercitium conſentiendi non poſſum impedire Deum, vt gratiam efficacem non conferat, ita per exercitium meæ libertatis non conſentiendi, non poſſum determinare Deum, vt gratiam non conferat, niſi in Deo adſtruatur libertas in exiſtendo à me independens, ſed à me determinabilis quoad exercitium negativum, & non quoad poſitivum talis libertatis; quod certè ſupperat captũ.

693 Vndè ita vrgeo: Deum donare gratiam efficacem eſt cauſare conſenſum, Deum non donare eam eſt non cauſare conſenſum, non verò eſt cauſare omiſsionem conſenſus; quia voluntas peccat, & non conſentit, quia vult, non quia non adiuvatur à Deo, hanc differentiam fatemur, & noſcimus; ſed ea non obſtante, Deo eſt vnicè liberum conferre, & non conferre eam gratiam; ergò non ſum liber, vt non conſentiendo determinem Deum, vt non conferat gratiam efficacem, quia alias libertas Dei eſſet mihi ſubiecta in exercitijs ſibi liberis; ergò ratio, & cauſa cùr Deus non confert gratiam efficacem non eſt, quia volũtas non cõſentit: Prob. hanc conſeq. quia non alia ratione Deus me determinat vt conſentiam, niſi quia Deum me adiuvare eſt ratio, & cauſa; cùr voluntas mea conſentiat; ergò ſi me non conſentire eſſet ratio, & cauſa; cùr Deus me non adiuvet, & nõ conferat gratiam, mea voluntas determinabit Deum, vt gratiam non conferat.

694 Alitèr: Deum non decernere efficacitèr conſenſum nõ eſt nobis

bis liberum, aut imputabilè; ergò nec Deum non adiuvare efficacitèr ad consensum: Ant. debet esse Thomistis certum: tùm, quia decretum efficax consensus non est à nobis impedibilè; ergò Deum non decernere nequit esse nobis imputabilè. Tùm, quia Deo est necessaria libertas, & dominium decernendi, aut non decernendi; sed nec Deo possumus impedire suæ libertatis exercitium, nec quod vnum exercitium præaltero illius libertatis existat potest esse nobis imputabilè; ergò. Prob. iam conseq. Quia Thomistæ eodem modò discurrunt de decreto Dei, ac de adiuvante gratia, quoad efficaciam, connexionem, & necessitatem; ergò, & quoad inimpedibilitatem; ergò similitèr dici debet de carentia efficacis adiutorij, ac de carentia efficacis Decreti; dicendum igitur erit, adiutorium efficax consensus esse à nobis inimpedibilè, sicut est inimpedibilè Decretum efficax consensus: & carentiam adiutorij efficacis ad consensum nõ esse nobis liberam, & imputabilem, sicut nõ est nobis libera, aut imputabilis carẽtia Decreti efficacis consensus.

## SECTIO SEPTIMA.

*Certa supponuntur, vt decidatur gratia efficacem, cum quia defacto operamur, esse à nobis inimpedibilèm quoad existentiam.*

695 NVnc non loquimur de prædeterminante gratia, de ea enim controvertitur; An sit exacta, vel possit prævenire consensum salutarem? Iam enim decisum manet, *Sup. sect. 1.* prædeterminationem non posse esse dependentem à nostra libertate in existendo; ita vt nobis sit imputabilè prædeterminationem existere, aut nõ existere. Disputamus enim de gratia efficaci, cum qua salutaritèr operamur, & quàm fides prædicat exactam ad salutarem consensum; An quidem talis gratia sit à nobis impedibilis in existendo; ita vt ipsam existere, aut deficere sit nobis liberum, aut imputabilè? Hoc enim resoluto facilè erit scire; An prædicata gratiæ efficacis defacto existentis conveniant prædeterminationi? Exindequè procedes ad dirimendam controversiam; An ex prædicato inimpedibilis, quod esse proprium prædeterminationis diximus, rectè colligatur, gratiam efficacem non esse prædeterminantẽ?

696 In tàm abstrusis dubijs nocivam obscuritatem parturire solet, quòd principia sancta, & certa à probabilibus non segregantur, ideò vt pro virili hanc pernitiem vitemus, & maiori claritate procedamus.

Nota primo, vt principium sanctum; hanc causalem esse veram: *Voluntas consentit, quia adiuvatur à Deo.* Hanc autem esse omninò falsã: *Voluntas dissentit, aut peccat, quia non adiuvatur à Deo.* Adiutorium enim Dei est causa, seù ratio benè, & salutaritèr operandi; defectus autem gratię, seù voluntatem non adiuvari à Deo, non est causa (nisi ad summum logica per illationem) non consentiẽdi, aut peccãdi: peccamus enim, quia volumus, & nõ rectè operamur, quia nolumus rectè operari; constat hæc veritas ex Sacris Litteris; tùm, cum dicitur à Deo: *Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum*; Perditio igitur Israël ex Deo non adiuvante non erat: tùm, cum scribitur: *Non dixeris per Deũ abest, quæ enim oderit, nè feceris.* Vt peccatoribus occludatur excusatio iniquitatis suæ per defectum adiutorij Dei. *Oseæ 13. Eccles. 15.*

Hanc veritatem concinnunt vnanimitèr Sanctę Ecclesię PP. eam expressè fundat Sanct. Anselmus diffusè suadens; non esse cõsequens, quod si *bonus Angelus, ideò accepit perseverantiam, quia Deus dedit; malum, ideò non accepisse, quia Deus nõ dedit.* *D. Anselm. de Casu Diaboli, cap. 8.*

¶ Accedit S. Gregorius, dum ait: *Mala nostra solùm modò nostra sunt; bona* *Greg. hom. 9. in Ezech.*

*bona autem nostra, & Omnipotentiæ Dei sunt, & nostra.* ¶ Sæpiùs idem edocuit S. Augustus; tùm cùm scribit: *Quo circa, quod à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala; quod verò ad Deum nos convertimus; nisi ipso excitante, atque adiuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.* ¶ Tùm; dum ait: *Quid est autem, quod dixit,* Deus, *ego indurabo cor eius?* Pharaonis quidem: *Nisi, cũ abfuerit gratia mea, induret illũ iniquitas sua.* ¶ Subscripsit S. Augustus. fidelissimus eius Discipulus S. Prosper; tum, cum de nostra volũtate ait: *De sua habet mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit, quæ opitulatio, & quod à multis refutatur suæ est nequitiæ, quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ;* tùm, cum hãc consequentiam damnat in Semi-Pelagianis: *Consequens putant, vt quia prævaricator, ideò dicitur non obedisse, quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus esse, quia voluit.*

*Aug. lib. 2. de Peccat. Merit. cap. 28.*

*S. Augustus. serm. 88. de Temp.*

*D. Prosper. lib. 2. de Vocat. cap. 16. Prosp. epist. ad Augustus.*

697 Ratioque à priori huius veritatis est; nè Deus esset peccati causa, si voluntatem à Deo non advari esset causa, cur peccaret; vndè non confundas conditionalem cum causali, quia hæc conditionalis est vera *si Deus nos non adiuvat, peccamus*; quia cum abest *gratia* sua indurat nos iniquitas nostra, vt Augustin. docuit, & vt scripsit D. Thom. *Si Deus daret auxilium* efficax *ad vitandum peccatum, homo non peccaret*, & ideò dum peccat, Deus auxilium efficax non donat; sed *nullius proindè culpæ humanæ in Deum referas causam*; quia *qui exortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguentur, & qui eius lumine ennituerint, non in suo meritò, sed in Domino gloriantur.*

*Augus. vbi suprà. D. Thom. 1. 2 q. 79. art. 1. Augustus. de Peccat. meritis, c. 17. S. Prosper. vbi sup. cap. 29.*

698 Noto secundo: Deum nobis conferre ex sua misericordia adiutorium efficax, vt non peccemus, vt salutaritèr operemur, quia beneficus, & liberalis, cum sit, *secundùm suam misericordiam salvos nos facit, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos*, non enim *adiuvat, quia volumus, sed vt velimus*, quia *misericordia eius prævenit nos.* Dũ verò denegat Deus adiutorium efficax ad rectè operandum in hac providentia, est, quia iustus, in pœnam præcedentis peccati actualis, vel originalis; Decretoria enim S. Thomæ sententia est: *Credere articulos fidei homo potest, cum auxilio gratiæ; quod quidem auxiliũ quibuscumque divinitus datur*, misericorditèr *datur: quibus autẽ nõ datur*, ex iustitia *nõ datur in pœnã præcedẽtis peccati, aut saltim originalis peccati, vt S. Aug. dicit in lib. de Corrept. & Gratia.* Vndè hoc in statu, de eo enim expressè S. Augustus. loquitur, gratia ex iustitia denegatur in pœnã præcedentis peccati: Hoc ergò supposito in dubium tria controvertuntur. 1. An Deus possit denegare gratiam, vnicè, quia eam gratis donat, & non tenetur eam conferre, nõ vt peccatum puniat, sed vt *ostendat divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ*, quia *in gratuitis acceptio personarum locum non habet*: Nec esset quærela iusta non adiuti: *Cùr non sum, quod ille? Cùr diversa est gratia, vbi natura cõmunis est? Certè non est acceptio personarum apud Deum. Quis, non dico Christianus, sed insanus hæc dicat?* ¶ 2. Dubium est, An defacto Deus negavisset Adamo, & Angelis desertoribus efficacem gratiam ad primum vitandum peccatum in pœnam ipsius peccati committantis, vel quia eam donare Deum, & nos habere, non *est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, non* quidem *impertiendo malitiam*, sed *denegando gratiam?* ¶ 3. tamen dubium est; An Deum in hoc statu naturæ collapsæ denegare gratiam in pœnam *præcedentis peccati, aut saltim originalis*, sufficiat, vt nobis

*Aug. epist. 107. ad Vitalem.*

*D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5.*

*Augustus. de Bono Perseuer. cap. 8.*

*Augustus. de Prædest. SS. cap. 15.*

bis sit liberum, & imputabilè ad culpam carere efficaci gratia?

699 Noto tertio; vt principium sanctum, homini iustificato Deum sæpiùs denegare auxilium efficax ad vitandum peccatum, semper tamen donare auxilia sufficientia, quibus possit præcepta adimplere, & peccata vitare: doctrina vsque adeo vera est, vt sit de fide; quia si homo iustus semper haberet auxilia efficacia ad vitanda peccata, semel iustificatus nunquàm peccaret, aut iustitiam deseret; contra expressam Tridentini definitionem; & secunda pars constat ex Innocentio X. declarante Hæreticam hanc Jansenij propositionẽ; *aliqua Dei præcepta hominibus* iustis *volentibus, & connantibus secundùm præsentes, quas habent vires sunt* impossibilia, deestque illis gratia, qua possibilia *fiant*. Iustis igitur nõ deest gratia sufficiens, qua possibilia fiunt præcepta Dei.

*Trid. sect. 6. Can. 23. Innoc. X. in Constit. quæ incipit: Cũ occasione.*

700 Vltimo noto: Profunditatem huius quæstionis: *Cùr Deus vni, & non alteri donat gratiam efficacem, vt convertatur?* Esse inscrutabilèm, & per velle, aut nolle liberi arbitrij minimè solvi; doctrina vsquè adeò vera est, vt sit de fide; quia non quærimus; cùr auxilium donatum *sit efficax*, aut *non* sit *efficax*? Hic enim, cum interrogatio sit de *efficacia* auxilij donati, non est omninò certum, non posse ex arbitrio desumi rationem *efficaciæ*, præ inefficacia; quærimus quidem rationem *donandi* auxilium efficax? Cuius nullam posse reperiri nisi simplicem Dei voluntatẽ, est omninò indubia fide credendum; hanc enim veritatem non solùm docuerunt Sancti Ecclesiæ Patres, sed manifestissimè demonstrarunt.

Et 1. auscultemus simul SS. Augusti. & Thomam; qui ita ex illo resolvit: *Quare autem non omnes aversos trahit, sed aliquos, licèt sint omnes æqualitèr aversi?* Ratio quidem *in generali potest assignari vt scilicèt, in illis, qui non trahuntur, appareat, & refulgeat ordo* divinæ iustitiæ: *In illis autem, qui trahũtur immensitas* divinæ Sapientiæ. *Quare autem in speciali trahat hunc, & illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi* beneplacitum *voluntatis divinæ. Vndè dicit Augustinus*: quem trahat, & quem non trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, nolli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige. Nondum traheris, ora, vt traharis: *Quod, & ostẽdi potest per exẽplum, nam assignari potest ratio quare artifex ponit aliquos lapides inferiùs, & aliquos in lateribus, ex dispositione domus, cuius complementum hoc exigit; sed quare hos lapides hìc ponat, & hos ibi, dependet à sua simplici voluntate: & indè est, quod prima ratio dispositionis refertur ad voluntatem Artificis. Sic ergò Deus ad complemẽtum vniversi quosdam quidem trahit, vt in eis appareat sua* misericordia, *quosdam verò non trahit, vt ostendatur in eis sua* iustitia. *Sed hos trahit, illos non trahit, secundùm suum* beneplacitum voluntatis *Similitèr etiam, quare in Ecclesia aliquos fecit Apostolos, alios Confessòres, alios Martyres: ratio est propter Ecclesiæ decorem, & complementum; sed quare Petrum fecit Apostolum, Stephanum Martyrem, & Nicolaum Confessorẽ,* non est alia ratio, nisi voluntas *sua*. Hactenus S. Thomas. ¶ De eis, etiã, quibus Deus denegat potiora auxilia, vt convertantur, eosquè perire finit, inquit Augustinus: *Posset ipsorum voluntates in bonum convertere quoniam Omnipotens est, posset planè. Cùr ergo non fecit?* Quia noluit: *Cùr noluit?* Pennes ipsum est, *debemus enim nõ plus sapere, quàm opportet sapere.*

*D. Thom. in cap. 6. Ioan.*

*Augus. lib. 11. de Genes. ad litt. c. 9.*

Audiamus etiam August. multis convincentem, in hac quæstione; Cùr Deus vni conferat auxilium efficax, & non alteri? Respondendum esse cũ Apostolo: *O altitudo Sapientiæ, & Scientiæ Dei! O homo, tu quis es, qui res-*

*August. de Corrept. & Grat. c. 8.*

*respondeas Deo?* Quia *iudicia Dei, nec vituperari possunt, nec penetrari. Nec miremur nos vestigare non posse investigabiles vias eius.* Vt enim alia innumerabilia taceam, quæ alijs dantur, alijs nō dantur hominibus à Domino Deo, apud quem non est acceptio personarum, nec tribuuntur ista meritis voluntatum, sicut sunt celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulchritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium: *Vel, quæ accidunt extrinsecus,* vt est opulētia, nobilitas, honores, & cætera huiusmodi, quæ quisquè, vt habeat, non nisi in Dei est potestate: *Vt non immorer etiam in Baptismatè parvulorū,* quod nullus istorum potest dicere, sicut illa, ad regnum Dei non pertinere; cùr illi parvulo detur, illi non detur, cum sit vtrùmquè in potestate Dei, & sine illo Sacramento nemò intret in regnum Dei? *Vt ergo hæc taceam, vel relinquam, illos ipsos intueātur, de quibus agitur, de his* enim *disserimus, qui perseverantiam bonitatis non habeant, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate, moriuntur: respōdeant si possunt.* Cùr illos Deus, cum fidelitèr, & piè viverent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, *nè malitia mutaret intellectum eorum, & nè fictio deciperet animas eorum?* Vtrùm hoc in potestate non habuit; an eorū mala futura nescivit? *Nempè nihil horum, nisi perversissimè, atquè insanissimè dicitur.* Cùr ergo non fecit? *Respondeant, qui nos irridēt, quando in rebus talibus exclamamus; quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Tanta D. August. evidentèr convincēs in hac quæstione; cùr Deus vni *tribuat* gratiam efficacem, & non alteri? Non esse aliā solutionem; nisi, *quis cognovit sensū Domini, aut quis cōsiliarius eius fuit?* Cùr enim *illum adiuvet, illum nō adiuvet: illum tantum, illum autem nō tantum, istum illo, illum isto modò, pennes ipsum est, & equitatis tàm* secretæ *ratio,* & *excellētia potestatis.*

*Vndè si quis me interroget:* Cur illi ita suadetur *bonum,* vt persuadeatur, illi autem non? Duo solùm occurrunt, quę respōdere mihi placeat: O altitudo divitiarum! Et nunquid iniquitas apud Deum! Cui hęc respōsio non placet, *quærat Augustino doctiores, sed caveat nè inveniat præsumptores.* Vndè Vulgata est S. Prosperi sententia *profunditas illius quæstionis, quàm secundùm admirationē Apostoli impenetrabilèm cōfitemur, per liberi arbitrij, velle, vel nolle, non solvitur.* Quàm alibi diffusè fundat. Vndè ait August. de Deo: *Quibus nō vult subvenire, non subvenit;* Et etiā scripsit: *Qui hominibus dat gratiam, quibus vult, non dat, quibus non vult;* Et similitèr edocuit: *Vtriquè profundum sit, cùr, & in maioribus, & in minoribus, Deus velit alteri, & nolit alteri subvenire.*

Et alibi evidentèr, & diffusè cōvincit M. Parens hanc esse insuperabilèm quęstionem: *Ipsa,* enim, aliquādo ait, *est quæstio, quæ ad illam pertinet altitudinem, quàm perspicere volens idem Apostolus quodammodò expavit, & exclamavit:* O altitudo, &: Glorioſumquè August. fuit summi ingenij fasces secretis divinæ Providētiæ consilijs submittere, vt convincit. Emin. Noris.

## SECTIO OCTAVA.

*Probatur gratiam efficacem esse à nobis inimpedibilèm, quoad existentiam.*

701 CONclusio est communis inter Theologos; eam enim defendunt Patres Societatis, quia licèt habeant, vt principium firmum *determinationem inevitabilèm* consensus tollere libertatem, cùm substineant gratiam efficacem non esse *determinationem,* eam *inevitabilèm* à nobis in existendo fatentur, *efficaciā* enim gratię afferunt impedibilèm, nō exi-

*August. de Spirit. & Lit. cap. 83.*

*D. Prosper. lib. 1. de Vocat. Gent. cap. vltim.*

*D. Prosp. in resp. ad excerpta. dub. 8. & ad c. Gallorum, cap. 3.*

*August. de Dono Persev. cap. 11.*

*Aug. ibi. c. 12.*

*Augus. lib. 4. cont. Iulian. c. 81.*

*Aug. serm. 11. de verb. Apost. cap. 14. et epist. 105. ad Sixtum.*

*Augus. lib. 4. ad Bonif. cap 6.*

*Noris in Vindicijs, c. 1.*

*Augus. lib. 2. de Peccat. meritis, c. 5.*

existentiam; ex Thomistis eam plures sustinent; Caietanus enim versans hac difficultatem, ita concludit: *Nec ex hac æterna dispositione divina, potest inferri iniustitia in Deo, sed libertas summa; quoniam neutris tenetur, & ex sua mera libertate pendet velle dare gratuitum bonum aliquibus, & velle nõ dare aliquibus.* Accedũt Nuño Cabezudo, Bañez, Lezana, N. Carrasc. vt *magis conformem* menti *D. Thomæ*, & *Thomistarum in hac tempestate*, eam novissimè defendit. Inter Authores etiam, qui defectum gratiæ efficacis nobis imputabilem fundant, vt iustitiam increpationis malè operantis componant alia probabili semita, nostram nõ impugnãt, sed vt primam sustinent; tùm PP. Salmant. censes affirmantes peccatori, *non imputari, quod careat auxilio efficaci*; tùm M. Gonet hanc tradit doctrinam in prima solutione argumenti, vt plurium ex discipulis D. Thomæ pro eaquè refert Estium asserentem, *quod Deus permittat hominem, vel Angelum cadere in peccatũ non præbendo auxilium efficax nè cadat; hoc non habet causam in ipsis*, & Claudiũ Typhanium, & quod magis est affirmat esse magis solidam, & conformẽ SS. PP. revocantibus denegationem gratiæ efficacis in simplicem Dei vo-voluntatem, in divinaquè iudicia inscrutabilia, Ill. Godoy eam sententiã sustinet sæpiùs asserens, primam denegationem gratiæ efficacis, seù primam permissionem peccati, pœnam peccati non esse. Et M. Bolibar, Philip. à Trinit. & M. Prudentius, eam propugnant.

*Caiet. sup. ep. ad Ioan. c. 9. vers. 13.*

*Nuño in 3. p. q. 62. art. 5.*

*Bañez 1. p. q. 23. art. 3. dub. vlt.*

*Lezana disp 7. de Volunt. in Append. Carrasco de Volunt. Dei dub. 6.*

*Salm. dub. 4 num. 280.*

*Gonet de Volunt. disp. 5. & disp. 8. art. 4.*

*Godoy 1. p. disp. 69. c. 3.*

*Bolibar de Provid. dub. 7. sect. 3.*

*Philipp. à Trinitat. de Grat. Dei, dist. 4.*

*Prudentius in 1. p. disp. 2. de Volunt. dub. 2. sect. 3. n. 183.*

702 Probo concluſ. 1. ex Div. Thoma expresse asserente, Deum ex sua libera determinat. negare gratiã efficacem, qua nũquàm peccaremus; quærit enim; vtrùm *Deus excæcationis, & indurationis nostræ causa sit?* Et respondet ita: *Dicendum: Quod excæcatio, & obduratio duo importat: quorum vnũ est, motus animi humani inhærentis malo, & aversi à Divino lumine. Et quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis, sicut non est causa peccati. Aliud autem est* substractio gratiæ, *ex qua sequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor non emoliatur ad rectè vivendum, & quãtum ad hoc Deus est causa excæcationis, & obdurationis.* En vbi S. Doctor, Deũ substractionis gratię efficacis authorem nominat, cùm tamen eum peccati indè sequuti nusquàm profectò, vel indirectam causam appellarit. Recedũt ergò à D. Thomę expressa sententia asserentes Deũ purè permittere gratię defectum? ¶ Quia Sanctus ait: *Non requiritur ratio; quare non dem alicui, cui dare non debeo. In his* (alibi Sanctus dixit) *quæ ex liberalitate donantur, in nullo iustitiæ contradicitur, possum enim vni dare, & alteri non dare pro meæ libito voluntatis.* Quia *hoc ipsum, quod est non habere debitum, sufficiens ratio est non donãdi*; ergò vt Deus deneget efficacem gratiam non est necesse nos priùs eam impedire, vt eius defectus sit nobis imputabilis.

*D. Tho. 1. ad Annibaldũ dist. 41. art. 3.*

*D. Tho. q. 6. de verit. artic. 2. sol. ad 8. & 9.*

703 Probo 2. Si liberum esset impedire gratiam efficacem, & eius defectus nobis esset imputabilis, profunditas illius quæstionis: *Cùr Deus vni, & non alteri donat efficacem gratiam?* Non esset inscrutabilis, & per velle, & nolle liberi arbitrij solveretur; hoc esse omninò falsum præmonuimus; ergò. Prob. seq. Esset ratio, cur hic, & non ille habeat gratiam efficacem; ergò, & esset ratio cur huic, & non illi donetur gratia efficax: Prob. ant. Hic non se impedivit peccando, alter peccando se impedivit, vt gratiam haberet, sed est ratio cur hic peccet, & non ille, per velle, & nolle liberi arbitrij; ergò, vt hìc se impediat ad recipiendum, & non ille; si ergo Deus paratus est illam dare non se impedientibus, ratio est ex arbitrio desumpta, cur vnus & non

*Sup. n. 700.*

alter habeat efficacem gratiam.

704 Vrgeo. Si ponitur ab arbitrio libero dependens, quod gratia *sit efficax*, aut non sit efficax; per velle, & nolle arbitrij solvitur quæstio, cur vnus, & non alter habeat efficacẽ gratiam; vt opponunt Thomistæ adversus Jesuitas statuentes *efficaciam* gratiæ esse nobis liberam; ergò si adstruitur ab arbitrio pendens, quod gratia *efficax sit*, per velle, & nolle arbitrij dissolvi potest profunditas illius quæstionis: Patet conseq. quia si per arbitrium dissolvitur quæstio, si ab arbitrio pendet *efficacia* gratiæ, cur non dissolvitur ęquè, si ab arbitrio pendet gratiæ efficacis *existẽtia*? ¶ Vndè obitèr observa omnia argumenta, ex discretione, & oratione desũpta, nè hęc *extinguatur*, & *illatio accendatur*, vt probetur *efficaciam* gratiæ vnicè esse ex Deo, & non ex arbitrio, similitèr convincere *existentiam* gratiæ efficacis vnicè esse ex Deo, & non ex arbitrio.

*Gonet disp. 5. de Volunt.*

705 Dices cum P. Gonet. Quod cum nullus sit homo, qui per aliquam mortalem, aut venialem, vel saltem originalem culpam, gratiæ impedimentum nõ ponat, vel possuerit: nulla potest ratio reddi, cur Deus in vno tale impedimentum tollat, vel illo non obstante ei gratiam conferat, nõ verò in alio; sed ad simplicem Dei voluntatem, & ad inscrutabilia iudicia eius, cum Apostolo necessariò recurrendum esse. ¶ Idipsum explicari potest ex PP. Salmanticensibus ex differentia, quàm assignant inter has propositiones: *Deus iustè negat, vel negare potest gratiam homini se impediẽti per peccatum*: *Deus confert gratiam homini non se impedienti per peccatum*. Nam prima est absolutè vera, quia Deus denegat gratiam in peccati pœnam; secunda verò denotat gratiam conferri, intuitu non se impediendi hominem per peccatum, & ideò est absolutè falsa, quia multoties Deus post innumera peccata communicat homini gratiam efficacem; quàm disparitatem intendit D. Thom. cum inquit: *Licèt aliquis per motum liberi arbitrij gratiam, nec promereri, nec advocare possit, potest tamen seipsum impedire nè eam recipiat*; vndè remanet quæstio illa inscrutabilis, licèt non ex illo extremo: *Cur hic non habet gratiam efficacem*, ex alio: *Cur hic eam habet*; & ad hoc alludere videtur D. Prosper, cum rationem inscrutabilitatis illius quæstionis tradidit; *quia licèt insit homini bonum nolle, tamen nisi donatum non haberet bonum velle*. ¶ Vndè potest assignari disparitas, cùr quæstio non manet inscrutabilis in principijs Societatis, in quibus ab arbitrio dependet gratiam *non esse efficacem*; & manet inscrutabilis in principijs istorum Thomistarum, in quibus ab arbitrio pendet gratiam *efficacem non esse*; nam in illis ab arbitrio pendet *inefficacia*, & *efficacia* gratiæ; vndè ex vtroquè extremo dubij assignari potest ratio ex arbitrio, cur hic habeat gratiam efficacem, & non ille; in doctrina autem præiacta ex arbitrio pendet impedire gratiam efficacem, seù eam *non existere*, non tamen ex arbitrio; sed ex solo Deo eã *existere*; qui sæpiùs eam donat gravissimis peccatis impedito; vndè remanet indissolubilè ex arbitrio dubium, non ex illa parte: *Cur hic denegat Deus gratiam efficacem*; sed ex illa: *Quàm alteri donat*.

*D. Th. 3. cõt. Gent. c. 59.*

*D. Prosp. lib. 1. de Vocat. gent. c. vlt.*

*Salm. disp. 7. de Grat. effic. dub. 4. sect. 14.*

706 Huic solutioni innittitur huius doctrinæ probabilitas, sed habet contra se. Primo: quod licèt quęstio hæc maneat indissolubilis per velle, & nolle arbitrij respectivè ad subiecta peccatis impedita, dum procederet de subiectis nullo peccato oppressis; v.g. de Angelis ante lapsum, quæstio per arbitriũ solveretur hæc enim est recta responsio; Raphael per arbitrium non peccavit, & non se impedivit ad receptionem gratię efficacis; Lucifer peccavit, & impedi-

vit

vit receptionem gratię efficacis; cur enim hæc non eſt plena ſolutio, ſi vera eſt doctrina, quod Deus ſolùm in pœnam peccati denegat efficacē gratiam, & peccare à priori impedire gratię exiſtentiam? Et hoc eſſe falsū conſtat, quia in Angelis poſſet etiam huic interrogationi reſponderi cum Apoſtolo: *O altitudo!* O Angelus, *tu quis es, qui reſpondeas Deo!* Aliàs diſcretio Angelorum non eſſet ex Deo, contra ſuperiùs dicta. Dicendum igitur eſt Deum poſſe denegare gratiā, quia non tenetur eam donare, nulli enim facit iniuriam, dum vni non tribuit, quod alteri donat, licèt enim ipſi, quod vult facere.

*Supra à n. 323.*

707 Secundò, quia falſum eſt, eſſe mihi imputabilè ad culpam non habere gratiam efficacem, adhùc dū Deus eam mihi denegat in peccati pœnam; quod hoc diſcurſu prob. nō eſt mihi imputabilè ad culpam *nō habere*, quod non eſt mihi liberum *habere*; ſed non eſt mihi liberum *habere* gratiam efficacem; ergò. Mai. videtur nota. Tùm; quia non eſt mihi imputabilè ad culpam *non facere*, quod non eſt mihi liberum *facere*; hanc enim veritatem, vt lumine naturæ notam edocuit S. Auguſt ſuprà adductus; ergò non eſt mihi imputabilè ad culpā non habere, quod non eſt mihi liberum habere. Tùm; non eſt mihi imputabilè ad culpam *non habere*, niſi ſit mihi liberum *non habere*; vt patet, ſed nequit eſſe mihi liberum *non habere*, quod non eſt mihi liberum *habere*, quia libertas vnius contradictorij eſt libertas alteriùs; ergò. ¶ Prob. iam Min. Tùm; quia non eſt *volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, eam miſericordiam habere, quàm Deus *præſtat* ijs, *quibus miſericors eſt*. Tùm; quia ex Auguſt. *nobis tribui non poteſt, quod vocamur*; nobis tamē tribueretur vocari efficaciter, ſi eſſet nobis liberum vocationem efficacem habere. Tùm; quia gratiam efficacem non habemus, quia *volumus, ſed vt velimus*; nec, *quia credimus, ſed vt credamus vocamur*; *atque illa vocatione, quæ ſine pœnitentia eſt* (ideſt efficaci) *id prorſus agitur*, & *peragitur, vt credamus*; nec *miſericordiam conſequutus fuit* Apoſtolus, *quia* erat fidelis, ſed *vt eſſet fidelis. Non vt ferveat, calefacit ignis, ſed quia fervet. Neque ideò benè currit rota, vt rotūda ſit, ſed quia rotunda eſt. Sic nemò propterea operatur, vt accipiat gratiam, ſed quia accepit*, ſed nequit eſſe nobis liberum habere, quod non habemus ex electione noſtra, ſeù *quia* volumus, & operamur, ſed potiùs habemus, *vt* velimus, & operemur; ergò nequit eſſe nobis liberum gratiā efficacem habere. Conſule N. Gonçalez de Albelda.

*Sup. n. 81.*

*Apoſtol. ad Roman. 9.*

*Aug. lib. ad Simpli. q. 2.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 12.*

*Auguſt ad Simplic. lib. 1. q. 2.*

*Albelda 1. p. diſp. 58. 74. & 75.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. c. 15. de Bono perſev. c. 14. de Corrept. & Gratia, c. 11. de Pecc merit. lib. 2. c. 17.*

708 Vt 2. Probem concluſionem, obſerves velim, nil certiùs apud S. Auguſtin. quàm prædeſtinationem Chriſti fuiſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis; vndè eodem modò ſe geſsit Deus in prædeſtinatione gratuita hominum, quo in Chriſti, ſeù hominis Dei; ex quo Auguſt. intulit, quod ſicut gratia vnionis in Chriſto ex nullis fuit præcedentibus meritis, nec gratia efficax in prædeſtinatis: Vndè ita diſputo; quia non eſt imputabilis ad meritum gratia vnionis, nō eſt imputabilis ad meritum gratia efficax; ergò, quia non eſt imputabilis ad culpam defectus gratiæ vnionis, non erit imputabilis ad culpam defectus gratiæ efficacis. ¶ Vndè in probationem concluſionis adduci etiam poſſunt omnia ea fundamēta, quibus Thomiſtæ vti ſolent, vt probent gratiam efficacem non eſſe dependentē à meritò noſtro, aut diſpoſitione poſitiva, vel negativa, æquè enim ſuadent indiſpoſitionem peccati non ſe habere pro priori ad defectum gratię efficacis ad ipſum vitandum.

709 Efficaciſsimè etiam confirmatur ex argumento, quod Monachi Adrumentini opponebant Auguſtino inſerendo inutilitatem correctionis

ex

P. Palanco vbi ſup. ſect. 8.

ex gratia, quàm exactam edocebat; & vt caveas ſolutionem P. Palanco, nota argumentum non procedere ex eo, quod opus ſalutare ſit Dei donũ, ſed donatum per gratiam intrinſecè efficacem; & ita aſſerebant: *Rectè quidem corriperer; ſi eam mea culpa non haberem ::: cum autem voluntas à Domino præparetur*; (Envbi gratiam prævenientem adducebant vt medium, vt inferrent) *Cùr me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potiùs ipſum rogas, vt in me operetur, & velle?* Et Auguſtin. ſalvat iuſtitiam correctionis in eo, qui præcepta facere non vult, licèt voluntas præparetur à Domino per gratiam, qua ſine culpa caret. Vide infrà dicenda.

Auguſt. de Corrept. & Gratia.

Infrà q. 4. ſect. 11.

710 Dices, quod ſi ſuppoſuimus, Deum nunc negare gratiam efficacem in pœnam peccati, erit nunc nobis imputabilè gratiam efficacem non habere, ſicut & peccare.

711 Sed contra: Deus non poteſt denegare gratiam efficacem in pœnam peccati concomittãtis ipſum gratię defectum; Aliàs non ſufficit, vt nobis imputetur ad culpam defectus gratiæ efficacis, quod eam Deus deneget in pœnam præcedentis peccati; ergò defectus gratię efficacis non eſt nobis imputabilis ad culpam. Cõſeq. conſtat, & probo præmiſas: Maiorem. 1. quia D. Thom. ſolùm dixit *gratiam* efficacem *à Deo ex iuſtitia non dari in pœnam præcedentis peccati*, ex D. igitur, Thoma non datur in pœnam peccati non præcedentis. 2. Deus non poteſt donare gratiam efficacem in prẹmium meriti ex ipſa ſequuti, quia præmium nequit eſſentialitèr præcedere meritum, & ideò prima gratia auxiliãs nequit ſub meritò cadere; ſed etiam pœna nequit eſſentialitèr præcedere culpam; ergò nequit à Deo denegari gratia efficax in pœnam peccati ad defectum ipſius gratiæ logicè ſequuti, & prima denegatio gratiæ efficacis non poterit ſub demeritò cadere. 3. Quia carentia gratię habitualis eſt pœna peccati ipſam committantis, ex eo, quod peccatum eſt in iuſtificatis pro priori ad carentiam gratiæ habitualis; carentia verò gratiæ vnionis nequit eſſe pœna peccati ipſam concommittantis, quia intelligitur pro priori ad peccatum; ſed carentia gratiæ efficacis eſt pro priori ad peccatum, ergò nequit decerni, vt pœna illius peccati. 4. Et fortè vrgentiùs; quia ſi peccatum eſſet priùs cauſalitate defectu gratiæ efficacis ad vitandum ipſum; priùs intelligeretur Deum ſcire hanc veritatem; *peccatum erit in B*, quàm hãc: *Gratia efficax ad actum præceptum non erit in B*. Sed hoc eſt falſum; quia nullum eſt mediũ, in quo Deus priùs ſciat, peccatum futurum, quàm gratiam efficacem non futuram; ergò. Prob. Min. Decretum permiſsivum peccati eſt medium, in quo Deus ſcit futurum peccatum; ſed ex vi huius medij priùs debet ſcire gratiam efficacem non futuram; cùm hoc Decretum inſpiciat, vt obiectum volitum defectum gratiæ, quem phyſicè infert, & intendit, peccatum verò nec vult, nec intendit, ſed purè logicè ſequitur, & ex vi cuiuſcumque medij priùs agnoſcitur, quod phyſicè connexum, vult, & intendit, quàm, quod logicè tantùm infert; ergò.

D. Tho. 2. 2. q. 2 artic. 5. ad 4.

712 Prob. iam Min. ſcilicèt, non ſufficere, vt nobis imputetur ad culpam defectus gratiæ efficacis, quod eam Deus deneget in pœnam precedentis peccati; & 1. hanc eſſe mẽtem D. Thom. mihi evidens fit hac conſideratione; verba D. Sãcti ſunt: *Quibus autem non datur* auxilium quippè gratię *ex iuſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati ſaltim originalis, vt dicit Auguſtinus*. Sed nobis nequit imputari ad culpã gratiam efficacem non dari, dum ex iuſtitia non datur in pœnam *originalis*; ergò mens D. Thom. non eſt defectũ gratiæ efficacis nobis imputari ad cul-

culpam, quia ea gratia in peccati pœnam non datur. Prob. Min. Quia est expressa D. Thom. sententia, scripsit enim: *Opportet, quod secundùm hoc, quod aliquid rationem culpæ habet, secundùm hoc ratio voluntarij in ipso reperiatur. Sicut autem est quoddam bonum, quod respicit naturã, & quoddam, quod respicit personam; ita etiã est quædam culpa naturæ, & quædã personæ. Vndè ad culpam personalem requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali; ad culpam verò naturæ, nempè ad peccatum originale, non requiritur, nisi voluntas in natura illa.* Ergò, quod in pœnam originalis denegatur nequit imputari ad personalem culpam; & hanc doctrinam Alexander VIII. sacravit, cũ damnavit hanc propositionem: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Et ideò D. Thom. excusavit à peccato infidelitatis, quibus in pœnam originalis denegata est prædicatio, & notitia Evangelij.

*D. Tho. in 2. dist. 50. q. 1. art. 2.*

*Prop. 1. dam nat. ab Alexand. VIII. die 7. Dec. ann. 1690.*

*D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. & super 10. ad Roman. lect. 3.*

713 Prob. 2. Effectus solùm sunt voluntarij in causa cùm per se ad illam sequuntur, in ea prævidentur, vel prudentèr prævideri potuerunt, vt suprà diximus. Tùm; quia deficiente omni cognitione deficit ratio voluntarij. Tùm; quia posset mihi imputari ad meritum existentia gratiæ efficacis, si eam Deus donaret intuitu boni operis præcedentis. Tùm; quia mihi imputaretur ad culpam defectus auxiliorum sufficientium, si ea Deus, vt potest, in pœnam peccati, denegaret, quod est absurdum. Sed defectus gratiæ efficacis non per se sequitur præcedens peccatum, sed est arbitraria pœna pro libito à Deo inflicta; & aliàs dum quis peccat non prævidet gratiam efficacem esse denegandam ad alia peccata vitanda; ergò carentia gratiæ efficacis denegatæ in pœnam peccati non erit imputabilis ad culpam, sed ad pœnam.

*Sup. n. 680.*

## SECTIO NONA.

*Mens Angelici Doctoris indagatur, & qualiter dissensus sit impedimentum prædeterm. ad consensum exponitur.*

714 THomistæ, cum quibus in hac quæst. pugnamus, in testimonijs Angelici Doct. fundare nitũtur: quòd licèt voluntas non possit comparare gratiam efficacem, tamen potest eam impedire; ita vt ei meritò imputetur gratię efficacis defectus; & 1. adducitur D. Thom. ita docens: *Licèt aliquis per motum liberi arbitrij divinam gratiam, nec promereri, nec acquirere possit: potest tamen seipsum impedire nè eam recipiat: dicitur enim de quibusdam Iob 21. dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nollumus. Iob 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini, & cum hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire: non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimẽtum præstat gratiæ receptioni, Deus enim quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, & illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui occulos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur: licèt videre non possit nisi lumine solis præveniatur;* vbi expresse docet homines impedire gratiæ Divinæ receptionem, & eis imputari, si divina gratia careant.

*D. Th. 3 cõt. gent. c. 159.*

715 2. Expendunt D. Thom. ita differentem *auxilium gratiæ quibuscumque datur misericorditèr datur, quibus autem non datur ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati saltim originalis, vt habet Augusti-*

*D. Tho. 2. 2. q. 2. artic. 5. ad 1.*

*Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 5. & 6.*

*D. Tho. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2.*

guſtinus; ſi ergò defectus gratiæ eſt pœna peccati poteſt impediri à voluntate, ſicut, & peccatum. Confirmo ex D. Thom. dicente: *Quod defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt ex Deo, iuxtà illud*: Perditio tua ex te Iſraël, tantammodò in me auxilium *tuum.*

716 Sed pro intelligentia Div. Thomæ; ſuppono hominem poſſe impedire exiſtentiam gratiæ habitualis ſanctificantis per peccatum, quia gratia hæc dependet à diſpoſitione nobis libera, & ideò homini imputari ad culpam carentiam gratiæ habitualis: cuius ratio eſt 1. quia non ideò homo peccat, quia caret gratia habituali, ſed potiùs è contra, ideò caret iuſtitia, quia peccat: 2. Quia carentia gratiæ habitualis, vel eſt peccati pœna, vel effectus illius formalis, ſed culpa præcedit pœnam, & forma eius effectum; ergò peccatum præcedit carentiam gratię habitualis.

*Ferrara in 3. cont. gentes, c. 159. ſeſ. ad cuius evidẽtiam.*

Vndè littera D. Thomæ eſt ad verbum vera, ſed, vt ibi notavit eius Egregius Commentator Ferrara, S. Dr. loquitur de gratia habituali, quã libere voluntas poteſt impedire, & ei peccando impedimentum apponere; quia dependet à diſpoſitione nobis libera; ſecus verò eſt de gratia actuali efficaci, hęc enim prævenit, & prę-cedit omne exercitium liberum, vt enim ait Auguſt. *Hominis eſt præparare cor* (ad iuſtitiam ſcilicèt) *ſed non ſine adiutorio Dei, qui tangit cor.*

*Aug. lib. 2. ad Bonifaciũ*

*Palanco q. 18. ſect. 5.*

717 Sed contra hanc ſolutionẽ inſurgit P. Palanco; aſſerit enim mẽtem Mag. Ferrara eſſe valdè dubiam: ſed conſulatur; nihil enim magis expreſſum in illo capite, & ſequentibus poteſt eſſe, quàm ea verba exponi ab eo de gratia habituali. Sed quidquid ſit de hoc; arguit 1. ex illis verbis: *Licèt quis per motum liberi arbitrij divinam gratiam nec promereri, nec advocare poſsit, poteſt tamen ſe impedire, nè eam recipiat.* Quàm interrogo? Sane illam, quàm per motum liberi arbitrij advocare non poteſt; ſed voluntas per motum liberi arbitrij, nempè per actum contritionis, poteſt ad ſe advocare gratiam habitualem; ergò D. Thom. non loquitur de gratia habituali præciſsè ſumpta, ſed de gratia efficaci. ¶ 2. Nam argumentũ deſumebatur ex auxilio requiſito ad fidem, & in initio converſionis, & ex auxilio exacto ad perſeverandum in gratia; ergò ſolutio argumenti de eodem auxilio loqui debet; ſed hoc auxilium eſt gratia efficax, non habitualis gratia; ergò de auxilio efficaci ait D. Thom. non poſſe hominem illud advocare, poſſe tamen eius receptionem impedire. ¶ 3. Difficilè exponitur D. Thom. verſans, quomodò Pater trahit omnes venientes ad Chriſtum, & non venientibus imputatur non venire, non autem Patri, qui non trahit eos: Reſpondet enim, quod dum quis non elevatur, ſeù non trahitur, *non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantum eſt in ſe nulli deficit, ſed eſt propter impedimentum eius, qui non trahitur.* Et infrà: *Ex quo ergo Deus paratus eſt omnibus dare gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei, ſi aliquis non accipiat, ſed ei, qui non accipit*; ſed hìc expreſsè loquitur D. Thom. de gratia efficaci, qua Deus trahit homines, vt veniant ad Chriſtum, & non de gratia habituali; ergò ſi Deus non tribuit aliquibus gratiam efficacẽ eſt propter impedimenrum, quod divinę gratiæ apponunt.

*D. Thom. in cap. 6. Ioan. lect. 5.*

718 Reſp. D. Tho. loqui in illis verbis de gratia habituali, quàm poteſt quis in ſeipſo impedire; quia actus liber poteſt eſſe ratio à priori excluſiva gratiæ habitualis, vt eſt peccatum, ſed nequit eſſe ratio à priori excluſiva gratiæ efficacis; vndè ad 1. facilis eſt ſolutio; quia D. Thom. per *motum liberi arbitrij*, intelligit motum non elicitum ex gratia; & hanc aſsignat differentiam inter advocare,

& impedire gratiam habitualē, quod motus soliùs arbitrij non potest disponere ad gratiam; & motus soliùs arbitrij potest impedire gratiā; quid ergo obstat, quod per contritionem elicitam ex actuali gratia possit arbitrium advocare gratiā habitualē?

Ad 2. Respond. quod D. Thom. de duplici gratia loquitur; vna est habitualis, cuius receptionem possumus imputabilitèr impedire; alia est actualis, & exacta ad non impediendam receptionem gratiæ habitualis, hanc tamen nec advocare, nec impedire possumus; cum ex ipsa proveniat, & præveniat omne non impedire receptionem gratiæ; nec alium sensum proprium possunt habere ea verba: *Cum sit in potestate liberi arbitrij impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire.* Quia non impedire solùm potest esse in potestate arbitrij adiuti gratia, quia dum actuali adiuvatur, habitualem nō impedit; quàm doctrinam expressit S. Doct. in cap. sequenti, dum ait: *Quāvis illi, qui in peccato sunt vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, nisi* auxilio gratiæ *præveniātur, nihilominùs tamen eis* imputatur *ad culpam*; non autem præveniri possunt gratia, vt non impediant gratiā, qua præveniuntur; sed *auxilio gratiæ* (quo nomine insignitur gratia actualis) *præveniuntur*, vt non impediant *divinam gratiam*, quo nomine designatur habitualis; & argumentum S. Doct. solvit, quia Deus paratus est omnibus dare gratiam, *vult* enim *omnes homines salvos fieri*, vt omnibus imputetur gratiam habitualem non habere, quia illuminationes, & inspirationes contemnunt, dicendo *recede à nobis scientiam viarum tuarum nollumus.*

1. ad Timot. 2.

Iob 24.

Ad 3. dico, quod dum Doct. Sanct. asserit, Deum esse paratum omnibus conferre gratiam, loquitur de gratia actuali sufficiente, non de efficaci; illam enim est Deus paratus omnibus donare, & qui illa caret sua culpa caret; & hunc esse sensum D. Tho. probo ex illis verbis: *Deus quantum in se est, paratus est, omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines salvos fieri.* Et ex eodem Apostolico testimonio alibi intulit, *& ideò gratia nulli deest, sed omnibus quantum in se est se communicat.* Sed ex illa voluntate salvandi omnes homines solùm infertur Deum præparare omnibus auxilia sufficientia ad salutem, vt communitèr docent Theologi cū D. Thoma; ergò gratiam sufficientē, vt effectum illius generalis voluntatis, est *Deus paratus omnibus dare*, nō efficacem, hęc enim est effectus volūtatis specialis, & cōsequentis; si enim Deus vnicè non traheret propter impedimentum eius, qui non trahitur, esset ratio, *quare vnum trahat, & alium non trahat.* ¶ Vel si mavis hæc testimonia expones de impedimento *passivo* gratiæ efficacis, nō de *activo*, quatenus dissensus voluntatis est forma incompossibilis cum gratia efficaci ad consensum, non tamen ratio à priori impeditiva gratiæ efficacis. Vide supradicta. ¶ Vel dices voluntatem per peccatum, seù dissensum se impedire *demeritoriè* ad habendam gratiam efficacem ad alia opera meritoria, quia eam nunc de facto Deus denegat in *pœnam præcedentis peccati*; ex supradictis: non tamen D. Thom. docet eam nos impedire culpabiliter; ita vt defectus gratiæ efficacis sit nobis ad culpam imputabilis, vt ex ipso Div. Thom. haud inefficacitèr probavimus.

D. Tho. in c. 12. epist. ad Hæb. lect. 3. D. Thom. in 1. dist. 46. q. 1. art. 1.

Aug. tract. 26. in Ioan.

Sup. à num. 682.

Sup. n. 712.

In 2. testimonio D. Tho. supponimus ipsum ex August. asserere carentiam gratiæ efficacis ad vitandū peccatum B, posse esse pœnam peccati A; quia hoc peccatum præcedit carentiam illius gratiæ efficacis, vt cōstat ex illis verbis: *Auxilium gratiæ non datur in pœnam præcedentis peccati.*

719 Sed inſtabis 1. Quia carentia gratiæ habitualis eſt peccati pœna eſt homini verè imputabilis; ergò, & carentia gratiæ efficacis, ſi eſt peccati pœna. ¶ 2. Quod conſequitur vt pœna eſt verè impedibilè ab apponente culpam, ſed carentia gratiæ efficacis eſt pœna peccati A, impedibilis; ergò, & ipſa carentia eſt impedibilis.

*Sup. n. 680.* Reſp. ad 1. ex ſupràdictis, quod effectus eſt imputabilis apponẽti cauſam ad quã per ſe ſequitur, & in qua eſt præintentus, & pręviſus; ſic comparatur carentia gratię ſanctificantis ad peccatum mortale; ſed non ita carentia gratiæ efficacis in B, ad peccatum in A, quia nullam habent connexionem, ſed Deus pro ſuo libito illã decernit vt pœnam, ſicut non eſſet imputabilis, nec voluntaria amentia, quàm Deus decerneret in peccati pœnam. ¶ Ad 2. Reſp. quod ex eo, quod carentia gratiæ efficacis decernatur, vt pœna peccati nõ probatur eſſe impedibilem abſolutè, ſed ſolùm ſub formalitate pœnę, quia poſſet Deus illam decernere pro ſuo libito, quin eſſet vt pœna, ſicut in Angelis pravis, & 1. peccato Adami factum fuit.

720 Sed inſiſtes; ſi vna forma eſt incompoſsibilis cum alia eſt impedimentum illius, non enim alia ratione odium eſt impeditio amoris, ſed diſſenſus eſt incompoſsibilis cum prædeterm. conſenſus, ſicut, & cũ cõſenſu; ergò diſſenſus eſt impedimentum prædeterm. conſenſus, ſed potẽs ponere impedimentum formæ poteſt impedire formã; ergò voluntas potẽs in diſſenſum poteſt prędeterm. impedire.

Reſp. diſſenſum eſſe formam incompoſsibilem, & pugnantem cum prædeterm. conſenſus; quia connectitur cum carentia illius, & idem eſt cũ vno contradictorio eſſentialitèr connecti, ac cum alio pugnare. ¶ Sed non ſemper, quod vna forma eſt incompoſsibilis cum alia habet vim deſtructivam, & impeditivam exiſtentię alteriùs, quia eſt duplex incompoſsibilitas, vna *activa*, quæ includit activitatem impediendi exiſtentiam illius cum quo pugnat; alia *paſsiva*, quæ conſiſtit in repugnantia coëxiſtendi cum alio, abſquè vi impediendi exiſtentiam illius, ſic eſt diſſenſus incõponibilis cum prædeterm. conſenſus; vndè ſolùm eſt impedimentum paſsivum prædeterm. & ideò minimè ex poteſtate voluntatis ad diſſenſum infertur vis activa impediendi prædeterminat. ¶ Huius incompoſsibilitatis plura ſunt exempla: 1. Peccatũ veniale eſt incomponibilè cum gratia vnionis, & non habet vim illius deſtructivam: 2. D. Thom. edocuit peccatum veniale eſſe incomponibilè cum iuſtitia originali abſquè vi illius deſtructiva: 3. Dilectio Dei naturalis efficax eſt in ſtatu lapſus incomponibilis cum peccato, & cum ſit forma naturalis non habet vim deſtructivam peccati: Alia omitto; ſed, quia nunc cum Thomiſtis certamur, ſicut diſſenſus eſt incomponibilis cũ ſcientia Divina conſenſus, & prædiffinitione efficaci Dei, abſque vi impediendi ſcientiam Dei, aut prædiffinitionem, ita, & cum prædeterm.

721 Sed inſiſtes: Quo modò erit poteſtas impediendi conſenſum, ſeù terminũ connexionis eſſentialis prædeterminat. abſquè vi impediendi prædeterminat? ¶ Reſp. Quod ſicut Thomiſtę componunt poteſtatem in voluntate impeccabili ad impediendum actum præceptum, licèt terminet connexionem præcepti inimpedibilis, & in voluntate poteſtatem impediendi conſenſum, licèt terminet cõnexionem prædiffinitionis Dei inimpedibilis, abſquè nova difficultate eſt adſtruenda poteſtas impediẽdi conſenſum, licèt terminet connexionem prædeterm. inimpedibilis, de quo plura infrà.

*Infrà diſp. 3. q. 6. per totam.*

Ad confirm. ex Divo Thoma de ſumptam Reſp. quod dum ait: *Defectus*

*D. Th adductus ſup. n. 715.*

ctus gratiæ primam causam esse ex nobis, & collationis primam causam esse ex Deo, loqui de habituali gratia: Tùm; quia ex D. Tho. Deus est causa subſtractionis gratiæ actualis: Tùm; quia probat ex eo, quod *perditio* est ex nobis, per quam, vel iustitiã amittimus, vel ad eam non disponimur; & est *tantummodò* in Deo *auxilium nostrum*, ex eo autem, quod hoc auxilium sit tantum in Deo, rectè infertur *collationis gratiæ* habitualis *primam causam esse ex Deo*, si enim de collatione auxilij gratię loqueretur, collationis gratię non tantùm primam, sed vnicam causam Deum diceret, quia *tantummodò* in Deo *auxilium* nostrum.

## SECTIO DECIMA.

*Solvuntur argumenta ex Tridentino, & SS. Patribus desumpta.*

722 SEcundo opponunt: Defectus gratiæ efficacis non imputatur Deo; ergò imputatur voluntati; ergò gratia efficax non est à volũtate inimpedibilis. Prob. antec. Quia ex Trident. *Deus semel iustificatos non deserit sua gratia, nisi priùs desseratur ab eis*; sed si defectus gratiæ efficacis vnicè imputatur Deo; è contra esset dicendum, *nunquàm*, nempè *nos deserere Deum, nisi priùs desseramur ab ipso*; ergò.

*Trid. Sess. 6. cap. 11.*

Accedit Sanct. Anselmus, non solùm expresè probans malum Angelum, non ideò non accepisse perseverantiam, quia Deus non dedit, sed etiam quod, *Deus non dedit, quia ille non accepit*; ergò nos non accipere, est causa, cur Deus non donat: Deum ergo non dare est nobis liberum, & imputabilè, & exindè Deum donare à nobis impedibilè.

*Anselm. de Casu diaboli cap. 3.*

723 Ad hoc argum. Nuño, Ioan. à Sancto Thoma; & plures alij Thomistæ. Respondent verba illa: *Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs desseratur*, intelligi de gratia gratũ faciente, quia priùs est, quod homo peccet, quam quod deseratur à Deo per subſtractionem iustitiæ: non verò de gratia actuali efficaci, quia priùs est, quod Deus non conferat auxilium efficax, quàm quod homo peccet; Patresquè Salmanticenses incunctanter asserunt esse communem sensum Theologorum Concilium loqui de gratia habituali.

*Nuño in 1. p. q. 62. art. 5. fol. 150. Ioann. à S. Tho. in 1. 2. disp. 24. artic. 1. folio 463.*

*Salmant. de Gratia, disput. 6. dub. 3.*

724 Sentio tamen cum Magistro Godoy, & alijs, Concilium non rectè exponi de gratia habituali; intentum enim Concilij est, iustis omnibus sufficientem gratiam Deũ tribuere, quia de *semel iustificatis* negat eos ante *desseri* per subſtractionẽ nimirùm divini auxilij, quàm ipsi peccando Deum abiecerint. Et hunc esse manifestum Tridentini sensum. Probo 1. Quia Catholici Doctores, qui adversus Hæreticos de gratia sufficienti pugnaverunt; ex hoc Decreto, certum esse probant, illam iustis omnibus adesse, vt constat ex Pennoto; ita vt Bellarminus scribat: *Concilium Tridentinum hoc loco apertissimè docere, Deum non desserere, quia non denegat auxilium* ¶ 2. Quia vt ait P. Vega, qui Sacrę Synodo interfuit: *Patres non simpliciter, & absolutè dixerunt iustos posse servare mandata; sed adiecerunt hoc temperamentũ.* Cum auxilio divino: *Et vt sciremus hoc auxilium tàm potens, quàm necessarium, nulli deesse iustorũ, mox subiecta sunt illa verba totius suavitatis plena.* Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs *deseratur*. Ergò Conciliũ hanc sententiam vsurpat, vt probet *nulli deesse iustorum* id *divinum auxilium*, quod ad posse observanda mandata necessarium adstruxit. ¶ 3. Quia M. Zumel, dum ex hoc testimonio probaret veritatem Catholicam, *Iustis* quippè *omnibus adesse gratiam, qua possibilia fiunt præcepta Dei.* Hanc interpretationem tradit, dũ inquit:

*Pennot. lib. 9. cap. 4. Bellarm. lib. 1. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 11. Vega lib. 11. cap. 11.*

*Zumel, disp. 4. de Auxil. effic. & suffic. sect. 1.*

*Dices, Deum non dici deſſerere, quando non dat auxilium piè viuendi, ſed quando auertitur ab amicitia alicuius, & hoc modò non deſſerere, niſi priùs deſſeratur.* Et per hæc verba reijcit: *Contra eſt, Tridentinum apertiſsimè docens Deum non deſſerere, quia non denegat auxilium: nam dicit* iuſtè, & piè viuentes proficere poſſe. Deus namque non deſerit iuſtificatos, niſi priùs *deſſeratur.* Ergò Concilium hanc ſententiam adhibet, vt probet iuſtos poſſe in bono proficere, vt ex illa particula *namque* colligitur. Quis autem ita ineptam argumentationem Concilio tribuat; Deus iuſto nõ ſubſtrahit gratiam habitualem antequàm peccet; ergò iuſtus poteſt in bono proficere? ¶ 4. Et vrgẽtiùs, quia verba illa deſumpſit Concilium ex Sancto Auguſtino cap. 26. de Natura, & Gratia, in quo Sanctus loquitur de ſubſtractione auxilij ſufficientis gratiæ; Nam refellit Pelagium affirmantem, *non eſſe neceſſariã miſericordiam Dei, vt non peccemus, ſed quia peccauimus.* Vndè diſputatio erat; An Deus per ſuam miſericordiã actualem adiuvet iuſtos, vt non peccent? Negat Pelagius, affirmat Sanct. Auguſt. & refellit Pelagium. 1. hoc ſimili: *Sicut vulnere claudicans, ideò curatur, vt ſanato malo præterito futurus dirigatur ingreſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolùm ſupernus medicus ſanat, vt illa iam non ſint, ſed vt de cætero rectè ambulare poſsimus, quod quidem etiam ſani non niſi illo adiuvãte poterimus;* ergò expreſsè loquitur de *adiuvãte* gratia *ſanis*, ideſt iuſtis neceſſaria, vt rectè ambulare *poſsint*. Ex hoc autem principio infert: *Ipſe autem Deus cum ſanat ægrum, & ad perfectã iuſtitiam perduxerit, non deſſerit, ſi nõ deſſeratur, vt piè ſemper iuſteque viuatur.* Quid clariùs? vt Auguſtin. loquatur de deſertione, quæ actualem gratiam ſubſtrahit. Quaſi expreſsè impugnet Pelagium aſſerendo, Deus iuſtum, & ſanum non deſerit, ſed potiùs *adiuvat, vt de cætero rectè ambulare poſsit*, vt *piè iuſteque ſemper viuat*, niſi priùs ab ipſo deſſeratur per peccatum; rationem huius ſententiæ tradit continuò dicens: *Sicut enim oculus corporis etiam pleniſsimè ſanus, niſi cãdore lucis adiutus non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſsimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non poteſt viuere.* En teſtimonium, quo communitèr probatur iuſtum exigere prẽter habitualem, actualem gratiam, vt *poſsit rectè viuere*, adduxit Sanctus ad firmandã ſententiam ex ipſo à Tridentino deſumptam; vndè hanc concluſionem immediatè adverſus Pelagium intulit: *Sanat ergò Deus non ſolùm vt deleat, quod peccauimus, ſed vt præſtet etiam nè peccemus.* Illa ergò ſententia Tridentini proculdubiò de ſubſtractione actualis gratiæ ſufficientis intelligenda eſt. Vide Franciſcum Bonæ Spei; Nos ergò non impugnat Concilium; ſed tantùm docet, quod vt principium Sanctum præmonuimus: An autem ex hoc teſtimonio colligatur, hominem deſeri à Deo per ſubſtractionem gratiæ ſufficientis, ſi priùs deſerit Deum? Vt intulit Godoy, non ita ineptè vt exiſtimant Salmanticenſes: Alteriùs loci eſt examinare.

*Auguſt. de Natura, & Grat. c. 26.*

*Bonæ Spei, diſp. 2. de Grat. ſuf. et effi. dub. 4. num. 66. Sup. n. 699.*

*Godoy, & Salmãt. vbi immediatè.*

725 Sed inſtabis ex P. Lemos; quia Tridentinum loquens de Dono Perſeverantiæ, quod a ſolo Deo iuſtis datur, docet: *Quod quamvis nemò ſibi aliquid de eo abſoluta certitudine ſibi polliceatur, tamen in Dei auxilio firmiſsimam ſpem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Ergò ex doctrina Concilij, authoritate confirmata Apoſtoli, iuſti omnes firmam ſpem habere debent, quod ſi non deſint ſufficientis gratiæ auxilio, ſicut Deus cœpit ſufficientèr adiuvando; ita

*Lemos, lib. 4. p. 2. tract. cap. 6. Trident. ſeſ. 6. cap. 13.*

ita perficiet donañs auxilium efficax perseverandi, hoc enim auxilium est *operans velle, & perficere*. Ergò per hominem habentem sufficiens stat, quod auxilium efficax nõn recipiat. ¶ Nec verba illa Concilij : *Nisi ipsi illius gratiæ defuerint*, explicari possunt, quod negetur auxilium efficax propter defectibilitatem arbitrij, nõ autem propter illius defectum culpabilem; quia manifestè sonant defectum culpæ, non defectibilitatem omnibus communem.

726 Respond. ex Concilio deduci omnes iustos habere auxilia sufficientia ad perseverandum, indequè in *divino auxilio firmissimam spem omnes collocare debere*, Nam, *qui sunt filij Dei* (Tridentinum docet) *Christũ diligunt, vt ipsemet testatur, servant sermones eius, quod vtiquè cum divino auxilio præstare possunt*. Speciale tamen donum efficax perseverantiæ nullatenvs libere obtinere possumus, dependens enim non est à nostra dispositione positiva, aut negativa, quia vt Concilium statuit, *aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eũ, qui stat statuere, vt perseverãter stet, & eum, qui cadit, restituere*. ¶ Cum hoc tamen rectè stat, quod *nisi* iusti *gratiæ Dei defuerint, sicut cœpit perficiet operans velle*, si iustus enim peccando non deest gratiæ Dei, Deus donat efficax auxilium ad perseverãdum, sed non ex conditionali inferri debet causalis, sicut enim hæc conditionalis est vera: *Si Deus non adiuvat efficacitèr, homo peccat*. Et hæc causalis est falsa, *quia Deus non adiuvat efficacitèr, homo peccat*. Vt superiùs præmonuimus. Ita hæc conditionalis est vera : *Si iustus non deest gratiæ Dei, habet efficax perseverantiæ donum*. Hæc autem causalis semper est falsa : *Quia iustus non deest gratiæ Dei, habet efficax perseverantiæ donum*. Quasi hoc donum conferatur iusto dependentèr ab ea dispositione negativa, & habeat in potestate sua donum efficax, sicut habet non peccare, & non deesse gratiæ Dei. Ratio est; quia dum iustus non peccat, & nõ deest gratiæ Dei, ipsum non deesse, & non peccare provenit ex ipso perseverantię dono; vndè non habet hoc donum, quia nõ deest gratiæ, sed potiùs non deest gratiæ, quia habet donum; ita docet D. Thom dum probet perseverantiam non cadere sub meritò; hæc habet verba : *Hoc, quod est peccare opponitur perseverantiæ, ita quod si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret aliquem cadere in peccatũ*. Sicut ergo ex meritò perseverantiæ infertur meritum non peccandi, ex dono perseverantię infertur à priori nõ peccare. ¶ Adest huius doctrinę in S. Thoma nobilè exemplum; dum versat illa Apostoli verba: *Contemplantes, nè quis desit gratiæ Dei*. Ait enim : *Deum voluntate liberalissima dare gratiam omni præparanti se*. Confirmatque plurimis testimonijs : *Sed contra* (prosequitur) *quia si gratia datur tantum ex hoc, quod aliquis non ponat obstaculum*, ergò habere gratiam dependet ex arbitrio, & *non ex electione Dei*. Respondeo dicendum, *quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit*. Ita diximus ex mente Concilij; Deus voluntate liberalissima dat perseverantiã iustis, qui non desunt gratiæ Dei. Instas: Perseverãtia datur ex hoc, quod iustus non ponat obstaculum; ergò habere hoc donum efficax pendet ex arbitrio, non ex electione Dei; sed Respondeo, quod hoc ipsum, quod iustus non ponit obstaculum ex ipso dono perseverantiæ procedit.

727 Ad testimonium S. Anselmi satis difficilè; forsitàn aliquis Respond. hanc causalem Anselmi : *Deus non dedit*, Angelo quidem malo velle perseverare, *quia ille non accepit*: debere intelligi secundùm causam consequentiæ, non secundùm causam essendi, seù in sensu illativo, nõ propriè

*Trident. sess. 6. cap. 11.*

*Trident. ibi cap. 3.*

*Sup. n. 696.*

*D. Tho. 1. 2. q. 114. ar. 9.*

*D. Thom. de ep. ad Hæbr. c. 11. lect. 3.*

*S. Anselm. de Casu diaboli, cap. 3.*

priè causali, vt infrà exponemus hãc Div. Thom. loquutionem : *Vocatio in prædestinatis est efficax, quia ei assentiunt.* ¶ Contra tamen est; quia vt ibi prænonebimus, loquutiones causales adversativæ extremorũ connexorum ineptè intelliguntur secundùm causam consequentię. Quia in eo sensu æquè esset verùm negatum, quàm assertum, sed loquutio S. Anselmi adversativa est; ait enim: *Non ideò non accepit, quia Deus non dedit, sed ideò Deus non dedit, quia ille non accepit*; ergò nequit de causa *consequentiæ* intelligi, æquè enim eo in sensu est vera causalis, quàm affirmat, ac causalis, quã negat; quia sicut hæc est recta illatio : *Ille non accepit; ergò Deus non dedit.* Ita, & hæc: *Deus non dedit*; ergò *ille non accepit.*

*Infrà q. 4. disp. 3. sect. 8.*

Vndè Respond. Anselmum loqui de *voluntate perseverandi*, quàm *Deus* dedit Angelo malo, & quàm *verè habuit, & accepit, spõteque dimisit, & sicut accepit habuit quousque habuit : Ita potuit accipere, & semper tenere, quod deseruit*, quàm, quia voluit deserere, & non voluit tenere, non vlteriùs accepit, nõ ideò, quia Deus non *dedit*, sed quia *volendo, quod non debuit, eam voluntatem*, quàm Deus dedit *deseruit, & eam deserendo non tenuit*; vndè solùm ex S. Anselmo colligi potest, quod cum donum est voluntas nobis libera, & à Deo actu donata, Deum vlteriùs nõ dare, est quia volumus donum non tenere, quod asserendum non est de dono, nec formalitèr mihi libero, vt est gratia efficax, nec de dono non actu collato.

728 Oppones 2. Gratia efficax est, qua Deus nos adiuvat ad salutaritèr operandum : nomine enim gratiæ *adiuvantis* eam exposuit Tridentina Synodus, sed gratia adiuvans est impedibilis à nobis quoad existentiam, & nobis liberum, quod nõ existat; ergò. Prob. Min. Nobis culpabilè est nobis liberum, & à nobis impedibilè, sed est nobis culpabilè nõ adiuvari à Deo; ergò. Mai. nota; Min. docent Sanct. Patres; scribit enim S. Augustinus: *Vt autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates, qua vt non adiuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Vt nobis imputetur, & non Deo, nos non adiuvari à Deo, quid clariùs dici potest ? Quod Sanctus subiũgit nomine omnium, qui à Deo non iuvantur : *Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adiuvor.* Culpa enim mea est, quod ad correptionẽ meam pertinet. Vndè S. Fulgentius verba ista S. Augustin. recitans continuò ait : *In istis Sancti Augustini dictis attendè quæso, mi charissimè, quia vt non homines adiuventur à Deo, in ipsis causa esse dicitur, non in Deo.* Ergò non adiuvari à Deo est nobis culpabilè.

*Aug. lib. 2. de Peccat. Merit. cap. 28.*

*S. Fulg. lib. 1. ad Monim. c. 28.*

729 Resp. dist. Min Gratia sufficiente, seù adiutorio *sine quò* non adiuvari à Deo est nobis culpabilè; cõcedo. Gratia efficaci, seù adiutorio *quò*, nego. Nam de prima gratia PP. loquuntur, cum enim de fide sit iustificatis semper adesse adiutorium sufficiens, hoc enim dicitur *iustum adiutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde : si enim medicinam exhibet, qua sanemur infirmi: quantò magis eam, qua custodiamur sani ? Quoniam si cum adhùc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, quantò magis nunc iustificati, salvi erimus ab ira per ipsum ?* Vt elegantèr scripsit Sanct. Augustin. & sæpiùs prænonuimus; cum autem *Deus dedit potestatem filios sui fieri, ijs, qui credunt in nomine eius*, cum sua culpa filij Dei non sint, ipsis in causa est non adiuvari sufficientèr à Deo. ¶ Alia etiam ratione peccatoribus in causa est non adiuvari sufficienter à Deo, quia dum prœceptum vrget, eis sua culpa non donat auxilium *proximè* sufficiens, quia id non petunt, cũ

*Psalm. 7. S. Aug. in Psalm. 7.*

ad

ad orandum ſufficientiam proximam obtineant. Quia vt Tridentinum docet: *Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſsis* facere, & *petere, quod non poſsis* facere, & *adiuvat, vt poſsis* facere; Sanctuſquè Auguſtinus ſcripſit: *Petat, quo deſtituitur, vt impleat, quod iubetur.* ¶ Aſſerentes verò Deum peccatoribus obduratis denegare, ſæpè omne auxilium ſupernaturale ſufficiens, vt poſsint præcepta ſervare tenentur dicere, non obtemperare præceptis Dei eſſe pœnam, non formalitèr culpam, ſicut docuit S. Auguſtinus de Pharaone; dum ſcripſit: *Quod ergò tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, iam de ſupplicio veniebat: Nõ ergò illi hoc imputatur, quod tunc non obtemperaverit, quod quidẽ obdurato corde obtemperare non poterat; ſed quia dignum ſe præbuit, cui obduraretur, priori infidelitate.* ¶ Vel alitèr Reſp. SS. PP. aſſerere, non adiuvari *à Deo eſſe in nobis*, vt cauſa, non quia non adiuvari efficacitèr ſit formalitèr culpa, cum præcedat omne exercitium nobis liberũ, ſed quia ex culpa eſt in nobis in *pœnam ſaltẽ præcedẽtis peccati*; ſicut ſcripſit Paulus concupiſcentiam peccatum eſſe, non quia in ſe peccatum ſit, cum præveniat iudicium rationis, ſed vt Tridentinum docuit, quia ex peccato eſt, vt effectus, vel pœna peccati.

*Trid. Seſſ. 6. cap. 11.*

*S. Aug. de Nat. et Gratia, cap. 69.*

*Aug. tom. 4. in Expoſ. prop. Ep. ad Rom. c. 62.*

## SECTIO VNDECIMA.

*Solvuntur argumenta à ratione.*

730 A Ratione 1. opponit P. Palanco; non minùs eſt nobis neceſſarium ad ſalutem recipere gratiam habitualem, quàm gratiam efficacem; quia adulti ſolùm media gratia efficaci poſſunt gratiam habitualem recipere; ſed abſurdum eſt dicere, quod inculpabilitèr deficit nobis gratia neceſſaria ad ſalutem, & quod per Deum tantum ſtat, quod tali gratia careamus; ergò abſurdum eſt dicere, per Deum ſtare, quod gratia efficax nobis deficiat.

*Palanco q. 18. ſect. 5.*

Confirm. Ideò in noſtra iuſtificatione vltimus effectus, nempè gratia habitualis tribuitur Deo, quia gratia efficax cum habituali connexa eſt ex libertate Dei; ſed in omiſsione gratiæ primus defectus, nempè, carẽtia gratiæ efficacis tribuitur à nobis Deo; ergò, & vltimus defectus, nempè, carẽtia gratiæ habitualis tribuitur Deo.

731 2. Opponit: per defectum intrinſecum gratiæ efficacis conſtituitur homo intrinſecè impotens ad actum præceptum; ſed homo, dũ peccat non adimplendo præceptum nequit eſſe inculpabilitèr impotens ad actum præceptum; ergò homo dum peccat non contrahit inculpabilitèr defectum gratiæ efficacis. Min. conſtat. Quia impotens ad adimplerionẽ præcepti non peccat; quia non adimplet. Prob. Mai. Impotens ad recipiẽdam gratiam efficacem, vt adimpleat eſt impotens, vt adimpleat; ſed per defectum gratiæ efficacis eſt homo impoſsibilitatus, vt eam gratiam recipiat; quia per defectum formæ redditur impoſsibilis ipſa forma; ergò. ¶ Idem argumentum procedit de impedimento adimplendi, ac de impoſsibilitate per defectum gratiæ efficacis; ita enim objcitur: per defectum gratiæ efficacis impeditur homo, nè prædeterminetur; quia per vnũ contradictorium impeditur formalitèr alterum; ſed impeditus nè prædeterminetur, eſt impeditus, vt præceptum adimpleat; quia voluntas nequit adimplere, niſi prædeterminata; ergò per defectum gratiæ efficacis eſt impeditus homo nè adimpleat; ſed homo non adimplens nequit eſſe inculpabilitèr impeditus, vt adimpleat; ergò defectus gratiæ efficacis nequit eſſe homini inculpabilis.

732 Reſpond. ad 1. Neg. Min. Quia inculpabilitèr nobis deficit id, quòd purè gratis nobis datur indepẽden-

dentèr à meritò, vel diſpoſitione noſtra, & ſi gratia efficax *gratis non datur gratia, quare* vocatur ? Deus enim ſicut *cuius vult miſeretur*, ita, & quem *vult obdurat denegãdo gratiã*. Et inſto in Decreto efficaci prædeſtinationis, & dono finalis perſeverantiæ ad ſalutem neceſſarijs, quibus inculpabilitèr caret reprobus. Et ſicut ſtat prędeſtinatum mereri gloriã ſine meritò gratiarum, quæ ad gloriã exiguntur: Ita, & reprobum demereri gloriam, quin demereatur carentiã plurium donorum, quæ exiguntur ad gloriam, ſpecialitèr in Angelis deſertoribus, in quibus non fuit, ſicut nunc eſt in nobis, originale peccatum. ¶ Ad confirm. Reſpond. neg. cauſalem Mai. Non enim ideò Deo tribuitur iuſtificatio noſtra, quia gratia efficax ex libertate Dei eſt; ſed quia hæc eſt cauſalis vera, *iuſtificamur, & diſponimur, quia adiuvamur à Deo*, vt qui *gloriatur in Domino glorietur, qui per ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit*. Licèt autem carentia gratię efficacis ex Deo ſit, & dum non adiuvamur non iuſtificemur, non ideò eſt, quia non adiuvamur, nè dicamus *per Deum abeſt*, ſed quia nolumus diſponi, & iuſtificari, *poteſtatem* enim *dedit* nobis *filios Dei fieri*, & cum dicit: *Convertimini ad me, & ego cõvertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur*; vndè defectus gratiæ non eſt origo peccati, vt rectè exponit Ioannes à Sancto Thoma, ſed pondus defectibilitatis noſtræ non ſuſtentatæ à gratia Dei, ſicut pondus gravitatis in lapide eſt cauſa cadendi ſuſtentatione columnæ remota; vndè cum Deus adiuvare non teneatur, ipſi non adiuvanti non imputatur peccatum, nec carentia iuſtitiæ. Omnes hanc differentiam fateri tenentur; quia Auguſt. dicit: *Cur Deus illum adiuvet, iſtum non adiuvet, penes ipſum eſt*: & tamen illum non peccare, & iſtum peccare penes Deum non eſt.

*Ioann. à S. Th. 1. 2. diſput. 24. art. 2.*

*Aug. ſuprà num. 700.*

733 Ad id, quod 2. opponit neg. Mai. Quia defectus gratiæ efficacis eſt defectus gratiæ, quæ non eſt poteſtas; vndè non eſt defectus poteſtatis, nec per eum conſtituitur ſubiectũ *impotens* ad actum præceptum: Ad eius probationem, conced. Mai. neg. Min. Quia per defectum gratiæ eſt homo eam non *recipiens*, non verò *impoſsibilitatus*, vt eam recipiat; defectus enim formæ ſi contingens eſt non reddit impoſsibilem formã, ſed contingentèr non exiſtentem; Nec video quomodò hoc argumentum non etiam probet, quod per gratiam efficacem conſtituitur homo impotens non adimplere, ſi per eius defectum homo conſtituitur impotẽs adimplere. ¶ Ad id, quod vrgetur diſt. Min. Impeditur, vt adimpleat impeditus, vt prædeterminetur; impedimento actus primi, nego: actus ſecũdi, concedo; & inſto 1. Quia etiam prædeterminatio ad adimplendum impedit *non adimplere*, & non impedit libertatem, & meritum adimplẽdi, ergò: licèt carentia prædeterminationis ad adimplendum impediat *adimplere*, non impediet libertatem, & demeritum non adimplendi. 2. Nõ minus pugnat cum conſenſu præcepto, & prędeterminatione ad ipſum exacta, prædeterminatio ad materiale diſſenſus, quàm carentia gratię efficacis ad conſenſum; ſed eſt mihi imputabilis diſſenſus, licèt inculpabilitèr habeam prædeterminationem ad diſſenſum, quia prędeterminatio ad materiale actus mali debet eſſe independens à noſtra libertate, ſicut prædeterminatio actus boni; ergò erit mihi imputabilis diſſenſus, licèt inculpabilitèr ſim impeditus per carentiam gratię efficacis ad conſenſum præceptum.

## ADDITIO.

734 PVrpuratus Princeps Cęleſtinus Sfrondatus in opere, cui titulus *Nodus prædeſtinationis* ſuę facundiæ poſthuma ſoboles, præter ea, quæ

Sup. à num. quæ ſuperiùs notavimus, tria alia ſcripſit limato ſermone, quo nil exactiùs, eruditiùſque; hìc accuratè examinanda, quia ad hanc quæſtionem expectant.

Primò enim dum proponit in myſterium prædeſtinationis penitus abſtruſum penetrare, ſivè quod loquitur, nodum expedire ſancti huius enigmatis, quantum mortali licitum eſſe poteſt: ſolùm connatur penitus introſpicere, *palam facere, ac omnibus compertum, nullam poſſe contra iudicem in cauſa prædeſtinationis querelam moveri, nilquè in prædeſtinationis negotio, peractum, cui non amor præſederit. Hicquè damnatorũ caſus, non prædeſtinationi divinæ, ſed humanæ voluntati tribuendos eſſe*: Nodumquè hunc, licèt aliàs implicatiſsimum, (vt vocat) non ferro, ſed calamo ſolvere intendo, iuſtiſsimique ſimul, & clementiſsimi Iudicis cauſam ſuſcipere, vt culpa pereuntiũ reis imponatur, & non in ipſum iudicem derivetur.

Sfrondatus in Nodo Præ deſt. pag. 2.

735 Reliqua verò in cauſa prædeſtinationis explorari, nec poſſe, nec debere fatetur: Vndè cũ ex Salviano referret: *Poſſum conſtanter, & rationabiliter dicere, neſcio ſecretum, & conſilium divinitatis ignoro.* Et alibi: *Homo ſum, non intelligo, ſecretum Dei inveſtigare non audeo.* Ita ſcribit: *Nihil meliùs dici poteſt, quoties hæc cauſa vertitur. Cùr Deus non omnes ſalvet, cum omnes poſsit? Cùr non omnibus det gratiam illam efficacem, & triumphatricem peccati?* &c. *Cùr inquàm hæc omnia? Neſcio ſecretum, & conſilium divinitatis ignoro.*

Sfrondatus in Nodo Præ deſt p. 247.

Salvianus de Provid. l. 3. & lib. 3. de Gub.

736 Vt autem peccator, ſi pereat, nõ habeat quo vecordiam ſuam excuſare poſsit; aſſerit, *orationẽ etiã peccatoris, cum illa petit, quæ ad vitam æternam conſequendam neceſſaria ſunt, ſemper exaudiri, ſicquè in peccatoris poteſtate eſſe, etiam gratiam illam efficaciſsimam, & triumphatricem orando impetrare.*

Sfrondatus à pag. 204.

737 Hæc tria aſſerta hìc reijcere decrevi; & primò aſſero: Non eſſe nodum implicatiſsimũ in cauſa prædeſtinationis non poſſe contra Deum querelam moveri: Quia reprobus non poteſt iuſtè queri, quia non ſalvatur, nec peccator, quia non iuvatur efficaci gratia.

Probat aſſumptum Auguſt. *Si igitur vniverſa maſſa pœnas debet, & ſi omnibus debitum damnationis ſupplicium redderetur, non iniuſtè proculdubiò redderetur. Quis igitur vſquè adeò dementiſsimè inſaniat, vt non agat ineffabiles gratias, quos voluit liberanti, qui rectè nullo modo poſſet culpare iuſtitiam vniverſos omninò damnantis?* Nulla poteſt eſſe querela de vnius damnatione, ſi iuſtè poſſet Deus damnare vniverſos.

Auguſt. de Natura, & Grat. cap. 5.

¶ Similia habet Auguſt. alibi: *Cùr autem* (ait de Dono fidei,) *non omnibus detur, fidelem movere non poteſt, qui credit ex vno* (ideſt Adamo) *omnes eſſe in condemnationem ſine dubitatione iuſtiſsimam, ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio, etiam ſi nullus inde liberaretur.* Quid expreſsiùs? Ergò ſicut liberatus, & adiutus extolleretur indebitè, deſertus, & non adiutus conquereretur iniuſtè: *Non itaque ſimus ingrati, quod ſecundum placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, tam multos liberat miſericors Deus, de tam debita perditione, vt ſi inde neminem liberaret, non eſſet iniuſtus: qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debitum, bonitas; in exigendo æquitas intelligitur, numquam eſſe apud Deum iniquitas invenitur. Cum enim iuſtus eſſet etiam ſi vtrùmque puniret; qui liberatur habet vndè gratias agat; qui damnatur non habet, quod reprehendat*: ergò nec vndè iuſtè conqueri poſsit: *Si ergo vt*

Auguſt. de Præd. SS. c. 8.

Auguſt. de Prædeſt. & Grat. cap. 3.

*apparet de prævaricatoris ſemine omnes naſcimur debitores, quoniam in ipſo omnes (vt ait Apoſtolus) peccaverunt, & ipſa iam in principio vndè deſcendimus maſſa damnata eſt, nullus de duritia ſua, nullus de pœna ſua conqueri audeat, quæ etiam non exiſtentibus peccatis proprijs, ſola naſcẽdi cõditione debetur. Quod verò Deus alij gratuita vocatione converſis, miſericordiam largitur indebitam, non ad diſpenſatoris iniuſtitiam, ſed ad donantis miſericordiſſimam largitatem, veritatis ratione referendũ eſt. An audebit debitor creditorem iniquitatis arguere, ſi alteri donans ab eo, quod debebat exegerit? Si ergo inter contractus hominum, nullus ex hoc præſcriptionis locus eſt, vt à ſe dicat debitor iniuſtè exigi, quia ſcit alteri debitori ab eodem, quod debebat creditore donatum; quis in tantã inſaniam prophanæ vocis erumpat, vt iniuſtitiæ Deum arguat, ſi vni indebitam donaverit gratiam, alteri reddiderit debitam pœnam?* Solùm ergo inſania prophanæ vocis cõqueri audebit reprobus de pœna ſua. Nec in hac diſtributione gratiarum, acceptio perſonarum intervenit, vt reprobus iuſtè cõqueratur: *Acceptio enim perſonarum ibi rectè dicitur, vbi ille qui iudicat relinquens cauſæ meritũ de qua iudicat, alteri contra alterum ſuffragatur, quia invenit aliquid in perſona, quod honore, vel miſeratione ſit dignum. Si autem quiſpiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, ſed neminem fraudat, nec acceptio perſonarum dicenda eſt, quando iniquitas nulla eſt.* Et vbi iniquitas nulla intervenit, nec iuſta querela.

*Auguſtin. contr. 2. Epiſt. Pelag. lib. 2. cap. 7.*

738 Nec ad convincendam iniuſtitiæ querelam reprobi, aut obdurati adverſus Deum, neceſsè erat, quod *natura* eſſemus *filij iræ*, quod per ſordidam labem, quàm trahimus primæva ab origine tota humani generis maſſa fuiſſet damnata, quatenus *genus humanum, in parente primo à paradiſi gaudijs expulſum, claritatẽ ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur*: Non, inquàm, eſt neceſsè, quia adhùc quærela Angeli reprobi, aut obdurati iniuſta cõvincitur, ſufficit enim, vt querimonia iniuſtitiæ, & pravitatis arguatur, gloriam, & gratiam, eſſe beneficium gratuitum, ſeù indebitum negativè. Hoc Sancti Doctores clamant, & ratione convincunt; ſuprà audivimus D. Thomam; nunc audiamus, eius, & fidelium Magiſtrum, Pelagij malleũ, hanc querelam eſſe iniuſtam convincentem; aſſerebat enim Hæreſiarca, gratiam ex meritis eſſe, nè iuſtè quereretur ſecundùm propoſitum non vocatus; ita fatur: *Hic tota iuſtitia eſt, hoc volo; tibi, inquit, reddidi, huic donavi; neque vt huic donarem tibi aliquid abſtuli, aut, quod debebam, vel minui, vel negavi. An non licèt mihi facere, quod volo*; an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum. Et ſi dicas: *Cùr in vna, eademque cauſa tàm diverſum iudicium? Nonnè ſimilis quæſtio eſt; Cùr in diverſa cauſa idem iudicium? Recolamus igitur illos operarios in vinea, qui tota die laboraverunt, & eos, qui hora vna, nẽpè, cauſa diverſa eſt impenſi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Numquid, & hic audierunt murmurantes à Patre familias, niſi hoc volo? Vndè quantum ad iuſtitiam expectat, & gratiam, poteſt de eo, qui liberatur, rectẽ dici* volo: *Poteſt de eo, qui damnatur*, tolle, quod tuum eſt, & vade: *Huic autem volo, quod non debetur donare, an* non licèt mihi facere, quod *volo*? Non ergò eſt denſis tenebris obtectum, aut obſcuris latebris incluſum, reprobum, aut obduratum non poſſe adverſus Deum iuſtè conqueri: & exindè cum obduretur ſua malitia, dum abeſt

*D. Gregor. Homil. 2. in Evang.*

*D. Th. ſuprà adductus n. 702.*

*Auguſtin. cont. 2. Ep. Pelag. lib. 2 cap. 7.*

*Auguſt. de Bono perſeverantiæ, cap 8. Matth. 20.*

Dei

Dei misericordia, nec iustè potest excusari,& iustè potest corripi: ille verò cuius miseretur dignas rependere grates discat.

379 In 2.asserto: Suppono esse latebris abditum,& inscrutabile: *Cùr Deus vni,& non alteri donat gratiã efficacem?* Vt probavi esse omninò certũ; quia idem est *scrutari inscrutabilia, quàm velle videre invisibilia, aut fari ineffabilia.* Et ideò M. Pater ad illa Apostoli verba: *O homo, tu quis es?&c.* inquit: *Magnum pondus habet, quod dictum est: nam in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi, sed re ipsa magna est redditio rationis; si enim non capit hæc*, quis est, qui respondeat Deo? *Si autem capit, minus inveniet, quid respondeat.* Quasi Magnus Parẽs asserat, aut capis iudicia Dei, aut non capis? Si capis, iustissima agnosces: si non capis, non intellectis respõdere non potes: *Quia quantalibet quis virtute proficiat, quantacumque scientia excrescat; penetrare non sufficit, quo nos Conditor moderamine iudiciorum regat.* Vt enim asserebat Bernardus: *Nihil magis contra rationẽ, quam velle rationem ratione transcẽdere.* Minimè verò assero, ita abscondita esse.

Sup. n. 700.

Augustin. de verb. Apost serm. 20.

D. Gregor. in Iob 28. v. 33.

D. Bernard. Epist. 189.

740 *Cùr Deus non omnes salvet, cum omnes possit? Cùr non omnibus det gratiam illam efficacem,& triũphatricem peccati?* Hæc enim ex Scriptura, & Patribus rationem habent: Iam audivimus D. Thom. rationem assignantem: *Quosdam trahit*, per gratiam quidem efficacem, *vt in eis appareat sua misericordia, quosdam non trahit, vt ostendatur in eis sua iustitia.* Et alibi ita assumptum convincit: *Circa electionẽ bonorum,& reprobationem malorũ, duplex quæstio potest moveri. Vna quidem in generali, quare Deus velit quosdam indurare, & quorundam misereri. Alia verò in speciali, quare velit huius misereri,& hunc, vel illũ indurare. Et potest quidem ratio huius quæstionis assignari, secundæ autem quæstionis non potest assignari ratio, nisi simplex Dei voluntas.* Et illa verba Apostoli: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me feciſti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa, facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Esse convincẽtia, nullam esse rationem, nisi voluntatem Dei, quare velit huius misereri, & hunc, vel illum indurare: Sed Apostolum, (asserit Angelicus Doctor) assignavisse rationẽ in generali, quare Deus velit quosdam indurare, & quorundam misereri, dum continuò dixit: *Quod si Deus volens ostendere iram,& notam facere potẽtiam suã, sustinuit in multa patiẽtia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quam rationem ita Augustinus exposuit: *Atque ita gratiùs suam gratiam in vasis misericordiæ cõmendaret. Quia* (alibi iterùm fatur) *nec beneficium, quod quibusdam gratis tribuitur appareret, nisi Deus alijs ex eadem massa pariter reis iusto supplicio condemnatis, quid vtrisquè deberetur ostenderet.* Quid expressiùs?

D. Th. adductus, n. 700.

D. Thom. in Ep. ad Rom. c. 9. lect. 4.

Apostol. ad Rom. 9.

Augustin. de Bon. persev. cap. 8. Aug lib. 2. cont. 2. Ep. Pelag. c. 7.

741 Nisi tale sit, quod ita scripsit: *Demonstrat* enim *Deus in eis, quos damnat quid omnibus debeatur: vt hinc discant, quos liberat, quæ sibi pœna debita relaxetur,& quæ indebita gratia cõdonetur, ideò non vtrũquè vas facit in honorem, nè hoc meruisse se existimet: tanquàm inculpata natura. Ideò non vtrùmque in contumeliã, vt iudicio superexultet misericordia. Ac per hoc nec damnatus ex debito de supplicio iustè queritur, nec liberatus gratis, meritò superbè gloriatur, sed potiùs humilitèr gra-*

Aug. lib. 1. cont. Iulian. cap. 8.

*tias agit, quando in illo, à quo debitũ exigitur, quid in eadem causa sibi debeatur agnoscit.* Cõveniens ergo est, non omnes esse liberatos, nec omnes gratia efficaci adiutos, vt liberati, & adiuti, humiliter Deo gratias agãt, & vt in alijs debitũ agnoscũt, nõ superbè in seipsis, sed tantùm in Domino glorientur.

742 Idem in dono perseverantiæ expresit Augustinus dum his interrogationibus; Cùr Deus huic iusto, & non alteri donet perseverantiam? Cùr Deus non omnibus iustis perseverantiam donet? Primum inscrutabilè fatetur. Secus secundum. Ita scripsit: *Cùr in eadem causa me potiùs, quàm illum puniet, aut illum quam me potiùs liberabit? Hoc non dico: Si quæris quare? Quia fateor me non invenire quid dicam. Si, & hoc quæris quare? Quia in hac re, sicut iusta est ira eius, sic, & magna est misericordia eius, ita inscrutabilia iudicia eius. Adhùc pergat, & dicat*: Cùr quibusdam, qui eum coluerunt bona fide, perseverare vsquè in finem non dedit? *Cùr putas? Nisi quia non mentitur qui dicit*: Ex nobis exierũt, sed non erant ex nobis: *Nam* si fuissent ex nobis mansissent vtiquè nobiscum. *Nunquid ergo hominum naturæ duæ sunt?* Absit. *Si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset: Nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita rederetur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam vsquè in finem accipere debuisse. Deus autem meliùs esse iudicavit, miscere, quosdã non perseveraturos certo numero Sanctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi: multos enim à pernitiosa elatione reprimit, quod ait Apostolus*, quapropter, qui videtur stare, videat nè cadat. Volũtate autem sua cadit, qui cadit: & voluntate Dei stat, qui stat. Potens est enim Deus statuere illum: *Non ergo ipse seipsum, sed Deus.* Igitur conveniens fuit, non omnibus iustis dare perseverantiam, vt cum timore, & tremore nostram operemur salutem.

*August. de Bon. perseu. cap. 8.*

Non ergò est inscrutabile; Cùr Deus non omnes efficacitèr adiuvet? Cùr Deus non salvet omnes? Vt olim B. Ægydius Romanus scripsit tradẽdo rationem ex Apostolo à SS. PP. Augustino, & Thoma desumptam; solum est inscrutabile; Cùr vni, & non alteri donet Deus efficacem gratiam, perseverantiæ donum, aut gloriam?

*B. Ægyd. in 1. dist. 40. q. 3 art. 2.*

743 In 3. asserto: scilicèt. Peccatorem non habere, quo vecordiam suam excusare possit: *Quia oratio peccatoris dum petit necessaria ad vitam æternam semper exauditur, & ideò in eius potestate esse gratiam efficacissimam, & triumphatricẽ orãdo impetrare*: plurima discutienda sunt. Supponendo. 1. Non esse huius loci disputare; An Deus omnibus hominibus, etiã obstinatissimis peccatoribus conferat auxilia sufficientia? Sed vt certum traddere nullum peccare nisi habeat auxiliũ, quo possit expeditè, sivè mediatè, sivè immediatè vitare peccatum; *quis enim peccat in eo, quod caveri nullomodò potest.* Et vt de Deo asserit S. Leo: *Iustè nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Aliter enim non obtemperare præcepto erit peccati pœna, non formaliter culpa: vt superiùs diximus. Nec recurras ad suppositionem voluntariam peccati originalis, ex qua ortum ducit impotentia adimplendi præceptum; quia *ad culpam personæ requiritur volũtas personæ*, vt ait D. Thom. Vide suprà scripta.

*August de Nat. & Gratia, cap. 66. S Leo Mag. serm. 16 de Passione.*

*Sup n. 729.*

*D. Tho. in 2. dist. 30 q. 1. art. 2. in corpore.*

744 Suppono 2. Semper iustis adesse auxilium sufficiens ad observanda præcepta, & peccatoribus regularitèr sua culpa deesse (dũ deest,) & quia habent potestatem *filios Dei fieri*, & quia possunt *petere, quod non possunt facere*, vt Deus *adiuvet vt possint*. Vide suprà dicta: Quia *lex data est, vt gratia quæreretur*: *gratia data*

*Sup. n. 712.*

*Sup. n. 729.*

*ta est, vt lex adimpleretur*, vt August. ait: Et similiter inquit de Deo: *Iubet aliqua, quæ non possumus, vt noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides: orãdo impetrat, quod lex imperat.* Idem edocent Augustini discipuli; S. Prosper asserit: *Nequè vnquam ob aliud datur præceptum, nisi vt quæratur præcipientis auxilium.* S. Fulgentius: *Dum præcipitur nobis, vt velimus, ostenditur quid habere debeamus, sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur, vt à quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium.*

*August. de Spiritu, & Litt. c. 19.*

*August. de Grat. & Libero Arbit. cap. 16.*

*S. Prosp. Ep. ad Demetr.*

*S. Fulg. lib. 2. de Verit. Præd. c. 4.*

Nequè enim aliquando concedi potest *necessitas* simplicitèr dicta adhuc in peccatoribus obstinatis ad *peccandum formaliter*. Si enim aliquando de eis dicitur, non posse resistere, necessario peccare, est propter maximã, & ingentẽ difficultatẽ vt resipiscant, & vt eos peniteat, & ad Deũ cõvertantur; vt enim observat S. Anselmus: *Sæpissimè asserere solemus*, impossibilè *nobis esse, quod sine difficultate perficere non valemus.* Et S. Thom. *Dicitur, non posse sanari, qui non potest facilè sanari.* Mag. etiam August. nomine *necessitatis* vtitur. Dum maximam difficultatem exprimit, cum de seipso humilitate mirabili confitetur: *Suspirabam ligatus, non ferro aliquo, sed mea ferrea volũtate velle meum tenebat inimicus, & inde funes mihi fecerat. Ex perversa enim voluntate facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus annulis sibimet adstrictis tenebat me dura servitus.* Et tamen illa *necessitas* ex consuetudine, non fuit in August. impossibilitas non peccandi, sed maxima difficultas in inferendo vim moribus depravatis: & ideò obduratus est, qui *non de facili possit cooperari* (D. Thom. ait) *ad hoc, quod exeat de peccato. Dum scilicèt aliquis habet voluntatem ita firmatam in peccato, quod non surgunt motus ad bonum, nisi debiles.* Hæc difficultas impossibilitas dicitur, quia valdè rarum est, quod vincatur, vt asseruit morti proximus D. Hieronymus per hæc verba: *Hoc scio, hoc verũ teneo, hoc multiplici experientia didici, quod nunquam ei est bonus finis, cui semper mala vita fuit. Vix enim de centum millibus hominũ, quorum mala semper vita fuit, meretur in articulo mortis pœnitentiã vnus. Deus enim, sicut patiens est in miserando, ita iustus in puniendo*: Ita est difficultas maxima in obstinatis peccatoribus, sed nulla in peccando necessitas.

*S. Anselm. de Concord. q. 3. c. 10.*

*D. Tho. 3. p. q. 86. art. 1. ad 2.*

*S. Aug. lib. 6. Confess.*

*D. Th. q. 14. de Verit. ar. 11. in corp.*

*Eusebius de morte Hieron. in Epist. ad Damas.*

Supponendum 3. Quod cum diximus, auxilium sufficiẽs semper adesse, vel ad operandum, vel ad orandum, vt oratione impetrent, posse operari, non intendimus, quod hæc auxilia nunquam deficiant, sæpiùs enim excitationes, & motiones istas non experimur: *Certis rerum, ac tẽporum mensuris vocaris, vt redeas*, vt ait Aug: Sed Conc. Senonense, dum asseruit: *Nequè tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio: cum illa semper in promptu sit, & nè momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset*: Per ly enim *semper* idem intelligitur, ac *frequenter*, seù omni tempore congruo: Sic enim; hæc vox accipi solet in phrasi Scripturæ: vt cũ Paulus ait: *Semper gratias ago*: & dum scribit: *Gaudete in Domino semper.* Vel cum Christus ait: *Ego semper docui in Synagoga.* Aut cum hortatur: *Oportet semper orare*: Tempus autem congruum, vt auxilium Dei pulsans in promptu sit, est dum vrget præceptum: *Nè dixeris per Deum abest.* Et quia *Mandatum, quod ego præcipio tibi non suprà te est.* Similitèr est tempus congruum, cum tentatio impellit, & repugnat legi mentis: *Quoniam, qui dat potestatẽ tentatori, ipse tentato præbet misericordiam*, vt August. ait: In hijs quidem occasionibus frequenter occurrentibus:

*August. lib. cont. Epist. fund. c. 37.*

*Conc. Senon. cap. 15.*

*Actor. 14.*

*Ad Philip. 4.*

*Ioann. 18.*

*Ecclesiastici 15.*

*Deuter. 30.*

*August. in Psalm. 61.*

*Aug. lib de Salut. Monit. cap. 28.*

bus: *Ascendit oratio, & descendit miseratio*, seù auxilium sufficiens.

*Aguirre, disp. 125. sect. 5.* Moneoque cum Emin. Aguirre, Hæc auxilia præstantia peccatoribus sufficientiam *mediatam* (quam alij vocant *remotam*, licèt non rectè, sed dum de re constat, frustrà de nomine litigatur) qua possint impetrare proximam, nullo modo esse debita, quia *scimus eis, quibus datur misericordia Dei, gratuitam dari*: Quia homo ratione peccati est indignus omni auxilio divinæ gratiæ, meretur enim statim in gehennam detrudi, vbi nulla gratiæ auxilia; & vt docet D. Tho. etiam meretur anihilationem subiecti peccantis: Hæc ergo dicimus non de *iure*, sed de *facto* ex misericordia Dei erga peccatores, vt in via sunt, *vult enim, vt convertãtur, & viuãt*: Oratioquè peccatoris non habet efficaciam *merendi*, sed solùm *impetrandi* gratiam, qua Deus *adiuvet, vt* possit: Cuius rationem tradit Sanct. Doctor per hæc verba: *Oratio innititur principaliter fidei, non quantũ ad efficaciam* merendi, *quia sic innititur principaliter charitati, sed quãtum ad efficaciam* impetrandi, *quia per fidem habet homo notitiam Omnipotentiæ divinæ, & misericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit*. Et ideò asseruit D. Iacobus: *Postulet autem in fide nihil hæsitans*: Hæc asserẽda sunt de oratione peccatoris ad impetrandam gratiam sufficientem.

*Aug. Ep. 107. ad Vitalem.* *D. Th. in 4. dist. 40 q. 1. art. 2. ad 4.* *D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 15.* *D. Iacob. 1. v. 6.*

745 Accedamus iam ad examinandum assertum Sfrondati: An semper exaudiatur peccator, ita vt in potestate habeat gratiam efficacem, & triumphatricem peccati, non ex merito, sed ex Dei misericordia? Et dubium solùm potest procedere de oratione, quæ habet quatuor conditiones a D. Thoma assignatas; *vt scilicèt pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter*; Alitèr enim certum est non semper exaudiri adhùc per modum impetrationis, quæ solum Christi infinitis meritis nititur.

*D. Tho. vbi sup. art. 16.*

Assumptum probat: Ex illa vniversali *omnis, qui petit; accipiet*: vbi Chrisostomus: *Sivè iustus, sivè peccator sit*. Et ex illo Lucæ: *Dico vobis, & si non dabit, quia amicus est, propter importunitatem tamẽ surget, & dabit, quidquid habet necessarium*: Ergò amicitiæ præfertur perseverãtia orandi peccatoris: & ideò intulit D. Basilius: *Peccatores impetrare, quod petunt, si perseveranter petant*: Et ex S. Augustin. arguente verba illius cæci, dicentis: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*. Ita: *Cæcus adhùc innũctus loquitur, nã, & peccatores exaudit Deus; si enim peccatores Deus non exaudit, frustrà ille Publicanus diceret; Deus propitius esto mihi peccatori*: Accedit. D. Tho. asserens: *Quamvis oratio peccatoris non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa, quia meritum innititur iustitiæ, sed impetratio innititur gratiæ*: Vndè *orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit ex pura misericordia, observatis tamen quatuor præmissis conditionibus*. Deindè; quia aliàs oratio iustorum invalida redderetur; quia impetrandi vim habet oratio à fide, & fiducia ex illo *postulet in fide nihil hæsitans*. Sed nullus ferè est, qui absque vlla hæsitatione credat esse iustũ, cũ potiùs nesciat *homo an odio, vel amore dignus sit*. Ergò nullus haberet fiduciam ad impetranda necessaria, si peccator infallibilitèr non exauditur in necessarijs ad salutem; Non ergò habet, quo vecordiam suã excusare possit; quid enim faciliùs quàm petere gratiam efficacem? Et ita certum accepturum, quàm certũ est, Deum promisisse, & fallere promissa non posse?

*Sfrond pag. 223.* *Chrysostom. Homil. 18. Operis imperfecti.* *Matth. 7.* *Lucæ 11.* *D. Basil. in Const. Monast. cap. 1.* *D. August. tract 44. in Ioann.* *D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 16.*

746 Sed 1. assero: Esse de fide Deum per gratiam nos prævenire vt agamus, & vt oremus; & hanc gratiã esse efficacem; si enim peccator *non confidens in virtute sua confugit ad gratiã, qua præstante declinet à malo*

*August. de Correct. & Gratia.*

&

*& faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam nisi* cum à Domino gressus hominis diriguntur; & viam eius volet: *Ac per hoc desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est, de quo ille.* Et dixi nūc cępi, hæc mutatio dexterę *excelsi.* Ergò ex Augusł. ipsum orare, & desiderare auxilium gratię, est ex dextera excelsi mutante peccatorem, habere iam auxilium gratię efficacis: Et ideò scripsit Div. Fulgentius auxilium gratiæ *non possumus petere nisi Deus in nobis operetur, & velle.* Gratiamque esse necessariam, sicut ad operandum, ad orandum in Conc. Arausicano definitum est. Quod, & de gratia efficaci intelligendum est. Dum ergo vecordia peccatoris accusatur, quia non *rectè* orat Deum, exaudientem peccatores, excusari non potest, & tamē non ideò; quia potest certò obtinere gratiam efficacem ad orandum, aliàs in infinitum procederet, cum nō possit petere, & certò obtinere gratiam efficacem ad orandum, nisi media oratione ex dextera excelsi, Deo per gratiam operante velle orare. ¶ Aliter: Cùr fatetur Cardinalis, cum Augustino; esse inscrutabilè: *Cùr Deus vni, & non alteri det gratiam; Cùr autem istum potiùs, quàm illum liberet?* Hæc enim esset recta responsio: semper adest *potestas orandi*, & gratia efficax liberatrix infallibilitèr datur orantibus, negatur non orantibus: Quid faciliùs, aut promptiùs? Si non esset equè inscrutabilè, Cùr Deus vni, & non alteri donet gratiam orandi.

*D. Fulgent. de Verit. Prædest. & Grat. cap. 4. Cōc. Arausc. Can. 6.*

747 Alitèr: *Cùr huic donetur perseverantia vsque in finem illi autem nō datur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei*; ait Augustinus: Sed quamobrem inscrutabilè dicit esse? Cùr huic detur perseverantia, illi non donetur? Si audio Augusł: *Dum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseverantiā:* Si ergo perseverantia orantibus, sicut oportet conceditur, & negatur non orantibus; Cùr inscrutabilè dicit, huic, & non illi donari perseverantiam. Dum sit expedita ratio, omnibus adesse gratiam orandi, & perseverantiam dari illis, qui gratia orādi benè vsi sunt, & illis negari, qui male? Cùr inquam? Nisi quia iterùm audio Augusł. idipsum; Cùr vnus oret, alter non oret, ad inscrutabilia Dei iudicia pertinere siquidem cum *propter perseverandum* orare *oporteat, & non deficere* (Augusł ait) *audiunt hæc, & faciunt, quibus datum est, non autem faciunt, sivè audiant, sivè non audiant, quibus non datum est.* Quid illustriùs! Certè, quod si librum de Correptione, & Gratia legimus, vbi Adrumetini Monachi intendebāt: *Cùr corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus?... Vt faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant, & arguant.* Cùr Augustinus non respōdit: Non potes præcepta servare, nisi gratiam efficacem à Deo acceperis, sed vt accipias in te situm est, semper potes orare, & per orationem infallibilitèr gratiam efficacem obtinere: Et Monachi hac doctrina cōvicti iustitiam correctionis agnoscerent; fatentur quidem: *Rectè quidem corriperer, si possem ipse sumere, & non facerem, vel si dante illo accipere noluissem.* Vnde solùm insistebant: *Cùm autem voluntas à Domino præparetur*, (per gratiam quidem, quàm non possum sumere) *Cùr me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potiùs ipsum rogas, vt in me operetur, & velle.* Quid igitur Augustino nunquā in mentem venit tam expedita responsio? Quia videbat meritò etiam corripi non *orantes, sicut oportet*, quin possint impetrare gratiam efficacem ad orandum.

*Augusł. de Bono perseuer. cap. 9.*

*Augusł. de Bono perseuer. cap. 16.*

*Augusł. de Bono perseuer. cap. 14.*

*Apud Augusł. de Correp & Gratia, c. 6. et 3*

*Apud Augusł. vbi sup.*

748 Deniquè: Sicut Deus dat gratiam orantibus, ita *humilibus dat gra-* *Lucæ 8.*

*gratiam*: Et tamē non possumus dicere gratiam efficacē esse in nostra potestate, media humilitate; quia vt ait D. Fulgentius: *Neque Deus humiles, quibus dat gratiam, ante datam humiles invenit; sed dando gratiam humiles facit*; sed similitèr: Neque Deus orantes, quibus dat gratiam, ante datam orantes invenit, sed dādo gratiam orantes facit: *Ipsa namque incipit infundi, vt incipiat posci: Quis enim potest gratiam poscere nisi velit? Sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit*, vt etiam ait D. Fulgentius: Ergò nec per orationem possumus gratiam efficacem impetrare.

*D. Fulgent. ad Monim. cap. 18.*

*D. Fulgent. ad Theodorū de Convers. cap. 7.*

749 Nec est ita certum, vt Cardinalis iudicat: Peccatorem infallibilitèr exaudiri, dum orat, sicut oportet, Deū gratiam efficacem; quia Deus id promisit, & fallere promissis non potest: Certum quidem est, quod Deus *non nos hortaretur, vt peteremus, nisi dare vellet*: Sæpissime audire peccatores prosternentes preces ante faciem suam in miserationibus suis multis: Hoc tamen esse semper ex fidelitate Dei; non clarè edocetur à D. Thoma; solùm enim ait: *Potest esse impetrativa*. Et alibi: *Quandoque peccatorum oratio à Deo exauditur*. Magis favet D. Bernardus asserens de oratione peccatoris: *Quæ verò fidelis, & humilis, & fervens oratio fuerit: cœlum sine dubio penetrabit; vnde certum est, quod vacua redire non poterit*. Hāc què sententiam sequitur Suarez; sed oppositam docet noster Primarius Medina annumerans inter conditiones orationis, vt Deus exaudiat ex *debito promissionis*, quod fiat ex charitate.

*Auguſt. de verb. Dom. ſerm. 15.*

*D. Thom. ibi ſol. ad 2.*

*D. Tho. 2. 2. q. 178. art. 2. ad 1.*

*D. Bern. de Quadrag. ſerm. 4. de Oratione.*

*Suarez, lib. 1. de Orat. cap. 25.*

Non ergo hoc nunc decidimus; solùm asserimus vecordiam peccatoris, non ideò non posse iustè excusari, quia per orationem potest infallibilitèr impetrare gratiam efficacem; Cùm nec eius vecordia possit excusari, in nō orando sicut oportet, & tamen gratiam efficacē orandi non potest impetrare: Ideò ergo excusari non potest; quia si quæreretur de defectu gratiæ efficacis: Esset iusta responsio: *O homo, tu quis es, vt respondeas Deo: Vel tolle, quod tuum est, & vade; An non licèt mihi, quod volo facere.*

*Doct. Ioan. de Medina in Codice de Oratione: de his, quæ requir. ad efficac. orationis.*

750 Ex dictis colliges, doctrinam, quam proponit Emin. Aguirre, vt Thomistarum sententia, intelligibiliùs, & conformiùs Augustino defendatur, esse falsam; immò difficiliorem reddere sententiam nostram; summa est: Gratiam efficacem ad actus salutares non esse suppositionem simpliciter antecedentem; sed consequentem, quoniam potest homo libere illam per *orationem* impetrare cum divino adiutorio, vel impedire: Sed tota difficultas manet: *Omnis enim nostra oratio, & operatio* recta *à Deo semper incipit*. Sed componitur libertas *orationis* quin homo possit impetrare gratiam efficacem ad orandum, sicut oportet, aliàs procedemus in infinitum: ergò & stabit libertas *operationis*, quin homo possit impetrare gratiā efficacē ad operandum; remanet ergò integra difficultas in libertate *orationis*: Et alia additur in potestate acquirendi auxilium efficax ad operandum. Hæc ergo non reddunt nostram doctrinam faciliorem, sed magis obscuram, & difficilèm.

*Aguirre, disp. 124. sect. 4. in fine.*

***

TRACTA-




# TRACTATVS DE ARBITRIO HVMANO LAPSO

A NECESSITATE LIBERO AD CONSENSVM SALVTAREM à Deo per gratiam prævenientem excitato, & adiuto.

# PARS SECVNDA,

SEV DISPVTATIO TERTIA.

DE CONCORDIA LIBERTATIS A NECESSITATE CONSENSVS salutaris cum gratia, quæ adiuvando prevenit distincta ab ea, quæ præveniendo excitat.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrùm gratia sit cum libertate consensus salutaris concilianda ex eo, quod non cogat violentèr voluntatem, sed suavitèr ei velle tribuat?*

### SECTIO PRIMA.

*Gratiam prævenientem non pugnare cum libertate consensus salutaris, est veritas de fide, contra Pelagium, & Calvinum.*

751 PElagius infestissimus capitalisq; gratiæ Christi hostis, & superbus ellator humani arbitrij, necessitatē gratiæ Christi ad actus salutares blasphemè negare ausus fuit: & vt invidiam Catholicorum cāvillosè effugeret, omnes insidias, coluber ille Britanus, latebris, & cavillationibus se occultans, calidè tentavit, quas Magnus ille Ecclesiæ Pater, & SS. Doct. Augustinus, qui, vt Ecclesia canit, *post Apostolos secūda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia* devellavit mirificè, & Pelagianæ dementiæ triūphator egregius, gratiam Christi mētem illius inflammantem, & accēdē-

rem voluntatem apprimè suis discursibus demonstravit. Pestiferò enim sermone Pelagius evomuit, *in quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei in nos gratia custoditur, si nè ambulare quidem absquè Deo possumus facere?*

*Pelagi in Persona Critobuli apud Hyeron. lib. 1. adversus Pelagia. in principio.*

752 Cœlestius, & Julianus, in horrendo crimine socij, perversum, funestum Pelagianę Hæresis principium amplexerunt, asserentes: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate vniuscuiusquè est facere aliquid, vel non facere.* Quod fuit in Synodo Palestina primum ab ipso adhùc Pelagio ficto corde damnatum, nè ipse à Patribus Orientalibus anathematizaretur.

*Augustl. de Gestis Pelagij, cap. 18.*

753 Pelagius autem inter calũnias, quibus sæpius pulsavit Augustinũ, & Catholicos, Manichæismi reos esse vociferabat, quasi libertatem extinguerent, quia Divinam gratiam prædicarent. Ita cõquæritur Magnus Pater Pelagianos alloquens: *Vobis tàm malitiosum venenũ antiqui serpentis irrepsit, vt & Catholicos horrore Manichæi nominis infametis*; Ita etiam apud D. Hyeronimum deblaterat Pelagius: *Hoc doleo, cur viri Ecclesiastici, & qui Magistrorum sibi vsurpant vocabulum, tollant liberum arbitrium, quo sublato Manichæorum Secta construitur.*

*D. Augustl. contr. Iuliã. lib. 6. cap. 9.*

*D. Hyeron. lib. 3. ad eorum Pelag.*

754 Pelagiani etiam erroris alũni à perverso Magistro, sicut hæresim; ita, & maledicentiam mutuarunt; vndè de Juliano conquæritur Augustinus, quod Catholicos fingebat esse Manichæos, vt destructores esse arbitrij, minus cauti, vel minus eruditi crederent, quos non præcipitãtes arbitrium, gratiam Salvatoris ad iustè vivendum exactam prædicabant, & ita elegantèr edisserit Juliano respõdens: *Manichæos appellat Catholicos, more illius Iouiniani, qui ante paucos annos hæreticus novus, Virginitatem Sanctæ Mariæ destruebat, & Virginitati Sacræ nuptias fideliũ coæquabat. Nec ob aliud hoc obijciebat Catholicis, nisi quia eos videri volebat accusatores, vel damnatores esse nuptiarum.*

*Aug. cont. 2. epist. Pelag. lib. 1. cap. 2.*

755 Lutherus, & Calvinus dum Pelagianæ dementiæ hostes finguntur extollendo gratiam, Manichæorũ Hæresim susciterũt, liberum hominis arbitrium auferendo, quod esse *figmentum in rebus, rem de solo titulo, immo, & titulum sine re, & Sathana Magistro in Ecclesiam veniisse* deblaterarunt. Blasphęme etiam Catholicos Doctores Pelagianismi reos vociferabant. Sic evomit illos alloquẽs novus ille Aquilonis Appollo: *Desistite quæso ab hac insania miserrimi Pelagiani, si liberum arbitrium in gratia peccat, & insanit adversus gratiam, sicut cogimur omnes sentire, & quæruntur Apostolus, & omnes Sancti, certè contra omnem sensum est, vt extrà gratiam probrũ sit, & ad absentem se paret, quàm præsentem odit, & prosequitur.* Vbi Manichæorum errore seductus commertium cum Pelagianis falsò Catholicis criminatur, quia affirmant liberũ arbitrium posse ad gratiam præparari, manifestequè alucinatur, dum Apostolum, & Sanctos conquæri de libero arbitrio supponit, solùm enim de carnis fomite sæpè quęruntur.

*Luth. artic. 36. ad Leon.*

*Luther. vbi suprà.*

*Apostol. ad Roman. 7.*

756 Vbi notare placet, quàm rectè admonuit D. Thom. quod Hæretici, dum ab vno errore se discedere confingunt in alia simili impietate deprehenduntur; audiamus Sanctum Doctorem; ita edocentem. ¶ *Dum enim aliquos errores* vitare voluerunt, inciderunt in errores cõtrarios. Sic Arrius, dum vitare voluit errorẽ Sabellij confundentis Sanctæ Trinitatis Personas, incidit in errorem cõtrarium, vt divideret Deitatis essentiam; similitèr Euthices, dum vitare voluit errorem Nestorij dividentis in Christo Personam Dei, & hominis, contrarium errorem instituit, vt confite-

*D. Th. Opus. 3. cap. 3.*

*D. Th. Opus. 3. cap. 9.*

fiteretur vnam eſſe Dei, & hominis naturam. Sic etiam, dum aliqui vitare volunt Origenis errorem ponentis omnes pœnas poſt mortem purgatorias eſſe, in contrarium prolabuntur errorem, vt dicant nullam pœnam poſt mortem purgatoriam eſſe. Sancta verò Catholica, & Apoſtolica Eccleſia inter errores contrarios media lento paſſu incedit. Sicut enim diſtinguit Perſonas in Trinitate contra Sabellium, & tamen in errorem Arrij non declinat, ſed vnam tantum cõfitetur Perſonarum eſſentiam, in Incarnationis verò myſterio ècõverſo, naturas diſtinguit contra Euthicem, nec tamen cum Neſtorio Perſonam ſeparat, ſic, & in ſtatu animarum poſt mortem pœnas quaſdam purgatorias confitetur, eorum dumtaxàt, qui de hoc ſæculo abſquè peccato mortali cum charitatis gratia decedunt, ſed qui cum peccato mortali decedunt, cum Diabolo, & *Angelis eius æterno confitetur ſupplitio crutiandos.*

757 Hæreticaquè aſtutia, dum perverſum Dogma ſeminare intẽdit, veritatis Catholicæ defenſoribus hæreticorum nomen falsò imponit, vt inimici fidei lateant, & ſimplicibus perſuadeant pro Catholica veritate auxilium expoſcere: *Nihil aliud nitentes, niſi vt horribili Hæreſi obiecta, cuius ſe adverſarios eſſe confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ*; vt de Pelagianis præmonuit Auguſtinus.

*Aug. lib. 2. ad Bonifac. in princ.*

758 Ideò Pelagiani Catholicos eſſe Manichæos fingebant; Lutherani, & Calviniſtę Pelagianorum nomine Catholicos infamant: Veritas verò Catholica ſimul deteſtatur vtrumquè perverſa Dogmata; damnat Pelagianos, quin admittat Calviniſtas, anathematizat Pelagium, Julianum, Cęleſtium, Fauſtum, Caſianum, & ſimiles peſtes, ſimulquè deteſtatur Manichęos, Aſtrologos, Vviclefiſtas, Lutheranos, & Calviniſtas, nam illi veram gratiam Chriſti negant, vt liberum arbitriũ propugnent; iſti prætextu defendendi Chriſti gratiam liberum arbitrium hoſtiliter impugnant. Catholici verò, nec ad lævam, nec ad dexteram declinantes mediũ obſervant tramitem, nec liberum arbitrium ſanum poſt peccatum admittimus, non ita *Laudantes opus Creatoris, vt miſericordiã auferamus Redemptoris* redarguendo Pelagiũ: Nec eſſe poſt peccatum extinctum, aut amiſſum, quia *ſpiritũ adiuvare infirmitatem noſtram* fatemur, vt oppugnemus Lutherum. Pelagius extollit arbitrium, vt ſine adiutorio gratiæ poſsit peccata vitare; Lutherus, arbitrium neceſſariò peccare, & non niſi ad peccandum valere, arbitratur. Veritas tamen Catholica vtrùmque redarguit, edocens, liberum arbitrium non neceſſariò peccare, licèt ſine adiutorio gratiæ non poſsit peccata vitare.

*Auguſt. ad Bonifac. lib. 1. cap. 4. Ad Rom. 8.*

759 Sed Auguſt. gratiæ Chriſti; & Eccleſiæ glorioſiſsimus Defenſor, ſic præcavet nè audiantur à ſimplicibus Pelagiani, quia nimis anxiè deteſtantur Manichæos; quod æquè convincit, non eſſe admittendos Calviniſtas, quia adverſantur Pelagianis; ſic licèt diffusè, elegantèr edocet Magnus Parens: ¶ *Non in eis* (Pelagianis ſcilicèt,) *quæ conſtat eſſe Catholica* reprehenduntur, atque damnantur. Impietatem quippè Manichęorũ nimiam, ſtultam, & noxiam, non ſolũ fides Catholica deteſtatur, verùmetiã Hæretici omnes, qui non ſunt Manichæi; vndè, & iſti Pelagiani hoc benefaciunt, Manichæis anathema dicere, & eorum erroribus contradicere. Sed faciunt duo mala, quibus, & ipſi anathematizandi ſunt: vnum, quod Catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterùm, quod etiam ipſi Hæreſim novi erroris inducũt. Neque enim, quia Manichæorum morbo non laborant, propterea fidei ſanæ ſunt. Non vnum peſtilentiæ, eſt genus, quemadmodũ incorporibus,

*Aug. lib. 2. contr. duas ep. Pelag. c. 1.*

ita, & in mẽtibus. Sicut ergo medicus corporis non continuò pronuntiasset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lætali morbo perspexisset ęgrotum; ita istis non ideò veritas gratulatur, quia Manichęi non sunt, si alio genere perversitatis insaniunt; quapropter aliud est, quod anathematizamus cũ eis, aliud quod in eis. Detestamur enim cum eis, quod rectè displicet etiam ipsis, ita tamen, vt detestemur in eis; *Vndè rectè displicent ipsi.* ¶

760 Prosequitur M. Pater idem assumptum, ita lucidè demõstrando. ¶ *Desinant itaquè Pelagiani* Catholicis obiectare, quod non sunt, nec ideò se velint haberi amabiles, quia odioso Manichæorũ adversantur errori, sed meritò se agnoscant odibiles, quia suum non adversantur errorem. Possunt enim duo errores inter se esse contrarij, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarij veritati. Nam si propterea sunt diligendi Pelagiani, quia oderunt Manichęos, diligendi sunt, & Manichęi, quia oderunt Pelagianos. Sed absit vt Catholica Mater propter *alterorum odium, alteros eligat amare, cum monente, atque adiuvãte Domino debeat vtrosque vitare, & cupiat vtrosque sanare.* ¶ Tanta Augustinus, O si Janseniani, qui Augustini Discipuli vociferantur non velent haberi amabiles, quia odioso Pelagianorum adversantur errori, & meritò se agnoscerent odibiles, quia suum non aversantur errorem?

*Aug. vbi sup. cap. 2.*

761 Quàm frivola, & pernitiosa sit intentio eorum, qui dum errorẽ inducere molliuntur, contrarium errorem detestare, & expugnare iactãt; Pontifices Summi passim observant: Audiamus S. Leonem Maximum huius nominis primũ, sic elegantèr reijcientem hanc Euthicianorum vanam excusationẽ. ¶ *Quamvis quod multũ dolemus quidam adhùc, (sicut sermo indicat nuntiorum) tenebras suas* diligant, & cum vbiquè diei splendor exortus sit, etiam nunc cæcitatis suæ delectentur obscuro, & perdita fide, solo, & vacuo remanserint nomine Christiani, non habentes intelligentiam, qua errorem ab errore discernant, & blasphęmiam Nestorij ab Eutichetis impietate distinguant. Nec enim ideò excusabilis videri aliqua eorum falsitas potest, quia ipsi sunt in sua perversitate contrarij. Nam cum Nestorium Eutichetis discipuli detestentur, & Eutichetem anathematizent Nestorij Sectatores; Catholicorum iudicio pars vtraquè damnatur: & ambæ simul Hæreses à corpore Ecclesiæ resecantur, quia neutra falsitas nobiscum potest habere concordiã. *Nec interest, quo sacrilegio ab Incarnationis Dominicæ veritate discordent, dũ id, quod pravissimè sentiunt, nec authoritas Evangelij, nec ratio recipiat Sacramenti.* ¶ Rectè Calvini, & Jansenij alumni detestantur Pelagium; rectè Pelagij sectatores anathematizant Calvinum, sed neutra eorum falsitas cum Catholicis potest habere concordiam, quia nõ interest, quo sacrilego errore à veritate discordent, si id, quod pravissimè sentiunt authoritas Ecclesię damnat.

*S. Leo ep. 62 ad Maxim. Anthiocenum Episc.*

762 Sed quàm rectè admonet Innocentius III. quod Hæretici, licèt *habeant dissimiles facies, habent caudas ad invicem colligatas*: Pelagiani enim, & Calviniste in multis colligãtur, vt Orthodoxorum fidem oppugnent; licèt inter se pugnantes facie videantur, vt aliorum error ex oppositione cum alio simplicium voluntates fallacitèr decipiat; & vt increpabat Pelagianis Augustinus asserendo: *Vobis tàm malitiosum venenum antiqui draconis irrepsit, vt & Catholicos horrore Manichæi nominis infametis, & Manichæos perversitate vestri dogmatis adiuvetis*; ita Calvinistæ Catholicos horrore Pelagiani nominis infamant, & Pelagianos perversitate sui Dogmatis adiuvant; insi-

*Innoc. III. in Conc. Lateran. & refertur in c. excommun. extrà de Hæret.*

*Augusti. ad Bonif. lib. 4. cap. 4.*

pi-

picite enim, qualiter Pelagiani habẽt caudas colligatas Calviniſtis, & Lutheranis.

763 Conveniunt 1. Pelagiani cum Calviniſtis in reijcienda concordia gratiæ verè prævenientis cum libertate ſalutaris conſenſus, & cum illi inimici gratię libertatem extollũt, & libertatis oſſores gratię efficaciam nimium exaltant, in funeſto illo principio *non eſt liberum arbitrium, ſi Dei prævenitur auxilio* amico federe coniunguntur.

764 Principium enim illud, in quo ſacrilega Pelagiana Hęreſis innititur; magnificat Fauſtus Semi-Pelagianorum Anteſignanus, dum ita diſputat: *Igitur dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædeſtinatione ſtatuta, & definita eſſe pronuntiat, etiam ſuprema remedia pœnitentiæ, ſenſu abruptæ impietatis evacuat.* Eodem fine diſputat Caſianus, dum aſſerit de fide Centurionis: *Nullius enim laudis eſſet, aut meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donaverat prætuliſſet*, de quo fundamento inſurgit ita elloquens D. Proſper: *At exigua concluſione pene totũ tu Pelagianum dogma confirmas.*

765 Similiter opponunt Lutherus, & Calvinus, vt eandem concordiam libertatis noſtræ cum vera prę-veniente gratia oppugnent; evomebat enim Lutherus: *Cor regis in manu Domini, quocumque volverit inclinabit illud. Vbi ergo eſt liberũ arbitrium? Figmentum eſt penitus.* Eodem fine ita inſurgit Calvinus: *Pronuntiat Chriſtus efficacem eſſe Spiritus Sancti gratiam, qua trahuntur vt neceſſariò credant. His prorſus evertitur tota liberi arbitrij poteſtas, quàm ſibi ſomniant Papiſtæ.* Videte Calviniſtæ quomodò perverſitate veſtri dogmatis Pelagianos adiuvetis.

766 Secundò habent caudas colligatas, quia veram gratiam excitantem, tàm Pelagiani, quàm Calviniſtę ſacrilege denegarunt; de Pelagianis hoc expreſsè edocet M. Pater; ita ediſſerens: *Vos autem in bono opere ſic putatis adiuvari hominem gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipſum bonum opus volũtate, nihil eam credatis operari*: & ex libertate, quam extollendo præcipitabant, Deum non prævenire excitando ad opus bonum colligebant; itaquè diſputabant: voluntas eſt libera; ergò nihil operatur gratia excitando volũtatem ad opus bonũ. Vbi ex antecedenti verò per malam logicam conſequens Hæreticum inferebãt. Calvinus etiam gratiam excitantem ad opus bonum voluntatẽ ſtolidè denegavit; vt alibi fuſsè demonſtravi, & cum gratiam internam ſufficientem reijceret gratiam excitantem non potuit agnoſcere: ſufficiat Malderus Epiſcopus Antuerpiẽſis; ſic ediſſerens: *Nullam eſſe gratiã excitantem, quæ non ſit efficax; effectumquè habeat coniunctum, docuit Calvinus.* Ex perverſoquè errore libertatis extinctę conſequenter licèt ſtolidè collegit nullam eſſe gratiam purè excitantem, quia fruſtrà excitatur moralitèr ad agendum, quod ſine libertate operatur; & ideò bruta minimè excitantur moraliter ad agendum; vndè ſic diſputat Calvinus: voluntas non eſt libera; ergò nõ eſt gratia prævéniens ipſam excitando moralitèr ad opus bonum: vbi ex antecedenti Hæretico cum bona logica conſequens Hęreticum inferebat.

767 Tertiò caudas obtinent colligatas Pelagiani, & Calviniſtæ in expugnando gratiam cooperantem; ſic enim apud Hyeronimum evomit Pelagius: *Si in omnibus ille cooperatur, non eſt meum, ſed eius, qui adiuvat, imò qui in me cooperatur, præſertim cum abſquè eo facere nihil poſsim.* Vbi ex eo, quod opus eſt meum ex arbitrij libertate, infert Deum non cooperari in me per gratiam; vndè ex antecedenti verò per malam logicam conſequens Hæreticum inferebat.

768 Calvinus etiam expreſsè gra-

*Fauſtus lib. 1. de Arb. cap. 11.*

*Caſianus col. 13.*

*I. Proſp. in Collat.*

*Luther. in aſſer. ar. 36.*

*Calv. in cap. 6. Ioann.*

*Aug. lib. 1. ad Bonif. c. 19.*

*Sup. n. 17.*

*Mald. in 1. 2. q. 111. artic 3. dub. 4. Calvin. lib. 2. inſt. c. 3. ſeſſ. 10.*

*Hyer. lib. 1. adverſ. Pelag.*

gratiam cooperantem cum Pelagianis negavit: Non quia voluntati negaret cum Lutheri stultissimo errore influxum activum in opera bona, sic enim controversiam cum Catholicis proponit pestiferus Hæresiarcha: *Non hoc quæritur: Agat nè voluntas, quod extrà dubium est; sed agat nè à seipsa, an pro modo Divinæ actionis? Quis enim nescit per voluntatem fieri, vt velit homo?* Sed quia negabat voluntatem à se moveri, & determinari, cum nullum opus bonum in suo Dominio, & potestate habere, sed vnicè à gratia moveri, & determinari deliraret: Hanc fuisse Calvini dementiam ex Doctissimis Scriptoribus desumpsi alibi relatis: Nunc adduco evidentia Calvini testimonia: primũ sit, dum flagitiosus Hæresiarcha versat illud Ioannis *sine me nihil potestis facere*, & sic adversus Catholicos insurgit: *Papistæ hanc sententiam non extenuant modò, sed enervant, imò potiùs eludunt. Etsi enim verbo tenus fatentur, nos sine Christo nihil posse, aliquid tamẽ facultatis suppetere nobis somniant, quod per se quidem non sufficiat, sed Dei gratia adiutum cooperetur.* Vbi clarè vides somnium putat facultatem nostram adiuvari, vt Dei gratiæ cooperetur. Pergit ita evomens: *Palmes* (inquit Christus) *nullum fructũ habet à semetipso. Ergò non tantum cooperantis suæ gratiæ auxilium hic commendat, sed nos penitus privat omni virtute, nisi quam suppeditat ipse nobis. Ergò hæc particula sine me, sic resolvi debet, non nisi ex me.* Vbi clarè conspicitur gratiam cooperantem reijcere, quia asserit bonum opus vnicè esse ex determinatione gratiæ, & non etiam ex determinatione nostra.

769 Ampliùs confirmo hanc fuisse Calvini perversam opinionẽ ex alio testimonio à Bellarmino adducto, vbi sibi opponẽs illam Pauli sententiam: *Plus omnibus laboravi, non autẽ ego; sed gratia Dei mecum*; ita illam illudit: *Non enim gratiam Domini secũ laborasse scribit Apostolus, vt se consortem laboris faciat. Nam si ad verbum reddas, non ego, non dicit gratiã sibi fuisse cooperatricem, sed gratiam, quæ sibi aderat, omniũ fuisse effectricem.* Audi Calvinum negantem gratiam fuisse Apostolo cooperatricem.

770 Quo tamen fine gratiam cooperantem abstulit Calvinus, ex ipso manifestè colligitur, nè scilicèt operam perderet, dum liberum arbitriũ extinctum, & non tantùm infirmum sustinebat: sciebat enim Augustinum sæpiũ demonstrasse contra Pelagianos cum libertate, & dominio nostro non pugnare gratiam adiuvantem, & cooperantem, potiùsquè ex gratia adiuvante, & cooperante libertatem deduci: Non enim cooperatur, aut adiuvatur, nisi quod ex sua determinatione, & dominio agit licèt adiutorio indigeat; Decretoria enim fuit Augustini sententia: *Liberũ arbitriũ non tollitur, quia iuvatur, potiùs iuvatur, quia non tollitur*, & hoc innixus fundamento sæpiùs Pelagianos confundit; ita enim disputat: *Adiutor noster Deus dicitur, neque adiuvari potest, nisi qui sponte connatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura, rationem; voluntatemquè non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis*, & alibi: *Si dicis adiutor meus esto, aliquid agis, nam si nihil agis, quomodò ille adiuvat.* Et alibi: *Prorsus hoc credite, sic vos agere bona voluntate, quia invitis vtiquè agitis. Non enim adiutor est ille, si nihil operamini.* Cũ ergò voluntatem ex sua determinatione, potestate, aut dominio agere, & operari denegaret Calvinus, volũtatem cooperari gratiæ, & adiuvari à gratia Hęreticè renuit; quod enim agit, vt purè motum, & determinatũ non cooperatur moventi, sicut calamus, nec cooperatur, nec adiuvatur adscribendum, sed purè movetur, vt litteras activè pingat: Itaque disputat

Calv. apud Camerariũ de Lib. Arbit. c. 5. s. 2.

Sup. à n. 10.

Ioann. 15. Calvin. lib. 2. inst. c. 3.

Bellar. lib. 6 de Lib. Arb cap. 10.

Paulus 1. ad Cor. 15. Calv. lib. 2. inst. cap. 3. 11. & 12.

Aug. lib. 2. de Peccat. Mer. cap. 5.

Aug. tract. 4. in Epist. Ioan. col. 4. Aug. serm. 13. de verb. Apost.

tat

tat Calvinus: Voluntas licèt velit,& agat est purè determinata ad agẽdũ, quin habeat actionem in suo dominio,& potestate,cum libera non sit; ergò gratia,nec adiuvans,nec cooperans est,sed purè voluntatem movẽs; vndè cum bonâ logica: consequens Hæreticum,ex antecedenti Hæretico deducebat.

771 Pelagiani ergo,& Calvinistę inter se facie pugnantes,ex diversis principijs,in perversis Dogmatibus vniti Catholicam procacitèr oppugnant Ecclesiam, sed portæ inferi non prevalebunt adversus eam; Sacrosancta enim Tridentina Synodus vnico ictu omnes has Hæreses anathematis fulmine percussit,declarãs: *Liberum arbitrium motum, & excitatum cooperari assentiendo Deo excitanti,ita vt possit dissentire.* Vbi liberum arbitrium esse conciliandum cum gratia,à gratia excitari, vt gratiæ cooperetur,simul definivit.

*Trid. sess. 6. de iust. Can. 1.*

Orthodoxiquè Patres nostræ Religionis pernitiosos hostes distringere,& absumere intendunt, dum gratiæ Christi prævenientis opera salutaria necessitatem,cum libertate nostra conciliant.

772 Sit primus inter illos M.P. Augustinus ita edisserens: *Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negaverit,Catholicus non est*: & *quisquis sic esse dixerit,quod sine Deo bonum opus,ideſt,quod ad eius sanctum propositum pertinet,nec perficere,nec incipere possit, Catholicus est.* Vndè supplicitèr deprecatur, quod Deus eum liberet ab vtroquè pestifero errore Pelagiano,&Manichæo;& exindè à Lutherano; Lutherus enim, vt ait Senonense Cõcilium, dum nimiè effugit Pelagiũ factus est Manichæus; sic elegantèr afflatur: *Quosdam nimia voluntatis suæ fiducia extullit in superbiam,quosdam nimia voluntatis suæ diffidentia deiecit in negligẽtiã: illi dicunt, vt quid rogamus Deum, nè vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt, vt quid connamur benè vivere, quod in Dei est potestate? O Domine,ò Pater, qui est in Cœlis,nè nos inferas,in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo!* Quasi Augustin. ita disputet: benè vivere est in nostra potestate; aliàs negligentia benè vivẽdi posset iustè excusari; sed Deus prevenit per gratiam, vt benè vivamus, aliàs superba elatio,& nimia fiducia bonæ vitæ in voluntate nostra, non posset iustè increpari; ergò rectè conciliantur, benè vivere esse in nostra potestate,& libertate, & quod Deus nos præveniat per gratiam, vt benè vivamus.

*Augustin. 3. Hypognostic cont. Pelag.*

*Concil. Sen. Decret. 15. de Lib. Arb*

*Aug. Hom. 53 sup. Ioã.*

773 Mag. Parens alibi ita afflatur: *Nihil in scripturis sanctis homini à Domino video iuberi propter probandum liberum arbitrium,quod non inveniatur,vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Ergò quod nobis à Deo præcipitur, Deum exposcimus, quia à Deo donatur; sed ex præceptis libertas nostra cõvincitur, nulli enim præcipitur, nisi quod habet in potestate,& ex oratione necessitas gratiæ demonstratur: *Non enim* (ait Magnus Parens) *poscerentur à Deo, quæ præcipit fieri, nisi ab illo donarentur vt fierent.* Ergò sicut conciliatur, Deum præcipere, & ipsum, quod præcipit, ab ipso exposcere, componi debent, & nos libere agere,& à Deo per gratiam donari, quod agimus.

*Aug lib. 2. cont. 2. epist. Pelag. c. 1.*

*Augustin. de Prædest. SS. cap. 14.*

774 Aliter insurgit Augustinus sua vulgata sententia: *Si non est gratia,quomodò salvat mundum? Si non est liberum arbitrium,quomodo iudicat mundum?* Quàm ita transcripsit Div. Bernard. *Tolle liberum arbitriũ, nõ erit, quod salvetur; tolle gratiam, non erit, vndè salvetur.* Quasi ita disputet: Christus simul est Salvator,& Iudex; ergò simul nos gratia sua prævenit, alias non esset Salvator, & libere operamur, aliàs opera nostra non posset rectè iudicare.

*Aug. ep. 46 Bernard. de Gratia, & Lib. Arbit.*

Au-

775 Audiamus post M. Patrem Maximum Ecclesiæ Doctorem à gratiæ defensoribus, ita calumniam Manichæismi refellentem: *Frustrà blasphæmas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat*; & alibi ita disputantē: *Salvator in Passione ab Angelo confortatur: & Critobulus meus non indiget auxilio Dei habens liberi arbitrij potestatem.* Et vlteriùs convellit Critobulum, seù eius nomine Pelagium: *Ego nè liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea, nihil aliud egi, nisi vt Omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conservarem.* Sed insurgit Critobulus: *Quomodò servas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse facere, nisi Deus semper adiuverit?* Et respondet Hyeronimus: *Si in culpa est, qui libero arbitrio iungit Dei adiutorium; ergò ille laudetur, qui Dei tollit auxilium.*

*Hyeron. ad Ctesiphontē in fine.*

*Hyeron. lib. 2. adversus Pelagian.*

776 Coronidem imponat Div. Gregorius Magnus, ita elegantèr demonstrans cōcordiam gratiæ cum libertate, & vtramquè Hęresim cōvellens: *Bonum, quod agimus, & Dei est, & nostrum. Dei per prævenientem gratiam. Nostrum per obsequentem voluntatem. Si enim Dei non est, vndè ei gratias in æternum agimus; rursus si nostrum non est; vndè nobis retribui præmia speramus; quia ergò non immeritò gratias agimus, scimus, quòd eius munere prævenimur. Et rursum, quia non immeritò retributionem quærimus, scimus, quod subsequētē libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus.* Quasi ita inferat M. Gregorius. De opere nostro bono, & gratias Deo agimus, & præmium spectamus; ergò sine pugna, & à gratia Dei prævenitur, & à nostra potestate libera, & dominio proficiscitur: Si enim non liberum, Cùr præmio dignum? Si à gratia Dei non prævenitur, Cùr pro eo Deo gratias agimus?

*Greg. lib. 3. Moral. c. 25.*

Præmissa iam vt fide certa concordia gratiæ prævenientis cum nostra libertate, modum huius concordiæ exagitamus, investigandum, & discutiendum suscipimus.

## SECTIO SECVNDA.

*Nova Ianseniana gratiæ prævenientis efficacis cum libero arbitrio concordiæ refertur, & vt Hæretica, & ex Calvino deprompta reijcitur.*

777 IAnsenius explodens omnia, quæ in Scholis de gratiæ efficacis cum libero arbitrio concordia edoceri solent, Theologis inauditam & ex Augustinianæ doctrinæ principijs manifestè deductam conciliationem gratię efficacis cū libertate nostra se inveniſſe stolidè gloriatur: Quàm sic exponit: *Quātumvis Deus per gratiā efficacitèr operetur nō invitus homo facere cogitur, sed sponte, ac volendo facit.* Vndè hæc arcana conciliatio gratiæ efficacis cū libertate in eo sistit; quod victrix gratiæ efficacia voluntati necessitatem imponit, sed nullatenus coactionem, seù violentiam inducit; vndè nec libertatem lædit, quia libertas nullatenus per necessitatem labefactatur, quæ cum voluntariò non pugnat, solùm coactione, seù violentia perit, quàm minimè infert imperiosa gratię virtus. Hoc opinionis portentum rectè edocet Jansenius inauditum, & ignotum esse in Scholis Catholicis, omnē falsitatem verò supperat ex Augustini principijs depromptum esse, cum potiùs ex flagitiosis Hæresiarchis Luthero, Calvino, & alijs Ecclesiæ perduellibus descriptum sit.

*Ianſen. lib. 8. de Gratia Christi per totum: specialitèr cap. 5.*

778 Qui enim Jansenium debellarunt evidentèr cōvincunt, nil apud Orthodoxos magis notum, quàm Hetherodoxos genuinam gratię efficacis cum libertate concordiam exponere, quia gratia non lædit voluntatis motum, licèt necessariò trahat in as-

Calv. lib. 2. iſt. cap. 3.

aſſenſum; ſic enim cõtendit Calvinus S. Auguſtinum, cum docet gratia non lædi libertatis voluntatem, ſolùm ſignificare: *Hominem non ita trahi, vt ſine motu cordis, quaſi extraneo impulſu feratur; ſed intus ſic affici, vt ex corde obſequatur.* Et dum adverſus Tridentinos Patres inſurgit, ita loquitur: *Quid ergo inquies ſibi vult Auguſtinus, cum de libertate volũtatis loquitur? Nempè, quod toties repetit, non cogi homines invitos Dei gratia, ſed voluntarios agi, vt ſponte pareant, ac ſequantur.* Eandemquè liberi arbitrij cum gratia concordiam Calvini Diſcipuli tradiderunt, vt ex Chimnicio, & Molineo demonſtrat P. Decamps, qui ita ediſſerit: *Reliquos non appello, qui ex eadem ſchola gratiam cum libero arbitrio ſic compoſuerint, quia tanto conſenſu faciunt, vt ex ijs nemò ab hac Calvini opinione deſciverit, cui continuò alij omnes tanquàm deſertori, ac tranſfugæ bellũ non indixerint.*

In Antid. Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 6.

P. Decamps lib. 1. diſp. 1 c. 2. & diſp. 13. cap. 8.

779 *Hæc ſunt Principum, & Sociorum tuorum, ô* Janſeni, *nomina, vt animadvertas, qualium conſortio gloriaris. Nec erubeſcas de ſocietate talium, renuens eorum nomina, quorũ blaſphæmijs iungeris.* Calvini *inſtitutio, tui ingenij diſciplina eſt. Quidquid illi reſponſum eſt, tibi reſponſum credito. Nec fieri poteſt, vt diverſus ſit eorum exitus, quorum eſt vna ſententia. Vetuſtiſſimum cœnum, quaſi novam ſuſcipis temperaturam.* His verbis increpabat olim Pelagium, Maximus Hieronymus.

D. Hieron. Cteſiphõt. adverſ. Pel.

780 Vndè contra perverſam hanc concordiam, ſic primò diſputo: Victrix gratię efficacia debet conciliari cum illa libertate, quàm ſemper Eccleſia Catholica propugnavit, Hęretici negarunt, qui libertatis oſſores fuerunt proſcripti, & anathematis fulminibus obtriti; ſed Eccleſia Catholica libertatem à neceſsitate contra Hæreticos propugnavit, quàm peſtiferi Hęretici labefactare tentarunt, libertatem verò à coactione ſemper confeſsi ſunt, nec adeò fatui fuerunt, vt negarent voluntatem velle dum vult: ergò efficacia gratię ſine præiudicio libertatis à neceſsitate eſt defenſanda: ergò abſurdè defenditur, ſi libertatem à neceſsitate extinguit, licèt coactionem, ſeù violentiam non inducat; Cętera patent: & minor eſt evidens ex his, quę alibi contra Janſenium tradidi, & ex Calvino tranſcripſi, quibus addo Lutherum exponentem qualitèr gratia voluntatem moveat: *Si Deus in nobis operatur mutata, & blande aſsibilata per ſpiritum Dei voluntas, iterùm mera lubentia, & pronitate, ac ſpõte ſua vult & facit non coactè pro natura voluntatis, quæ ſi cogeretur, voluntas non eſſet, nam coactio potiùs eſt, vt ſic dicam, noluntas.* Certè non potuit expreſsiùs affirmare Lutherus ſpiritum Dei non cogere volũtatem, & libertatem extinguere propugnavit, ita vt nomen libertatis abolere intendens, ſervum nuncuparet arbitrium.

Sup. à n. 653.

Luther. de ſervo arb. f. 468.

781 Sic ergo inſurgo: Primò. Hæretici ex efficaci gratia libertatẽ Catholicam, & veram deſtruebant, aliàs vt oſſores libertatis nõ fuiſſent ab Eccleſia proſcripti, ſed Hęretici cum efficaci gratia conciliarunt libertatem à coactione, dum affirmant gratiam non cogere voluntatem; ergò ad conciliandam efficacem gratiã cum libertate Catholica non ſufficit, quod gratia non cogat voluntatem. ¶ Aliter: Hæretici ex efficaci gratia libertatem Catholicam ſuffocabant: ergò ex efficaci gratia aliquid colligebant oppoſitum libertati Catholicæ, aliàs re vera libertatem non auferrent, ſed Hæretici ex efficaci gratia non inferebant in voluntate coactionem, cum potiùs ſupponãt, quod ſi voluntas cogeretur voluntas non eſſet: ergò aliquid præter coactionẽ re vera pugnat cum libertate Catholica: Vndè 1. quod aliud niſi ſimplex neceſsitas auferens poteſtatẽ ad oppoſitum, quàm Hęretici ex gratia efficaci

ficaci inferebant, & profitetur Jansenius? 2. Cum nihil præter coactionem cum libertate Jansenianâ pugnet, certè hæc libertas non est illa Catholica, quàm Hæretici abolere intẽdebant, & cuius vt inimici fuerunt Apostolico mucrone percusi.

782 Secundò ampliùs eadem veritas convincitur: libertatem à necessitate divinæ gratiæ vi extingui, dixit Calvinus, libertatem verò à coactione gratię efficacia minimè violari, sed eodem modò propugnat Jansenius; gratiam victricem extinguere libertatem à necessitate, libertate à coactione omninò illęsa; ergò non potest damnari Calvinus, illæso Jansenio, quia rectè concordiam gratiæ cum libertate non exposuit.

## SECTIO TERTIA.

*Hanc Iansenij sententiam à Sacro Tridentino Concilio, vt Hæreticam proscriptam esse demonstratur, & inepta cavillatio Iansenij refutatur.*

EFficaciam gratiæ sine præiudicio libertatis à necessitate defensandam esse ex Sacro Tridentino Cõcilio evidentèr infertur, & cum Calvini, & Jansenij sit vna sententia, non stat Calvinum Tridentinæ Synodi fulminibus percuti, quin isdem Jansenius, & sui Dogmatis assertores æquè amburantur.

783 Decretum Tridentinum, quo concordia divinę gratię cum libero arbitrio anathematè sancitur, ita definit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatũ nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atquè vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si vellit, sed veluti innanimè quodam nihil omninò agere, merè què passivè se habere, anathema sit.* Vbi non solùm damnari Lutherum illis verbis: *Veluti innanimè quodam, merèque passivè se habere.* Sed etiam Calvinum in illis: *Neque posse dissentire, si velit*, vna voce omnes Catholici confitentur; & ita disputo: Tridentinum definit, quod dum liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo cooperatur assentiẽdo, potest dissentire, si velit; ergò declarat cum motione efficaci, cui arbitrium cooperatur assentiendo, excitationi, posse dissentire; ergò cum motione efficaci ad consensum statuit posse arbitriũ dissentire; ergò non solùm definit consensum esse liberum à coactione, sed etiam à necessitate, quia, vt est notum, dum potest esse dissensus non est necessarius consensus. ¶ Alitèr; gratiæ motio inferens consensum, ita vt servet arbitrium posse dissentire, minimè est necessitans consensum, quia necessitas consensus pugnat cũ potestate dissensus, sed ex Tridentini sanctione, motio gratiæ inferens consensum servat in arbitrio posse ad dissensum; ergò ex Tridentino gratiæ motio non est necessitas simplex, & absoluta consensus; Jansenius ergò dum vult libertatem consensus conciliare cum efficacia gratiæ, quia necessitans, & non cogens, manifestè Tridentino opponitur.

784 Sed 1. quia inepta explicatione Tridentinum Canonem labefactare tẽtat Jansenius; ipsum auditè mysteria sui pestiferi Dogmatis exponẽtem; ita inquit: *Sicut Scholastici, quãdo audiunt Synodum* Tridentinam dicentem, voluntatem posse dissentire, si velit, putant, & rectè putant significari humani arbitrij libertatem; sic etiam intelligunt eadem prorsus ratione libertatem indicari, si diceretur, volũtatẽ posse velle, si velit, posse non velle, si velit. Nam quid est consentire, nisi velle, quid est dissentire, nisi non velle. Si ergò phrases istæ infallibilitèr demonstrant humani libertatem arbitrij, profectò liberum erit arbitrium, etiam si immutabilitèr

*Trid. sess. 6. Can. 4.*

*Iansl. lib. 6. de Gratia Christi, c. 35.*

bilitèr vellit, aut immutabilitèr nolit. Facit enim illa si vult, eodem modò, sicut consentit, si vult. Siquidem omnis voluntatis deliberatæ motus essentialitèr quoque talem indifferẽtiam contradictionis, *quodam sensu secum trahit.*

Vndè concludit hanc propositionem Tridentini, *arbitrium motũ, dum cooperatur assentiendo potest dissentire, si velit*, esse absolutè veram, licèt gratia medicinalis necessitet ad consensum, ita vt arbitrium, nec possit dissentire, nec possit hoc velle; sicut istę propositiones sunt absolutè veræ: *Potest Beatus Deum non amare, si velit, &c. Potest Deus iniquitatem non odisse, si velit.* Quia cum istæ propositiones sint conditionales nil in esse affirmãt, sed solũ conditionatũ sub hypothesi conditionis, licèt hypothesis sit absolutè impossibilis.

*Abbas in Epistol. ad Episc. pag. 48.*

785 Dum ita futilèm, & ineptã responsionem Jansenij rideo, miror valdè Jansenianos eam propugnare, dum aliquis ità scribit: *Eo sensu reijci posse gratiam, quatenus eam abijceremus, si vellemus: non posse verò reijci, quoniam velle hoc nõ possumus.* Sed quàm iustè D. Hyeronimi verba vsurpari in Jansenium possunt: *Sententias vestras prodidisse, superasse est. Patet prima fronte blasphæmia. Non necesse habet convinci, quod statim professione blasphæmum est.*

*Hyeron. ad Ctephont. in fine adversus Pelag.*

786 Sed priusquàm evidentissimè reijciamus tam absurdã depravationem Tridentini Canonis; vndè fluxerit demonstremus. Primò enim fuit excogitata à flagitioso Hæresiarcha Vviclefo ad eludendas rationes Catholicorum. Cùm enim protervè erraret asserendo: *Deum non posse quidquam facere, nisi quod facit.* Et videret se præmi plurimis testimonijs Sacris, in quibus exprimitur Deũ posse plura, quę non fecit, vt ex illo Matthæi, vbi Christus ait: *An putas, quia non possum rogare Patrem, vt exhibeat mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Respondebat communi Glossa: *Non inquit, potuit, sed potuit, si voluit.* Sed eam ita increpat Vvaldensis, *inutilis conditio, quæ perimit ante concessum.*

*Vvald. lib. 1 doct. fidei, art. 1. c. 10.*

*Matth. 26.*

787 Hocquè subterfugium Vviclef, quod quasi generale providit emplastrum, vt sub illo enigmatico responso neget Deum posse, quod nõ fecit; quia potest, si vult, subtilitèr, & acritèr castigat Glorioſus Vviclef. devellator; Vvaldensem appello, ipsum audiamus: *Sub hac Glossa communi sedẽt omnes Vvicleſistæ securi*: (idẽ de Jansenianis) Non *tamen* sicut *Helias sub Iuniperi vmbra*: Sed sicut Jonas sub hedera, accedat igitur vermis ille, qui est prima veritas, mentiar, si radices huius Glossæ non comedat; vnde herba marcescat: *Cùr negas Deum posse maiorare mundum*, (Jansenio vero, arbitrium motũ posse dissentire,) quòd tamen potest, si vult; an tunc non potest, si cum vult potest? Non inquis, potest velle, sed, si vult potest. Mirabilis, & apud omnem intellectum intricata respõsio, *quod si vult potest, hoc ipsum non potest.* Nil illustriùs.

*Vvaldẽs. vbi sup. cap. 12.*

*Vvaldẽs. vbi sup. cap. 15.*

788 Sed vis nosse, Jansenij, aliũ tui erroris Principem? Doctrina tua Lutheri ramusculus est: Cùm enim flagitiosus Hæresiarcha liberi arbitrij inimicus à Catholicis premeretur ex illo Ecclesiastici: *Si volueris mandata servare, conservabunt te*, & alijs sacris testimonijs, in quibus Deus hominibus aliquid sub conditione promittit, vt se expediret, hanc ineptã, & frivolam responsionem arripuit: Sic enim asserit: *Non video, quomodò istis verbis liberum arbitrium probetur. Est enim verbum coniunctibi modi, si volueris, quòd nihil asserit: Sicut Dialectici dicunt, conditionalem indicativè nihil asserere; vt, si Diabolus est Deus, meritò adoratur: Si asinus volat, asinus habet alas.* Sufficeret ad explodendam cavillationem Jansenij ab Hæreticis mutuari demonstrasse.

*Ecclesiastic. 15.*

*Luther. de servo arb. f. 480.*

789 Sed evidentibus rationibus eam refellamus. Primò: Dum in Sacra Scriptura edocetur Deum posse facere, si velit, quæ non fecit, supponit Deum posse velle, aliàs Omnipotentiam non exprimeret, vt cõtra Vviclef, omnes Catholici profitemur; ergò dum in Sacro Tridentino Concilio edocetur arbitrium motum à Deo posse dissentire, si velit, Sacrum Concilium supponit arbitrium motum hoc posse velle. ¶ Secundò; quia Concilium communẽ loquendi vsum vsurpare debuit, & nemò Prudens dicit de aliquo, quod possit aliquid, si velit, quin posse ipsum velle supponat: Quis enim credet Concilium Sacrum congregatum ad illum celebratissimum Canonem conficiendum, vt doctrinam fidei contra Hæreticos illius temporis exponeret, nil aliud decreviſſe, quàm hanc conditionalẽ, nil in esse affirmantem: *Si arbitrium motum vellet dissentire, posset.* Quàm nullus ex Hæreticis negare potest de arbitrio, imò, nec de lapide, lapis enim, si vellet dissentire, posset?

790 Tertiò si sufficit, vt aliquid sit in libera potestate, quod voluntas posset illud facere, si vellet, licèt velle non posset; esset quidem in nostra potestate amare malum, vt malum, & odio habere bonum, vt bonum; quia licèt voluntas id velle non posset, si vellet faceret: imò esset in potestate Dei se aniquilare, & Spiritum Sanctũ non spirare, quæ absurdissima sunt; hęc enim licèt Deus velle non posset, si vellet faceret. ¶ Deniquè Jansenius affirmat: *Non esse Deo liberum velle peccare.* Cùr quidem, nonnè si Deus vellet peccare nõ peccaret, cum velle peccare sit peccare? Cùr ergò non est liberum, seù in potestate Dei peccare, licèt Deus peccaret, si vellet? Certè non alia ratione, nisi quia licèt peccaret, si vellet peccare, nõ potest Deus hoc velle; ergò non est in potestate arbitrij dissentire gratiæ, quia licèt posset dissentire, si vellet, hoc ipsum velle non potest.

*Iansen. lib. 6 de Gratia Christi, c. 4.*

## SECTIO QVARTA.

*Ex SS. Ecclesiæ Patribus Iansenij cavillatio Tridentini Concilij Decretum illudens, evidentissimè refutatur.*

791 SAcri Doctores Augustinus, Hyeronimus, & Anselmus arma parant ad debellandam Jansenij ineptam responsionem, qua Tridẽtinum Concilium ludibrio Hæreticorum exponit, sed priùs audiamus Angelicum Magistrum, quem Augustinũ contractum, Jansenius vocat, in terminis equivocationem abijcientem; inquirit Dr. S. ¶ *Vtrum hæc sit falsa, Deus potest peccare, si vult.* Pro parte affirmante rationem dubitandi proponit: *Quia si hæc est vera, Deus potest peccare, si vult, sequitur, quod hæc si vera, Deus potest peccare, sed hoc est erroneum; ergò, & primum.* Eandem obiectionem ita alibi exprimit: *Benè sequitur, Sortes potest currere, si vult; ergò simpliciter potest currere; sed hæc est vera, Deus potest peccare, si vult, quia hoc ipsum, quod est velle peccare est peccare; ergò Deus potest peccare simpliciter.*

*D. Thom. Quodlib. 5. q. 2. art. 1.*

*D. Tho. q. 3. de causa peccati, art. 1. argum. 12.*

792 Pro parte verò negante ita in argumento, sed contra disputat D. Sanctus: ¶ Quicumque vult peccare peccat; sed sequitur, si Deus peccat potest peccare; ergò sequitur, si vult, potest peccare: Sed quæstionem ita re solvit. *Respondetur dicendum, quod hæc coniunctio, si, ordinem quemdam importat. Potest autem in proposito duplicem ordinẽ importare. Vno quidẽ modò ordinem causæ, sivè principij, & hoc modò, propositio falsa est, volũtas enim Dei est principium, & causa respectu creaturarum, non autem respectu eorum quæ pertinent ad divinam naturam. Potentia autem Dei ad ipsam naturam divinam pertinet. Vndè hoc ipsum, quod est posse peccare non est subiectum divinæ voluntati, alioquin volũtas Dei esset principium im-*

*Div Thom. Quodlib. 5. relato.*

*immutationis diuinæ, quod eſt impoſſibilè. Alio modò, poteſt importare ordinem conſequentiæ, & ſic hæc locutio eſt vera*, ſi Deus vult peccare, poteſt peccare. *Sequitur enim ſine conditione, ſi argumentamur ex impoſſibili poſito. Deus* vult peccare; ergò poteſt peccare. *Omnia enim, quæ vult poteſt, ſed non è converſo.* Rationem verò in contrarium ita diſſolvit: *Ad primum dicendum, quod cum dicitur, ſi homo vult currere poteſt currere, antecedens eſt poſsibilè, & ideò conſequens eſt ſimpliciter poſsibilè, ſed cum dicitur ſic.* Si Deus vult peccare, poteſt peccare, *antecedens eſt impoſsibilè; vndè nihil prohibet cõditionalem eſſe veram, conſequente exiſtẽte impoſsibili.*

793 Ex qua doctrina quàm plurima inſurgunt contra præiactam ſolutionem: inquirendo, an ly *ſi velit* in illa Tridentini propoſitione: *Arbitrium motum poteſt diſſentire, ſi velit*, denotet ordinẽ cauſæ, ſeù principij; vel ſolùm denotet ordinem cõſequentiæ? Si dicas ly *ſi velit* importare ordinem cauſæ, ſeù principij: Inſurgo primò, quia ſequitur propoſitionem Tridentini eſſe falſam, quia minimè dependet à voluntate, quod poteſtas ad diſſenſum ſit in arbitrio efficacitèr moto ad conſenſum, cum enim illa motio ſit ſimplicitèr neceſſitans iuxtà Janſenium, non poteſt ex voluntate cõiungi cum poteſtate diſſenſus, cui ex ſe repugnat. ¶ Secũdò, quia illæ Janſenij propoſitiones erũt falſæ: *Pater, & Filius poſſunt nõ ſpirare Spiritum Sanctum, ſi velint. Beatus poteſt odio habere Deum, ſi velit.* Voluntas enim Dei ſolùm eſt principium creaturarum non eorum, quę expectant ad naturam divinam, ad quam pertinet hęc potentia ſpirandi, ſicut enim ex hac ratione poſſe peccare ex D. Thoma non eſt ſubiectum divinæ voluntati, nec poſſe non ſpirare; vtrũquè enim ex terminis Deo impoſsibile: & ſimilitèr poſſe odio habere Deum non eſt ſubiectum voluntati Beati, aliàs voluntas Beati eſſet principium immutationis viſionis divinæ, quod eſt impoſsibilè. ¶ Tertiò, quia ex D. Thom. *De quocumque poſſum dicere, quod homo poteſt facere, ſi vult: poteſt etiam dici ſimpliciter, quod homo poteſt facere illud.* Et ideò aſſerit eſſe falſam hanc propoſitionem; Deus poteſt peccare ſi vult; ſi ly *ſi* ordinem principij importet; ergò ſi hæc propoſitio, *arbitriũ motum poteſt diſſentire, ſi velit*, eſt vera, licèt ly *ſi* ordinem principij importet, hæc erit abſolutè vera: *Arbitriũ efficacitèr motum poteſt diſſentire* ¶ Si verò eligas ſecundùm, quod videtur poſt Lutherum à Janſenio edoceri, in contra eſt. 1. Si ly *ſi* denotat ordinem conſequentiæ, vel conditionalis eſt vera, & poſsibilis abſolutè purificatio conditionis; vel eſt vera, licèt de conditione impoſsibili? Si primũ; ergò erit abſolutè verùm, quod arbitrium motũ poteſt velle diſſentire, & exindè, quod poteſt diſſentire, quia conditionalis vera, dum conditio eſt poſsibilis reddit conditionatum poſsibilè abſolutè, ſicut quia hæc conditionalis eſt vera, vt exemplum D. Thomę adducam; *Sortes poteſt currere, ſi vult*, & conditio eſt poſsibilis, eſt abſolutè verùm, Sortem poſſe currere; & ſi eſt abſolutè verũ, *arbitrium motũ poſſe diſſentire*, motio, nec eſt cogens, nec neceſsitans. Si dicas conditionem eſſe impoſsibilẽ, ſequitur ècontra, hanc abſolutam; *arbitrium motum poteſt diſſentire* eſſe ſimplicitèr falſam: Patet ſequella: Primò, quia quod ſolùm poteſt eſſe ſub conditione impoſsibili eſt abſolutè impoſsibilè, nulla enim potentia vera reſpicit terminum ſolùm ſub cõditione impoſsibili: Secundò, quia ideò ex Div. Thoma hæc propoſitio, *Deus poteſt peccare* eſt falſa, imò erronea, & ſacrilega, quia ſolùm eſt cõditionatè vera ſub conditione, quod Deus velit peccare, quæ eſt conditio

chi-

chimærica, & impoſsibilis. ¶ Si verò ſequela conceditur, nil abſurdius excogitari poteſt, quàm quod Concilia, & Eccleſiæ Patres, dum exponunt liberi arbitrij notionem, ſeù id, quod in poteſtate habemus, nihil aliud edocere eſſe in noſtra poteſtate, niſi id, quod abſolutè, & re vera non poſſumus.

794 Vrgetur hoc ex D. Hyeronimo: Delirabat Pelagius *Poſſe hominem eſſe ſine peccato, ſi velit.* Eccleſiæ verò Patres, & Concilia damnarunt hanc propoſitionem, non quia dubitarent, quod ſi nunquàm volumus peccare, nunquã peccamus, quia teſtante Aug. *Accutè ſibi videntur dicere, quod ſi nolumus non peccamus.* Sed, quia abſolutè in illa propoſitione affirmabat Pelagius eſſe in facultate hominis naturali eſſe ſine omni peccato, & nunquàm velle peccare, & ideò hoc poſſe Pelagianum à D. Hyeronimo, & Auguſtino, vt hæreticum proſcribitur: Ex quibus ita colligo, hæc eſt vera propoſitio: *Arbitrium motum poteſt diſſentire, ſi velit*, ex eo, quod ſi velit, diſſentiret, licèt nec velle, nec diſſentire poſsit, iuxtà Janſenium; ergò, & hęc Pelagiana erit vera: *Arbitrium ex ſua facultate naturali poteſt eſſe ſine peccato, ſi velit*; ex eo, quod ſi vellet nõ peccaret, licèt ex ſua facultate naturali, nec velle non peccare, nec vnquàm peccare, poſſet.

*Auguſt. de Peccatorum Merit. lib. 2. cap. 3.*

795 Addo: Janſenius, *Non eſſe liberum Dæmonibus Deum diligere*, affirmat, & tamen evidẽs eſt hanc cõditionalem eſſe veram, *Dæmones diligerent Deum, ſi vellent diligere*, cùm velle diligere ſit diligere, licèt abſolutè nõ poſsint diligere, nec velle; ergò iuxtà Janſenium nequit eſſe liberum, ſeù in poteſtate arbitrij diſſentire, licèt hoc poſſet, ſi vellet, cũ velle, non poſsit; vndè verba D. Hyeronimi in Pelagium poſſumus vſurpare in Janſenium: *Tanta nè eſt in vno opere diſſonantia, vt quid prius dixeris neſcias?*

*Ianſ. lib. 6. de Gratia Chriſti, c. 4.*

796 Ex D. Anſelmo hæc inepta Janſenij cavillatio refutatur; reſpõdet enim vt Diſcipulus ille à D. Anſelmo redargutus; Cùm enim inquireret: *An Angelus iam aptus ad volendum, & nondum quidquam volens, poſsit per ſe velle aliquid?* Diſcipulus reſpondet: *Puto, quia poteſt, ſi aliquando vult.* Et D. Anſelmus cùm increpat, vt ad interrogata non reſpondens, his verbis: *Ego enim quæro de nihil volente, & de poteſtate, quæ præcedit rem: & tu reſpondes de vo-voluntate, & poteſtate, quæ ſit cum re. Nam omne, quod eſt, eo ipſo, quo eſt; poteſt eſſe. Non autem omne, quod eſt; potuit eſſe, antequàm eſſet. Cùm ergo quæro*, vtrùm ille, qui nihil vult poſsit velle: *Quæro poteſtatem ante voluntatem, qua ſe poſsit movere ad voluntatem. Tu verò, cũ reſpondes*, quia ſi vult poteſt: *Dicis poteſtatem, quæ ſit cum ipſa voluntate. Neceſsè enim eſt, ſi vult, vt poſsit velle.* Si enim Sacra Tridentina Synodus, dum quæritur de libertate, ſeù poteſtate arbitrij moti, & excitati à Deo, aſſereret; vt delirat Janſenius, *poteſt diſſentire, ſi velit.* Ita vt ly *ſi* faciat ſenſum purè conditionalem, ineptè reſpõderet; quia dum quæritur de poteſtate ante voluntatem diſſenſus, qua poſsit arbitrium ſe movere ad diſſentiẽdũ, cum reſponderet, *ſi vult poteſt*, aſſerendo poteſtatem, quæ eſſet cũ ipſa voluntate diſſentiendi, quia neceſsè eſt, quod ſi diſſentiret poſſet; nugatoriè definiret, & ad interrogationẽ de poteſtate arbitrij non reſponderet.

*D. Hyeron. lib. 1. adverſ. Pelagian.*

*D. Anſel. de Caſu Diaboli, c. 12.*

797 Deniquè in tam inſulſam, planèque iocularem reſponſionem, teſtimonia Auguſtini argumentationem ita invictam ſuppeditant, vt nullis connatibus infirmari poſsint; & primo adduco D. Auguſt. ſic diſſerẽtem: *Poteſt dici homini in eo, quod audieras, & tenueras, perſeverares, ſi velles; nullo autem modò dici poteſt id, quod non audieras, crederes, ſi velles.* Ex quibus verbis inquiro: ly *ſi* in

*Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 7.*

in hac Augustini propositione *crederes, si velles*, vel denotat purè ordinē consequentię; ita vt solùm veritatem conditionalem enuntiet; vel etiam denotat ordinem causæ, & principij, quasi credere solùm à voluntate dependeat, quia est re vera in potestate ante voluntatem, tàm credere, quàm velle? Si 2. cum in eodem sensu, quo Augustinus affirmat de homine audiente *perseveraret, si vellet*, Tridentinum definiat de homine moto, *posset dissentire, si velit* ly *si velit*, denotat veram potestatem dissentiēdi, seù ad velle dissentire. Si verò dicas 1. in contra est; quia in eodem sensu, in quo hanc affirmat, *in eo, quod audieras perseverares, si velles*, posset, & hanc, quàm reijcit, asseverare *in eo, quod non audieras crederes, si velles*, hęc enim, vt conditionalis est vera, licèt posītio conditionis sit impossibilis, si quis enim vellet inaudita credere, crederet.

798 Deniquè sic disputo: vt Jansenistæ profitentur in statu innocētiæ fuit vicornis illa libertatis indifferētia omnem simplicem necessitatem excludens: Magnus Parens Augustinus illius libertatis statum explicat, quia Adamus ad perseverandum *acceperat posse, si vellet* Deus enim, *Dederat adiutorium, sine quo non posset in ea iustitia manere, si vellet, & per quod posset, si vellet.* Alibique sic edisserit, *id est, pœna iustissima, vt amittat vnusquisque, quo bene vti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet*: Vel ergo in hoc modò loquendi exprimit Magnus Parens, quod Adamus nullam habuit necessitatem non perseverandi, vel secus? Si 2. libertas innocentię, quę sit talis à necessitate ex Magno Patre minimè colligetur. Si 1. in contra est 1. sed Magnus Parens eisdem ferè verbis libertatem hominis lapsi exprimit, ita enim edisserit, *qui legem servare non vult, in potestate eius est servare, si vellit.* Et alibi: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Ergò in statu lapsus libertatem etiam à necessitate exprimere vult, & cum adiutorio gratiæ conciliare. 2. Ergò cum Tridentina Synodus libertatem arbitrij lapsi, per posse dissentire, si vellit, definiat, libertatem à necessitate cū motione Dei componit, quia hæc verba libertatē à necessitate in homine integro demōstrant: *Quis huic evidentiæ contradicit, nisi quem plus delectat defensare quod sentit, quàm quid sentiendum sit invenire?* Vt aliquando proferebat Augustinus.

*Augustin. de Corrept. & Grat. c. 11.*

*Augustin. de Natura, & Grat. c. 67.*

*Augustin. lib 3. contr. Felicem, c. 31.*

*Augustin. de Spiritu, & Litt. c. 31.*

*Augustin. lib 2. contr. Pelag. cap. 10.*

## SECTIO QVINTA.

### *Iansenianа concordia gratiæ prævenientis cum nostra libertate ex M. P. Augustino manifestè reijcitur.*

799 EX Magno Patre Augustino sic Jansenij opinio manifestè refutatur: D. Augustinus non solùm conciliavit efficaciam gratię cū libertate à coactione nostri consensus; sed etiam cum libertate à necessitate, ergò non edocuit concordiam gratiæ efficacis, ex eo, quod gratia non cogit voluntatem, nec pugnat cū eo, quod voluntas sponte velit: Consequentia constat, quia gratiam non cogere, nec impedire voluntatē cōsentiendo velle solùm evincit gratiā nō pugnare cum libertate à coactione, seù voluntarietate consensus: antecedens, in quo est cardo difficultatis, hoc discursu convincitur: Augustinus iudicavit concordiam gratiæ efficacis cum libertate consensus esse valdè difficilèm, & à paucis intelligibilem; sed concordia gratiæ efficacis cum libertate à coactione consensus, nullam, nec leviſsimam difficultatē continet, ab omnibusquè etiam tardis est comprehensibilis; ergò Augustinus non iudicavit efficaciam gratiæ conciliandam, solùm esse cum libertate à coactione consensus; con-

sc-

ſequens evidens, ſi aſſumptæ propoſitiones convincantur.

800 Maior ex quàm plurimis Aug. teſtimonijs evincitur; edocet enim hanc quęſtionem eſſe difficilẽ: 1. Dum ita ediſſerit: *Iſta quæſtio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, vt quando defenditur liberũ arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitriũ putetur auferri.* Non enim poteſt difficultas in cõcordia duorum extremorum exagerari, niſi edocendo, quod vnum videtur tolli, pręciſsè ex eo, quod aliud adſtruitur. ¶ Et alibi, prædictam ſententiam à calumnia mendaci Juliani liberans, aſſerit Magnus Parens: *Ego enim dixi iſtam quæſtionẽ ad diſcernendum eſſe difficilèm, non autem dixi non poſſe diſcerni.* Et iterùm repetit, quod divinarum ſcripturarũ tractatores, antequàm Hæreſis Pelagiana oriretur: *Non habuerunt neceſsitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari.*

*Auguſt. de Grat. Chriſti, cap. 47.*

*Auguſt. lib. 4. contra Iulian. cap. 8.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 14.*

801 Non ſolùm difficilèm, ſed valdè obſcuram, hanc quæſtionẽ eſſe Magnus Parens expreſsè edocet, dũ exhortatur, quod in his, quæ in hac quæſtione propter eius obſcuritatẽ non intelligimus, Deum vt intelligamus, oremus: Sic enim de hac cõcordia alloquitur Valentinum Abbatẽ, & eius Monachos: *Nuntiatum eſt mihi de vobis fratres ab aliquibus, qui in veſtra congregatione ſunt, & ad vos inde venerunt, per quos, & iſta direximus, quod de hac re* (id eſt de cõcordia libertatis cum gratia) *diſſenſiones in vobis ſunt. Itaquè dilectiſsimi, nè vos perturbet huius quæſtionis obſcuritas, moneo vos, primum, vt de his, quæ intelligitis, agatis Deo gratias; quidquid eſt autẽ, quo prævenire nõdum poteſt veſtræ mentis intentio, pacem inter vos, & charitatem ſervantes, à Domino, vt intelligatis orate.*

*Auguſt. de Grat. Chriſti cap. 1.*

Non tamen ſolùm difficilèm, & obſcuram concordiam iſtam expreſsè afirmat; ſed etiam difficillimam eſſe, ſuperlativo gradu, proclamat: dum ita ſcribit ad Valentinum: *De qua difficillima quæſtione, hoc eſt de voluntate, & gratia, non opus habui etiam in hac epiſtola diutiùs diſputare.* Parum verò viſum fuit Auguſtinõ quæſtionem, quàm verſamur difficilèm, obſcuram, & difficillimã appellare, paucis eſſe intelligibilèm, & à paucis penetrari, ſæpiùs fatetur; ita enim loquitur de illo, à quo turbati fuerunt Monachi, qui cum Valentino erant: *Aut enim non intelligit librũ meum, aut fortè ipſe nõ intelligitur, quando difficillimam, quæſtionem, & paucis intelligibilem ſolvere, atquè enodare connatur.* Sic etiam proponit alibi huius concordiæ veritatem à paucis penetrari: *Si tibi proponam quæſtionem, quomodò Deus Pater atrahit ad filium homines, quos in libero dimiſsit arbitrio, fortàſsis eam difficilè ſoluturus es: Quomodò enim atrahit, ſi dimittit, vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrùmquè verùm eſt, ſed intellectu hoc penetrare, pauci valent.* Supereſt nè aliquid ad obſcuritatem huius controverſiæ amplificãdandam? Nequis iudicaret, quod dum paucis intelligibilis, & perceptibilis ab Auguſtino affirmatur concordia iſta, tardioribus, & ingenio debilibus tribuendũ eſſe, quẽlibet, imò, & ſeipſum in hac difficultate exponenda plurimum laborare expreſsè fatetur; ita enim loquitur: *Ipſa etiam ratio, quæ de ijs rebus à talibus quales ſumus, iniri poteſt, quemlibet noſtrum quærentem vehementèr anguſtat, nè ſic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rurſus, nè liberum ſic aſſeramus arbitrium, vt ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur.* Nulla ergo difficultas poteſt exagerari ſignificantiùs, quàm aſſeverando, non ſolùm eſſe *difficilèm*, &

*Aug. epiſt. 47. ad Valentinum.*

*Aug. epiſt. ad Valẽtin.*

*Auguſt. lib 2. cont. Petianũ, c. 84.*

*Aug. lib. 2. de Peccatorum Meritis, cap. 18.*

*& obscuram, sed difficillimã, & paucis intelligibilem, quemlibet* Catholicorum, imò, & Augustinum divino ingenio præditum *vehementèr angustantem.*

802 Convicta ex Augustino huius concordiæ gravissima difficultate, restat demonstrare Minorem nostri discursus, scilicèt in concordia gratię efficacis cum libertate à coactione nullam, nec levissimam esse difficultatem: Et 1. Quæ vmbra difficultatis in eo, quod gratia, licèt efficax, & certò consensum voluntatis inducens minimè inferat coactionem voluntati, quàm omnes Philosophi, & Theologi esse ex terminis voluntati repugnantem vno ore fatentur? Quis laboriosiùs disputandũ esse censebit, quomodò victrix gratia velle efficiens, non inferat voluntatẽ nolle, dum vult; in quo stat velle, esse à coactione liberum? Quis insuperabilem gratiæ fortitudinem in inferendo consensum, qui est inclinatio voluntatis, iudicaret, vix intelligi posse componi cum eo, quod consensus non sit contra inclinationem voluntatis? 2. Exemplis: Quis enim difficillimum hucusquè iudicavit processionem Spiritus Sancti necessariam, & voluntariam, seù à coactione liberam, simul esse, affirmare, in componendo enim necessarium cum voluntario, quæ difficultas paucis intelligibilis excogitari potest? Nulla ergo erit difficultas in concilianda libertate cum efficaci gratia, si libertas, quæ cum gratia cohæret solùm est à coactione, in voluntario consistens, quæ cum necessario, quod solùm potest inferre gratia, sine labore cõponitur. ¶ 3 Quis enim hucusquè difficillimum iudicavit, & non omnibus prævium, componere efficaciam visionis Beatæ in inferendo amorẽ Dei, cum libertate à coactione ipsius amoris? Cum ergo gratia efficax non superet visionis vim, inferendo cõsensum, nullus debet commendare difficultatem conciliandi efficaciã gratiæ cum libertate à coactione cõsensus: Si ergo Augustinus cum sola libertate à coactione efficaciam gratię composuit, concordiæ difficultatem non debuit enixè commendare, sed potiùs omnibus esse prævium prædicare.

803 Huic efficaci argumento respondere intendunt Jansenistæ, verùm esse in libertate à coactione cõcilianda cum gratia efficaci non esse quæstionis huius concordiæ difficultatem, quia facilè intelligitur motũ voluntatis esse necessarium, & volũtarium; difficillimum verò esse, & iudicari ab Augustino, motum voluntatis liberum esse, si necessarius est vno verbo: Difficultas huius quæstionis solùm est in adstruendo naturam arbitrij liberi solùm à coactione, non verò in coniungendo cum efficacia gratiæ hanc libertatem.

804 Hanc responsionem refert Pater Decamps, eiusquè fraudes, & falsitatem dilucidè demõstrat: 1. Augustinus iudicavit concordiam efficaciæ gratiæ cum nostra libertate esse difficillimam, vt appertis testimonijs convictum est; sed cõcordia gratiæ efficacis cum libertate à coactione, quæ in voluntario consistit, & cũ simplici necessitate coniungitur, est ab omnibus intelligibilis, & nullam patitur difficultatem, vt probatũ est, & solutio fatetur: ergò Augustinus non solùm libertatem à coactione iudicavit esse coniungendam cum efficaci gratia; vndè Jansenistæ exponere debent, quomodò Augustinus, & Catholici Doctores hanc concordiã, vt difficillimam, & obscuram cõmẽdant, si de libertate à coactione loquuntur, quàm conciliare est facillimum, & ferè omnibus previum. *P. Decamps lib. 3. disp. 3. cap. 3.*

805 2. Quia solutio totam huius quæstionis difficultatem esse in constituenda natura liberi arbitrij statuit, hacquè semel expositа, in cõcordia illius cum gratia efficaci, nul-

lam esse difficultatem; quod omninò falsum esse cõstat ex testimonijs Augustini adductis, vbi adhùc suppositâ natura liberi arbitrij, quàm Catholici profitentur, difficillimam esse concordiam sępiùs edocet; aliàs non affirmaret de hac cõcordia, *esse paucis intelligibilem: & quemlibet Catholicorum vehementèr angustantem*, sed de libero arbitrio, & eius natura.

## SECTIO SEXTA.

### *Argumenta Iansenia dissolvuntur, & Augustinum libertatem à necessitate conciliasse cum efficacia gratiæ demonstratur.*

806 QVidquid Jansenius adducit ad confirmandam novam gratiæ efficacis cum libero arbitrio concordiam, ex Hęreticorum libris descriptum esse, manifestè, singula expendens, demonstrat P. Decamps. Sed primò reijcit omnia, quæ ad hãc difficultatem enodandam à Catholicis Doctoribus edocta sunt, cõtumelijs iniuriosis potiùs, quàm solidis rationibus: Quæ argumenta inefficacia convincentur, dum modum huius cõcordiæ cum Mag. P. August. D. Tho. & eorum discipulis propugnemus: Nunc Jansenianâ, & callida argumenta ex prava Augustini intelligentia deprompta, refutanda, & dissolvenda suscipimus.

*P. Decamps lib. 1. disp. 3 cap. 8.*

807 Assumptum Jansenij sistit in eo, quod Mag. P. Augustinus, non alio modo exprimit concordiã gratiæ efficacis cum libero arbitrio, nisi quia licèt gratia necessitatem imponat, homo invitus facere nõ cogitur, sed sponte, & voluntariè, seù volens per gratiam operatur: Quod fundare nititur; quia in libro, quem S. Augustinus scripsit, vt gratiam cum libero arbitrio componeret, solam libertatem à coactione cum victrici gratia consotiavit, ex eo, quod gratia minimè tollit, quod arbitrium velit, & agat: ergò concordia gratiæ cum libertate sic exponenda est. Antecedẽs probatur 1. ex Augustino; ita ibi edocente: *Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona*, vt cõponat, quomodò quod dicit, *facite vobis, cor*, scilicèt, *novum, & spiritum novum*, hoc dicit dabo vobis? Quę est concertatio concordiæ gratiæ efficacis cum nostra libertate; ergò hanc cõcordiam ex eo statuit Augustinus, *quia per gratiam fit, vt sit homo bonæ voluntatis, & voluntas semper est libera*, licèt non sit semper bona, & exindè gratia non tollit libertatem, quia servat voluntatem, & voluntas cum libero à coactione cõvertitur, aliàs semper esse voluntatẽ liberam, esset falsum, si Augustinus loqueretur de libertate à necessitate, stat enim apud omnes, voluntas necessitati coniuncta. ¶ 2. Probat antecedens Jansenius ex verbis, quibus Magnus Parens in fine illius libri colligit, quod fusiùs disputaverat asserens: *Satis me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementèr oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adiuvamur*. Vbi liberum arbitriũ gratia non oppugnari edocet Mag. Parẽs ex eo, quod gratia voluntas humana non tollitur, & hoc, ait Jansenius, *ita esse perspicuum, & toties repetitum in illo libro, vt profectò necesse sit, vel cæcum esse, qui non viderit, vel contẽtiosissimum, qui negaverit*. ¶ 3. Idem confirmat, quia S. Augustinus ex Sac. Scripturæ testimonijs, quibus *velle* dicimur, & nolle liberum arbitrium evincit: ergò ex Augustino liberi sumus eo ipso, quod volumus, ex eoq; gratia quantumvis efficax libertatem non oppugnat, quatenus homines velle non aufert.

*Augusl. de Grat. & Libero Arb. cap. 15.*

*Iansen. de Gra. Christi cap. 8.*

*Augusl. de Grat. & Liber. Arb. c. 20.*

*Iansen. ibid.*

*Aug. ibidẽ, cap. 2.*

808 Sed omnes Catholici, qui ex Ecclesiæ castris Calvinianum, & exindè Jansenianum Dogma debellarunt, Augustinum in libro, victricẽ gratiam cum libertate à necessitate conciliare perspicuum esse demonstra-

ſtrarunt. Bellarminum ſufficiat adducere, qui Calvinum ita depravantem teſtimonia, quæ ex hoc libro à Catholicis vſurpantur, ita efficacitèr oppugnat: *Illud liberum arbitrium S. Auguſtinus confitetur, & confitẽdum eſſe monet, quod à Valẽtini Monachis negabatur. Illi autem non negabant liberum arbitrium à coactione, ſed à neceſsitate, quod ſolùm difficulter cum gratia coniungi poſſe videtur. Libertas enim à coactione facillimè cum gratia copulatur; imò etiam cum fato, & quàvis alia cauſa determinante ad vnum; & ideò nemò vnquàm illud negavit.*

*Bellar. lib. 5 de Grat. & Lib. Arb. c. 28.*

809 Sed cum argumentum intendat, D. Auguſt. id vnum oppugnare in illo libro, libertatem ſcilicet à coactione cum victrici gratia conſiſtere, ex eo, quod Auguſt. hanc cõcordiã ſtatuit, ex eo, quod *volũtas sẽper eſt libera, quod gratia volũtas humana nõ tollitur, & quod ex velle, & nolle liberũ demõſtravit arbitriũ*; difficultas cõſiſtit, in exponẽdo, quid intelligat Auguſtinus nomine *voluntatis*; An quamlibet volitionem, vel volitionem excludentem omnẽ neceſsitatem? Si enim ita ſtrictè loquitur de voluntate Magnus Parens, libertatem à neceſsitate propugnavit; ſed ita vſurpari voluntatem phraſi Auguſtini, multis convinco.

810 1. Auguſtinum in libro de Libero Arbitrio *Voluntatis* nomine non ſignificare omnem volitionem, ſed ſolum illã, quæ ſine ſimplici neceſsitate procedit, & cum indifferentia ad oppoſitũ, multis convincimus, & in hoc ſenſu nomen volũtatis vſurpaſſe ſtrictè, ſcilicèt, vt voluntas, & proùt non comprehendit voluntatẽ, vt naturam evidentèr manifeſtũ fecimus, dum expoſuimus communem illam Auguſtini ſententiam *voluntas, eo ipſo, quod voluntas eſt, libera eſt*, hancquè notionem voluntatis à D. Thoma apprimè expoſitam, vſurpare Eccleſiæ SS. PP. qui de Arrianis triũpharunt, notum fecimus; ſi ergò ita accipit voluntatem in libro de Libero Arbitrio, dũ illud convincit, quid magis conſequens, quod in eodem ſenſu voluntatem vſurpet in libro de Gratia, & Libero Arbitrio, dum illud cum gratia conciliat?

*Sup. à num. 81. vſq. ad 85. D. Tho. adductus à n. 85. vſque ad 88.*

811 2. Quia librum de Gratia, & Libero Arbitrio conſcripſit Magnus Parens propter Monachos Adrumentinos, *quia ſic gratiam Dei defendebant, vt negarent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur negari exiſtimabant liberũ arbitrium.* Sed vt ait invictus Calvini debellator Ruardus Tapperus: *Monachi illi non poterant ignorare, quod voluntas externo motu invita non cogitur, nec invitam velle, ex doctrina Beati Auguſtini, Monachi illi credebant.* Ergò dum gratiam cum libertate conſiſtere edocet Magnus Parẽs, quia gratia voluntas humana nõ tollitur, nomine *voluntatis* non ſolùm excludit coactionem naturæ voluntatis repugnantem, ſed neceſsitatem voluntati, vt volũtas eſt, oppoſitam.

*Aug. lib. de Grat. & Liber. Arbit. cap. 1.*

*Ruard. Tapperus, art. 7. pagin. 237.*

812 3. Idem manifeſtè convincitur ex teſtimonijs Sacris, quibus vtitur Auguſtinus ad demonſtrandũ liberum arbitrium. 1. Ex illo Eccleſiaſtici: *Deus ab initio creavit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, &c.* Sic loquitur: *Ecce appertiſsimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium*, non verò ſolùm à coactione, ſed ab omni ſimplici neceſsitate poteſtatem ad oppoſitum auferente; vt alibi fuſiùs fuit convictum. 2. Quia adducit illud Apoſtoli: *Nè bonum tuum velut ex neceſsitate eſſet, ſed ex voluntate.* Sumit ergo voluntatem, vt neceſsitati oppoſitam. ¶ 3. Quia poſtquàm expendit teſtimonia Sacra, quæ velle, & nolle noſtrum edocent ita concludit: *Vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendũ in Divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberũ demonſtratur arbitrium.* Demonſtrat ergò

*Aug. ibid. cap. 2.*

*Eccleſ. 15.*

*Sup. à num. 17. vſq. ad 22. & n. 70*

*Epiſtol. ad Philemonẽ.*

ergò Magnus Parens arbitrium quatenus in voluntate est facere, vel non facere. ¶ 4. Dum ita edisserit: *Scriptum est in libro Paralypomenon: Si quæsieritis Deum, invenietis, si autẽ dereliqueritis eum, derelinquet vos. Manifestat quidem liberum voluntatis arbitrium.* Ergò liberum, cum indifferentia ad opposita deducit arbitrium, potens quidem quærere Deum, aut derelinquere.

*Aug. ibidẽ c. 2. in fine. Aug. ibidẽ, cap. 5. 2. Paral. 15.*

813 Vltimo deniquè; quia in hoc sensu nomen voluntatis vsurpat Augustinus in alijs suis operibus: ergò, & in illo libro sic accipi debet: Probatur anteced. ex his, quæ contra Manichęos edisserit Magnus Parens. Nihil enim magis notum, quàm fieri aliquid voluntate, esse posse non facere, aut fieri sine necessitate: illustriora afferam. 1. ita afflatur: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, & vndè liberum est abstinère, quamquam si liberum non sit, non est voluntas.* Pẽde hæc vltima verba: Si liberum non est, non est voluntas: voluntas verò consequendi, vndè liberum est abstinère, peccatũ est: ergò idem est iuxtà Augustinum peccatum esse in voluntate, ac esse sine necessitate, seù cum potestate abstinendi.

*August. lib 1. de Duab. animab. cap 11.*

814 2. Dum ita animam Manichęorum, seù naturalitèr malam oppugnat *illæ animæ quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt: ideſt, si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, peccato earum tenèri nõ possumus.* Ergò iuxtà Augustinum idem est voluntate aliquid facere, ac cum libertate ad faciendum, & ad non faciendum.

*Aug. ibidẽ, cap. 12.*

815 3. Quia ita Fortunatum Manichæum alloquitur Magnus Parens, *animæ enim rationali dedit Deus liberum arbitrium, sic enim posset habere merita, si voluntate non necessitate boni essemus.* Ergò idem est apud Augustinum nos esse bonos voluntate, ac sine necessitate.

*Aug. adverſ. Fortunatum Manich. propè medium.*

816 3. Ex his, quę assumit Magnus Parens, vt in verbis, quibus Manichęus asserit, *qui legem servare noluerint* probet liberum arbitrium ita colligens: *Si autem nolunt nõ vtiquè coguntur, vt non faciant, sed voluntate sua nolunt. Hoc ergo, quod in eorum voluntate est vt nolint peccatum est certè sine aliqua necessitate*, & cùr quidem? Quia si coguntur aliqua necessitate *non nolunt, sed non possunt.* Ergò idem est in sensu Augustini nolle servare legem, ac sine necessitate non facere, quod lex præcipit, seù peccare.

*August in Actis cum Felice, c. 5.*

817 4. Si inspicimus disputationem M. Parentis cum Fortunato Manichæo inveniemus in hac sola propria acceptione nomen voluntatis vsurpari; specialitèr dũ ita loquitur: *Si autem cogitur consentire, ita vt nõ sit in eius potestate alitèr facere, non ergo vt dicebas voluntate peccat, quãdo non voluntate consentit.* Ergò voluntate consentire, & peccare apud August. est esse in potestate voluntatis alitèr facère, quia si nõ est in eius potestate alitèr facere *cedere potiùs, quàm consentire dicenda est*, ait Mag. Parens: ergò, & idem erit apud Aug. voluntate consentire naturam benè agendo per gratiã, quàm esse in eius potestate alitèr facere, quia aliàs potiùs cedere, quàm consentire dicenda est.

*Aug. cont. Secundinũ Manich. cap. 19.*

*Aug. ibidẽ.*

818 Alia quam plura Magni Parentis testimonia prætermitto; verba tamen, quibus increpabat olim Manichæos in Jansenistas transcribere placet, sic de suis scriptis illos afflatur: *Legite Manichæi* (Jansenistæ,) *& omni vigilantia ista discutitè, & magis, magisquè legite, atque discutitè, sed animo æquo; non animo inimico. Legite illud attendentes, quia erit vobis in futuro iudicio ista scriptura testis, si agnoscentes vera esse, quæ dicta sunt, ad sinum Matris Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola veritatem docet, omni cursu non festinaveritis,*

*August de Fide contra Manich. lib. vnic. 45.*

QVÆ-

# QVÆSTIO SECVNDA.

## VTRVM SCIENTIA MEDIA SIT NECESSARIA AD CONCORDIAM gratię efficacis cum libertate conſenſus ſalutaris exponendam?

### SECTIO PRIMA.

*Status quæſtionis, & Sententia DD. Societatis exponuntur.*

819 NOMINE Scientię *Mediæ* intelligitur, ſciẽtia Diuina medians inter neceſſariam, & liberam Deo; Scientia ſcilicèt, non neceſſaria Deo; quia defectibilis, & contingens, minimè verò Deo libera, quia prędecẽs omne decretum Deo liberum; vndè medians nuncupatur; quia habet cõtingentiam, ſicut ſcientia libera, licèt non obtineat libertatem, & habet ſimilitèr præcedere omne decretum liberum, ſicut ſcientia neceſſaria, licèt non obtineat neceſsitatem: idem ergò eſt inquirere; An per Scientiam Mediam libertas conſenſus cum efficacia gratiæ concilietur? Ac in dubiũ vertere; an ad prædictam concordiã exponendam ſit neceſſaria ſcientia Diuina contingens Deo non libera?

820 Nec quæſtio directe diſſolvenda eſt per media, quibus exiſtentia ſciẽtiæ huius mediæ impugnatur, vel quibus exiſtentia talis ſcientiæ ſuadetur, non enim pro nunc exiſtentiam huius ſcientiæ diſputamus, ſed illius vtilitatem, aut neceſsitatem ad concordiam gratiæ efficacis cum libertate controvertimus; vndè ſolùm argumenta, quæ intendunt vtilitatẽ, vel inutilitatẽ huius ſcientię ad prædictum munus ſunt æqua lance librãda; licèt ex neceſsitate Scientiæ Mediæ ad hanc cõcordiam illius exiſtẽtia rectè colligatur, cum omnia, quæ neceſſariò exiguntur ad hanc cõcordiam habeant de facto exiſtere; ſimilitèrquè ex inutilitate Scientiæ Mediæ ad prædictam cõcordiam defenſandam apprimè inferatur talis ſcientię defectus, quia non alio fine à ſuis Patronis pro viribus propugnatur, niſi ad difficultatem huius concordiæ evertendam. Quęſtio ergo noſtra ita reſtringi debet: An ex prædicta concordia, exiſtentia Scientiæ Mediæ cõvincatur, quatenus per illam ſolùm exponi poſsit, vel potiùs ex inutilitate Scientię Mediæ (præſcindendo ab alijs medijs) ad prædictam cõcordiam exponendam, inferatur reijciẽdam illam ſcientiam hoc præcipuè fine introductam?

821 Communitèr DD. Societatis defendunt Scientiam Mediam neceſſariam eſſe ad ſalvandam libertatem noſtram cum gratia efficaci; quod ex eo ſuadent; quia gratia efficax debet eſſe ab intrinſeco indifferens, vt cum libertate concilietur, ſed ſi eſt ex ſe indifferẽs, & aliàs efficax, ſeù infallibilitèr coniuncta cum conſenſu neceſſariò ſupponit Scientiam Mediam; ergò: Mai. probant fundamentis, quibus intendunt, *omnẽ ſuppoſitionem antecedentem connexam cum conſenſu omninò independentem in exiſtendo à noſtra libertate pugnare cum libertate conſenſus.* Et cum ſi gratia ſit ab intrinſeco efficax cõnexa cum conſenſu, & non indifferens

omi-

omninò ſit independens, tàm in exiſtentia à noſtra voluntate, quia Deus illam dividit ſingulis proùt vult, quã in efficacia intrinſeca ipſi; ſi gratia efficax eſſet ex ſe, & ab intrinſeco efficax, & non potiùs ex intrinſecis indifferens omninò pugnaret cum libertate conſenſus.

822 Minorem verò, quod ſcilicèt gratia efficax, ſeù infallibilitèr coniuncta cum conſenſu, ſi eſt ab intrinſeco indifferens, neceſſariò ſupponat Scientiam Mediam, perſuadẽt; quia gratia efficax, infallibilitèrquè inferens conſenſum, ſupponit Scientiam Divinam conſenſus ſub illa gratia, aliàs non poſſet Deus per illam infallibilitèr facere conſenſum; ſed ſcientia de exiſtentia conſenſus, poſito auxilio gratię ex ſe indifferenti eſt media, ergò: Probant Min. 1. Talis ſcientia eſt obiectivè conditionata, ſic enim enuntiat: *Si confero auxilium A, erit conſenſus.* Eſt abſolutè contingens, quia eſt ſcientia veritatis cõtingentis, poteſt enim poſita conditione auxilij deficere conditionatũ, ſeù cõſenſus; quia vt ſupponitur, auxilium eſt ex ſe indifferens, & cõiungibilè cum diſſenſu: eſt etiam ſcientia non libera Deo, quia omninò independens à determinatione Dei ad conferendum auxilium, ſciẽtia enim veritatis cõditionalis minimè expoſcit determinationem conditionis; ſed per Scientiam Mediam ſolùm intelligitur Scientia Divina obiectivè cõditionata contingens, & Deo non libera: ergò ſcientia conſenſus ſub auxilio, in re efficaci, ex ſe indifferenti eſt media.

823 2. Probant illam Min. Scientia huius veritatis conditionalis, ſi *exiſtit auxilium A. erit conſenſus*, ſolùm eſt libera determinanti hanc veritatem conditionalem; ſed ſola voluntas noſtra, & non Deus determinat veritatem conditionalem: ergò, & illam ſcientiam; cùm ergo ſit contingens, erit contingens non libera Deo, quia à Dei determinatione independens; vndè media: Minor ſic probatur: Veritas conditionalis non determinatur à determinante conditionem; ſed potiùs à determinantẽ conditionatum poſita conditione; ſed licèt Deus determinet conditionem, ſeù exiſtẽtiam auxilij, nullatenus determinat conditionatum, ſeù conſenſum per auxilium; cum auxilium, vtpotè indifferens nõ poſsit eſſe determinans: ergò Deus nequit determinare veritatem illam cõditionalem. Hanc ſententiam vniformitèr extolluht Societatis Doctores, inter quos eminent Complutenſes noſtri: Quorum album non congero, quia palam noti ſunt. Sed eam acritèr oppugnat Angelica Schola ab Auguſt. edocta.

## SECTIO SECVNDA.

*Scientiam illam Mediam non eſſe neceſſariam ad concordiam gratiæ efficacis cum libertate conſenſus ſalutaris exponendam: ex M.P. Auguſt. probatur.*

824 SApientes Recentiores Thomiſtæ, Scientiam Mediã ad conciliandam efficaciam gratiæ cum noſtra libertate neceſſariam non eſſe, hoc diſcurſu oſtendunt. Magnus Eccleſiæ Parens Auguſtinus, vt fulgentiſsimum lumen adhunc potiſsimum finem à Deo deſtinatum, rectè conciliavit efficaciam gratiæ cum noſtra libertate; ſed ad exponendam hanc concordiam non adhibuit ſcientiam Mediam: ergò vt hæc concordia exponatur, recurſus ad Scientiam Mediam neceſſarius non eſt. Maior ſupponitur, & Minor ſolet probari 1. ex ingenua confeſsione Patris Molina, qui apperte edocet rationem conciliandi efficaciam gratiæ cum noſtra libertate per Mediam illam Scientiã minimè fuiſſe ab Auguſtino traditã, quæ verba, quia parũ grata M. Parẽti, nec tranſcribere audeo. ¶ 2. Effica-

*Illuſt. Godoy de Scientia, diſp. 38. Gonet, diſp. 6. de Scient. Med. ſ. 7.*

*Medina in Concordia Oliſiponæ edita fol. 489.*

caciùs ſuadetur, inquirendo locum, in quo Auguſtinus adhibuit talem ſcientiam, vt concordiam illam expòneret.

825 Sed huic argumentò Reſp. Recentiores Societatis, diſtinguendo illam Mai. prōpōſitiònem, Auguſtin. rectè conciliavit, ideſt, rectè probavit componi, concedunt; ideſt, dilucidè explicuit illum concordiæ modum negāt Maiorem, & permiſſa Minori, negant conſequentiam. Nec mirùm eſſe edòcet Thyrſò, quod Auguſtinus concordiam illam non explicuerit, cum *D. Tho. de hac concordia, nec verbum quidem fecerit*, vt teſtatur Caietanus; & vt mònet Ioannes de Roa Davila: *Auguſtinus, alijquè antiqui huius concordiæ fuerunt potiùs aſſertores, quàm explanatores.* Quod explicant aſſerendò, quòd Auguſtinus validiſsimis, & invictis argumentis probavit gratiam efficacem, per quam Deus infallibilitèr facit, vt faciamus cum noſtra libertate cohærere, id præcipuè contra Hęreticos convincēdo teſtimonijs Sacræ Scripturæ; tamē nullibi exprofeſſo explicuit modum, quo illa duo conciliari poſſunt; non enim produci à nobis poteſt textus, aut lòcus, in quo Div. Auguſtinus hoc explicuerit.

*T. Thyrſo t. 1. diſp. 36. ſect. 10. & diſp. 38. ſ. 10.*
*Thyrſo vbi ſuprà t. 2. t. 93. n. 285.*
*Caiet. 1. p. q. 22. art. 4.*
*Roa Davila lib. 2. de Prov. d. q. 4. ſect 2. n. 76.*

826 Si verò opponas; ſi Auguſtinus agnovit Scientiam Mediam, & exindè gratiam efficacem, per quam Deus infallibilitèr faciat, vt faciamus, eſſe indifferentem, Cùr diſtinctè, & expreſsè non tradidit modum conciliandi beneficio illius ſcientiæ efficaciam gratię cum noſtra libertate? Specialitèr, quia eo modo explicato facilè potuiſſet querelas Maſsilienſium compeſcere? Imò, & facilè erat Auguſtino evidentèr convincere, efficaciam gratiæ ſupponentem libertatis vſum, & ab ipſa libertate impedibilem minimè officere libertati?

827 Reſpondet Thyrſo, quod ſi Auguſtinus in hanc rem explicandam incubuiſſet, & profundiſsimi, & accutiſsimi ingenij aciem ad hāc difficultatem enodandam adhibuiſſet; non dubium, quin palmam præripuiſſet Molinæ, & reliquis Scientiæ Mediæ defenſoribus. Cùr autem id non fecerit, cauſa fuit, quia Sanctus Dr. ſatis habuit Catholica Dogmata validis argumentis à Sacra Scriptura petitis adverſus Hæreticos ſtabilire, & certa principia tradere, ex quibus deindè alij, qui eadem Dogmata explicāda ſuſciperent, modum haurirent, quo poſſent inter ſe conciliari.

*Thyrſo vbi ſup. t. 1. fol. 537.*

828 Sed tota hæc doctrina falſo nititur principio, ſcilicet, Auguſtinū ſolùm convincere validiſsimis teſtimonijs gratię neceſsitatem, & libertatem, non tamen edocuiſſe modum, quo conciliari poſſent, ita vt huius concordiæ fuiſſet aſſertor, non explanator; quod eſſe falſum ſuadeò. 1. Si D. Auguſtinus dilucidè non exponeret modum conciliandi gratiæ efficaciam, & neceſsitatem, cum libertate, argumenta Hæreticorum contra ſuā ſententiam dilucidè non diſſolveret; ſed hoc iniurioſum eſt S. Auguſtino: ergò non ſolùm Auguſtinus validiſsimis teſtimonijs probavit gratiam, & libertatem; ſed ex Sacra Scriptura deduxit, & expoſuit modum conciliandi cum libertate gratiam. Probo ſequelam: Pelagiani, Africani, & Maſsilienſes, contra vocationem gratiæ ſecundùm propoſitum, ex Sacra Scriptura ab Auguſtino firmatam, opposuerunt eſſe neceſsitatem fatalem cum libertate incōſociabilem, vt ſuprà diffuſè, & evidentèr tradidimus, & exindè Magnum Parentem Manichęi nota infamabant; ſed Auguſtinus non potuit hæc argumenta diſſolvere, niſi apprimè, & expreſsè edocendo modum, quo gratia illa, qua *ſubventum eſt infirmitati humanæ, vt indeclinabilitèr, & inſuperabilitèr ageretur*, cum noſtra libertate componitur, licèt moneat prudentiſsimè Magnus Pater, quòd non percipien-

*Sup. n. 753.*

*Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 11.*

tes

tes hunc concordiæ modum, quia difficilem, & paucis intelligibilem, *interim credant Diuinis eloquijs, & quod piè credunt, vt etiam sapienter intelligant orent*: Ergò Augustinus non solùm ex Scriptura gratiam, & libertatem demonstravit, sed modum huius concordiæ edocuit, vt Hæreticorum tela infringeret.

829 2. Ita disputo: Augustinus expresè, & dilucidè respondit omnibus dubitationibus, de quibus fuit consultus à D. Prospero; sic enim Augustino afflatur: *Tribue nobis in hac causa Papa Beatissime, Pater optime, quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ obsecro, vt quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris apperire.* Cui petitioni libentissimè annuit Augustinus, sic enim respondet: *Vestrum studium, fraternamque dilectionem, filij charissimi Prosper, & Hylari, qua eos, qui tales sunt, ita non vultis errare, vt post tot libros de hac re, ac Epistolas meas, adhuc me desideratis hinc scribere: tantùm amo, quantùm non possum dicere, & tantùm me amare, quantùm debeo nõ audeo dicere. Quapropter ecce rescribo vobis, & licèt iã non vobiscum, tamen etiam per vos adhùc ago, quòd me satis egisse credebam.* Sed quod est obscuriùs, & in his quæstionibus de gratia ad percipiendum difficiliùs, non est gratiam esse necessariam, per quam Deus faciat, vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus; nec quod Deus relinquat nos in manu consilij nostri adijciens mandata, & præcepta sua, quæ si voluerimus servare, conservabunt nos, in quo nostra consistit libertas; sed omnimoda obscuritas, & difficultas est in cõcilianda illa gratia, qua Deus facit, vt faciamus, & operatur in nobis velle, cum nostra libertate; Augustinus ergò, vt obscuriora, & difficiliora in his quæstionibus aperiret, ad hanc concordiam exponendã sui profundissimi, & accutissimi ingenij aciem adhibuit.

*D. Prosp. in epist. ad Augustin.*

830 Vrgentiùs assumptum ostendo. Dubium secũdum, quod D. Prosper proposuit D. Augustinus fuit: *Deindè quomodò per hanc præoperantem, & cooperantem gratiam liberum nõ impediatur arbitrium.* Sed hæc quæstio est expresè de modo, quo per gratiam non impeditur libertas, & Augustinus sui ingenij aciem adhibuit ad satisfaciendum dubijs; de quibus fuit consultus à D. Prospero: ergò nõ solùm necessitatem gratiæ demonstravit, sed quomodò per hanc gratiam non impediatur libertas, exposuit.

*D. Prosp. in epist. ad Augustin.*

831 3. Certum est Augustinum dilucidè, & expresè docuisse modũ conciliandi gratiæ efficacis, necessitatem cum vtilitate, & iustitia correptionis, vt constat ex integro libro de Correptione, & Gratia; sed eodẽ modo debet conciliari gratia cum iustitia correptionis, ac cum nostra libertate, vt est in dubiũ: ergò modum concordiæ gratiæ cum libertate dilucidè exposuit Augustinus. Et ideò ita alloquitur: *Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis.* D. ergò Augustinus palmam non præripuit Molinę, nec Scientiæ Mediæ professoribus, non, quia ingenij aciem non adhibuit ad hanc concordiam exponendam; sed quia esse à nobis impedibilem efficaciam gratiæ, dependentemque à nostra libertate, seù à præscientia conditionata boni vsus arbitrij, omninò reiecit, ad talis cõcordię plenam explanationẽ.

*August. de Corrept. & Gratia.*

*August. lib. sup. cap. 8.*

## SECTIO TERTIA.

*Omnem gratiam prævenientem esse ab extrinseco efficacem minimè exigitur, iuxtà M. Parentis Augustini mentem, vt cum vera libertate concilietur.*

832 ALiter ex Magno Parente inutilitatem Scientiæ Mediæ

*Ill. Godoy, disp. 38. de Scientia, n. 6.*

diæ ad hanc concordiam exponendã Recentiores noſtri probant: Si Sciẽtia hæc Media, eſſet vtilis ad hanc concordiam exponẽdam eſſet, quia libertas, vt ſit immunis expoſcit gratiam prævenientem conſenſum liberum eſſe ab intrinſeco indifferẽtem, ſolùmque moraliter ſuadentẽ, minimè verò phyſicè determinantẽ; ſed libertas conſenſus debet exponi, licèt gratia ipſum præveniat, non ſolùm ex ſe indifferens, & moraliter ſuadens, ſed etiam phyſicè determinans: ergò concordia libertatis cũ gratia omninò relegat Scientiã Mediam. Maior eſt nota; quia ſcientia illa ad hanc concordiam introducitur; quia auxilia ex ſe efficacia, ſeù prævenientia determinando phyſicè libertatem extinguerent. Tùm, quia ſi Deus per gratiam prævenientem determinaret conſenſum, ſcientia conſenſus ſub libertate non eſſet media, ſed Deo libera, veritas enim conditionalis eſt libera determinanti conditionatum poſita conditione.

833 Probo Minorem: Magnus Parens non conciliavit libertatem cum gratia præveniente exacta ex ſe indifferenti, & tantùm moraliter ſuadente; ſed cum gratia ex ſe efficaci: ergò ita conciliari debet. Probo antecedens. Magnus Parens concordiam gratiæ prevenientis cũ libertate exaggeravit, vt difficilèm, obſcuram, difficillimam; paucis intelligibilem, & ſuum etiam pene Divinum ingenium vehementer anguſtantem, vt ex evidentibus teſtimonijs Auguſtini manifeſtavimus; ſed concordia gratię prævenientis ex ſe indifferẽtis, & ſolùm moraliter ſuadentis cum vera libertate, eſt ex ſe facilis, minimè obſcura, & ab omnibus, licèt tardis apprimè perceptibilis: ergò Auguſtinus non conciliavit libertatem cum gratia prevenięte ex ſe indifferenti, & ſolùm moraliter ſuadente. Minor probatur. Quæ enim nec vmbra difficultatis eſſe poteſt in eo, quod gratia ex ſe indifferens cum indifferentia libertatis non pugnet? Qualem obſcuritatem perſenſit portentoſum Auguſtini ingeniũ in eo, quod gratia præveniens ſuadẽdo, & non determinando dominium electivum non extinguat? Quid enim clariùs, aut notiùs, quàm quod efficacia gratiæ ab arbitrio pendens non poſsit labefactare libertãtẽ arbitrij?

*Sup. à n. 800*

834 RR. Thyrſo hanc difficultatem attingens triplicem ſolutionẽ tradit: Primò aſſerit Auguſtinũ non expendere difficultatem conciliandi efficaciam gratiæ cum noſtra libertate, ſed tantùm ponderare difficultatem conciliandi libertatem cũ gratiæ neceſsitate; cum enim aliud ſit operari, vt velimus, aliud ſit operari ipſum velle, licèt non intelligatur cũ difficultate quomodo cohæreat cum noſtra libertate Deũ operari, vt velimus, magna verò eſt difficultas Deũ operari velle nobis liberum, de quo ſimultaneo concurſu fuit præcipua concertatio Auguſtini cum Pelagio.

*Thyrſo t. 12 diſp. 36. n. 70.*

835 2. Reſpondet: Suum concordiæ modum comparatum ad obſcuritatem, & perplexitatem, quę poſita phyſica prædeterminatione in illa concordia invenitur, eſſe facilem, & clarum; nihilominùs tamen abſolutè loquendo difficilem eſſe, quia cum concordia hæc ſupponat Scientiam Mediam, quæ graves patitur difficultates, nequit eſſe abſolutè facilè, quod nititur ſuppoſitione difficili.

836 3. Reſpondet: Plura eſſe vno tempore difficilia, quæ poſteà ex magno diſputationum vſu, & exacta quæſtionis ventilatione, facilia redduntur; talem autem eſſe quæſtionem de concordia, quæ tempore Auguſtini difficilis erat; poſteà verò minùs difficilis viſa eſt, quia multi, magnique viri ingenio pleni (id eſt Societatis Doctores) in illa exponenda laborarunt, illamque clarã reddiderũt.

837 Sed vt demonſtrem, quàm efficax ſit argumentum, quod deſumi-

*Sup. àn. 799*

mitur ex difficultate concordiæ gratiæ cum libero arbitrio, ad ſuadendũ gratiam cum libero arbitrio conciliandam debere eſſe ab intrinſeco efficacem, & nõ ex ſe indifferentẽ; Adducam, quam perſpicua demonſtratio iudicetur, quam ſuprà expendimus ex eo, quod explicatu difficillima iudicetur hæc concordia, vt convincatur, nõ ſolum libertatem à coactione, ſed etiam libertatem à neceſſitate eſſe conſotiandam cum victrici, & efficaci gratia: ſic ad eam exponendam aggreditur P. Decamps Societatis Ieſu in illo ſæpiùs laudato illuſtri opere de Hæreſi Janſeniana:

*Decamps, lib. 3. diſp. 3 cap. 3.*

*Debellandos hoc vno argumento novi Dogmatis vindices, immò, & exarmãdos ſperarem, niſi adverſus appertam veritatem animum obfirmaſſent. Tantum eſt enim eius robur, perſpicuitas tanta, vt nec ſolida reſponſione debilitari, nec calida declinatione eludi queat. Hinc eſt, quod hæreticæ factionis principes, qui ſe ad omnia Catholicorum argumẽta reſpondere gloriantur, iſtud tamen nè ſtrictim quidem, ac levitèr attingerit. Centum fere anni ſunt, ex quo Calvini pectori infixum hæret iſtud Ruardi Tapperi telum: Nullam hæc quæſtio de gratia, & Libero Arbitrio, quam difficillimam dicit Beatus Auguſtinus, haberet difficultatem, ſi libertas intelligeretur coactionem excludere ſolùm, & non neceſſitatem. Nec vllus tamen ex Calvini commilitonibus illud revellere connatus eſt. Timuerunt omnes, nè læthalem plagam, vel ipſo tactu exulcerarent, malueruntque fatale dogmati ſuo argumentum diſſimulare, quam invictum eius robur inſulſa reſponſione oſtendere.*

*Tapper. art. 7. pag. 237.*

838 Ita eleganter exaggeravit perſpicuam ad modum eſſe demonſtrationem, quam adduxit etiam Bellarminus, ex difficultate huius concordiæ depromptam, ad convincendum Hęreticos contendentes ſolam libertatem à coactione conciliari cũ gratia; ſed pari efficacia militare videtur contra aſſerentes ſolam gratiam prævenientem ex ſe indifferentem conſociari cum libertate; & ſic diſputo: Sicut falſum eſſet, atque ridiculum concordiam gratię, & libertatis explicatu difficillimam prædicare, ſi de ea ſolùm libertate ageretur, quæ ſolam coactionem excludit; quia nil poteſt eſſe notiùs, quam gratiam quantumvis efficacem coactionem non inducere; ita falſum, & ridiculum eſſet incredibilem huius concordię obſcuritatẽ exaggerare, ſi de ea ſolùm gratia ageretur, quæ ex ſe non determinat, ſed potiùs eſt indifferens, & cum quolibet ex extremis libertatis coniungibilis pro nutu ipſius voluntatis; quia nihil magis perſpicuum, & exploratum, quàm indifferens ad duo, ad nullum neceſsitare: ſed ex eo, quod M. Auguſtinus hanc quæſtionem *difficillimam, & quemlibet noſtrum vehementèr anguſtantem* edocuit, evidenter convincitur de ſola libertate à coactione conſocianda cum gratia non agere: ergò ex eodem principio ſuadetur Auguſtinum non agere de gratia ex ſe indifferenti cõſocianda cum libertate.

*Bellarm. q. 1. n 58. adductus.*

839 Certè, ſi Sanctus Auguſtinus de vera libertate à neceſsitate cũ gratia ſolùm ex ſe indifferenti concilianda egiſſet, concordiam libertatis, & gratiæ enixè non commendaret: Doctorum enim Aquila, nec ſemel affirmaſſet, quod toties fatetur, quæſtionem eſſe *difficillimam, & paucis intelligibilem*: Cogita quidem quàm facilè Auguſtinus ab hac difficultate ſe expediret, ſi in ea ſententia, quam Doctores Societatis ei tribuunt extitiſſet; demonſtraret enim nil faciliùs, qnam gratiam ex ſe indifferentem non neceſsitare, ac perindè nec cum libertate à neceſsitate arbitrij pugnare; quod evidenter cõprobaret ex omnibus principijs indifferentibus, quod vt eſt lumine rationis notum, cum libertate, tàm lõ-

gè

ge abeſt, quod pugnent, quod ipſam indifferentiam libertatis conſtituũt: Quibus non ſolùm difficultatẽ quæſtionis exponeret, ſed nullam eſſe evidenter demonſtraret.

840 Hinc iam facilè eſt ſolutiones allatas ſigillatim reijcere: & cõtra primam inſurgo; quia difficultas à paucis intelligibilis, & ingeniorum apicem vehemẽter anguſtans nõ fuit conciliare gratiæ neceſsitatem cum libertate, ſed gratiæ efficaciam: Primò, quia Deum operari velle noſtrũ, quod nos agimus pluribus videtur ita explorata veritas, vt ferè rationis lumine ſit demonſtrabilis contra Durandum, nec ab aliquo Theologorũ, quem ſciam, edocetur, quod veritas influxus immediati Dei in noſtras operationes fuit difficultas illa graviſſima, qua conflictabatur Auguſtinus. ¶ Secundò, quia dum ita proponit Auguſtinus dubium: *Si tibi proponam quæſtionem, quomodò Deus Pater attrahit ad Filium homines, quos in libero dimiſsit arbitrio? Fortàſis eam difficilè ſoluturus eſt, quomodò enim attrahit, ſi dimittit, vt quis, quod voluerit, eligat? Et tamen vtrùmque verùm eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Manifeſtè exprimit verùm à paucis intellectu penetrabile eſſe, non quomodò voluntas libera agat, ſi Deus operatur velle, ſed potiùs, quomodò Pater attrahit homines per gratiam ſcilicèt efficacem, ſi dimittit, vt quis quod voluerit eligat? ¶ Tertiò vrgentiùs; quia ſi difficultas ab Auguſtino commendata non eſſet concordia gratiæ Dei efficacis cum libertate, ſed ſolùm, quod conſocientur arbitrium agere, & Deũ operari velle, difficultas integra difficillimæ quæſtionis ab Auguſtino toties proclamatę ſubſiſtet, licèt arbitrium ſit liberum à ſola coactione, vt Janſenius poſt Calvinum deliravit; ipſi enim cum arbitrium fateantur activum, qualiter velle efficiat, ſi Deus operatur velle, conſociare tenentur, & ſi hoc ita eſt, quomodò hæret Calvini pectori illud Ruardi Tapperi tellum, quod nullus ex eius commilitonibus revellere connatus eſt? Quale eſt invictum robur illius argumenti toties à Bellarmino, & Decãps Catholicæ veritatis propugnatoribus, declamatum ita efficax, vt nec *ſolida reſponſione debilitari, nec calida declinatione eludi queat?* Scilicèt, *nullatenus eſſe difficilem quæſtionem de gratia, & libero arbitrio, ſi libertas ſolam coactionem excluderet*: Eſſet nè inſulſa reſpõſio, quod difficultas ab Auguſtino commendata ſiſtebat in concordia activitatis arbitrij ad velle, & quod Deus velle operetur, quę nullatenus minuitur, licèt arbitrium ſit ſolùm liberum à coactione? Certè ſi vera eſt ſolutio, quàm reijcimus argumento ex difficultate huius quæſtionis deprompto, nec debellandos, nec exarmandos Hæretici dogmatis vindices ſperarem.

*Auguſt. lib 2. contr. Petilianum, c. 84.*

841 Secunda ſolutio ſolùm edocet, quod ad rem noſtram non pertinet: non abnuimus efficaciam infallibilem gratiæ ab extrinſeco deſumptam, Scientiæ Medię pro fundamento innixam graviſsimas pati difficultates; ſolùm inquirimus quomodò Auguſtinus, & alij Catholici difficultatem aliquam perſenſerunt in intelligenda liberi arbitrij cum gratia cõſenſione, ſi iudicabant, vt adverſarij ſuſtinent, gratiam eſſe efficacem ex ipſius arbitrij determinatione? Vndè colligimus Auguſtinum non exiſtimaſſe efficaciam gratiæ eſſe ab arbitrio, aliàs in illa concordia difficultatem non ſenſiſſet: & ideò adverſarij non laborant in cõcordia ſuę gratiæ efficacis cum libertate, ſed in exponendo talem eſſe ſolùm gratiæ efficaciam. ¶ Secundò, quia quod ab Auguſtino reputatur ad *diſcernendũ difficilè* non fuit qualitèr gratia ex ſe indifferens ſit infallibiliter efficax, ſed quod *quando aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

*Auguſt. de Grat. Chriſti, cap. 47.*

*ri* Quod expreſsit Auguſtinus: *Quẽlibet Catholicorum vehementer anguſtantem*, fuit, *nè ſic defenderetur gratia, vt liberum arbitrium auferri videretur*. In hoc verò nulla difficultas exiſtit, ſi aſſeritur, & defenditur gratia ſolùm ex ſe indifferens, licèt ex

*Aug. lib. 2. de Peccatorum merit. cap. 18. Sup. n.*

alijs principijs, multis difficultatibus implicetur. ¶ Tertiò, quia vt ſuprà vidimus, Janſeniſtæ effugere tentant invictum robur argumenti ex difficultate ab Auguſtino exagerata huius concordiæ deprompti, dicendo: arbitrium eſſe liberum, dum neceſſariò agit, eſſe difficillimum, & quod dum hæc concordia per hanc libertatem neceſsitati coniunctam exponitur, rectè *paucis intelligibilis* ab Auguſtino ſignificatur. Sed efficaciter impugnantur; quia ſi ita eſſet Auguſtinus quæſtionem de natura liberi arbitrij iudicaret difficilem, quæſtionem verò de concordia gratiæ, & liberi arbitrij difficillimam non affirmaret: impugnamus æquè adverſariorum ſolutionem, ſi tota difficultas eſt in conſotianda efficacia infallibili gratiæ cum eius indifferentia per illam Mediam Scientiam; affirmaret Auguſtinus quęſtionem de natura gratiæ efficacis eſſe difficilem, non tamen quæſtionem de concordia gratię cum libertate difficillimam proclamaret.

842 Vnde ſemper inſiſto, cur Janſeniani vt vim argumenti deſumpti ex difficultate huius concordiæ debilitarent, nõ poſſent de ſua libertate à coactione prædicare, quæ de Scientia Media ita ediſſerit P. Henao:

*Henao, t. 2. n. 4176.*

*Qua admiſſa facilè eſt ad intelligendum, quomodo illæſſa libertate, poſsit gratia efficax eſſe in actu primo, & quomodo Deus prædeſtinare, prædiffinire queat opera; ſed devenire in cognitionem Scientiæ Mediæ, adſtruere eam, & ſtabilire, perſuadereque alijs difficilè eſt, noſque ipſi experimur, cũ videamus tot, qui contradicant, & tantò cum ardore?* Et quidem: *ſi admiſſa ea ſcientia, facilè eſt ad intelligendum, quomodò illæſſa libertate poſsit gratia efficax eſſe*: & Auguſtinus enixè, & ſæpiùs aſſeveravit difficillimum hoc eſſe ad intelligendum, talem Scientiam certè non admiſsit.

843 Tertia ſolutio, quę edocet hanc cõcordiam iam eſſe facilẽ, poſtquàm viri ingenio pleni in ea exponenda laborarunt: ſi vera eſt, neſcio, qualiter ex hoc argumento debellarentur Janſeniſtæ, ſi aſſererent hanc concordiam eſſe minùs difficilẽ, poſtquàm inſudarunt ad eam exponẽdã: fortè non obſequioſi Auguſtino reputarentur, cuius falſo, ſed glorioſo diſcipulorum nomine gloriantur. ¶ Accedit, quod ſi Auguſtinus ſolùm gratiam moraliter ſuadentem, & ex ſe indifferentem edocuit, nullo tempore eius concordia potuit videri difficilis: non ſolùm Magno Parenti Auguſtino, cui de gratia credendũ maximè, cuius ipſe trophęum eſt ætatibus omnibus perilluſtre, ſed nec alijs tardioribus; immò fruſtrà tot doctiſsimi Viri in ea exponenda laborarunt, vt clarã redderent; ſine labore enim, abſque ingenij acumine, ſatis perſpicuum eſt, cum indifferentia libertatis non pugnare gratiam ex ſe indifferentem, cum quolibet libertatis extremo, pro nutu voluntatis coniungibilem.

844 Sed vt paucis complectar diffuſè tradita, cogita primo: Quod ſi libertas à ſola coactione iudicatur Auguſtino oppoſita, quia facilè cum gratia conciliatur; gratia ſolùm ex ſe indifferens debet iudicari Auguſtino averſa, quia facilè conciliatur cum libertate. ¶ Cogita ſecundo: quod dum concordia duorum difficilis vocatur, nequit difficultas ad naturam vnius extremi reduci, ſed ſuppoſita vtriuſque extremi natura, ad vnius cum altero coniunctionem; vndè ſicut libertas à coactione reijcitur, quia difficultatem conſtringit ad naturam arbitrij; & gratia efficax ex ſe in-

indifferens reijcienda est, quia difficultatem reducit ad efficaciam gratiæ; debet ergò, & supponi libertas à necessitate, & edoceri gratia ex se efficax, vt sit difficultas in consocianda gratia cum libertate.

## SECTIO QVARTA.

### *Idem assumptum amplius confirmatur.*

845 VLteriùs insurgò. Si Scientia Media esset necessaria ad exponendam concordiam Divinæ gratię infallibilitèr efficacis cum nostra libertate esset, quia vt subsistat libertas, efficacia gratiæ debet esse à nostra libertate impedibilis, & sic vt Deus securè provideat gratiæ auxilia, debet prælucere illa scientia conditionata contingens consensus sub conditione auxilij; sed Augustinus non edocuit gratiam efficacem esse impedibilē à volūtate nostra quoad suam efficaciā: ergò inutilis est scientia hęc Media ad concordiam veræ gratiæ efficacis cum nostra libertate edocēdā. Discursus rectus est; & prob. Min. Illam gratiam efficacē edocuit Sanct. Augustinus ex cuius necessitate cum apparientia colligebat Pelagius nostræ libertatis ruinam; sed ex necessitate gratiæ impedibilis à nostra libertate quoad efficaciā nequit nec apparenter deduci libertatis defectus: ergò. Prob. Minor. Pelagius erat homo acutus, & litteris instructus; sed incredibilè est hominem ingenij accumine, & litteris ornatum: ex necessitate gratię indifferētis, flexibilis, & in sua efficacia à nostra libertate dependentis intulisse libertatis nostræ ruinam; concordia enim ita lumine rationis facilis, & prævia, quomodò à Viro acuto impossibilis fuit iudicata cum tanta apparientia rationis, vt plures fideles litteratos convinceret, & turbaret? Ergò.

846 Explicatur: Pelagius tenante Augustino, ita evomuit: *Non est liberum arbitrium si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere*: Hic tamen error non potuit ita nervosè Ecclesiam Dei turbare, si procederet contra necessitatem auxilij omnibus oblati, & à voluntate pendētis in efficacia, quatenus ex sua determinatione efficiat, aut non: Sancti enim Patres evidenti ratione demonstrarent ridiculum esse tale auxilium pugnare cum eo, quod voluntas possit *aliquid facere, vel non facere*: stultissimusquè error, nec ad horā cum veritate pugnaret. *Pelagij error in Conc. Palestino damnatus.*

847 Respondet P. Avendaño: Pelagium nec acutum fuisse, nec litteris instructum; ipsum enim valdè variasse in suis erroribus constat, & quandoque negasse omnem internā gratiam, quandoque concessisse internam gratiam, non tamen dantem simpliciter posse; & licèt possit acutus errare, & in errore pertinaciter perseverare, varietas tamen huiusmodi in errando aliena est ab homine acuto, & litteris instructo. *Avendaño disp 21. de Author. August. c. 2. sect. 2.*

848 Contra tamen est; quia Pelagium, Cęlestium, Julianum, & similes pestes, fuisse homines, ingenio, facundia, & acrimonia præditos, expressè edocuit Mag. P. Augustinus; ita ediserens: *Immò Pelagiani spe falsa putaverunt novum, & execrabile Dogma Pelagianum, vel Cælestinum persuaderi quorumdam Romanorum Catholicis mentibus posse, quādo illa ingenia, quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia.* Infràque sic loquitur de Cęlestio: *In homine acerrimi ingenij, qui profectò si corrigeretur plurimis profuisset.* Sicquè affatur de Pelagianis: *Nolo quod sequitur dicere, nè amicis nostris, quorum fortissima, & celerrima ingenia non in perversum, sed in directum currere volumus, facere existimemur iniuriam.* Sæpiùsque hoc Augustinus fatetur: quod tamen erro- *Aug. lib. 2. contra duas Epist. Pel. 3.* *Aug. de Natura, et Gratia, lib. vnico, cap. 6.*

errores variaret, nec mirandum in acri ingenio, quando totius Orbis portentum Auguſtinus illum debellando Catholicam doctrinam ſuſtinuit.

849 Denique Semi-Pelagianos Maſſilienſes (de quibus ita loquitur D. Proſper. *Scripta Auguſtini, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant dicentes, eum liberum arbitrium pœnitus dimovere*) fuiſſe homines accuti ingenij non eſt dubitãdum, cum expreſsè aſſeratur à Div. Proſpero, dum ita de eis ad Auguſtinum ſcribit: *Nè tam claris, tamque egregijs in omnium virtutum ſtudio Viris ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat.* Sicquè auxilium Auguſtini efflagitat S. & humillis Doct. *Quod cum perverſiſsimum eſſe, revelante Dei miſericordia, & inſtruente nos tua beatitudine noverimus, poſſumus quidem ad non credendum eſſe conſtãtes, ſed ad authoritatem talia ſentiẽtium non ſumus pares, quia multum nos, & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper Summi Sacerdotij honore ſupereminent: nec facilè quiſquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contrahire.*

*D. Proſper. epiſt. ad Rufinum.*

*D. Proſper. epiſt. ad Auguſt.*

850 Quam veritatem credidit Auguſtinus, licèt ſtultiſsimum errorem ſuſtinerent; Deum, ſcilicèt, iudicare homines per merita conditionata, quæ haberent ſi diutiùs viverent, ſic enim ſcribit: *Vnde opinari* (prædictum errorem) *potuerint homines, quorum ingenia non eſſe contemptibilia veſtræ indicant litteræ, mirãs; & ſtupens reperire non poſſum, nec credere auderem, niſi vobis non credere non auderem.* ¶ Expreſsiùs eandem veritatem fatetur S. Proſper tradens rationem; cùr Semi-Pelagianorum domeſtica malignitas ſpernenda non eſſet? Quia ſunt eiuſmodi, *vt nec ordo eorum in Eccleſia, nec ingenia deſpicienda videantur.*

*Aug. lib. 1. de Prædeſt. SS. cap. 12.*

*D. Proſp. in Præfat. ad lib. contra Collatorem Caſsianum.*

851 Dubit anſquè de acri ingenio Pelagij, & Juliani conſulat epiſtolam communitèr, & verè vni ex illis attributam ad Demetriadẽ Virginem ipſamque doctam, & ingenio plenam inveniet præter ea, in quibus liberum extollens arbitrium Divinã gratiam extinguit; erroreſque in illa præcavendos reſcripſit S. Auguſtinus ad eandem Virginem; ſicque in fine affatur: *Satis enim dici non poteſt, quantum cupiamus in eorum hominũ ſcriptis, qui propter acrimoniam, atque facundiam leguntur à plurimis appertam confeſsionem illius gratiæ reperiri, quam commendat Apoſtolus.* Vbi Pelagianorum ſcripta eſſe plena acrimonia, & facundia fatetur Auguſtinus. Et ideò aſſerebat Magn. Pater: *Plus eis ſine dubitatione præſtamus, ſi vt corrigantur oremus, nè cum tantis ingenijs, vel pereant, vel alios perdant.* Tandem acumen ingenij Pelagij monſtrant argumenta, quibus Divinam gratiam oppugnavit, vnde communis fuit omnium fidelium ſenſus adverſus Pelagiũ, eiuſque diſſolvendas ſophiſticas argutias acutiſsimum Auguſtinum Divinam providentiam non ſine ſpeciali Eccleſiæ beneficio deſtinaſſe.

*Aug. epiſt. 143.*

*Aug. epiſt. 106.*

852 Hinc ergo non inefficacitèr inſurgimus; quomodò homo acutus ex neceſsitate gratiæ indifferentis, moraliter ſuadentis à libertate impedibilis in efficacia potuit colligere libertatis ruinam? Cùr Auguſtinus ex gratia ita tepidè movente fuit odioſus Maſſilienſibus dicentibus *ſuam ſanctitatem hoc excepto, in factis, & dictis omnibus admirari*; ita vt auſus fuerit proferre Fauſtus Semi-Pelagianus, *quod inter gratiæ vocabulum abſconditum erat fatale decretum?* Nunquid Sancti Proſper, & Hylarius inutiliter patrocinium Auguſtini expoſcerent tam ardenti deſiderio, *vt diſputationibus Maſſilienſium contrairent?* Cùm minus eruditi apprimè demonſtrarent gratiam in ſua efficã-

*S. Hylar. ep. ad Auguſt. prope finem.*

ficacia à libertate determinandâ minimè labefactare libertatem, & quod motio moralis suasiva, cui voluntas possit resistere, vel obtemperare facilè cohæret cum arbitrij libertate? Cùr etiam creditur esse speciali providentia à Deo destinatum tempore Pelagij portentosum Augustini ingenium; cum intellectus vix instructus agnosceret, gratiam licèt necessariam ad agere, ita indifferentem, vt ex determinatione voluntatis coniungatur cum agere præ non agere nullatenus posse cum libertate pugnare?

853 Acceditque altera coniectura non levis: De illa enim gratia, quam pro viribus propugnavit Augustinus, metuebant Semi-Pelagiani, (*aliàs clari in omnium virtutum studio viri*) ædificationi audientium esse contrariam, vnde licet verè fuisset edocta prædicandam non esse, ita loquitur S. Prosper: *Postremò pervicatia tota descendit, vt fidem nostram, ædificationi audientium contrariam esse definiant, at sic etiam si vera sit non prò mendam; quia, & pernitiosè non recipienda traddantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeant conticeantur.* Idem refert S. Hylarius: *Ad summum fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potiùs querela convertitur, consentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, vt dicant, quid opus fuit huiuscemodi disputationibus incertò tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus vtiliter sine hac definitione, aiunt tot annis, à tot tractatoribus, tot præcedentibus, & tuis, & aliorum, tùm contra alios, tùm maximè contra Pelagianos Catholicam fidem fuisse defensam.* Ex quibus colligo gratiam ab Augustino proclamatam, quam esse *fatale decretum* criminabantur Semi-Pelagiani, non esse in sua efficacia impedibilem, seu dependentem ab illa Media Scientia, nec esse indifferentem; gratia enim pro nutu arbitrij determinabilis; *Cur conticeretur, quia nequit intelligi? Qualiter minus intelligentium corda turbaret?* Cùr dubitarent in omnibus Augustini *libris contra Pelagianos fuisse defensam?* Ergò dum gratiam Augustini inutilèm prædicationi, & ædificationi audientium contrariam esse vociferabantur, non de quacũque gratia loquebantur, sed de illa, quæ est *secundùm propositum, à qua nõ permittitur prævaricari, à qua non possit sua voluntate deficere.* Quia vt illorũ erat professio *quidquidlibet donatũ sit prædestinatis, id posse, & amittere, & retinere propria voluntate.*

*D. Prosper. epist. ad Augustin.*

*S. Hylarius, epist. ad Augustin.*

854 Nec valet, si respondeas cum P. Henao, post P. Antonium Perez; Semi-Pelagianos acumine licèt ingenij præditos libertatis violatæ reum nuncupasse Augustinum, quia decepti iudicabant gratiam efficacẽ ab Augustino defensatam esse prædeterminationem, & ideò argumentum illorum dirutæ libertatis erat robustissimum, sed minimè contra gratiã verè ab Augustino edoctam, sed potiùs cõtra illam, quã nos sustinemus, & ipsi falsò Augustino tribuebant. Addit P. Henao; Pelagianos, Semi-Pelagianos, & quosvis alios inferentes ex doctrina S. Augustini absurdũ dirutæ libertatis, non penetrasse sensum S. Doctoris, etsi fuisse ingenio pollentes reputentur, non enim rarò tales deficiunt. Si enim omnibus cõstans est Massilienses quantumcumque claros, & egregios deviasse à vera intelligentia complurium locorũ Sacrę Scripturæ; Cùr mirandum errasse in attribuenda S. Augustino sententia aliena ab eius animo?

*D. Hylarius epist. ad Augustin. Henao* 1. 2. *sect.* 234. *Ant. Perez de Provid. disp.* 1. *c.* 5.

*Henao, sect.* 293. & 294.

855 Sed contra hanc solutionem plura militant: 1. Si calumnia Manichęismi iniustè à Pelagianis Augustino irrogata ortum ducebat ex decep tione, qua falsò iudicabant Augustinum defensare esse gratiam, ex Deo efficacem, & non efficacia dependente,

te, seù consequente nostrum liberum consensum; Cùr S. Augustinus non se clarè expossuit, vt sine labore evidenter refelleret incommoda ab Hæreticis proclamata, ita vt nec ab stultissimis reus violatæ libertatis iudicari posset? Vno enim verbo omnes dissensiones sedaret, calumnias reprimeret; edocens gratiam ab ipso ex scripturis manifestè deductam esse ex se indifferentem, à voluntate determinabilem, & pro nutu voluntatis tàm cum consensu salutari, quàm cum peccato consotiabilem.

856 2. Massilienses, aliàs ingenioſi, negabant gratiam efficacem prævenientem voluntates nostras, nè frustrà fierent correctiones, & iniquè vnus increparetur exemplo alteriùs; quia licèt P. Henao annotet adversus P. Gonet hanc obiectionem ex iustitia increpationis depromptam non fuisse à Semi-Pelagianis repetitam; ex eo, quod liber S. Augustini de Correptione, & Gratia, in quo obiectionem repellit, præcesit S. Prosperi, & Hylarij Epistolas equibus S. Augustinus auxit notitiam Semi-Pelagianorum, & recursus ab eis primitùs facti ad scientiam conditionatã. ¶ Manifestè fallitur; vtrùmque enim verùm est, & Semi-Pelagianorum delirium innotuisse S. Augustino per Epistolas S. Prosperi, & Hylarij post librum de Correptione, & Gratia vulgatum; & quod Semi Pelagiani ex necessitate gratiæ prævenientis dantis velle à S. Augustino edoctę inferrent, quod frustrà fierent correctiones, & iniquè vnus argueretur exemplo alteriùs: cuius argumenti inefficaciam demonstrat Augustinus in libro de Correptione, & Gratia.

*P. Henao, sect. 234.*

857 Ad cuius evidentiam expendo verba S. Prosperi referentis S. Augustino argutias Massilienſiũ adversus *vocationem electorum, secundùm Dei propositum*, ab ipso ex testimonijs Divinarum Scripturarum deductam, & ita affantis: *Evenit ex dispositione misericordiæ Dei, vt cũ quosdam intra Aphricam similia moviſſent, librum de Correctione, & Gratia plenum Divinæ authoritatis emitteres, quo in notitiam nostram inſperatæ opportunitate delato, putavimus omnes querelas reſiſtentium ſopiendas; quia vniverſis quæſtionibus, de quibus conſulenda erat ſanctitas tua tàm plenè illic, abſolutèque reſponſum eſt, quaſi hoc ſpecialiter ſtudueris, vt quæ apud nos erant turbata componeres*: & paucis interpositis scribit: *Quidquid in libro hoc* (de Correctione, scilicèt, & Gratia) *ex cõtradicentium ſenſu ſanctitas tua ſibi oppoſſuit, quidquid etiam in libris contra Iulianum ab ipſo ſub hac quæſtione obiectum potentiſsimè debellaſti, hoc totum ab iſtis ſanctis intentioſiſſimè conclamatur.* Ergò evidens est; Massilienses contra vocationem gratiæ Dei ab Augustino defensatam intentiosissimè conclamasse vtilitatem correctionis, & iustitiam increpationis addimere, & quod licèt S. Augustinus ad motiones Aphricanorum sedandas librũ de Correctione emitteret; licèt nondum per S. Prosperũ, & Hylarium agnoscceret Massilienſiũ errores, in illo eorum obiectionibus plenè, & absolutè responsum præbuit, quasi hoc specialiter studuerit.

*D. Prosp. in epist. ad August.*

858 Cùm verò ex eodem principio inferatur ex necessitate gratiæ ad rectè operandum libertatis ruina, ac correctionis inutilitas, & increpationis iniustitia, audiamus Aphricanos, sicut Massilienses ex gratia ab Augustino propugnata colligentes inutilitatem correctionis; itaque deblaterantes (*rectè autem corriperer, ſi eam*) (vocationem, scilicèt, electorum secundùm propositum Dei, seù efficacem gratiam) *mea culpa non haberem, ſi eam poſſem mihi dare, vel ſumere, ipſe nec facerem, vel ſi dante illo accipere noluiſſem. Cùm ergo, & ipſa voluntas à Domino præparetur; Cùr me corripis, quia vides me eius præ-*

*August. de Corrept. & Grat. c. 4. in fine, & 5. in princip.*

*præcepta facere nolle, & non potiùs ipſum rogas, vt in me* (non ſolùm mecum ex mea determinatione) *operetur, & velle?* Statimque Glorioſus gratiæ defenſor argumento excitatus aſſerit: *Ad hæc reſpondeamus, &c.* Ad quid ergò Sanctiſsime Pater ſolutiones paras? Vnicè tuam mentẽ expone, ſi enim non præparatur voluntas à Domino per gratiam determinantem, qua operatur in nobis velle: vt Jeſuitæ propugnant, ſed ex hac gratia tibi falsò impoſita vires argumentum aſſumit, vno verbo lis eſt deciſſa, & ex ſincera argumenti confeſsione triumphans exulta; expone voluntatem præparari à Domino vnicè per gratiam indifferentẽ, qua ſuppoſita, quod non adſit efficax culpa increpati eſt, & ideò rectè corripitur, quia efficacem gratiam potuit ipſe *ſumere*, & non fecit, & Deo *dante* accipere noluit: vt quid ergo duodecim reples capita, vtilitatẽ correctionis demonſtrando, ita vt *recenſito hoc beatitudinis tuæ libro, qui perſuaſsionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores, quàm fuerant receſſerint?* Vt D. Proſper conquæritur. Nõ ergò Auguſtinus iudicavit Aphricanos, & exinde Maſsilienſes ſibi falsò imponere vocationem gratiæ electorum eſſe prædeterminantem, ſeù prævenientem determinando; indubiè enim ſe exponeret vtilitatem correctionis demonſtrando, ſi dum quis non facit præcepta nulla deeſt gratia, qua correctus ſua culpa non careat, & quam non poſſet accipere, ſi vellet.

*D. Proſper. epiſt. ad Auguſt.*

859 3. Inſurgo; quia licèt facilè credatur Semi-Pelagianos errare deviando à vera intelligentia ſententiæ S. Auguſtini, ſicut plura ſacra teſtimonia depravarunt: tamen nullus credet S. Proſperum, & Hylariũ deceptos fuiſſe attribuendo Auguſtino ſententiam ab eius animo valdè alienam, eiuſque mentem non penetraſſe; ſed D. Proſper, & Hylarius crediderunt de mente Auguſtini vocationem gratiæ electorum prævenientis merita ſecundùm propoſitum Dei, ex qua Semi-Pelagiani inferebant iniuſtitiam correctionis, *removeri omnem induſtriam, tolliquè virtutes* fuiſſe gratiæ prævenientis determinando, non verò indifferentis, ſeù prævenientis purè moraliter ſuadendo: ergò Auguſtinus hanc gratiam prævenientem determinando verè edocuit: & ex illa non falsò Auguſtino attributa argumentum dirutæ libertatis Semi-Pelagiani vociferabãt. Probo Min. Quia ſi S. Proſper, & Hylarius iudicarent vocationem gratiæ prævenientis merita, non eſſe determinantem ex mente Auguſtini; Cùr non promerent ad querelas Maſsiliẽſium ſopiendas? Cùr Semi-Pelagianis ſilentium non indicerent intẽtioſiſsimè conclamantibus Auguſtinum extinctæ libertatis reum? Cùr, *nec facilè quiſquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis Maſsilienſum diſputationibus auſus eſt contraire?* Cùr enixè S. Auguſtinum obſecrarũt, vt lucidiſsimis expoſitionibus dignaretur aperire: *Quomodò per præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium?* Nil enim notiùs eſſe poteſt, quàm gratiam indifferentem non impedire arbitrij libertatẽ.

*D. Proſper. epiſt. ad Auſtinum.*

## SECTIO QVINTA.

*Si Deus prædeterminat, aut condeterminat conſenſum liberum creaturæ, inutilis eſt Scientia Media ad conciliandam efficaciam gratiæ cum libertate.*

860 DVas partes obtinet hæc cõcluſio; prima eſt, quod ſi Deus prædeterminat conſenſum liberum inutilis eſt Scientia Media ad cõcordiam gratiæ cum libertate exponendam; quam nullus ex Thomiſtis negare poteſt, nec credam aliquẽ

ex DD. Societatis ei obſiſtere poſſe, cum ex eo Scientiam Mediam pro viribus propugnent, quia inintelligibile profitentur Deum per mediũ prędeterminans poſſe obtinere conſenſum liberum: ratione verò efficaciſsima probatur. Primò, quia ſi prædeterminatiõ Divina exigitur ad cõſenſum liberum Scientia Media omninò corruit: ergò inutilis erit ad omne munus, quia chimęra. Probatur antecedens: Scientia Media eſt Sciẽtia conditionata conſenſus liberi ſub auxilio, contingens, & Deo non libera; ſed ſi Deus prædeterminat cõſenſum liberum, nulla poteſt eſſe in Deo Scientia conditionata conſenſus liberi, contingens, Deo non libera: ergò. Prob. Minor. Scientia conditionata conſenſus liberi, vel eſt neceſſaria, vel Deo libera, vel eſt chimæra: ergò nequit eſſe contingens Deo non libera. Prob. antecedens. Veritas illa conditionata ita enuncians: *Si eſt libertas A, erit conſenſus*: vel includit prædeterminationem conſenſus ex parte conditionis: ita vt ſit ſenſus, *ſi eſt libertas A, cum prædeterminatione erit conſenſus*: & tunc eſt Scientia neceſſaria: nil enim magis neceſſarium, quam conſenſum extiturum eſſe ſub conditione, quod ſit aliquid connexum cum conſenſu: ſi verò nõ includat prædeterminationẽ ex parte conditionis, ſed ex parte conditionati, vt ſit ſenſus: *Si datur libertas A, erit conſenſus prædeterminatus à Deo*, ſeù ex Dei prædeterminatione: Scientia huius veritatis eſt Deo libera, ſicut enim eſt Deo liberum poſita libertate A, prædeterminare conſenſum, ita, & eſſe conſenſum: ſi verò non includat prædeterminationẽ requiſitam, nec ex parte conditionis, nec conditionati, Scientia erit cõſenſus chimærici, quia erit conſenſus ſine prædeterminatione exacta vt ſit: ergò talis Scientia erit, vel Deo neceſſaria, vel libera, vel chimęrica.

861 Aliter: Deo prædeterminanti conſenſum liberum eſt libera veritas conditionata exiſtentię conſenſus ſub libertate A: ergò, & Sciẽtia huius veritatis: Conſeq. eſt evidens, quia implicat veritatem Deo liberam ſciri per ſcientiam Deo non liberam: & cum ſolùm in ſigno, in quo eſt veritas ſit Deo ſcibilis, implicat veritatem ſupponere Dei decretum, & ſcientiam omne decretũ præcedere. Prob. antecedens. Veritas cõditionata eſt libera determinanti cõditionatum poſita conditione, cum enim veritas hęc non in alio cõſiſtat, quàm in eo, quod pro caſu conditionis exiſtat conditionatum erit libera agenti ita exhibenti ex ſua determinatione conditionatũ; ſed Deus prædeterminaret conſenſum, ſeù conditionatum pro caſu conditionis, ſeù libertatis A: ergò Deo erit libera veritas conditionata.

862 Alitèr: Ideò veritas illa conditionata eſt nunc defacto libera creaturæ, quia licèt ſibi non determinet conditionem, ſeù libertatem A, illa ſuppoſita determinat conſenſum: ergò ſi Deus non ſolùm determinaret conditionem, ſeù libertatem, ſed etiam illa ſuppoſita prædeterminaret conditionatum prędeterminaret veritatem conditionalem, ſicut enim creatura determinat nunc illam veritatem, quia determinat nunc conſenſum; determinaret veritatem à Deo priùs determinatam, ſi determinaret conſenſum priùs à Deo determinatũ.

863 Secundò probatur eadem pars concluſionis, licèt prædeterminatio non eſſet exacta à conſenſu libero, ſed ſolùm componibilis cum eius libertate. Ideò Scientia Media eſſet exacta ad conciliandam efficaciam infallibilem gratię cum libertate conſenſus, quatenus Deus ſolùm directus illa Scientia poſſet noſcere per quę auxilia ſecurè obtinebit conſenſum ſine libertatis læſione; ſed ſi conſenſus liber prędeterminaretur à Deo per ſcientiam naturalem noſceret

ceret Deus posse securè obtinere cõsensum absque libertatis læsione: ergò superflua esset Scientia Media, vt Deus tutò incolumi libertate obtineret cõsensum. Mai. Scientię Medię munus indigitat à suis professoribus expositum. Prob. Min. Deus per sciẽtiam naturalem sciret se posse cuilibet auxilio addere prędeterminationem incolumi libertate, & quod per hanc prædeterminationem obtinebit consensum: ergò per scientiam naturalem non solùm sciet per quæ auxilia obtinebit securè consensum illæsa libertate, sed etiam hoc posse agnosceret per omnes libertates, & omnia auxilia constituentia libertatem sine illa Media Scientia.

864 Secunda pars; scilicèt, invtilem esse Scientiam illam Mediam, vt gratia efficax cohæreat libertati, si semel Deus condeterminat cõsensum: quàm plurimos habet Patronos ex ipsius Scientiæ Mediæ professoribus; inspiciatur ingeniosissimus P. Junio, & nostræ Scholæ Primarius P. Herrera: Quia acritèr increpant Sap. P. Ribadeneyra, qui primus Primariã Theologiæ Cathedram pro Sacra Religione Societatis in nostra Academia obtinuit, Decretumque concomittans, seù immediatam determinationem consensus liberi à Deo, vt sibi verisimam defensavit, & licèt multis vexatus nunquàm deseruit: Nec credo tantùm Magistrum nobis esse in hac parte contrarium, quia licèt Scientiam Mediam illustravit, tãdem ex determinatione immediata Divina consensus, coactus fuit illam propugnare, vel ex infinita Dei vi intellectiva, qua ante omne absolutũ Decretum potest veritates conditionatas prænoscere, vel quia ad providentiam Provisoris perfectissimi spectat cõferre media, cum noticia evẽtus, quem obtinebunt; minimè verò ad conciliandam efficaciam infallibilem gratiæ cum libertate.

*P. Iunio de Præd. sect. 9 cap. 7. Herrera de Prædest. q. 9 sect. 4. Ribaden. de Præd. disp. 10. cap. 1.*

865 Assumptum verò probo ab his pręscindens: Primò. Quia si Deus condeterminat consensum liberum, scientia conditionata consensus liberi, vel est Deo necessaria, vel Deo libera, vel chimęrica: ergò non erit scientia conditionata Dei media ad consociandam libertatem cum gratia Prob. antecedens. Vel sciẽtia illa conditionata affirmat sub conditione libertatis A, extiturum esse consensum sine condeterminatione Dei, & ita scientia est chimerica, cum affirmet obiectum impossibile, scilicèt consensum sine determinatione necessaria, vt sit: vel affirmat sub conditione libertatis A, & condeterminationis Dei extiturum esse consensum: & ita scientia est necessaria, & à quolibet scibile suum obiectũ, quia nil ex terminis magis notum, quàm extiturum esse cõditionatum, si existit conditio cum conditionato connexa: si denique enuntiet sub conditione libertatis A, extiturum esse cõsensum, & condeterminationem Dei; ita vt condeterminatio Dei non excludatur à conditionato, nè scientia sit chimęrica, seù necessariò falsa, nec includatur in conditione nè scientia sit necessaria, seù veritatis necessariæ; sed ita vt condeterminatio Dei se teneat ex parte cõditionati, vt rectè edocet P. Ribadeneyra; hęc scientia non erit media, sed Deo libera: ergò nulla potest esse scientia conditionata media. Probo anteced. quoad tertiam partem: in qua potest esse difficultas. 1. Quia scientia conditionata supponit obiectum, & quia voluntas nostra determinat conditionatũ posita conditione, determinat sciẽtiam conditionatam, & exinde est nobis libera: ergò si Deus etiam determinat conditionatum posita conditione, illa scientia cõditionata erit libera Deo. 2. Illa scientia conditionata consequitur determinationem creaturæ conditionatam: ergò, & determinationem conditionatam Dei, quæ concomitatur determinationẽ

*Ribaden. de Præd. disp. 10. cap. 3.*

creaturę, sed ex eo, quod consequens sit ad determinationem conditionatam creaturæ, est scientia creaturę libera: ergò ex eodem principio erit libera Deo; vnde ex hac condeterminatione Dei, sciẽtia illa conditionata est nobis, & Deo libera, contra prima Scientiæ Mediæ principia, vt asserit RR. Thyrso.

*Thyrso t. 1. disp. 11. sect 11.*

866 2. Probatur assumptum: Scientia inutilis, vt Deus securè, & absque periculo frustrationis intendat consensum liberum per auxilium A, necessaria non est, vt consocietur efficacia auxilij cum libertate consensus; sed si Deus condeterminat cõsensum, Scientia Media est inutilis, vt Deus securè, & absque periculo frustrationis intendat consensum liberũ per auxilium A: ergò. Mai. nota, quia componere efficaciam infallibilem auxilij cum libertate est Deum posse auxilium secure coniungere cum cõsensu libero: Probo Minorem. Qui scit posse auxiliũ A, reddere efficax, scit per auxilium A posse obtinere consensum liberum; sed si Deus condeterminat consensum scit per scientiam naturalem, & independenter à Scientia Media posse reddere efficax auxilium A: ergò. Prob. Min. Deus scit per scientiam naturalem posse auxilio A superaddere suam condeterminationem, & per eandem scientiam scit, quod auxilium A efficax erit cum sua determinatione coniunctum: ergò.

867 Vrgeo hoc: Qui admittit consensum liberũ, posse à Deo prædeterminari, nequit Scientiam Mediã necessariam statuere ad consociandã efficaciam gratiæ cum consensus libertate, seù vt Deus securè per auxilium A intendat consensum liberum: ergò nec qui sustinet posse cõsensum liberum à Deo condeterminari: Antecedens videtur certum, nec vnquã vidi prædeterminatores, nec leviter attingi, quia providentiam fortunæ, & casualitati obnoxiam statuant: Si enim novit Deus per scientiam naturalem incolumi libertate posse cuilibet auxilio addere prędeterminationem, ad quid alia desiderabitur, vt per quodlibet auxilium securè obtineat liberum consensum? Et Prob. conseq. Sicut Deus in sententia prædeterminantium per scientiam naturelem prænoscit posse addere cuilibet auxilio prædeterminationem, ita in sententia condeterminantium scit Deus cuilibet auxilio libere posse adijcere condeterminationem, & vt asserit P. Ribadeneyra: *Sicut iuxtà prædeterminantes situm est in libertate Dei convertere infallibiliter nostram voluntatem habentem sufficiẽtiam ad conversionẽ, quia potest Deus huic sufficiẽtiæ superaddere suã prædeterminationem connexam cum nostra conversione. Similiter in nostra sententia* (condeterminantium scilicèt) *per adiunctionem decreti comitantis infallibiliter cum eadem conversione connexi*: Ergò sicut in illa sententia non est necessaria scientiã alia pręter naturalem, vt Deus securè possit intendere consensum liberum, nec in sententia condeterminantium ad hoc munus Scientia Media necessaria erit, vnde nec ad conciliandam efficaciam gratię cum libero consensu; An verò alio titulo foret necessaria Scientia Media ad libertatem cõsensus à Deo condeterminari, quia exacta vt decreta Dei sint impedibilia, cum si forent inimpedibilia, libertatem extinguerẽt, quia antecedenter connexa? Licèt ex mente huius Sapientiss. Doct. asseverandum sit:

*Ribadeneyra vbi sup. num. 55.*

*Infrà à nu. 927.*

Non est huius loci disputare; aliqua tamen inferiùs adducam.

(§.)

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

SECTIO

## SECTIO SEXTA.

*Obiectum scientiæ divinæ conditionatæ contingentis consensus liberi, exponitur: vt exinde inutilitas Scientiæ Mediæ ad consociandum efficaciam gratiæ cum libertate (licèt Deus non prædeterminet intrinsecè, aut extrinsecè consensum liberum) efficaciter colligatur.*

868 VT conclusionem difficilem, & plurimis exosam propugnem, quia fortè, nec omnes N. DD. ei subscribent; scilicèt, quod licèt Deus non prædeterminaret, intrinsecè, nec extrinsecè consensum nobis liberũ, immò, nec condeterminaret; sed omnis gratia præveniens consensum esset ex se indifferens, & solùm accidentaliter efficax, adhuc esset inutilis Scientia Media ad concordiam gratiæ efficacis cum libertate exponendam: obiectum scientiæ conditionatæ contingentis necesse est apprimè priùs manifestare: non quidẽ obiectum formale, seù medium, in quo scientia illa innititur, sed materiale, seù veritatem conditionalem per illã scientiam attactam. Ad cuius declarationem.

869 Præmoneo 1. Vt certa ab incertis divisa præmittam; in hypothesi exagitata relegante omnẽ prædeterminationem divinam, sivè intrinsecam, sivè extrinsecam consensus liberi, hanc scientiam conditionatam: *Si existit auxilium A, erit consensus* (si in Deo daretur) futurã fuisse contingentem, & non liberã Deo, & exinde mediam inter necessariam, & liberam, quidquid sit de voce, & modo ipsam ita vocandi, de quo parum curo. Ratio est, tum quia nulla scientia potest esse Deo liberã, si est independens ab omni Dominio electivo; & determinativo Dei. ¶ Tũ, quia Deus nullo modo determinaret illam veritatem, nam veritas conditionalis, solùm determinatur à determinante conditionatum posita conditione; sed sola voluntas nostra sub libertate A, determinaret cõsensum, non verò Deus, vt supponit hypothesis: ergò illa scientia non esset liberã Deo, seù subiecta Dominio, & determinationi Dei. ¶ Nec esset scientia Deo necessaria, quia scientia conditionalis solùm potest esse necessaria, ex vi necessariæ connexionis conditionis cum conditionato; sed hæc cõditionalis assumit pro conditione libertatem, & pro conditionato cõsensum, seù vnum ex extremis libertatis, & implicat libertas ex se determinatè connexa cum vno ex libertatis extremis, non enim esset ad vtrũque indifferens; nec ex electione vni coëxisteret prælatero: ergò implicat talem scientiam conditionalẽ (si existeret, & daretur in Deo independenter ab omni prædeterminatione consensus liberi, sivè intrinseca, sivè extrinseca) fore necessariam; vnde esset contingens Deo non libera. ¶ Dixi sæpiùs, si talis scientia existeret, & daretur in Deo, quia tunc casus illa scientia cõditionalis plurimis erat obnoxia difficultatibus, erat enim necesse, vt ab æterno existeret aliqua determinatio, vi cuius scientia potens non esse haberet esse præ non esse, omne enim quod contingenter est ex libera determinatione habet, quod sit; vnde si omnem determinationem Divinam consensus liberi excludis, vel debes aliam hypothesim impossibilẽ determinationis creatæ, & æternæ adstruere, vel scientiam consensus, liberi sub conditione libertatis omninò à Deo relegare. ¶ Nec mirũ, quod Scientiam Mediam valde displicentem Angelicę Scholæ studiosis vltrò admittamus in hypothesi duplici, quarum vtramquè impossibilem iudicando supponimus, vt ex Dominio Dei prædeterminativo consensus liberi colligatur, quid iudicari debeat de scientia conditionata contingente

ip-

ipsius; si enim Deus purè extrinsecè determinat consensum, aut extrinsecè, & intrinsecè; scientia conditionalis contingens est libera Deo: si verò nullo modo prædeterminat, sed solũ condeterminat consensum, scientia erit libera Deo, & creaturæ: si verò nullo modo determinat immediatè consensum, sed solùm mediatè determinando auxilium, scientia conditionata non erit libera Deo, sed solùm creaturæ, vnde esset in Deo media, seù contingens non libera, si daretur.

870 Secundò prȩmitto illam Scientiam Mediam inter plurima tela, quibus à Nostris DD. conteritur non minorem obtinere locum, quod ex impossibilitate obiecti illius sciẽtiæ desumitur, vt enim probent obiectum illius scientiæ esse necessariũ, aut impossibile hoc principium, vt solemne, & evidens magnificant Illustrissimus Godoy, PP. Salmanticenses, Mag. Carrasco, & alij, quàm plurimi scilicèt, vt *conditionalis sit vera eadem principia, quæ in statu absoluto requiruntur ad existentiam absolutam effectus importari debent conditionatè, seu ex parte conditionis in futuro conditionato.*

*Godoy de Scient. disp. 37. sect. 2. Salm. disp. 7. de Grat. efficaci dub. 3. num. 70. M. Carrasco de Voluntate Dei, dub. 6. fund. 6.*

871 Me tamen iudice crederem, illud principium expositione indigere, & inter plurima, quæ in Tractatu de Scientia diffusè exagitamus prætermittere non possumus, omnes vt verisimum sustinere in vtraque Schola esse in Deo scientiã, conditionatam contingentem futurorum liberorum; nec hoc credimus vnquam fuisse controversum, quidquid adversarij reclament: solùm dissidium sistit in eo, quod alij sustinent esse mediam, seù contingentem non liberam; nos pugnamus esse Deo liberam: vnde obiectum scientiæ contingentis assignare omnes adstringimur: & dissidium stabit, quod hoc obiectum independens ab actuali determinatione Divina adversarij pugnabunt: Nos ipsum ex determinatione actuali Divina proficiscì defensabimus: Non ergò connatus sit, vt hoc obiectum necessarium inferatur; quia infringet cõtingentiam ab vtraque Schola admissam, sed potiùs, vt colligatur obiectum præter contingentiam, libertatem includere respectu Dei, vt exinde scientiæ libertatẽ pro scopo deducamus.

872 Ex quo colligo, quod si principium supra, vt evidẽs relatum, esset verum, in nulla sententia veritas conditionata consensus liberi esset contingens, sed omnis veritas conditionata foret necessaria; vnde scientia conditionata non posset esse contingens contra sentẽtiam ab vtraque Schola demonstratam, quod priusquã RR. Thyrso animadverterunt Primarij nostri P. Ribadeneyra, & P. Herrera; & ratio est, quia sicut adversarij requirunt ad consensum in statu absoluto Scientiam Mediam, vel cõcursum simultaneum, & si ista in statu conditionato ingrediuntur ex parte conditionis conditionalis est necessaria, & ruit scientię conditionatę cõtingentia, quæ exigitur, vt sit Scientia Media; ita nos exigimus ad consensum in statu absoluto prædeterminationem, & si hæc ingreditur ex parte conditionis in statu conditionato, conditionalis erit necessaria; vnde perit etiam contingentia exacta, vt scientia conditionata sit libera. Ita ergo disputo admisso, vt vero principio adducto; *eadem principia, quæ in statu absoluto requiruntur ad existẽtiam absolutam effectus, importari debent conditionatè, seu ex parte conditionis in futuro cõditionato*; Sed gratia ex se efficax, seù prædeterminans in statu absoluto prærequiritur ad existentiam absolutam consensus liberi: ergò debet importari ex parte conditionis in consensu futuro cõditionato, vnde scientia conditionata consensus liberi, ita enunciavit: *Si dedero Petro auxilium A, & prædeterminavero eum ad consensum, con-*

*Thyrso disp. 20. de Sciẽt. sect. 1. P. Ribad. disp. 17. de Præd. n. 32. P Herrera, vbi supra.*

*sen-*

*sentiet*, quæ scientia nec est media, nec est libera, sed necessaria.

873 Quod si rectè perpendas invenies disparitatem ingeniosè adductam post nostrum Ioann. à Sancto Thoma, à Mag. Vives, vt apud Adversarios Scientia Media, aut concursus simultaneus debeant ex parte conditionis includi in conditionali de cõsensu libero, secùs decretum efficax absolutum ex parte actus in sententia nostra, quia cum decretum sit medium, in quo nititur scientia, & ratio formalis *sub qua*, nequit nec ex parte conditionis, nec ex parte conditionati attingi; cuius signum est, quod decretum exigit existentiam absolutã, quam nequit exigere conditio, aut conditionatum scientiæ, quia conditio solùm apprehenditur vt possibilis, & conditionatum, vt futurum sub conditione: omnia verò prærequisita ad consensum, quę adstruunt DD. Societatis, cum non sint media, seù fundamenta, quibus scientia innititur debent importari ex parte conditionis in futuro libero conditionato. ¶ Quę disparitas fixa manet, licèt P. Annatus, & Henao eam validè expugnare connentur; omnibùs enim instantijs ab illis ingeniosè excogitatis vno verbo occurritur: asserendo, quod connexio conditionis cum conditionato destruit contingentiam scientiæ conditionalis; connexio tamen medij cum conditionato, posita conditione exigitur à scientiæ certitudine; vnde cum contingentia non pugnat, quia stat scientiam esse metaphisicè certam, & contingentem; cõnexio ergo decreti efficacis cum cõsensu conditionato, non labefactat scientiæ conditionatæ contingentiã, vt sit libera: connexio verò alicuius exacti ex parte conditionis perimit scientiæ conditionatæ contingentiã, vt sit media.

*Ioann. à S. Thom. disp. 20. artic. 5. pag. 679. Viv. de Scientia Media, disp. 19. dist 8.*

*P. Annat. de Scient. Med. disp. 4. cap. 3. P. Henao, sect. 120.*

874 Sed invenies (inquam) minimè hãc disparitatem applicari posse, gratiæ efficaci, & prædeterminanti, hęc enim non est medium, in quo scientia illa conditionata fundatur: ergò si omnia prærequisita ad cõsensum in statu absoluto debent ingredi ex parte conditionis in futuro conditionato; præter medium attactum à scientia, prædeterminatio importabitur ex parte conditionis, & ita conditionalis erit necessaria, & aufertur contingentia scientiæ conditionatæ exacta, vt sit libera. Prædeterminantem gratiam nõ esse medium, in quo Deus cognoscat consensum futurum conditionate: præter quam quod est notum, quia est effectus decreti, constat, quia non exigitur absolutè existens vt consensus cognoscatur futurus sub conditione.

875 Nec infringit discursus vim solutio M. Carrasco. Qui asserit argumentum nostrum desumptum ex eo, quod obiectum scientiæ cõditionatæ non est contingens, quia debet importari ex parte conditionis concursus Dei determinatus, & infallibiliter connexus cum consensu cõditionato, esse argumentum ad hominem; nobis tamen nullam difficultatem ingerere, quia sustinemus, quod prædeterminatio licèt infallibiliter inferat consensum solùm reddit ipsum necessarium necessitate consequẽtiæ non consequentis; vnde consensus manet liber, & obiectum scientiæ cõtingentis, & liberæ. ¶ Quia hæc solutio (cum venia tanti Magistri, aliàs mihi gratissimi) videtur confundere conditionatum cum conditionali, licèt enim si prædeterminatio ponitur ex parte cõditionis consensus necessarius necessitate consequentiæ erit in se contingens, & liber, hæc verò conditionalis: *Si Petrus prædeterminaretur ad consentiendum consentiret*; erit necessariò vera, quia licèt conditio, & conditionatum sint contingentia, conditio est metaphysicè connexa cum conditionato, sicut hæc est necessaria: *Si Petrus currit movetur*; si enim conditionalis est necessa-

*M. Carrasco, vbi supra num. 83.*

ceſſariò vera licèt extrema ſint impoſsibilia, ſi cõditio eſt metaphyſicè connexa cum conditionato; quantò magis erit neceſſariò vera, ſi extrema licèt contingentia ſunt metaphyſicè connexa? Ita etiam in Adverſariorum ſententia, ſi concurſus ſimultaneus aſſumeretur pro conditione in conditionali de conſenſu libero, conſenſus maneret liber, ſed conditionalis eſſet neceſſaria, quia cõditio identificaretur cum conditionato; in nulla ergo ſententia in obiecto ſciẽtiæ conditionatæ cõtingentis poſsũt importari ex parte conditionis omnia requiſita ad conſenſum, quia ſi omnia requiſita ſe tenent ex parte conditionis veritas cõditionalis redditur neceſſaria, & ita nequit eſſe obiectum ſcientiæ conditionatæ cõtingentis, nec mediæ, nec liberæ.

870 Ex his agnoſces, quo iure glorietur P. Borrul conviciſſe P. Vives, vt fateatur Scientiam Mediam, quia affirmat Deum ante omne decretum liberum noſcere hanc veritatem: *Si Decreto efficaci decernerem Tyrios pœnitere, pœnitentiam agerent.* Hæc enim ſcientia eſt futuri cõditionati liberi, cum cõditio Decreti non adimat pœnitentiæ libertatẽ: ergò ſi hæc ſcientia eſt ante decretũ, datur ſcientia conditionata pœnitentię liberæ ante decretum, & exindè media. Fallax quidem diſcurſus; nomine enim Scientiæ Mediæ non intelligitur, quælibet ſcientia conditionati liberi ante decretum; ſed quæ ſit ante decretum, & contingens, ſi verò illa ſcientia eſt neceſſaria, ſicut, & illius verificativum, qualiter erit media licèt ſit ante decretum? Illa ſcientia, ſicut eſt ante decretum, eſt ante omne contingens, cum à nullo contingente dependeat, quod ſit pœnitẽtia pro caſu decreti efficacis illius: ergò non eſt Sciẽtia Media, quia hæc exiſtit in ſigno contingentium. Nonnè hęc ſcientia: *Si voluntas proximè expedita ad conſenſum, & diſſenſum, ex ſuo Dominio electivo determinatur ad conſenſum, libere conſentiet* non eſt ante omne decretum? & tamen licèt ſit conditionati liberi non eſt media; ſed omninò neceſſaria propter infallibilem connexionem conditionis cum conditionato, licèt libero.

*P. Borrul de Scient. Media, diſp. 13 ſect. 1.*

871 Nec declinabit argumenti evidentiam, ex his, quę alibi docet P. Borrul, quod vt conditionalis ſit neceſſaria, non ſufficit, quod conditio ſit neceſſariò connexa cum conditionato; ſed vlteriùs exigitur, quod conditio ſit inimpedibilis. ¶ Cõfundit enim conditionatum cum conditionali, ſi conditio eſt impedibilis conditionatum non erit neceſſariũ, licèt neceſſariò connexum cum conditione, conſequutio verò conditionati ex conditione impedibilis non erit, ſed neceſſaria, ſicut connexio: ergò verificativum cõditionalis erit neceſſarium, & exindè ſcientia: Patet conſequentia: Quia conditionalis ſolùm enunciat conditionati exiſtentiam pro caſu conditionis.

*P. Borrul de Scient. diſp. 14. ſect. vlt.*

872 Cum hæc mihi nota ſint (à pluribus libenter abſtinens cum animus ſit notionem ſcientiæ conditionatę contingentis brevitèr dumtaxàt prælibare, proùt neceſsè eſt ad ſequẽtium intelligentiam) aſsignemus obiectum ſcientię contingentis de conditionato libero, vt ſicut controvertitur de ſcientia; An ſit libera Deo, vel non ſit libera Deo? Ita diſcutiatur de obiecto; & cum conditionatũ huius ſcientiæ ſit conſenſus liber. Aſſero 1. Quod nec conditio debet includere omnia requiſita ad conſenſum, nec debet excludere aliquod ex requiſitis ad conſenſum: hæc concluſio eſt evidens; & quoad vtramque partem ſimul probatur. Conditionalis, de qua loquimur, eſt contingens: ergò nec neceſſaria, nec impoſsibilis, quia contingentia ęquè pugnat, cum neceſsitate, ac cum impoſsibilitate; ſed conditionalis, cuius conditio includit omnia requiſita ad conſenſum

eſt

est necessaria; & cuius conditio excludit aliquod ex requisitis est impossibilis; ergo in conditionali contingente, nec conditio debet omnia requisita includere, nec aliquod ex requisitis excludere. Prob. Mi quoad primam partem: conditionalis cuius conditio metaphisicè connectitur cũ conditionato est necessaria, sed dantur aliqua requisita ad cõsensum metaphisice connexa cum consensu; ergo conditionalis de consensu ex parte conditionis includens omnia requisita ad consensum erit necessaria; vnde istæ conditionales sunt necessariæ: *Si Deus confert auxilium, & influit immediatè in consensum erit cõsensus: & si Deus confert auxilium, & prædeterminat consensum erit cõsensus.* Prob. 2. part. Minoris: Quia dum conditio repugnat conditionato conditionalis est impossibilis; sed si conditio excludit aliquod ex requisitis ad consensum repugnat consensui. Quid enim magis chimæricũ, quam consensum extiturum esse absque requisitis vt existat? Ergo conditionalis de consensu excludens aliquod ex requisitis ad consensum est impossibilis; vnde hæc conditionalis est impossibilis: *Si existit auxilium A, sine influxu immediato Dei erit consensus.* Thomistæ etiam hanc conditionalem iudicamus impossibilem: *Si existit auxilium A, sine Dei prædeterminatione erit consensus.*

879 Assero secundo. Conditionalis contingens de consensu libero debet importare ex parte hypothesis, seù conditionis libertatem consentiendi, non solùm inadæquatè quoad aliquod libertatis constitutivum, sed adæquatè quoad omnia libertatis constitutiva: Hanc conclusionem iudico etiam commune placitum DD. Societatis, licèt ab illa recedant N. Sap. Primarij Ribadeneyra, & Herrera: Probo autem illam: Conditionalis de consensu libero vt sit *vera*, debet assumere conditionem à qua dependeat consensus liber; si enim eventus conditionatus est expers dependentiæ à conditione propositio conditionalis erit falsa; vt communitèr supponitur; & ideò hæc est falsa: *Si Gallus cantat, Petrus disputat*: licèt cathegoricæ sint veræ: simulque vt conditionalis sit *contingens* debet assumere conditionem in connexam cum consensu libero; dum enim conditiò est connexa cum conditionato cõditionalis est necessario vera; sed consensus liber dependet à libertate consentiendi, & alias libertas est in connexa cum consensu libero: libertas enim est inconnexa, cum vno ex extremis libertatis; ergo cõditionalis de consensu libero, vt sit *vera, & contingens*, debet assumere ex parte hypothesis libertatem consentiendi.

*Ribadeneyra de Præd. disp. 17. n. 36. Herrera de Scientia, q. 16, à n. 30.*

880 Pergò: ad inferendam aliam asserti partem; scilicèt libertatẽ adæquatè sumptam, quoad omnia sua constitutiva debere ingredi ex parte conditionis in conditionali contingente vera de consensu libero; quia si libertas solùm esset inadæquatè ex parte conditionis, vel alia constitutiva libertatis à quibus necessario dependet consensus liber excluduntur à conditionato, vel se tenent, & ponuntur ex parte conditionati? Si 1. Conditionalis non erit vera, sed impossibilis, cum affirmet consensum liberum extiturum fore sub vno cõstitutivo libertatis sine alijs requisitis ad suam libertatem, quibus essentialiter exigit coëxistere. Si 2. (quod docent adversæ sententiæ assertores) in contra est: 1. Quod iam conditionalis non erit de consensu libero solùm, sed etiam de alijs constitutivis libertatis inconnexis cum ipso consensu libero, cum omnia constitutiva libertatis sint inconnexa cum determinato libertatis extremo, & nullũ constitutivum libertatis possit esse extremum libertatis. Secundò, quia omnia alia cõstitutiva libertatis, quæ

non se tenent ex parte conditionis, sed ex parte conditionati cognoscẽtur, vt conditionatè futura, sicut ipsæ consensus liber; sub qua ergo conditione? Si sub conditione illius constitutivi, quod assumitur ex parte hypothesis ad consensum liberum; conditionalis sæpiùs erit falsa, quia conditionatum debet esse dependens à conditione, vt conditionalis sit vera; & vnum constitutivum libertatis est alio cõstitutivo omninò independẽs: Si sub conditione consensus? (1) iam non erit scientia de consensu sub cõditione libertatis, sed potiùs adiungis scientiam de libertate sub conditione consensus; (2) quia scientia hæc non erit contingens, sed necessaria, quia licèt libertas sit in connexa cũ consensu libero, consensus liber est cum libertate adæquatè connexus: scientia ergo, quæ affirmet libertatẽ sub conditione consensus liberi erit necessaria, vtpotè enuncians conditionatum sub hypothesi connexa.

881 Admissoque hypothesim scientiæ conditionalis contingentis de consensu libero nõ necessario importare omnia libertatis constitutiva; innegabilè mihi videtur, posse omnia illa attingere ex parte conditionis scientiam prædictam: & ratio est mihi clara; licèt omnia constitutiva libertatis ingrediantur ex parte hypothesis, minimè erit connexa cũ conditionato, seù consensu libero, cũ libertas adæquatè sumpta supponatur cum vtroque extremo inconnexa: ergo conditionalis affirmans sub illa hypothesi consensum liberum nõ erit necessaria, sed contingens; aliàs erit vera, quia si est verum extiturum esse consensum sub libertate inadæquatè sumpta meliùs erit verum extiturum esse sub illa adæquatè; ergo indubium est, conditionalem veram, & contingentem de consensu libero posse attingere ex parte conditionis (licèt necessarium non foret) libertatem consentiendi adæquatè quoad omnia sua constitutiva.

882 Assero 3. In conditionali contingente vera de consensu libero, debent includi ex parte conditionis omnia cum quibus connectitur libertas, seù conditio; & ex parte conditionati omnia, quæ terminant connexionem conditionati, seù consensus liberi. Assumptum probo; conditionalis contingenter vera debet assumere pro conditione libertatẽ veram, & possibilem; & pro conditionato enuntiare consensum liberum verum, & possibilem; quia sub conditione impossibili non potest verè affirmari aliquid possibile, cum ens verum non sit dependens chimæra; nec sub conditione possibili possit verè enuntiari aliquid impossibile; nulla enim chimæra existeret ex eo, quod existeret possibile; sed conditio libertatis sine connexis cum ipsa, seù per se præsuppositis ad ipsam est chimæra; & similiter conditionatum consensus liberi sine per se connexis cum ipso est chimera: ergo in conditionali contingenter vera, ex parte conditionis includuntur omnia, cum quibus conditio, seù libertas connectitur, & ex parte cõditionati omnia cum quibus connectitur consensus liber, seù conditionatum: scientia, igitur, contingens conditionata de consensu libero ita enuntiat: *Si existeret libertas A, modò possibili, id est, simul cum omnibus cum quibus connectitur; existeret consensus liber modo possibili, id est, simul cum omnibus cum quibus connectitur.*

Hęc breviter pręmoneo erga obiectum scientię conditionatæ contingentis de consensu libero; diffusè suo loco differenda; scientiam istam omnes alumni Angelicæ Scholæ pugnamus esse Deo liberam, & quia ex parte conditionati necessario includitur prædeterminatio intrinseca connexa cum consensu; & quia ex parte medij innititur in decreto subiectivè absoluto prædeterminante extrinsecè conditionatè consensum, DD. Soci-

cietatis vtramque prædeterminationem conſenſus liberi relegantes eſſe ſcientiam contingentem non liberam Deo propugnant, & exinde *mediam* nuncupant: in qua hypotheſi, licèt rectè aſſeratur, quòd ſi hæc ſcientia exiſteret foret media; tamen inutilè fore ad concordiam gratiæ efficacis cum libertate exponendam iam propugno.

## SECTIO SEPTIMA.

*Licèt Deus non prædeterminaret intrinſecè, aut extrinſecè conſenſum liberum, Scientia Media inutilis foret ad conſociandam efficaciam gratiæ cum libertate conſenſus.*

*Ill. Godoy de Scient. diſp. 38. ſect. 2. Viv. de Scientia Media, diſp. 4. diſt. 6. ſect. 3.*

883 ASſumptum probo ratione, qua vtuntur communiter SS. Recentiores noſtri ex Baſilio Legionenſi deſumpta, vt refertur; inutilis eſt Scientia Media ad id, quod eſt independens ab ipſa; ſed concordia gratię efficacis cum libertate eſt omninò independens à Scientia Media, ſeù conditionata conſenſus: Ergò: Prob. Mi. Quod prævidetur per Scientiam Mediam eſt independens ab ipſa, quia hęc ſcientia purè ſpeculativa cum ſit, obiectum ſuum prę ſupponit, & quod ad ſcientiam ſupponitur à ſcientia minimè pendet; ſed gratiam efficacem conſociari libertati cõſenſus prę videtur per Scientiam Mediã; ergo: Prob. Min. Si Deus non determinat conſenſum per gratiam, gratia eſt efficax dum coëxiſtit conſenſui; ſed Deus prævidet per illam ſcientiã, quod ſi exiſteret gratia A, coexiſteret conſenſui: ergo prævidet, quod ſi exiſteret gratia A, eſſet efficax, ſeù habens effectum, ſed ſimul Deus prę videt quod ſi gratia A exiſteret, conſenſum liberum non lęderet, ſed potiùs inferret; ergo per illam ſcientiã prę videtur efficacem gratiam libertatem non lędere; non ergo, ſcientia iſta erit vtilis ad concordiam gratiæ cum libertate ſcientiam ipſam prævenientem.

Alitèr: Status conditionatus non dependet à Scientia Media, cum ſit eius obiectum; ſed in ſtatu conditionato importatur gratia efficax amicabiliter coniuncta cum conſenſu libero: ergo, & ſimiliter importabitur in ſtatu abſoluto independenter à Scientia Media.

884 Ratioque à priori eſt; quia gratiam efficacem conſociari libertati conſenſus debet provenire ex natura, & eſſentia gratiæ, minimè verò ex præſcientia conſenſus ſub gratia; ſi enim gratia eſſet neceſsitans, ſeu auferens indifferentiam poteſtatis, non componeretur cum libertate conſenſus ex vi præſcientiæ: At, ſi gratia licèt præveniens ſit indifferẽs, immò libertatẽ cõſtituens, nulla ſciẽtia indiget, vt coëxiſtat libero conſenſui, cum ex ſua eſſentia habeat repugnare conſenſui non libero: ergo ſi gratia efficax eſt ex ſe indifferens, & libertatem conſtituens, ex ſe conſociabitur libertati, quin ad munus non impediendi libertatem aliqua ſcientia indigeat.

885 Hanc obiectionem perſenſerunt SS. Recentiores Societatis, inter quos N. Primarius P. Herrera reſpondet: In ſtatu conditionato prævideri gratiam efficacem coëxiſtentem conſenſui libero conditionatè, independenterque à Scientia Media abſolutè, ſed dependenter à Scientia Media cõditionatè; ſicut enim in ſtatu abſoluto conſenſus liber coëxiſtit gratiæ efficaci dependenter à Scientia Media abſolutè exiſtente; ita in ſtatu conditionato coexiſteret gratię efficaci dependenter à Scientia Media conditionatè exiſtente: Quod minimè eſt Scientias Medias multiplicare, vnam præcedentem ſtatum abſolutum, & aliam præcedentem ſtatum conditionatum, nè in infinitum procederetur, ſed potiùs eſt vnam Scientiam ſtatuere præcedentem ab-

*Herrera de Scient. q. 13 ſect. 9. num. 138.*

ſolutè auxilium, vt exiſtens abſolutè, & præcedentem conditionatè auxilium in ſtatu conditionato.

886 Hæc autem ſolutio difficultatem auget, non ſuperat: Nam ſi conſenſus liber in ſtatu conditionato coexiſteret gratiæ efficaci dependẽter à Scientia Media conditionatè, Scientia Media agnoſceret conſensũ in ſtatu conditionato coexiſtentem gratiæ dependẽter ab ipſa conditionatè; ſed Scientia Media nequit agnoſcere conſenſum liberum coexiſtentem gratiæ efficaci dependenter ab ipſa conditionatè: ergò conſenſus liber coexiſtit gratię in ſtatu conditionato independẽter à Scientia Media, adhùc conditionatè. Mai. videtur certa: Quia Scientia Media eſt perfectiſsima cognitio conſenſus in ſtatu conditionato: ergo cognoſcit Deus per ipſam conſenſum coexiſtentem gratiæ efficaci, modo, quo coexiſtit gratiæ: ergo, ſi conſenſus coexiſtit gratię dependenter à Scientia Media conditionatè, cognoſcetur per Sciẽtiam Mediam conditionatè coexiſtẽs gratiæ dependenter à Scientia Media conditionatè exiſtente: Prob. Min. 1. Quia ſi Scientia Media agnoſceret conſenſum conditionatè coexiſtentẽ gratiæ dependenter à ſeipſa cõditionatè exiſtente, ſeipſam pro obiecto inadęquato haberet, & cum ipſa ſit in ſuo ſigno abſolutè exiſtens, pręter futurum conditionatum liberum reſpiceret obiectivè aliquid contingẽs, immò, & non liberũ abſolutè exiſtẽs. ¶ 2. Quia ſi Scientia Media attingeret conſenſum liberum coexiſtentem gratiæ efficaci dependenter à ſeipſa, vt conditionatè exiſtẽte, ſeipſam attingeret ex parte conditionis; ſed Scientia Media nequit ſeipſam attingere ex parte conditionis; ergo: Mai. inſinuatur à P. Herrera dum Scientiã Mediam ſeipſam conditionatè attingere ſuadet, quia ſicut abſolutè præcedit auxilium in ſtatu abſoluto, debet conditionatè pręcedere auxiliũ in ſtatu conditionato, auxilium autẽ in obiecto Scientię Mediæ ſe tenet ex parte conditionis: Min. eſt certa; quia Scientia Media ſeipſam attingẽs ex parte conditionis eſſet neceſſaria; ita enim enuntiaret: *Si exiſteret auxilium A, cum ſcientia conſenſus, Petrus conſentiret*: & hæc veritas conditionata, eſt neceſſaria, importat enim conditionem metaphiſicè connexam cum conditionato.

887 Dices: Scientiam Mediam poſſe ſeipſam inadæquatè reſpicere, quia licèt ſit ſpeculativa ſui obiecti, & ipſum ratione noſtra ſupponat, nõ eſt inconvèniens, quod ſupra ſe reflectatur, ita vt quodammodo vt obiectum præſupponatur ratione ad ſeipſam, vt actum, & exercitium. Minimè verò eſſe neceſſarium, quòd Scientia hęc ſeipſam attingat ex parte hypotheſis obiecti ipſius ſcientię, quia ſi ita importaretur obiectum redderetur neceſſarium, & ſcientia non eſſet contingẽs, vt ratio noſtra convincit; vnde obiectum illius ſcientiæ ſolùm includit ſcientiam ipſam ex parte cõditionati; ita enim ſe habet: *Si dedero Petro auxilium A, conſentiet conſenſu coëxiſtente cum ſcientia huius veritatis*. Vbi veritas eſt contingens, & non intelligitur conſenſus liber coexiſtens gratiæ efficaci independenter à Scientia Media.

888 Contra inſurgo 1. In obiecto ſcientiæ conditionatę debent includi ex parte cõditionis omnia exacta vt exiſtat conditio, ſed Scientia Media exigitur, vt exiſtat conditio, ſeù auxilium A; ergo, ſi hęc ſcientia per ſeipſam attingitur debet attingi ex parte conditionis, non ex parte conditionati: Min. conſtat 1. Quia in communi ſententia Societatis, illa ſcientia eſt prærequiſita, vt dirigat Deum ad auxilia conferenda. ¶ 2. Quia licèt aliqui renuant hanc neceſſariam directionem Scientiæ Mediæ, libenter concedunt Deum poſſe dirigi Scientia Media ad conferendum

auxi-

auxilium efficax, vnde auxilium ſupponens neceſſariò hanc Dei poteſtatem exiget ſcientiam illius poteſtatis conſtitutivam. ¶ 3. Quia implicat libertatem A, exiſtere, & non eſſe à Deo cum perfectiſsima providentia, chimæra enim eſt Deum improvide libertatem conferre, ſed providentia perfectiſsima Dei ad auxilia conferenda conſtituitur per hanc Mediam Scientiam, ſivè vt prærequiſitam, ſivè vt comitantem: ergo Scientia Media exigitur vt exiſtat conditio, ſeù libertas A.

Probo iam Mai. ſcilicèt, quod in obiecto ſcientię conditionatæ debēt, vel ad minus, poſſunt includi ex parte conditionis omnia exacta vt exiſtat conditio: in obiecto enim ſcientię conditionatæ poſſunt attingi ex parte conditionati omnia exacta vt exiſtat conditionatum: ergò, & poſſunt attingi ex parte cōditionis omnia vt exiſtat conditio: Antec. vltrò fatentur adverſarij; indubium enim eſt ſcientiam conditionatam poſſe ita affirmare: *Si exiſtit libertas A, erit conſenſus, cum omnibus requiſitis, vt ſit*: & Prob. Conſeq. Quia ſicut ſcientia conditionata affirmat ſub hypotheſi conditionatum poſsibile, ita, & affirmat cōditionatum ſub hypotheſi poſsibili, ſed ſicut cōditionatum non affirmatur vt poſsibile, niſi affirmetur ſub illa conditione exiſtere cum omnibus requiſitis vt exiſtat ſub tali conditione, ita, nec conditio affirmatur vt poſsibilis, & exinde, nec conducens vt exiſtat conditionarum, niſi affirmetur cum omnibus requiſitis exiſtere, vt ſub illa conditionatum exiſtat: ergo, ſicut in obiecto ſcientiæ ex parte conditionati includuntur omnia exacta vt exiſtat conditionatum, ita ex parte conditionis debent importari omnia exacta, vt exiſtat conditio.

889 Recole ſuperiùs dicta: & ſaltim ſuppone (quod negari non poteſt) conditionalem contingentem de conſenſu libero poſſe importare ex parte conditionis omnia exacta vt exiſtat libertas; Cùr enim conditionalis contingens non poterit ita enūtiare? *Si exiſtit libertas A, cum omnibus requiſitis vt ſit, erit conſenſus cum omnibus requiſitis, vt ſit.* Cùr enim Deus non poterit ex parte hypotheſis cognoſcere auxilium vt dependens à cauſis, à quibus eſſentialiter dependet, à Deo, ſcilicèt, vt cauſante cum perfectiſsima providētia? *Sup. n. 872.*

890 Dices cum P. Herrera, P. Junio, & alijs; quod in obiecto ſcientię conditionatæ ex parte conditionis importatur auxilium providè à Deo collatum, non formaliter, quia ſic includeret Scientiam Mediam dirigentem, ſed ſolùm illativè, & radicaliter, quatenus auxilium connectitur eſſentialiter cum eo, quod providè conferatur, vnde in hypotheſi nō importatur Scientia Media conſenſus determinatè, ſed vagè, vel ſub disiunctione, hæc, vel illa Sciētia Media, quia vt auxilium providè conferatur nullam ſcientiam determinatè exigit, licèt vagè, & ſub disiunctione exigat aliquam ex illis ſcientijs. *Herrera in tractat. de Scient. vbi ſup. n. 35. Iunius de Præd. ſect. 3 cap. 4.*

891 Sed ſtatim ſe offert, difficilis replica, nam ſi Scientia Media ex parte hypotheſis attingeret aliquam Scientiam Mediam vagè, vel ſub diſiunctione conſenſus, ſcilicèt, vel diſſenſus, conditionalis non eſſet contingenter vera, ſed potiùs eſſet falſa, ſeù impoſsibilis: Nam ita enuntiaret ſcientia conſenſus: *Si vocavero Petrū libertate A, ſciens, vel conſenſurum, vel diſſenſurum, conſentiret*: Quæ ſcientia profectò eſt omninò falſa; Nam ſi Deus ſciret Petrum diſſenſurum vocationi A. Petrus ei non conſentiret: ergo falſum eſt Petrum cōſenſurum vocationi ei, ſi ſciret Deus conſenſurum, vel diſſenſurum. Similiter ita ſe haberet Scientia Media diſſenſus: *Si vocavero Petrum vocatione A, ſciens, vel conſenſurum, vel diſſenſurum diſſentiret*: Quæ ſcientia

eadem

eadem ratione falſa convincitur: Nã ſi Deus ſciret Petrum conſenſurum vocationi A, Petrus ei non diſſentiret: ergo falſum eſt Petrum diſſenſurum, ſi Deus ſciret conſenſurum, vel diſſenſurum.

*P. Borrul, diſp. 14. ſection. vltim.*

892 Nec difficultatem ſuperat P. Borrul, aſſerendo, aliquam Scientiam Mediam disiunctivè, conſenſus, ſcilicèt, vel diſſenſus attingi à Scientia Media, ſed non per modum conditionis, quia argumentum allatum convincit ſcientiam ita enuntiantem eſſe falſam; ſed per modum termini à quo conditio, ſeù vocatio depẽdet; vnde Scientiam Mediam conſenſus ita aſſerit enunciare: *Si vocavero Petrum auxilio A, & decreto dependẽte à ſcientia, vel conſenſus, vel diſſenſus conſentiet.* Similitèrque ſcientiã diſſenſus ita ſe habere: *Si vocavero Petrum auxilio A, & decreto depẽdente à ſciẽtia, vel conſenſus, vel diſſenſus diſſentiet.*

893 Quia æquè efficaciter ſuadetur ſcientiam conditionatam eſſe falſam, dum attingeret aliquam Sciẽtiam Mediam disiunctivè per modũ termini à quo dependet conditio, ac ſi attingeret Scientiam aliquam Mediam disiunctivè per modum conditionis; ita enim diſputo intendendo ſcientiam illam conſenſus eſſe falsã. Si Deus vocaret Petrum auxilio A, & decreto dependente à ſcientia diſſenſus, non conſentiret: ergo falſum eſt, quod Petrus conſentiret; ſi Deus eum vocaret decreto dependente à ſcientia, vel conſenſus, vel diſſenſus. Simili forma ſcientia diſſenſus, falſa deducitur: Si Deus vocaret Petrum decreto dependente à ſcientia conſenſus non diſſentiret: ergo falſum eſt, quod Petrus diſſentiret, ſi Deus eum vocaret tali vocatione, & decreto dependente à ſcientia, vel conſenſus, vel diſſenſus.

894 Vltimo denique omnes iſtas ſolutiones impugno: intendendo, Scientiam Mediam non poſſe attingi in obiecto Scientiæ Mediæ, nec determinatè, nec disiunctivè, nec per modum conditionati, nec per modũ conditionis, aut termini à quo depẽdet conditio: Ducor: Quia in ſigno in quo intelligitur veritas conditionata obiectiva, Scientia Media iam eſt exiſtens abſolutè, & determinatè: ergo non poteſt à Deo cognoſci in illo ſigno disiunctivè ex parte conditionis, aut conditionati veritatis obiectivæ conditionatę. Anteced eſt certum, quia in ſigno conditionatorũ Deus determinatè, & abſolutè ea cognoſcit vera per ſcientiam determinatè, & abſolutè exiſtentem. Prob. conſeq. Deus ſua cognitione ſemper adæquat preſentem obiecti cognoſcibilitatem: ergo nõ poteſt cognoſcere vagè, ſuſpenſivè, aut conditionatè obiectũ, quod eſt abſolutè exiſtens, aliàs omnem veritatem, quàm primũ perfectiſsimè non penetraret.

895 Confirmatur: Deus non poteſt ponere ſuſpensè in hypotheſi ſcientiæ conditionatæ veritatem neceſſariam; nec illam poteſt vt futurã attingere ex parte conditionati; hæc enim iudicia fatua, & exinde chimærica ſunt in Deo: *Si eſſem omnipotens eſſem ſapiens*; aut èconverſo: *Si eſſem ſapiens eſſem omnipotens*: Non alia ratione, niſi quia in illo ſigno abſolutè, & determinatè exiſtit vt ſapiens, & vt omnipotens; ſed in ſigno conditionatorum iam exiſtit abſolutè, & determinatè ſcientia conſenſus futuri ſub conditione: ergo nequit Deus illam ſcientiam, quam actu habet abſolutè, & determinatè ponere vagè, aut ſuſpensè in hypotheſi, vt purè poſsibilem, aut ex parte conditionati vt futuram.

## SECTIO OCTAVA.

### *Alia ſolutio principalis rationis refutatur.*

896 FVndamento præcipuo concluſionis noſtræ occurrere in-

*Henao sect. 149. Thyrso, t.1. d.14.sect.7. & dis. 38. sect.10.*

intendunt SS. Recentiores Thyrso, & Henao, distinguendo in gratia duplicem efficaciam, quarum vna vocatur efficacia in actu secundo; & est purè *concomittans* desumptaque ab ipso consensu, quæ in statu conditionato prævidetur libertati coniuncta, & est omninò independens à Scientia Media, minimè necessaria ad fęderandã libertatem, cum hac gratię efficacia: Altera vocatur efficacia in actu primo, quæ est *præveniens* consensum, non purè concomitans, nec ab ipso consensu desumpta; hæc autem efficacia non prævidetur in statu conditionato, vnde potest à Scientia Media dependere: Est tamen necessaria vt Deus cum perfectissima providẽtia, hoc est infallibiliter, & cum securitate ex parte sui, distribuat auxilia; quod salvari non posset nisi per Sciẽtiam illam Mediam Deus pręnosceret, quid eventurum sit ex auxilio, si ponatur: ad conciliandam autem hãc gratiæ efficaciam prævenientem, & infallibilitatem cum libertate Sciẽtiã Mediam, sustinent, omninò necessariam; quia hæc infallibilitas, si omninò antecedit consensum liberum libertatem extinguit, & dum Scientiam Mediam supponit vsum libertatis consequitur, exindeque cum libertate amico fœdere coniungitur.

897 Vno verbo: Scientia Media non adstruitur necessaria, vt collato auxilio voluntas libere operetur; hoc enim prævidetur per ipsam scientiam; sed solùm edocetur exacta, vt Deus conferendo providè auxilium faciat, vt voluntas operetur, cum infallibilitate, & securitate ex parte sui; cum verò hæc efficacia infallibilis gratiæ dependens à scientia Dei debeat cum libertate componi, minimè poterit concordia hæc exponi sine Scientiæ Mediæ vsu.

*P. Avend. de vtil. sciẽt Med. cap. 2 sect. 10.*

898 Quam doctrinam alijs terminis explicat P. Avendaño, distinguendo in auxilio triplicem efficaciam accidentalem: vnam, quam *radicalem* vocat vnicè consistentem in futuritione conditionata consensus sub auxilio; quia eo ipso auxilium est tale, vt si detur sit homo operaturus: Aliam quam vocat *proximam* consistentem in Scientia Media consensus, quia per illam Deus constituitur proximè potens infallibiliter cõvertere creaturã per auxilium: Aliã deniquè quasi *actualem*, cum Deus actu facit infallibiliter voluntatem consentire per auxilium; quam vnicè constituit in prædiffinitione ex se efficaci præparativa auxilij: efficaciam primo modo sumptam adstruit independentem à Scientia Media, quia eam prævenit, sicut futuritio conditionata in qua consistit: vnde, & intelligitur hæc efficacia componibilis cum libertate independenter à Sciẽtia Media: Secunda verò, & tertia efficacia solùm possunt cum libertate componi per Scientiam Mediã, quia constituit secundam efficaciam, & prævenit tertiam.

*Ferre tract. de Scientia Media, sect. 4. n. 161.*

899 Si verò insurgas cum Mag. Ferre ex doctrina huius solutionis deduci; concordiam gratiæ efficacis cum libertate in statu absoluto, inefficaciter colligi, ex eo, quod gratia efficax libertatem non auferat in statu conditionato: Assumptum patet: Quia cum efficacia gratiæ in statu conditionato sit purè *concomittans*, & à consensu dependens, in statu autem absoluto sit *præveniens*; consequentia ita procederet; gratia efficax efficacia à consensu desumpta nõ tollit libertatem consensus: ergo neque gratia efficax efficacia præveniente consensum; quę ex terminis est inepta illatio. ¶ Vel alitèr: Scientia Media solùm potest conducere ad conciliandam cum libertate consensus eam efficacem gratiam, quam repręsentat amicabiliter coniũctam libero consensui; sed per Mediam Sciẽtiam solùm repræsentatur gratia cõcommittanter efficax amicabiliter coniuncta libero consensui, & gratia est

eſt prævenienter efficax in ſtatu abſoluto: ergo Scientia illa Media nequit eſſe vtilis ad conciliandam efficacem gratiam in ſtatu abſoluto, cum libertate conſenſus.

*Godoy de Scient. diſp. 38. ſect. 2.*

900 Alitèr impugnat ſolutionem præiactam Ill. Godoy. Nam ſi gratia efficax in ſtatu conditionato, ſolùm obtinet efficaciam dependentem à conſenſu conditionatè futuro: ergo, & gratia efficax in ſtatu abſoluto ſolùm obtinebit efficaciam depẽdentem à conſenſu abſolutè futuro; ſed ad componendam gratiæ efficaciam dependentem à conſenſu cum eius libertate Scientia Media neceſſaria non eſt: vt ſolutio fatetur: ergo ad conciliandam efficaciam gratiæ in ſtatu abſoluto Scientia Media neceſſaria non erit. ¶ Vel alitèr: Conſenſus in ſtatu abſoluto dependet à gratia efficaci efficacia præveniente, ſeù in actu primo: ergo pariter dependebit conſenſus in ſtatu conditionato; nam ab eiſdem cauſis vt futuris ſub conditione dependet conſenſus in ſtatu conditionato, à quibus vt abſolutè futuris dependet in ſtatu abſoluto: ergo ſi efficacia gratiæ in ſtatu conditionato componitur cum libertate independenter à Scientia Media, & efficacia præveniens cum libertate conciliari poterit ſine dependentia à Scientia Media.

*Henao ſect. 147.*

901 Sed licèt hęc difficilia ſint, fortè ſolutionem accipere videbitur ex doctrina; P. Henao aſſerentis: eſſe maximam differentiam inter efficaciam gratiæ in ſtatu conditionato, & eandem efficaciam in ſtatu abſoluto; licèt enim in vtroque ſtatu habeat gratia efficaciam concomittantem, in ſtatu quidem cõditionato deſumptam à conſenſu conditionatè futuro, & in ſtatu abſoluto ortam à conſenſu abſolutè futuro: in ſtatu autem conditionato nullam alteram efficaciam poteſt gratia obtinère, quia ſi nõ deſumeretur à conſenſu ſaltem vt præviſo libertatem noſtram extingueret, & à conſenſu vt pręviſo deſumi non poſſet, cum efficacia illius ſtatus non ſupponat, ſed potiùs præcedat præſcientiam conſenſus; ſecus verò eſt in ſtatu abſoluto, quia in illo præter efficaciam concomittantem ortã à conſenſu abſolutè futuro, poteſt eſſe ſine læſione libertatis alia efficacia deſumpta à conſenſu vt præviſo, quia hæc efficacia ſupponit ſtatum conditionatum, & præſcientiam conſenſus.

Hęc autem licèt ſubtilitèr excogitata à veritate deficiunt: fateor, quod ſi in ſtatu abſoluto præter efficaciam concomittantem eſſet alia efficacia deſumpta à conſenſu prævíſo ad eam exigeretur præſcientia conſenſus, & præſcientia exacta vt efficacia ſit, neceſſaria erit vt efficacia ſit cum libertate; intendo tamen, quod negata efficacia præveniente gratię in ſtatu conditionato non eſt, vnde colligatur efficacia præveniens gratię in ſtatu abſoluto.

902 Vnde ita diſputo: Si gratia in ſtatu conditionato ſolùm habet efficaciam cõcomittantem, in ſtatu abſoluto non eſt in gratia efficacia præveniens adhùc à conſenſu vt prævíſo deſumpta, ſed ſolùm concomittans deſumpta à conſenſu abſolutè futuro; ſed ad concordiam cum libertate gratię efficacis efficacia concomittãte non eſt neceſſaria Scientia Media: ergo, & inutilis erit ad concordiam gratiæ efficacis cum libertate in ſtatu abſoluto. Prob. Mai. Solùm poteſt exigi efficacia præveniens gratię in ſtatu abſoluto, vel vt Deus per gratiam faciendo infallibiliter conſenſum diſcernat conſentientem, vt aliqui ſuſtinent cum Suarez, & Vazquez; vel vt (ſicut alij propugnant) Deus providè, non cęco modo; ſed cum ſcientia eventus conferat auxilia; ſed ſi gratia non habet efficaciam prævenientem in ſtatu conditionato, nullo ex his medijs ſuaderi poteſt efficacia pręveniens gratiæ in ſtatu abſoluto: ergo, Mai. refert doctrinas

*Suarez, lib. 3. de Gratia cap. 7. Vazquez 1. 2. p. diſp. 98. c. 6.*

ad-

adversariorum. Min. ex duplici parte constantem probo quoad primam: Deus in statu conditionato intelligitur vere conditionatè discernens cõsentientem, & tamẽ, quin sit per gratiam efficacem efficacia præveniente in statu conditionato: ergo poterit Deus in statu absoluto vere discernere consentientem, quin sit per gratiã efficacem efficacia præveniente in statu absoluto.

903 Alitèr: Dum Deus prævidet in statu conditionato Petrum sub auxilio A, consensurum, & Paulum dissensurum, intelligit Petrum sub conditione auxilij A, discretũ à Paulo; consentiens enim eo modo, quo est consentiens est discretus à dissentiente. Vel, ergo, Petrus in illo statu conditionato intelligitur discretus per Dei gratiam ex parte conditionis attactam? Vel solùm intelligitur discretus cum Dei gratia, nõ per Dei gratiam? Si primum: & tamen in illo statu non prævidetur gratia efficax efficacia præveniente, sed solùm concomittante à consensu desumpta cõditionatè futuro: ergo vt Deus discernat consentientem per gratiam, non est exacta efficacia præveniens gratiæ, sed sufficit gratiam esse requisitam ad consensum, & efficacem concomittãter, seù efficacia desumpta à consensu. ¶ Si secundùm insurgo; & tamen in illo statu intelligitur Petrus consentiens discretus sub cõditione gratiæ à Paulo sub eadem cõditione dissentiente: ergo vt consentiens vere sit discretus sufficit discretionem esse cum gratia, licèt non per gratiam; sed licèt gratia non esset prævenienter efficax in statu absoluto, discretio consentientis eo in statu esset cum gratia, licèt non per gratiã: ergo subsisteret vera discretio consentientis in statu absoluto, licèt gratia non esset prævenienter efficax.

904 Si verò dicas; in statu conditionato discretionem intrinsecam consensuri à dissensuro fore præcipuè à gratia, vt à causa principaliori consensus; sicut in statu absoluto discretio intrinseca in actu secundo est præcipuè à gratia; ad quem præcipuũ influxum in discretionem intrinsecã, sivè absolutam, sivè conditionatam non exigi in gratia efficaciam prevenientem in actu primo; sed sufficere cõcomittantem in statu absoluto desumptam à consensu absolutè futuro, & in statu conditionato à consensu conditionatè futuro. At in statu absoluto præter hanc discretionem intrinsecam in actu secundo, esse aliam discretionẽ extrinsecam in actu primo consentienti, quæ nõ solùm præcipuè, sed adæquatè, & vnicè sit à Deo, & exigit efficaciam prevenientem in gratia; cum verò hæc extrinseca discretio non sit in statu conditionato, ex illa rectè colligitur efficacia præveniens in statu absoluto, licèt similis efficacia non sit in statu conditionato.

905 Plura obstant huic vnico asylo. 1. Enim omninò falsum est discretionem intrinsecam consentientis in consensu consistentem esse præcipuè à gratia, vt principaliori causa, si gratia ab intrinseco efficax consensum non prevenit. Similiter à verò recedit, discretionem extrinsecam consentientis esse adæquatè, & vnicè à Deo, si talis discretio, aut depẽdet, aut constituitur per scientiam conditionatam consensus Deo non liberã, quę omnia alibi diffusè fundavi. ¶ 2. Impugnatur solutio, quia si est necessaria discretio in actu 1. extrinseca consentienti adequatè à Deo procedens, vt existat consensus in statu absoluto, eadem discretio debet esse exacta conditionatè, vt consensus existat in statu conditionato: ergo si in statu absoluto est in gratia efficacia præveniens, etiam debet esse in statu cõditionato. Probo antecedẽs. Vel ad salvandum vulgatum D. Pauli testimonium: *Quis te discernit?* sufficit discretio intrinseca in actu

*Sup. à num. 295. vsque ad 311.*

*Paul. 1. ad Corinth. 4.*

ſecundo, quæ ſit à Deo vt principaliori cauſa? Aut vlteriùs exigitur diſcretio extrinſeca in actu primo, quæ ſit adæquatè à Deo? Si primum: ergo cum fruſtrà adſtruatur alia diſcretio à Deo in ſtatu abſoluto præter edoctã à Div. Paulo, in ſtatu abſoluto nõ erit diſcretio extrinſeca in actu primo. ¶ Si ſecundùm: ergo cum teſtimonium D. Pauli eandem vim, ac in ſtatu abſoluto obtineat in conditionato, aliàs iuſta foret elatio conditionata vnius adverſus alterum, quod abſit; etiam in ſtatu conditionato præter diſcretionem intrinſecam in actu ſecundo, quę ſit à Deo vt principaliori cauſa, erit neceſſaria diſcretio extrinſeca in actu primo, quæ ſit adæquatè à Deo.

906 Vrgeo: Sicut ex teſtimonio Div. Pauli colligitur gratia interior pręveniens conſenſum, ita, & gratia pręvenienter efficax in actu primo; ſed quia teſtimonium D. Pauli infert gratiam prævenientem interiorem eam convincit abſolutè exiſtentem in ſtatu abſoluto, & conditionatè exiſtentem in ſtatu cõditionato, cum error Semi-Pelagianorum fingens conditionata merita, ſine gratia interiori præveniente, vt conditione, ex pręiacto Div. Pauli teſtimonio refutetur: ergo, ſi ex D. Pauli ſacro aſſerto colligitur gratia prævenienter efficax in actu 1. ea convincetur abſolutè exiſtens in ſtatu abſoluto, & ex parte conditionis in ſtatu conditionato.

907 Nec valet ſi reſpondeas cum P. Avendaño diſcretionem conditionatam (quam vocat diſcretionẽ fundamẽtalem in actu primo logico) non eſſe diſcretionem veram, ſed ſolùm fundamentum diſcretionis, nec liberam Deo, nec creaturæ, quia non eſt, ſed tantum eſſet, aut erit ſub conditione exercitium liberum: vnde nõ exiget efficaciam prævenientem gratiæ, vt Deo tribuatur in illo ſtatu diſcretio.

*Avendaño, diſp. 23. c. 1. ſect. 4.*

908 Sed contra hanc doctrinam plura obſtant: 1. Quia diſcretio formalis, quæ eſt in ſtatu abſoluto purificata conditione, eſt ante purificationem conditionis in ſtatu conditionato: ergo non rectè aſſeritur, quod in ſtatu conditionato eſt diſcretio fundamentalis, ſed affirmari debet eſſe non abſolutè, ſed conditionatè ipſam diſcretionem formalem. 2. Difficilè eſt diſcretionem illam (ſivè formalẽ, ſivè fundamentalem) conditionatam non eſſe liberam creaturę iuxta Sciẽtiæ Medię principia: 1. Quia Scientia Media eſt obiectivè libera creaturæ, aliàs non eſſet ab ea impedibilis, & diſcretio conditionata eſt Scientiæ Mediæ obiectum: 2. Quia aliàs abſoluta diſcretio non eſſet nobis libera, nec conſenſus; quia purificatio cõditionis non eſt nobis libera, cum ſit ſoli Deo libera collatio auxilij, ſeù libertatis: & aliàs purificatio conditionis coniuncta cum diſcretione cõditionata infert per evidentem conſequentiam diſcretionem abſolutam, & eſt principium ſæpiùs, vt notiſsimũ proclamatum à PP. Societatis, quod conſequens nequit eſſe liberum, ſi eidem libertati nõ eſt liberum aliquod ex principijs ex quibus evidenter deducitur.

909 3. Quia ſi diſcretio conditionata conſentientis non tribueretur Deo, poſſet eſſe diſcretio abſoluta abſque volũtate Dei diſcretiva: quod eſt abſurdum: Prob. ſequælam, vt exiſtat diſcretio abſoluta ſuppoſita conditionata ſufficit ex parte Dei voluntas conferendi auxilium A. Petro, & Paulo; ſeù voluntas purificandi cõditionem: quia conditionatum purificata conditione tranſit in abſolutũ: Sed voluntas divina purificandi conditionem, ſeù conferendi auxilium A, Petro, & Paulo nequit eſſe diſcretiva Petri à Paulo: ergo. Prob. Min. Tùm, quia voluntas præſtandi idem auxilium, vni, & alteri, quomodò poteſt eſſe diſcretiva vnius ab altero? Tùm, quia ſi Paulus eſſet conſenſurus ſub auxilio A, ſicut Petrus, volũtas

tas conferendi auxilium A, non diſcerneret: quomodò verò erit voluntas diſcretiva, quę poſſet eſſe quin diſcerneret? Et qualiter ex vi huius voluntatis erit diſcretio libera Deo, ſi hæc voluntas non diſcerneret ex ſuppoſitione futuritionis conditionatæ conſenſus Pauli, quæ non eſt ſuppoſitio libera Deo?

910 Probo iam ſecundam partem illius Min. Scilicèt non eſſe neceſſariam efficaciam prævenientem gratię in ſtatu abſoluto, vt Deus providè, & non cœco modo conferat auxilia, ſi ſemel gratia non habet efficaciam prævenientem in ſtatu conditionato: Nam in ſtatu conditionato prævidetur conſenſus ſub conditione auxilij providè, & non cœco modo donati à Deo; & non prævidetur eo in ſtatu auxiliũ efficax efficacia præveniente: ergo auxilium non exigit efficaciam prævenientem, vt providè conferatur à Deo: Prob. Mai. 1. in ſtatu conditionato prævidetur conſenſus ſub conditione auxilij donati à Deo: ergo, & donati cum perfectiſſima providentia; idem enim eſt auxilium à Deo donari, ac à Deo providè donari. ¶ Secundò, in ſtatu conditionato prævidetur conſenſus ſub cõditione auxilij donati à Deo modo poſſibili, & non chimærico; nõ enim poſſet eſſe ſcientia cõſenſus veri ſub conditione chimęrica; ſed auxilium donari à Deo modo poſsibili, eſt donari cum perfectiſsima providentia; auxilium enim improvidè à Deo donari eſt chimæra: ergo in ſtatu conditionato prævidetur conſenſus ſub conditione auxilij providè donati à Deo.

911 Confirmatur: Non pugnat cum perfectiſsima Dei providentia, quod vt agnoſcat conſenſum futurũ ſub conditione auxilij expectet determinationem voluntatis conditionatam: ergo nec pugnabit cum perfectiſsima providentia, quod vt agnoſcat cõſenſum futurum ſub exiſtẽtia auxilij expectet determinationem voluntatis abſolutam: ergo providẽtia non exiget efficaciam gratiæ prævenientem, conſenſum abſolutum.

## SECTIO NONA.

*Argumenta evertendo concluſio noſtra ampliùs illuſtratur.*

912 Opponit 1. R. Thyrſo retorquendo rationem per totam ſectionem quintam expenſam: ſtat Scientiam Mediam eſſe neceſſariam ad concordiam gratię efficacis cum libertate exponendam, & quod D. Auguſtinus ad hoc munus eam nõ adhibuerit: ergo inefficacitèr colligitur inutilitas Scientiæ Mediæ ad munus huius concordiæ, quia M. Pater ea ad illud vſus non fuit: Prob. antecedens. Libertas conciliatur cũ gratia per prędeterminationem phyſicam attingentem ſubſtantiã, & modum libertatis; ſed D. Auguſt. numquam vſus fuit prædeterminatione, vt hanc concordiam exponeret; aliàs aſsigna locum in quo ad hoc munus prędeterminationem adhibeat? Ergo pariter, &c.

*Thyrſo t. 1. diſp. 36. in fine, & t. 2. diſp. 13. ſect. 16.*

913 Reſpondeo: Aliud eſſe conciliare gratiam prædeterminantẽ cũ libertate: Aliud conciliare cum gratia libertatem per prędeterminationem. Hoc ſecundùm, nec M. Parens, nec alij S. Doctores effecerunt: libertas enim componitur cum gratię prædeterminatione, ſed non componitur cum gratia per prædeterminationẽ; primum M. Pater abſolutè explevit, gratiam enim prædeterminantẽ, hoc eſt, ex Deo efficacem conſenſui connexam cum libertate coniunxit: quod pro nunc, duplici medio ſuademus. 1. Quia ſi Magnus Parens iudicaret efficaciam gratiæ eſſe dependentem à conſenſu pręviſo per illam Scientiam Mediam, & impedibilem à noſtra libertate, hoc dilucidè exponeret, vt vno verbo quærelas omnes Aphricanorum, & Maſilienſium ſopiret, quod dum omiſsit ſolùm potuit eſſe, quia

validiori cum gratia libertas defenſanda erat. ¶ 2. Quia ſi M. Parens ſolùm cum gratia ex ſe indifferenti, & dependenter ab arbitrio efficaci exiſtimaret libertatem amico fœdere cõponendam, quæſtionem de Cõcordia Libertatis cum gratię efficacia minimè proclamaret difficillimam, paucis intelligibilem, & ſuimet pene divinũ ingenium vehementèr anguſtantem, ſed potiùs, vt facillimam, & tardioribus ingenijs præviam evidentiſsimè exponeret: Modum tamen, quo Sãct. Auguſt. & alij Eccleſiæ Sancti Doctores præiactam Concordiam defenſarunt quæſt. ſequenti apperiemus.

*Henao, tom. 2. n. 4175. Avend. diſ. 21. cap. 2. ſect. 3.*

914 2. Opponunt P. Henao, & P. Avendaño, adverſus rationem per totam ſectionem tertiam firmatam: Si Scientia Media exacta non foret ad concordiam gratiæ cum libertate exponendam, eſſet quia concordia à S. Auguſt toties proclamata difficillima abſque levi difficultatis vmbra exiſteret, ſi non de gratia prædeterminante, ſed de gratia à voluntate impedibili quoad efficaciam, ſeù dependente in ſua efficacia à Scientia Media procederet; ſed adhùc hæc Concordia difficilis valdè permanet licèt gratia ſit efficax dependenter à Scientia Media: ergo non ideò ad Concordiam iſtam Scientia Media releganda erit, quia per eam redditur valdè facilis Prob. Min. Thomiſtæ intendunt Scientiam Mediam eſſe de medio tollendam, quia eſt incompoſſibilis, non ſolùm cum divina, ſed etiam cum humana libertate, vtpotè vtriuſque libertatis deſtructiva; ſed nequit reddere facilem Concordiam gratiæ cum libertate medium, quod viri doctiſsimi eſſe libertatis deſtructivum exiſtimant, & magni ponderis fundamentis perſuadẽt: ergo adhùc, licèt gratia ſit efficax dependenter à Scientia Media difficilè valdè erit illæſam permanere noſtram libertatẽ.

915 Vnde vrgentiſsimum efformari adverſus Thomiſtas argumentũ putant. Nam repugnat doctrinam de Scientia Media modo eſſe facilè compoſsibilem, modo prorſus incompoſſibilem cum libertate noſtra; repugnat enim variari naturas rerum pro varietate aſſumpti, quod Thomiſtæ probandum ſibi proximè ſuſcipiunt: vnum ergo ex duobus firmiter ſtatuẽdum eſt, vel Scientiam Mediam eſſe prorſus incompoſsibilem cum noſtra libertate, vel eſſe facilè libertati conſociabilem? Si 2. ergo non rectè aſſeritur Scientiam Mediam, vt inimicã, & deſtructivam libertatis noſtræ relegandam eſſe: qualiter enim exiſtimatur libertatem labefactare, quod facillimè cum libertate componitur? ¶ Si verò ſtatuitur 1. ex eo, quod gratia eſſet efficax dependenter à Scientia Media non componeretur facilè cum libertate; quis enim credet medium deſtructivum libertatis poſſe facilè exponere Concordiam gratiæ cum libertate? Ergo ſtabit M. Parentem præiactam Concordiã difficilem proclamaſſe, & quod non intenderet gratiam prædeterminantẽ, ſed potiùs efficacem dependenter à Scientia Media cum libertate adverſus Hæreticos conciliare.

916 Reſpondeo ex argumento, vt vrgentiſsimo proclamato noſtram concluſionem illuſtrari. Veriſsimum enim eſt vtrumquè, quod probandũ Thomiſtæ ſuſcipiunt Scientiam Mediam eſſe noſtræ libertati oppoſitam, & Concordiam gratiæ efficacis per eam Scientiam cum libertate, quia facillimam eſſe reijciendam, vt M. Parenti inviſam: quod vt accuratiùs exponam, noto duo prædicata eſſe de conceptu libertatis noſtræ. 1. Dominium electivum, & poteſtatis indifferentia ad oppoſita, quo titulo omnem fatalem, & ſimplicem neceſsitatem excludit. 2. Dominium ſecundùm ſubiectum Domino dominantiũ ſubordinatumquè, & dependens à primo libero, aliàs non eſſet dominiũ libertatis creatæ, & ſecundæ; cum primo

præ-

prædicato libertatis facillimum est conciliare gratiam efficacem per Sciẽtiam Mediam : cum enim hæc gratia sit ex se indifferens quomodò nec apparenter pugnabit cum potestatis indifferentia? Si est subiecta voluntatis determinationi , qualiter manifestè non coëxistet voluntatis dominio? Si à consensu libero prævisо habet gratia efficaciam præinefficacia, quomodò per efficaciam , nec verisimiliter vis elective volũtatis labefactabitur? Cùm prędicato verò secundo nostræ libertatis ; dependentiæ , & subordinationis ad Deum, vt primum liberũ difficillimum iudicamus conciliare Scientiam illam Mediam, seù gratiam ab ea efficacem. ¶ Vno verbo: libertas nostra duplici medio potest excogitari destructa, vel quia per superbã, & iniustam elationem nimis extollitur; vel quia per fatalem, & simplicẽ necessitatem nimis deijcitur : Gratiã ex se indifferentem, arbitrij determinationi subiectam , & à præscientia consensus liberi efficacem non extinguere libertatem, quia fatalem necessitatem non inducat facillimum est, itaque prævium, vt vix homines accumine ingenij præditos de hoc dubitare, ita vt plurimos turbarent , & ab Ecclesiæ castris deijcerent , credibile sit. Gratiam verò ita tepidè efficacem ex arbitrij determinatione nõ destruere libertatem, ex eo , quod eã nimis extollendo per iniustam elationem præcipitet , plusquàm difficillimum iudicamus.

917 Ex quibus ita collige: infestissimi , & flagitiosi gratiæ Christi Hostes , S. Augustinum eximium divinę gratię prędconem , Manichæismi, & extinctæ libertatis reum deblaterabant: vt omnibus est notum , & superiùs demonstravimus; sed quo titulo? Quia libertatẽ nimis extollebat? Minimè : Manichæorum enim erat libertatem pęnitus extinguere. Sed potiùs, quia ex vocatione gratiæ efficacis secundùm firmum propositũ Dei, ab August. protecta, iudicabant indifferentiam potestatis auferri : Fuit enim Pelagij funestum Dogma : *Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate vniuscuiusque est facere aliquid , vel non facere* : Semi-Pelagiani scripta M. Parentis infamabant obloquẽtes: *Liberum arbitrium pænitus submovere, & sub nomine gratiæ necessitatem prædicare fatalem* ; vt affirmat S. Prosp. opponebantque adversus gratiam ex divina constitutione efficacem ab August defensatam : *Lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre. Removeri omnem industriam, tolique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.*

*Aug. de Gestis Pelagij, cap. 18.*

*D. Prosper. ep. ad Rufinum in principio.*

918 S. Augustinus Concordiam gratię cum libertate enixe commendavit, quatenus difficillimum iudicavit, quod gratia non foret fatalis necessitas, quæ indifferentiam potestatis auferret; Dominiumque electivũ, quo relicta est in manu consilij sui pęnitus extingueret : His enim verbis nervum difficultatis exprimit : *Quomodò attrahit pater ad filium homines, si dimittit vt quis , quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verùm est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent*: Sed difficillimum, & à paucis penetrabile nequit esse , quod gratia ex se indifferens, ab arbitrio efficax, non determinans arbitrium , potiùsquè ab ipso ad efficiendum determinata, non fit fatalis necessitas impediens , *vt quis quod voluerit eligat*; ergo non ita tenuem , & debilem iudicavit Aug gratiæ efficaciam , dum ita paucis intellectu penetrabile persensit, quod necessitatem non induceret, & vim voluntatis ad eligendũ, quod voluerit non extingueret.

*Aug. lib. 2. contr. Petilianum, cap. 84.*

919 Catholici verò Patres dum Manichæorum horrido nomine scelestè infamabantur ; *quia oppugnatores divinæ gratiæ, vt obtegerent propriũ* (August, affatur) *putarunt obijciendũ* cri-

*Aug. lib. 4. ad Bonifac. cap. 8.*

Sup. n. 753.

*crimen alienum*: ex adverso calumniam retorquebant, cum potiùs, dum in *laude libertatis latebant gratiæ inimici*, libertatē destruebant: Ideòque Concilij Carthaginensis Patres Summo Pontifici Innocentio de Nephario errore Pelagiano ita scripserunt: *Id ipsi agunt damnabilibus disputationibus suis, vt non defendendo, sed potiùs in superbiam sacrilegā extollendo liberum arbitrium nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua, & ipsum nostrę voluntatis arbitrium verè fit liberū.*

*Concil. Carthag. apud Augus. ep. 90.*

920 Maximus Hieronymus etiā Pelagianos nuncupat libertatis destructores, ita de eis edisserit: *Quod autem sursum deorsum iactitant liberum à nobis arbitrium destrui: audiāt ècontrario eos arbitrij destruere libertatem, qui male eo abutuntur adversum beneficium largitoris.* Si tamen interrogemus Hieronymum; Cùr Pelagiani sunt destructores libertatis, dum ea abutuntur? Statim respondet; quia dicunt Deo: *Recede à me, non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi arbitrij libertatem, vt faciam, quod voluero: quid rursum te ingeris, vt nihil possim facere; nisi tu in me tua dona compleveris?*

*S. Hierō. ad Ctesiphontē propè med.*

921 Magnusquè Ecclesiæ Pater sæpiùs eodem telo Pelagianos oppugnabat; asserens: *Naturam humanam, ideò dicunt liberam, nè quærant liberatorem.* Putantes enim auferri liberum arbitrium, si bonam voluntatem sine adiutorio Dei se habere non cōsenserint: *Non intelligunt* (ait M.P.) *non se firmare humanum arbitrium, sed impellere, vt per inania feratur, non in Domino tanquàm in petra stabili collocetur*; vnde eos *liberi arbitrij defensores* vocat *deceptores, quia inflatores, & inflatores, quia præsumptores.* Et acritèr increpat, dum de eis iustè conquæritur asserens: *Quomodò dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua libera credere voluntate, cum potiùs illi oppugnant liberum arbitrium, qui opugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda, & agenda fit liberum?* Gratiam enim veram syncero corde non confitētes, *liberum arbitrium defendendo præcipitant, vt de illo potiùs ad faciendam iustitiam, quam de Domini adiutorio confidatur; atque vt in se quisque non in Domino glorietur*; edocente Aug.

*Aug. epist. 107.*

*Aug. lib. 1. ad Bonifac. cap. 2.*

922 Si ergo verùm est de gratia à S. Patribus proclamata, & propugnata, difficilè esse eam consociare cū libertate, quia necessitatem non inducat, & quod ea denegata libertas destruitur, dum per elationem decipitur. Cùr, & Nos, quin naturas rerū variemus, dum diversa assumpta probanda suscipimus, non possumus, & nostram prædeterminantem gratiam adstruere, quia gratia indifferens, & ex præ-Scientia Media efficax facillimè cum libertate societatem iniret, simulquè asserere gratiam prædeterminantem repellentes, non tàm libertatem defendere, quàm extollendo præcipitare?

923 Vnde obiter observa: Sententiam illam esse conformiorem mēti SS. Patrum, cui rationes à PP. assumptę adstipulantur, & quam oppugnant tela adversus Sanct. Patres, invalida licet manu, obiecta, sed contra sententiam SS. Patrum opponebatur, *quod sub nomine gratiæ fatalis inducebatur necessitas.* Quod si arbitrium divino adiuvaretur auxilio *non esset in propria voluntate vniuscuiusque aliquid facere, vel non facere*: Gratiā istam vt exactam ad salutaritèr agendum prædicatam *lapsis curam resurgendi adimere, sanctis occasionem teporis afferre, per eam removeri omnē industriam, tollique virtutes.* In quibus argumentis magnum difficultatis pondus persensit S. Augustinus eisquè nostram evertere sententiam enixe conteditur, cum oppositā adstruens Deum solùm prævenire per gratiam

*Aug. ep. 95*

*Aug. epist. 105.*

*Aug. vbi suprà.*

*Vbi sup. n. 917.*

ex

PP. vbi sup. à n. 919. vsque ad 921.

ex se indifferentem his machinis, nec vrgeri, nec tangi posit: SS. Patres ex adverso opponebant, quod negantes *gratiam Dei, qua Christiani summus suis disputationibus non defendendo, sed extollendo arbitrium nullum reliquunt locum gratiæ, qua verè fit arbitrium liberum ad bona eligenda. Nō tàm firmare, quàm impellere arbitrium, cum non in Domino tanquàm in petra stabili collocetur. Etenim malè abutuntur arbitrio adversum beneficium largitoris.* Quibus fundamentis nos innixi gratiam ex Deo efficacem prævenientem determinādo cōsensum totis viribus defensamus: *Nè potiùs ad faciendam iustitiam de arbitrio confidatur*, ex se vnicè determinante immediatè iustitiam, *quam de Domini adiutorio* arbitrij dominio, & determinationi subiecto. Nè etiam *quisque in se, & non in Domino glorietur*, cum gratiam ex Deo dominantium Domino indifferentem ex sua determinatione vnica ad faciendam iustitiam reddidit efficacē; posset enim voluntas semel libera, & per gratiam sufficientem in sua indifferētia potestatis constituta dicere Deo (An verò per elationem decepta voces istas proferret? Alij iudicent) *Recede à me dedisti enim mihi libertatē vt faciam, quod voluero quid rursum te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris?* Sufficit enim, quod postquàm libertatem à te accepi, ex mea vnica determinatione per te cum necessitate mecum tua dona compleantur? Fixum ergo maneat nostram sententiam esse SS. Patrum menti conformiorem, nosque eorum vestigijs inhærēdo vtrùmque verè intendere, & quod gratia prędeterminans adstrui debet; nè Concordia toties à Sanct. August. difficillima proclamata gratię cum libertate omnibus prævia, & evidēs foret: & quod hæc gratia fateri debet, nè libertas nostra per elationē decepta destruatur, dum semel plenè libera, ita se existimat cum vnico immediato dominio suorum actuum, *vt nec quærat liberatorem.*

## SECTIO DECIMA.

*Tertium argumentum conteritur, & probatur, libertatem nostram subsistere cum voluntate efficaci Dei, & efficaci gratia, quin libertas sit potestas impediendi voluntatis existentiam, aut gratiæ efficaciam.*

924 OPponunt 3. Gratia efficax ad consensum est effectus prædiffinitionis efficacis divinæ, qua Deus vult existentiam consensus, sed prædiffinitio, seù decretum efficax divinum consensus, nequit conciliari cum eius libertate, nisi per Scientiam Mediam: ergo nec gratia efficax, &c. Prob. Min. Vnica ratio conciliandi decretum Dei efficax consensus cum eius libertate est tale decretum esse impedibilè in essendo à voluntate ad consentiendum libera, sed decretum efficax nequit esse impedibilè in essendo à voluntate libera ad consentiendum, nisi per Scientiam Mediam: ergo: Mai prob. Quia suppositio antecedens consensum, & metaphisicè connexa cum consensu, solùm potest servare libertatem consensus, quatenus sit impedibilis, seù in essendo dependens à voluntate ad consentiendū libera. Min. ex eo suadent: quia voluntas libera solùm potest impedire decreta Dei dependentia in essendo ab aliquo voluntati libero; sed hoc non potest esse nisi scientia conditionata consensus sub illa libertate libera creaturæ, & exinde in Deo media: ergo.

925 Confirmant. 1. Gratia præveniens consensum in actu primo efficax solùm potest conciliari cum libertate consensus, quatenus voluntas ad consentiendum libera posit impedire gratię prævenientis efficaciā, sed non stat voluntatem posse impedire

dire gratiæ prævenientis efficaciam, niſi dependeat à Scientia Media: ergo non ſtat gratiam efficacem conciliari cum libertate, niſi per Scientiam Mediam. Mai. prob. Quia ſuppoſitio præveniens conſenſum independens in exiſtendo à libertate ſolùm poteſt libertatem conſociare, quatenus eius connexio cum conſenſu, ſeù efficacia ſit à libertate dependens. Min. ex eo prob. Voluntas enim ſolùm poteſt impedire, quod dependet à ſuo exercicio libero; agens enim liberum ſolùm per ſuæ libertatis extrema poteſt exerceri libere, ſed efficacia gratiæ prævenientis, nequit dependere à cõſenſu abſolutè futuro, cum eum præveniat: ergo ſolùm poteſt impediri à libertate, quatenus ſit dependens à conſenſu pręviſo conditionatè futuro, quem ſupponit: ergo per dependentiam à Scientia Media, ſeù conditionata conſenſus.

926 Confirmant 2. Solùm poteſt libertas conciliari cum efficacia gratię, quatenus Deus in theſauris ſuæ omnipotentiæ habeat auxilia, ſeù media, per quæ infallibiliter faciat, vt libere faciamus, ſed non ſtat eſſe media per quę Deus infallibiliter faciat vt libere faciamus, niſi per Sciẽtiam Mediam: ergo. Prob. Min. Medium vt libere faciamus nequit eſſe connexum cum operatione, ſed ex ſe indifferens; medium enim connexum indifferẽtiam libertatis extingueret; ſed medium indifferens nequit infallibiliter inferre actum, niſi dependẽter à Scientia Media, ſeù conditionata actus ſub illo medio: ergo non ſtat eſſe media per quę Deus infallibiliter faciat vt libere faciamus niſi per ſciẽtiam conditionatam mediam.

927 Reſpondeo: Quod per Sciẽtiam Mediam poſſet voluntas noſtra impedire decreta efficacia Dei quoad exiſtentiam, hanc autem eſſe vnam ex repugnantijs illius ſcientiæ, difficillimum enim eſt voluntatem noſtram poſſe impedire volũtatis divinę præ-

diffinitiones; ſummo enim, & infinite libero qualiter erunt impedibilia ſua exercitia? ¶ Dices: Impediendo libertatem, ſeù poteſtatem prædiffiniẽdi per tale auxilium, quod poteſt facere noſtra volũtas impediendo ſciẽtiam efficaciæ talis auxilij conſtitutivam poteſtatis prędiffiniendi efficacitèr per tale auxilium. ¶ Sed quomodò erit omnipotens, qui ab alio impeditur, vt aliquod ex terminis poſſibile non poſsit? *Omnipotens enim eſt Deus non quia poteſt omnia, quæ vult, ſed quia poteſt omnia, quæ ſunt factibilia, ſeù, quæ ſub activa cadunt potentia. Nam ad omnipotentiam non ſufficit poſſe omnia, quæ quis velit; alioquin, & quilibet Beatus omnipotens dici poſſet*:

Sola Dei nullo conſtricta potentia fine eſt,
Quidquid enim eſſe poteſt hoc facere ipſe poteſt.

Verba ſunt Arnoldi Veſalienſis AuthorisDoctiſsimi, & antiquiſsimi: & ſi conſulimus Magiſtrum Sententiarum inveniemus vt exploratum, Deum non ideò eſſe Omnipotentem, quia omnia, quæ vult facit (in quo ſtat voluntatem Dei eſſe irreſiſtibilem, ſeù inimpedibilem quoad effectum) ſed quia omnia poſſibilia poteſt. Si eſt autem impedibilis quoad exiſtentiam voluntas Dei efficax, quomodò Deus omnia poſsibilia poterit, qui omnia poſsibilia licet ſine defectu factibilia non poteſt velle? *Quidquid enim eſſe poteſt hoc facere ipſe* non *poteſt*, ſi prædiffinire efficacitèr conſenſum per auxilium A, eſſe poteſt, cum non ſit chimæra, ſi enim chimęra foret, nec voluntas noſtra eam prædiffinitionem impediret, & hoc facere ipſe Deus non poteſt?

*Arnoldus in 1. ſent. diſt. 42. Magiſter in 1. d. 42.*

928 Tàm longequè abeſt ſcientiam illam eſſe admittendam, vt voluntas noſtra poſsit impedire decreta efficacia Dei, quod releganda foret, nè ſequeretur decreta, ſeù exercitia libertatis divinæ eſſe ipſi Deo impe-

di-

dibilia, & non ab ipso: SS. què Ecclesię Patres rectè conciliarunt efficaciã decretorum Dei, cum nostra libertate, quin nec verbum sit in SS. Patribus huius impedibilitatis existentiæ Decretorum Dei, quæ vt vnica ratio huius Concordiæ proclamatur, & ad cuius tutamen Scientia Media introducitur.

929 Et quod ampliùs est, Ecclesiæ SS. Patres expressè affirmarunt libertatem nostram subsistere, quin voluntas nostra possit diuinam impedire: *Sic enim velle, vel nolle, in volentit, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim, qui faciunt, quæ non vult facit ipse* (Deus scilicèt) *quæ vult*: Ait Augustinus, iuxtà cuius phrasim; ea in potestate habemus, quę nostro dominio subsũt; velle ergo est in potestate dum possumus non velle, in quo formalissime stat esse velle nobis liberum; vt alibi ex M. Parente evidentissimè demonstravimus: sed velle, ita est in volentis potestate, *vt diuinam voluntatem non impediat*, nec possit; sicut ita est in volentis dominio, vt diuinã *non superet potestatem*, nec possit: ergo vt velle sit volenti liberum non exigitur, quod volens possit impedire diuinam voluntatem.

*August. de Corrept. & Grat. c. 14.*

*Sup à n. 81. vsquè ad 84*

930 Angelicus Dr. cum expresso rem istam attingeret, & inquireret; *An voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat?* Hanc rationẽ dubitandi adducit: *Omnis causa, quæ non potest impediri, ex necessitate suũ effectum producit: quia, & natura semper idem operatur, nisi aliquid impediat, vt dicitur in 2. Physic. Sed voluntas Dei non potest impediri: Dicit enim Apostol. ad Roman. 9. Voluntati enim eius, quis resistit? Ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatẽ.*

*D. Thom. 1. p. q. 19. art. 8.*

Huic argumento aduersarij negarent Mai. Quia licet causa non sit impedibilis in sua efficacia, dummodo sit impedibilis, in sua existentia nõ ex necessitate suum effectum produceet: & Min. dist. Voluntatem enim Dei in impedibilem quoad effectum fatentur, vt ex Paulo edocente volũtatem Dei esse irresistibilem convincitur; sed esse impedibilem quoad existentiam, asserunt, exactum esse omninò, vt actibus nostris necessitatẽ non imponat; ita PP. Societatis. ¶ Angelicus verò N. Doctor, cum in corpore articuli non ex impedibilitate voluntatis diuinæ, sed ex eius efficacia necessitatem ab ea non induci ostenderet; (quod si ex impedibilitate vnicè proveniret necessitatis exclusio, & libertatis securitas, mirãdum foret Angelicum Doctorem latuisse) alitèr præiacto argumento respondet; ait enim: *Ad 2. dicendum, quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati diuinæ resistit, sequitur, quod non solùm fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.*

931 Nec valet solutio apud DD. Societatis communis, qua ępiùs vtitur P. Avendaño, edocens voluntatem efficacem Dei esse re ipsa iuxtà Aug. & Thom. inimpedibilem quoad suum effectum, quia non est possibilè, quod stante diuina voluntate eius effectus deficiat; quã inimpedibilitatem Jesuitæ supponẽtes, voluntatem efficacem Dei esse impedibilẽ quoad existentiam affirmant, hancque impedibilitatem esse vnicam rationem conciliandi cum eius efficacia libertatem, & D. Thom. loqui de inimpedibilitate quoad effectũ, & nõ quoad existentiam, dum voluntatem Dei esse inimpedibilẽ supponit, ex eo colligi existimant: quod Divus Thom. pro eodem accipit nihil posse voluntati diuinæ resistere, ac nihil posse eam impedire; vt constat ex illa minori Divi Thomæ in argumento; sed nihil posse resistere voluntati diuinę est nihil posse eam quoad effectum impedire, cum ei resistere sit facere, nè detur eius effectus ea existente: ergo

*Avendaño disp. 7. c. 3. sect. 6. & disp. 19. c. 1. sect. 7.*

Divus Thomas ſolùm ſupponit voluntatem divinam eſſe inimpedibilem quoad effectum.

932 Non, inquam, valet ſolutio, quia nec attingit difficultatem argumenti in eo innixi, quod ſi impedibilitas divinæ voluntatis efficacis, non quoad effectum, ſed quoad exiſtentiã eſt vnica ratio conciliandi cum illa humanam libertatem quomodo Doctor Sanct. exprofeſſo edocens: volũtatem Dei neceſsitatem non imponere rebus volitis, adducenſquè inimpedibilitatem voluntatis divinæ pro ratione dubitandi; impedibilitatem eius quoad exiſtentiam non edocuit? ¶ Alitèr Divus Thomas rectè probavit voluntatem Dei non imponere rebus volitis neceſsitatem, qualiter verò hoc rectè pręſtat oblitus omninò impedibilitatis voluntatis divinæ quoad exiſtẽtiam, quæ apud vos vnica ratio proclamatur non inductæ neceſsitatis à voluntate divina? ¶ Alitèr: Divus Thom. in illa maiori propoſitione: *Omnis cauſa, quæ impediri non poteſt ex neceſsitate ſuum effectũ producit*, vel ſumit inimpedibilitatẽ pro inimpedibilitate cauſæ quoad exiſtentiam; & eodem modo in minori illa: *Voluntas Dei non poteſt impediri?* Vel ſumit in vtraque præmiſſa inimpedibilitatem pro inimpedibilitate cauſæ quoad effectum, vel in vno ſenſu in vna, & in alio in altera præmiſſa? Si hoc vltimum; Div. Thomas ſophiſticè, & in quatuor terminis obijceret, & incredibile eſt ita manifeſtã fallaciam D. Sanctum in ſolutione nõ declaraſſe: Si verò argumentum de inimpedibilitate tantùm quoad effectum procedebat, falſa eſt illa maior; quia cauſa inimpedibilis in efficiẽdo, ſi eſt impedibilis quoad exiſtentiam, non ex neceſsitate ſuum effectũ producit; debuit ergo Doctor S. in ſolutione negare maiorem, quod minimè fecit: ſi verò argumentum de inimpedibilitate quoad exiſtentiam procedebat; falſa erat illa minor: *Voluntas Dei non poteſt impediri*, cum apud adverſæ ſententię Doctores voluntas Dei ſit in exiſtendo impedibilis; vnde deberet Doctor Sanct. negare minorem in ſolutione, quod minimè fecit: ergo, quia iudicavit voluntatem Dei eſſe inimpedibilem quoad effectum, & exiſtentiam, & ex efficacia voluntatis ita inimpedibilis non eſſe neceſsitatem in rebus volitis profundè deduxit.

Nec D. Thomas confundit inimpedibilitatem cauſæ quoad exiſtentiam cum eius irreſiſtibilitate, ſed potiùs ex irreſiſtibilitate voluntatis divinæ inimpedibilitatem eius colligit, quia æquè impoſsibile iudicavit impedire voluntatem divinam, ac ei reſiſtere; & teſtimonium D. Pauli, quo vtitur S. Doctor vtrùmque perſuadet poſtquàm enim dixit, *Velle non eſſe volentis, ſed Dei miſerentis* ſubiunxit, nullum voluntati Dei poſſe reſiſtere. *Ad Rom. 9.*

933 Addo: Alia duo motiva, quæ fortè efficaciùs eandem veritatẽ perſuadent: vnum vrgendo verba ſuperiùs ex S. Auguſt. adducta; alterum expendendo D. Thomæ doctrinam in ſolutione ad 3. articuli allati. Primum eſt: quod ſi velle nobis liberum, ſeù in noſtra poteſtate conſtitutum exigeret poſſe impedire voluntatem divinam quoad exiſtentiam, licet non quoad effectum, ſolùm aſſereret Auguſt quod velle non ita eſt in noſtra poteſtate, *vt ſuperet Dei poteſtatem*, voluntatem enim Dei eſſe inimpedibilem quoad effectum eſt eſſe inſuperabilem, ſeù irreſiſtibilem; minimè verò affirmaret: *Velle eſſe in noſtra poteſtate vt divinam voluntatem non impediat.* Quid enim aliud eſt voluntatem Dei eſſe inimpedibilem ſupra eſſe inſuperabilem, quàm eſſe inimpedibilem quoad exiſtentiam? *Aug. vbi ſuprà, num. 927. Vbi ſup. n. 928.*

934 Secundùm; quia S. Doctor ita eo in articulo contra ſe 3. opponit argumentum: *Illud, quod habet neceſſitatem ex priori eſt neceſſarium abſolutè,*

*lutè, sed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid priùs, à quo habent necessitatem, sequitur ergo, quod omne, quod Deus vult, sit necessarium absolutè.*

¶ Obiectioni verò ita vrgenter propositæ non occurrit Doctor Sanct. negando res creatas habere necessitatẽ ex *priori* à voluntate divina, sed potiùs edocet talem necessitatem licèt ex *priori* non esse absolutam, sed cõditionalem; itaque enervat argumẽti vim: *Ad 3. dicendum, quod posteriora habent necessitatem à prioribus secũdùm modum priorum. Vnde, & ea, quæ fiunt à voluntate divina talem necessitatem habent, qualẽ Deus vult ea habere, scilicèt, vel absolutam, vel conditionalem tantum. Et sic non omnia sunt necessaria absolutè.* Ex quibus verbis observo, voluntatem efficacem Dei, de qua expresè loquitur S. Doctor non posse iuxtà eius mentem, impediri quoad exiſtentiam per dissensum à voluntate libera ad consentiendum. Ratio est: Quia si voluntas Dei esset impedibilis quoad exiſtentiam per dissensum necessitas cõsensus procedens ex voluntate Dei non esset ex priori, sed ex posteriori, cum esset necessitas consensus ex eo, quod dependet in exiſtendo à cõsensu; Scientia enim Media consensus, quia est impedibilis per dissensum est absolutè obiectivè ad consensum posterior, & necessitas cõsensus ex sciẽtia, non est necessitas ex priori, apud adversarios, sed ex posteriori; sed iuxtà Div. Thom. voluntas Dei efficax est prior re volita, seù consensu: ergo iuxtà D. Thom. voluntas Dei efficax est inimpedibilis à creatura per dissensum.

*D. Tho. 1. p. q. 19. art. 8. ad 3.*

935 Confirmatio prima principalis argumenti intendens Scientiam Mediam exactam esse ad hanc cõcordiam, quia libertas consensus exigit voluntatem posse impedire gratiæ efficaciam, falsò nititur principio: sicut enim probavimus SS. Patres conciliare libertatem cum Dei voluntate efficaci, quin voluntas efficax sit à libertate impedibilis quoad exiſtentiam; ita, & concordarunt libertatem cum Dei efficaci movẽte gratia, quin gratia efficax sit à libertate impedibilis quoad efficaciam.

936 Et præter plura, quę in decursu quæstionis ex August. adduxi attende ipsum asserentem: *Si quibusdam Omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nũcupare, prophanas quidem verborum novitates evitamus, sed de verbis contendere non amamus.* Cuius doctrinam amplectitur Div. Thomas monens cum Augustino, quod iudicans omnia fato subiecta, quia *à providentia Dei prædeterminata, & ordinata, sententiam teneat, & linguam corrigat*: Voluntas verò omnipotentis proviſoris, si à nobis est quoad exiſtentiam impedibilis qualiter fatum nuncupari posset? Providentiæ omnia prædeterminantis, & ordinantis fatum esse effetum docet S. Doctor: *Quia providẽtia nihil aliud est, quàm ratio ordinis rerum, proùt est in mente divina; fatum verò est explicatio illius ordinis proùt est in rebus. Vnde Boëtius; fatum est immobilis dispositio rebus mobilibus inhærens.* Vnde providentiam, & voluntatem Dei fatum vocarunt Patres ab effectu, quia ex ea *prædeterminante, & ordinante* procedit immobilis dispositio rebus mobilibus inhærens: Qualiter autem erit dispositio immobilis, dispositio à mobili resistibilis? Qualiter immobilitatem fati obtinebit, quod est ex se indifferens à mobili libero in sua efficacia dependens?

*Aug. lib. 2. ad Bonif. c. 5.*

*D. Th. Quod lib. 12. q. 4. art. 1.*

937 Sed M. Parens aliquas assignat differentias inter fatum, & gratiã divinæ providentiæ effectum: *Fatum quippè, qui affirmant, de syderum positione non solùm actus, & eventa, verùm etiam ipsas nostras volũtates pẽdere contendunt, Dei verò gratia non solùm omnia sydera, & omnes cœlos,*

*Aug. vbi suprà, cap. 6.*

verùm etiam omnes Angelos ſupergreditur. Deinde fati aſſertores, & bona, & mala hominum fato tribuũt, Deus autem in malis hominum merita eorum debita retributione perſequitur, bona verò per indebitam, gratiam miſericordi voluntate largitur. Cùr autem ſi gratia iuxtà Auguſtinũ, vt adverſarij exiſtimant, eſt in ſua efficacia impedibilis evidentiorem aliã omiſsit differentiam inter fatum, & gratiam, ex eo, quod Stoici fatidici fata canebant, *vt indeclinabilem rerũ ſeriem* apud Gellium. *Vt neceſsitates actionum, quas nulla vis rumpat* apud Senecam; gratia verò eſt à nobis declinabilis, reſiſtibilis, & in ſua efficacia determinabilis; non neceſsitas indiſſolubilis actionum, ſed motio purè moralis à ſuo effectu ſeparabilis, & ſolùm ex noſtra electione efficax? Certè ſi Sanctæ Eccleſiæ PP. ita tepidè moventem iudicarent efficacem gratiam, ipſam fatum eſſe minimè affirmarent, vt effectum divinę providentiæ ordinantis, & prędeterminantis, licèt abeſſet nomine invidia, nec ita manifeſtam differentiam inter fatum ſtoicum, & divinam gratiam ſilentio prætermitterent.

*Gellius lib. 13. cap. 1. Seneca in quæſt. nat.*

938 Nec Doctor Angelicus libertatem noſtram cum efficacia motionis Dei componit, quia à libertate poſsit reddi motio Dei inefficax; difficultatem exprofeſſo attingit, dum diſputat: *Vtrùm voluntas de neceſsitate moveatur à Deo?* Ita verò contra ſe opponit in 3. argumento: *Poſsibilè eſt, quo poſito non ſequitur impoſsibilè. Sequitur autem impoſsibilè, ſi ponatur, quod voluntas non vellit hoc, ad quod Deus eam movet; quia ſecundùm hoc operatio Dei eſſet inefficax. Non ergo eſt poſsibilè voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet. Ergo neceſſe eſt eam hoc velle.* Hoc eſt argumentum ſæpiùs in publicis certaminibus contra motionem ex ſe efficacem, ſeù prædeterminãtem, vt evidens obiectum; prædeterminatũ enim conſentire eſſe neceſſariũ colligitur, quia non eſt poſsibilè diſſentire, ex diſſenſu enim ſequeretur aliquid impoſsibilè, ſcilicèt, quod prædeterminatio Dei eſſet inefficax, & fruſtrabilis; SS. verò Doctor ita reſpondet, dicendum: *Quod ſi Deus movet volũtatem ad aliquid, impoſsibilè eſt huic poſitioni, quod voluntas ad illud non moveatur. Non tamen eſt impoſsibilè ſimplicitèr: vnde non ſequitur, quod voluntas à Deo ex neceſsitate moveatur.*

*D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 4.*

939 Ad quę verba obſerva 1. D. Thom. in ſolutione fugere inconveniens in argumento adductũ: quod ſcilicèt, *operatio Dei eſſet inefficax*, ſi voluntas poſſet non velle *hoc, ad quod Deus eam movet*; aſſerendo: *Quod, ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſsibilè eſt huic poſitioni, quod voluntas ad illud non moveatur. Non tamen eſſe impoſsibilè ſimplicitèr*; voluntati, ſcilicèt, ad illud non moveri, quia impoſsibilitas oppoſiti ad quod movet Deus eſt voluntati ſecundumquid talis, ſeù ex ſuppoſitione motionis Dei. ¶ 2. Div. Thom. expreſsè loqui de motione Dei efficaci, & connexa cum motione creaturæ, affirmat enim impoſsibilè eſſe *huic poſitioni, Deus movet, quod volũtas non moveatur*: & nequit eſſe impoſsibilè, quod voluntas non moveatur huic poſitioni, Deus movet volũtatem motione inefficaci, & inconnexa, cum motione voluntatis.

940 Cum ergo certum ſit Div. Thom. cum motione efficaci, & infallibiliter connexa cum actu ad quem movet componere voluntatem non moveri ex neceſsitate ad actum, nec eſſe impoſsibilè ſimplicitèr oppoſitũ eius ad quod movetur; reſtat diſsidium: An D. Thom. hęc affirmet de motione efficaci, & connexa purè ab extrinſeco, ex præſcientia determinationis creaturæ. ſub illa motione Dei, vt adverſarij exponunt. Vel potiùs de motione Dei efficaci ex ſe, & ab

*Avendaño diſp. 20. de auth. Div. Tho. cap. 4. ſect. 2.*

ab intrinseco, independenterque à libera determinatione creaturę, vt Thomistæ intendunt? D. verò Thom. loqui de motione Dei efficaci, & connexa ex entitate intrinseca motionis, & non à determinatione libera creaturæ.

941 Probo 1. D. Thom. habet pro inconvenienti operationem Dei fore inefficacem, si voluntas nō vellet id ad quod movetur à Deo, sed nō potuit fugere vt inconveniens operationem Dei esse inefficacem ex determinatione ipsius Dei, quia defacto sunt in Deo plures operationes, & voluntates ita inefficaces: ergo D. Tho. solùm fugit vt inconveniens operationem, & motionem Dei reddi inefficacem ex determinatione creaturæ; sed motio, quæ non potest reddi inefficax ex creaturæ determinatione, est ab intrinseco connexa cum determinatione creaturæ, vt patet. Ergo de motione ita efficaci loquitur Sanctissimus Doctor dum cum eius efficacia componit, & determinationem creaturę non esse absolutè necessariam, & eius oppositum non esse simpliciter impossibilè. ¶ Alitèr: operatio Dei potest intelligi inefficax, vel ex libertate Dei, vel ex libertate creaturæ ad oppositum se determinantis; sed Div. Thom. non potuit reputare inconveniens, quod operatio Dei esset inefficax ab intrinseco ex libertate ipsius Dei cum plures sint in Deo voluntates intrinsecè inefficaces: ergo solùm reputavit inconveniens, quod operatio Dei esset inefficax ex determinatione creaturæ; sed operatio, quę inconvenienter redditur inefficax ex determinatione creaturæ non habet efficaciam ex tali determinatione, sed potiùs cum ea ab intrinseco habet connexionem: ergo S. Doct. loquitur de motione Dei ab intrinseco connexa cum determinatione creaturę.

942 2. Div. Th. concedit connexionem, & inseparabilitatem inter motionem Dei, & creaturæ, cum impossibilè esse affirmet, quod *Deus moveat voluntatem, & ipsa non moveatur*; sed talis connexio nequit esse extrinseca motioni Dei fundata in determinatione creaturæ: ergo loquitur D. Tho. de motione ex se efficaci, & connexa: Prob. Min. Eam cōnexionem concedit D. Tho. inter motionem Dei, & creaturæ, quæ si non daretur determinatio creaturæ redderet inefficacem motionem Dei, cum D. Tho. ad vitandum hoc incōveniēs connexionem cōcedat, sed connexio inter motionem Dei, & creaturæ purè extrinseca non est talis, quod si nō daretur operatio Dei redderetur inefficax ex determinatione creaturæ, immò, & si detur, determinatio creaturæ potest reddere inefficacem operationem Dei: ergo.

943 Adde considerationem, quam audivi ab ingenioso recente Thomista non contemnendæ classis publicè propositam: arguens enim vt convinceret voluntatem ex necessitate moveri à Deo intēdebat probare impossibilè esse, quod voluntas non vellet id, ad quod movetur à Deo, & assumebat hoc medium: *Impossibilè est, quod operatio Dei reddatur inefficax à creatura, sed si creatura posset non velle id, ad quod movetur à Deo operatio Dei posset reddi inefficax à creatura: ergo impossibilè est, quod creatura non vellit id, ad quod movetur à Deo.* Huic argumento solùm potest responderi, vel negādo Maiorem, vel concessa Mai. negando Minorē. Qui neg. Mai. ad defendendum contradictorium consequentis tenetur dicere connexionem inter motionem Dei, & creaturæ fundari in determinatione creaturę, qui verò concessa Mai. negaret Min. tenetur dicere prędictam connexionem fundari in ipsa motione Dei: ergo si S. Doctor præcisè cōcederet connexionem inter motionē Dei, & creaturæ purè extrinsecam fundatam in præscientia determinationis creaturę sub illa motione Dei,

vt

vt solveret argumẽtum negaret Mai. Scilicèt determinationem creaturæ non posse reddere inefficacem motionem Dei; sed D. Thom. hoc non fecit, sed potiùs concessa Mai. negavit Min. vt patet ex littera superiùs relata: ergo ideò est, quia D. Thom. sentit connexionem inter motionem Dei, & creaturæ non provenire à creaturæ determinatione, sed ab ipsa entitate intrinseca motionis Dei.

944 Ad 2. confirmationem principalis argumenti resp. neg. Min. & ad eius probat. neg. Mai. Quia *Deus facit vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati*; vnde non indifferentes, sed connexas, Deus enim operatur determinando consensum, aliàs subordinaretur in operando determinanti, & nõ stat determinare per medium indifferens non determinans. ¶ Adhucquè admisso, Deum sine medio determinante, & connexo posse facere infallibiliter vt libere faciamus, nec prælucentia Scientię Medię esset necessaria, vt efficacia hæc infallibilis existeret sine iactura libertatis, quia non esset in hoc casu necessaria in gratia efficacia præveniens, sed purè concomittans, quę est omninò independens à Scientia Media, cum in statu conditionato præveniat ipsam, vt eius obiectum: vt diffusè superiùs probavi.

*Sup. à num. 883.*

## ADDITIO.

*Ramirez de Prædest. disput. 2. cap. 1. num. 6.*

945 SAp. P. Ramirez ita scripsit: *Scientiam Mediam multi exteri sunt* amplexati, de quorum numero non sunt adeò avidus, vt pro sua prędeterminatione tomo 2. de Libertate, quæst. 2. sect. 2. Alter huius Vniversitatis dignissimus Magister, & Doctor sæpè in hoc tractatu memorandus, scilicèt Illust. D. Doctor D. Didacus Castell Ros & Medrano, Primariæ Cathedræ olim magno cum plausu Moderator, & nunc propter eximia merita ad vnam ex præcipuis Hispaniæ Ecclesiasticam Dignitatem evectus, maioribus adhùc, sicut dignus, sic cumulandus, cuius laborem in hac parte dum adhùc sub prælo esset prævenerunt alij Doctissimi ex nostris sequuti Paulum Leonardum, & Henaum, ostendentesquè, quid realitatis habeat accurata huius Authoris computatio; non inquam, adeò sum solicitus; tùm quia nullum habeo cui placere studeam, per Cathalogum, & indicem; tùm quia nec suam, nec meã sententiam tam indigas iudico splendore proprio; *vt nimis de alieno sit curandum.*

Per quatuor Sectiones in prima huius tractatus editione computationem feci ex omnibus Scholæ meæ Complutensis Scriptoribus, Scientiã Mediam renuentibus ad concordiam gratiæ efficacis cum libertate exponendam; Nec fuit animus alicui placere, nec iudicare meam, & Angelicæ Scholæ sententiam indigam splendore alieno: Prodierat tunc in lucem tomus quartus selectarum quæstionũ RR. P. Thyrsi Gõçalez, Primarij Salmanticensis, posteà Præpositi Generalis Sacrę Societatis Iesu, qui à fol. 118. vsque ad fol. 204. per viginti novem sectiones pleno de fonte ministrat exteros Scientiam Mediam defendentes in sua celeberrima Academia, licèt nec haberet, cui in tam diffuso Cathalogo placere studeret, & sciret suam sententiam alieno splendore non indigere: Tunc ego Cõplutensis Primarius copiosè Scriptores Theologos meæ plausibilis Scholæ, asseclas Dominicanæ sententię protuli, impugnatores, & indifferentes, vel quia ex eorum scriptis non constat, cuius opinionis fuerunt, vel quia expressè Scientiam Mediam, simulquè prædeterminationem intrinsecã negarũt, notitiamquè præbui Doctissimorum in sapientia sacra Scriptorum, quorum Complutum fuit fœcũda Parens: Iudicavi mihi Primario Complutensi esse fandi licentiam de Scriptoribus Compluti, si Primario Sal-

Salmantino fas fuit dicere de Scriptoribus Salmanticę: me decepi, nescio Cùr?

946 Nescivi esse Doctissimos ex Sacra Societate, qui laborem meum, dũ adhùc sub prælo esset, prævenerint: Scio omnia, quæ ibi scripsi verissima esse; & *cum sciam ardore inquisitionis non fuisse perturbatam disputãdi modestiam*: vnde ergo *diligentia tam severi emersit examinis? Vnde in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis se armavit, vt mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus servator eventilet, magnumque se aliquid conficere præsumat*, si gratiæ intrinsicè efficacis *prædicatori notam erroris affigat*? Dixit, quod ausus fui negare Scientiæ Mediæ probabilitatem extrinsecam Complutensem. ¶ Audacia foret, sed quando illam negavi? Immò expressè professus fui, cum scripsi: *Nostra autem tempestate vtriusque factionis Dominicanæ, scilicèt, & Iesuitæ dogmata studio inveniendæ veritatis acri contentione exagitantur. Nullus censoria virga opinionem sibi adversam ferire audet; immò plausum excitat, qui probabilitatem contrariæ sententiæ enixè laudando commendat.* Possũ ergo dicere cum Augustino: *Redde verba mea, & evanescet calumnia tua*. Quid igitur causę fuit, cum hæc causatio sit? Vnde nec jota vnum ab illis sectionibus abstuli, sed omninò filui, nec in operis discursu verbum protuli, vel quia (Hieronymus ait:) *Nec grande est ineptissimis nænijs respondere*: Vel Aug. vestigijs hærens aien. *Nè superfluis immoremur, omitto tumultus convitiorum, nè gravibus hominibus neuter nostrum disputator gravis; sed levis, vterquè litigator appareat*. Idem alibi: *Si enim vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud, quam duo maledici essemus: vt qui nos legerent, alij detestatos abijcerẽt sana gravitate, alij suaviter audirent malevola voluntate? Ego quandocuique dicendo, vel scribẽdo respondeo etiam contumelioſis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat frænatis, & coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorivè consulens, non ago vt efficiar hominis convitiando superior, sed errorem convincendo salubrior.* Sequens enim S. Patianum: *Magis volo imperitus, quàm malitiosus intelligi.* Sed *nec me, vel laudatores, vel vituperatores mutabunt, quod enim sum, hoc maneo, sivè maledictis afficiar, sivè laudibus in Cœlum efferar.*

In hac autem editione non prælo mandavi illas quatuor sectiones, non quia non sentiam esse verissima, quæ ibi scripsi, sed quia agnosco animos ita obfirmatos esse in sententijs privatis, vt Authores adducere plus cõtentionis, quàm vtilitatis adducat; Nobilè exemplum afferam plurimis omissis: Quis enim magis nervosè, maiori labore, voce, & scriptis gratiam prędeterminantem defensavit Sap. M. Fr. Thoma de Lemos? Et tamen contra gratiam illam adducitur; Audi P. Borrul asserentem, & Philalethem Eupistinum referentem: *Thomã Lemos (qui pro Dominicanis contra Iesuitas coram Pontifice disputavit) Romæ in suis prælectionibus publicis docuisse physicas prædeterminationes esse contra S. Thomam*: Quod, inquit, *ita certum est, vt Caramuel in sua Theologia fundamentali provocet Thomistas, vt sibi probent P. Lemos id Romæ non docuisse*: Cuius ergo scriptoris mẽs erit indubia, si M. Lemos sententia in dubium vertitur? Authores iam cumulare, licèt verè, plus contẽtionis, quàm splendoris in hac cõtroversia affert: vnde doctrinales sentẽtias disputemus, & non valde vtiles conflictus caveamus.

*Aug. ep. 84*

*D. Prosp. in Præfat. adversſ. Cas.*

*Tom. 2. de lib. q 2. sect. 2. n. 24. in prima editione.*

*Aug lib. 4. cont. Iulian. cap. 8.*

*Hier. ep. 24. ad August. Aug lib. 3. adverſ. Iulian. cap. 2.*

*Auguſt. ad Petil. lib. 3. cap. 1.*

*Sanct. Patian. epiſt. 2. Naziancen. orat. 14. n. 15.*

*Borrul de Sciẽt. Med. num. 328. German. Philalethe cont. prædeter. phyſicã, cap. 1. n. 60. Caramuel in Theolog. edita Francofurti, pag. 18. n. 59. et in edita Lugduni (quatuor) n. 61.*

## ADDITIO.

947 PRimo increparunt laudes Pelagij, quia acumine ingenij præditum dixi; sed hoc despiciendum

*Sup. à num. 845. vsque ad 860.*

est;

est; cum crimen, si esset, & M. P. Augustino imputandum, plurimis enim testimonijs convicimus ingeniũ acre in Pelagio agnovisse: Nec miraberis, si audis Petrarcham asserentem: *Sæpè magnum ingenium magnorum initiũ malorum fuit. Rarò autem magni errores nisi ex magnis ingenijs prodiere.*

*Petrarcha de remedijs vtriusquè fortunæ, lib. 1. Dialogo 7.*

948 Ad rationem, qua fundavimus, Augustloqui de gratia Dei determinante, & subijciente arbitrium, aliàs concordiam gratiæ cum arbitrio non proclamasset difficillimam; *Cùr* (asserui de SS. Prospero, & Hilario) *enixè S. Augustobsecrarũt, vt lucidissimis expositionibus dignaretur aperire,* Quomodò per prę operantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitriu n? *Nil enim notius esse potest, quàm gratiam indifferentẽ non impedire arbitrij libertatem.* ¶ Respondet Doctor Prado, quod quãvis non appareat difficilè componere cum libertate gratiam excitantem intrinsecè indifferentem sumptam *secũdùm se*; esse tamen difficillimum si sumatur quatenus *subest divinæ præscientiæ, & providentiæ*: & hoc esse, quod petebat D. Prosper: Quo venire opportunè (asserit) doctrinã, quàm traddit Suarez scribens: de nuper relatis verbis D. Prosperi: *Nam licèt hæc verba de prædestinatione potiùs, quàm de gratia scripta sint; nihilominùs quæstiones de gratia, & prædestinatione adeò inter se connexæ habitæ sunt, vt quæ de gratia tota, seù de eius initio dicuntur, de prædestinatione dicta esse credantur, & è converso.*

*Sup. n. 859. S. Prosper. ep. ad Aug.*

*Prado de Lib. Arbit. disp. 7. sect. 2. num. 29.*

*Suarez Prolegom. 6. de Gratia c. 6. num. 2.*

949 Contra est 1. Quia ex testimonijs Augustini adductis evidens est, quęstionem *de gratia*, & libero arbitrio, quin prædestinationẽ nominet, exaggerari *difficilem, obscuram, difficillimam, paucis intelligibilem, & suum ingenium vehementer angustãtem*, Ergo cum non appareat difficilè componere cum libertate gratiam intrinsecè indifferentem, vt fateris, de hac gratia non procedebat quæstio, cuius obscuritatem maximè Augustin. commendavit. ¶ 2. Quia inter quinque dubia à S. Prospero in illa Epistola Augustino proposita, vt adderet *eruditionem humilibus, increpationem superbis*, quia eo in *sæculo in* Augustini *charitatis, & scientiæ vigore, Dei gratia sperarat*; licèt alia dubia de præscientia, & prædestinatione procedant, hoc ordine secundũ: *Quomodò per istam præoperantem*, & cooperantem *gratiam liberum non impediatur arbitrium*: de sola gratia procedit non de præscientia, & prædestinatione. ¶ 3. Quia nescio quomodò asserat Prado illa verba Eximij Suarez esse de *nuper relatis D. Prosperi*, qua enim veritate de illis posset dicere *de prædestinatione potiùs quã de gratia scripta esse*: loquitur enim Suarez de quinto dubio à D. Prospero Augustino proposito, per hæc verba: *Illud etiam, &c.* 4. Licèt quęstiones de gratia, & prædestinatione cõnexæ sint: (in quibus dubijs hęc connexio sit omninò certa rectè explicuit Suarez) nam Aug ex eisdem scripturę testimonijs ambas definivit: eãdemquè connexionem agnoverunt Semi-Pelagiani, cum vt testatur S. Prosper: *Ideò enim à confessione gratiæ Dei, qualis opere suæ potestatis agnoscitur* recesserunt, *nè necessè* constiterentur *definitum numerum prædestinati in vitam æternam populi, & secundùm propositũ Dei vocantis electi*; sed solùm ex gratia prævenient ex Deo efficaci, minimè verò ex gratia efficaci ex præscientia boni vsus arbitrij, potest colligi prædestinatorũ esse definitum certum numerum secũdum propositum Dei vocantis, & *non, quia finẽ vniuscuiusque sub ipso gratiæ adiutorio prævideri*t: Ergo Div. Prosp. dubium Aug. propositum, erat, *quomodo per gratiam præoperantem* ex Deo, & non ex præscientia boni vsus arbitrij *liberum non impediatur arbitrium*.

*Prado vbi suprà. Suarez vbi suprà.*

*Suarez prolog. 6. de Gratia, n. 18.*

*D. Prosp. ep. ad Rufin.*

*D. Prosp. ad August.*

*Sup. à num 800. & à num. 833. vsq. ad 859.*

QVÆSTIO

# QVÆSTIO TERTIA.

## VTRVM GRATIA PRÆVENIENS ADIVVANDO CONCILIETVR cum vera libertate consensus salutaris, quatenus sua intrinseca efficacia infert eius substantiam, & libertatis modum?

### SECTIO PRIMA.

*Gratia ex se efficax, non pugnat cum libertate consensus salutaris, quia determinat eius substantiam, & modum libertatis.*

950 HAnc Concordię ratione perpetuò edocuit Div. Thom. in omnibus locis quibus ex instituto versat, qualitèr efficacia irresistibilis voluntatis divinæ libertatis nostræ ruinam non inferat: immò ex ineluctabili Divinæ voluntatis vi actus nostros esse liberos dilucidè collegit ex eo: *Quod voluntate Dei non solùm res inesse producuntur, sed etiam rebus producendis modum quo producantur prædeterminavit*: ergo voluntas Dei non solùm actus salutares inesse producit; sed etiam eis modum quo producantur prædeterminavit: Ab illa enim universali Divi Thomæ non est, vnde consensus salutaris probetur exceptio: Pergit Doctor Sanctus: *Vnde cũ voluntas Dei efficacitèr impletur, oportet quod res fiant, & eodem modo, sicut voluntas divina disposuit*; dum scilicèt, tàm res, quàm modum, quo producantur prædeterminavit: *Disposuit autem Deus vt quædam fierẽt necessario, & his præparavit causas necessarias etiam secundas, quædam verò vt fierent contingenter, & his præparavit causas secundas contingẽtes*: concludit Doctor Sanctus: *Et ideò divina voluntas rebus necessitatem non imponit*: *Ideò* dixit, quia scilicèt efficacitèr impletur volũtas Dei prędeterminans modum, quo res fiãt; *Ideò* dixit, non quia voluntas Dei efficax sit impedibilis, non quia causas contingentes non determinat: *Ideò* dixit necessitatem non imponit, quia pręparavit voluntate efficaci causas contingentes prædeterminando res in esse, & modum contingentiæ, quo producantur.

*D. Thom. ad Anibaldũ dist. 47. q. vnic. art. 4. in corpore.*

951 Vlteriùs ex omnipotentissima vi voluntatis divinę deducit Doct. Sanctus suam efficaciam non solùm non inducere necessitatem, verùm etiam causare contingentiam, cũ enim exprofesso inquireret: *Vtrùm divina voluntas rebus volitis necessitatẽ imponat?* Ita probat inducere contingẽtiam: *Si agens est fortissimum erit similitudo effectus ad causam agentem perfecta, si autem agens sit debilè erit similitudo imperfecta*; *sicut propter fortitudinem virtutis formativæ in semine filius assimilatur patri, non solùm in natura specici, sed in multis aliis accidentibus. Econtrariò propter debilitatem prædictæ virtutis annihilatur prædicta assimilatio vt dicitur in lib. de Animalibus* Hæc est propositio maior discursus Angelici; & ita minorem subsumit: *Voluntas autem divina est agens fortissimum*: & ita concludit: *Vndè oportet eius effectũ ei omnibus modis assimilari, vt non solùm fiat id, quod Deus vult fieri.*

*D. Thom. q. 23. de volũtate Dei, art. 5.*

*quod eſt quaſi aſsimilari ſecũdùm ſpeciem; ſed vt fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, vt neceſſario, vel contingenter, cito vel tarde, quod eſt quaſi quædam aſsimilatio ſecundùm accidentia*: ergo ex D. Sancto voluntas Dei efficax contingentiam effectus voliti non lædit, non ex ſua impedibilitate, ſed ex ſua fortitudine, & efficacia, quia ſcilicèt, eſt *agens fortiſsimum* aſsimilans ſibi effectum, non ſolùm ſecundùm ſpeciem, vt fiat id, quod Deus vult, ſed etiam ſecundùm accidentia, vt fiat contingenter, & libere, ſi eo modo Deus fieri vult.

952 Similitèr prædictam concordiam explicuit Sanctiſ. Doctor in ſumma; dum inquirit: *Vtrùm voluntas Dei neceſsitatem rebus volitis imponat?* Et vt convincat, quod nõ omnibus rebus neceſsitatem imponit; hanc expendit rationem: *Cum voluntas divina ſit efficaciſsima, non ſolùm ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult; vult autem quædam fieri Deus neceſſario, quædam contingẽter*: ergo ex *efficaciſsima* virtute voluntatis Dei deduxit D. Sanctus quædam fieri contingenter, & voluntatẽ Dei non imponere rebus volitis neceſsitatem; ergo licèt gratia movens ſecundùm propoſitum ſuæ voluntatis ad conſenſum ſalutarem volitum ſit efficaciſsima, non ſolùm ſequitur, quod conſenſus fiat, ſed etiam, quod contingẽter fiat, ſeù modo, quo Deus vult fieri.

*D. Tho. 1. p. q. 19. art. 8.*

953 Eandem concordiæ rationem tradiderunt alij Sanctæ Eccleſiæ Patres; ſpecialiter Magn. Parens Auguſtinus, qui efficaciſsimam gratiam non lædere arbitrij humani libertatẽ edocuit, ex eo, quod ab omnipotentia Dei, & ſupremo dominio in voluntates hominum efficaciam ſortitur: Ad cuius veritatis cõfirmationem, quam plurima poſſem adducere teſtimonia, ſed ſelectiora non prætermittam, primo ita ſcribit: *Quis autem non videat multo maius eſſe, indignationem à contrario in lenitatem convertere, atque transferre, quã cor neutra affectione præocupatum, ſed inter vtrũquè medium in aliquid declinare? Legant ergo, & intelligãt, intueantur atque fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deũ in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Nunc non præpondero, *quomodo transferre cor* convertendo indignationem in lenitatem ſit, quin determinet Deus? Solùm conſtare ex Auguſtino deduco, quod ſua ineffabili poteſtate interna, occulta, & mirabili operatur Deus in cordibus hominum bonas voluntates: & quidem omninò liberas, quia magis eſt transferre cor à contrario in lenitatem, quàm inter vtrumquè medium in aliquid declinare.

*Auguſt. de Gratia Chriſti, cap. 14.*

954 Secundo alibi ita fatur, exponendo quomodo Deus cor Regis Aſſueri tranſtulit, vt benignè audiret Eſthèr: *Deus cor Regis antequã mulieris ſermonẽ poſcẽtis audiſſet, occultiſsima, & efficaciſsima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt, de voluntate lædendi ad voluntatem favendi*: & planè liberam: & cùr hæc efficaciſsima poteſtas transfert cor ad voluntatem liberam favendi? Quia vt alibi ediſſerit: *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit.* Per eos, ergo, aget efficaciſsima poteſtate, quia omnipotens, actus liberos, ſi actus liberos per eos agere ipſe voluerit.

*Aug. lib. 1. ad Bonif. c. 20.*

*Auguſt. de Grat. & Libero Arbit. cap. 21.*

955 Tertio edocet M. P. *Hæc voluntas libera tantò erit liberior, quantò ſanior, tantò autem ſanior, quantò Dominicæ miſericordiæ, gratiæque ſubiectior*: ergo, & tantò liberior, quantò Dominicæ gratiæ ſubiectior; non ergo, quia gratia Dominica

*Aug. epiſt. 89.*

nica sua efficacia subijciat voluntatẽ liberam ei libertas addimitur, nec libertas volũtatis exiget, vt illæsa maneat, subijcere Dominicam gratiam, quid eam determinare, aut efficacem reddere?

956 Quarto ita secundùm gratiam libertatem defendit dum exponit orationem Christi, vt non deficeret fides Petri, asserens: *Quando rogavit, ergo nè fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, & perseverantissimam voluntatem: Ecce quemadmodum secundũ gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis, voluntas quippè humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potiùs libertatẽ, & vt perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.* Ergo ex Augustin. secundùm gratiam libertas defenditur, non ex eo, quod voluntas libertate consequatur gratiam, & exinde, nec eius efficaciã, sed potiùs gratia, efficaci quidem, libertatem assequitur, & vt perseveret insuperabilem fortitudinem; & qualiter gratia ex se indifferenti, superabili, & resistibili voluntas obtinebit insuperabilem fortitudinem? Si à volũtate gratia determinatur, si à voluntate efficax redditur, & potest efficacia sua frustrati, qualitèr gratia consequitur voluntas insuperabilem fortitudinem? Ergo ex August à summa efficacia gratiæ non solùm procedit voluntas in fide, sed fortissima etiam, liberrima, & invictissima.

957 Eandem doctrinam traddit D. Anselmus, Magnus D. August. discipulus: ad conciliandam efficaciam voluntaris divinæ cum libertate nostra: In libro enim quem formavit ad concordiam præscientiæ, prędestinationis, & gratiæ cum libertate, vbi primo deducit ex divina prędscientia libertatem, quia Deus ea futura præscit sine necessitate; monetque: *Non debes dicere, præscit Deus me peccaturum, vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccaturum, vel non peccaturum sine necessitate, & ita sequitur vtrũque sine necessitate erit, quia præscit Deus futurum esse sine necessitate*; quod præmonuit etiam Divus Thomas: ergo ex infallibilitate divinę præsciętię, qua præscit Deus me non peccaturum, sequitur me non peccaturũ sine necessitate, quia præscit Deus me ita, seù sine necessitate non peccaturum: ergo paritèr ex eo, quod Deus subveniat voluntati nostræ (& ideò quamvis infirma non deficiat,) *vt divina gratia indeclinabiliter agatur*, sequetur quod libere non deficiet, quia indeclinabiliter agetur, vt libere non deficiat.

Pergit D. Anselmus ad exponendum, qualiter præscientia Dei sciat futura sine necessitate; & subdit: *Quoniam enim, quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non ad volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necessè est voluntatem esse liberam, & esse, quod vult.* Vbi Anselmus Deum sua efficaci volitione non lædere libertatem convincit ex eo, quod sua efficacia potiùs libertatem infert. Ita enim probat: *Quod Deus vult non potest non esse*: seù necessè est esse; sed Deus vult voluntatem esse liberam, quod est *nulla prohiberi necessitate*; *& vult quod effectus sequatur voluntatem*, hoc est, quod infallibiliter operetur: ergo necessè erit *voluntatem esse liberam*, & libere velle; qui est discursus ab Angelico Magistro secutus.

958 Vnde rationem ita formant Thomistæ: efficacia inferens, & causans libertatem eam minimè lædit, sed gratia efficax, qua Deus movet voluntatem ad consensum salutarem, seù meritorium eius libertatem infert, & causat: ergo eam minimè lædit: Mai. est certa; quia nil connectitur cum eo, quod pugnat cum suo esse,

*Augustin. de Correpț. & Grat. cap. 8.*

*D. Anselm. de Concord. cap. 1.*

*D. Thom. 6. Metaph. lect. 3. in fine.*

*Augustin. de Correpț. & Grat. c. 12.*

*D. Anselm. vbi suprà.*

*N. Villegas controv. 2. cap. 2. Salm. disp. 7. de Gratia, dub. 4. sect. 3. Godoy de Scient. disp. 38. sect. 2.*

ſe, aliàs connecteretur cum ſui non eſſe; vnde efficacia nequit pugnare cũ libertate, nec libertas poteſt eſſe cõnexa cum defectu efficaciæ, dum ex efficacia infertur, & cauſatur libertas: Prob. Min. Deus ex ſuo ſupremo dominio ſupra omnia entia, & omnes entis modos, poteſt ſua determinatione quodlibet, & ſub quolibet modo poſsibili cauſare; ſed modus libertatis eſt poſsibilis conſenſui; ergo poterit Deus ſua determinatione inferre, & cauſare, tàm conſenſum, quàm libertatem.

959 Vrgetur 1. Efficacia gratię, quæ ſit extrinſeca nequit libertatem lædere, quia ad eam ſubſequitur: ergo nec efficacia intrinſeca, quia eam cauſat: Prob. conſeq. Quia ſicut efficacia, quæ à libertate procedit, nequit cum libertate pugnare, ita nec libertas, quę procedit ab efficacia poterit pugnare cum efficacia; libertas enim nequit pugnare cum eo, ex quo infertur, ſicut nec cũ eo, quod infert.

960 2. Efficacia intrinſeca gratiæ, quia infruſtrabilis connectitur cũ conſenſu: ergo, & cum libertate conſenſus: Prob. conſeq. Non minus fruſtraretur efficacia gratię, ſi non eſſet id, ad quod movet, ac ſi non eſſet eo modo, ad quem movet; ſicut enim redderetur inefficax deficiente effectu, redderetur inefficax ad modum deficiente modo: ergo ſicut ob ſuam infruſtrabilitatem connectitur cum eſſe conſenſus, ita, & cum modo eſsẽdi libere; non ergo efficacia intrinſeca gratiæ, quia infruſtrabilis perimet libertatem. ¶ Alitèr; licèt libertas conſenſus pugnet cum determinatione Dei, vt conſenſus neceſſario ſit, nequit pugnare cũ determinatione Dei, vt conſenſus libere ſit: ergo ſi determinatio Dei eſt, vt conſenſus libere ſit, cum tali determinatione gratiæ non pugnavit libertas: Prob. antecedens: Neceſsitas conſenſus pugnat cum determinatione Dei, vt exiſtat eius libertas, non cum determinatione, vt exiſtat neceſsitas: ergo paritèr libertas conſenſus pugnavit cum determinatione Dei, vt exiſtat eius neceſsitas, non cum determinatione, vt exiſtat libertas.

## SECTIO SECVNDA.

*Doctrina communis Authorum ſententiæ oppoſitæ refertur, & ex Div. Thoma impugnatur.*

961 HAnc rationem, tot Patrum teſtimonijs fulcitam, egregiam petitionem principij vocãt adverſarij, aſſerentes, priùs debere probari actum liberum poſſe eſſe prędeterminatum per gratiam, quàm Deũ poſſe determinare, & efficacitèr velle actum, & modum libertatis; quia ſi vellet efficacitèr actum liberum eſſe per prędeterminationem, vtrumquè contradictorium ſequeretur, & quod eſſet actus liber, quia ita voluntate efficaci infruſtrabili decerneret Deus; & quod non eſſet actus liber, quia fieret ex prædeterminatione; vt ſuis rationibus probant; quod varijs exemplis ſuadent: 1. Non poſſet Deus efficaciter velle actum liberum per medium ſimpliciter neceſsitans, quia efficacia voluntatis Divinæ nequit cõciliare contradictoria: ergo, (1) nec per medium prædeterminans, quod iudicatur neceſsitans: ergo. (2) Vſque dum probetur prædeterminationem non eſſe medium neceſsitans ex efficacia voluntatis Divinæ inefficacitèr colligitur, quod Deus poteſt velle actum liberum media prędeterminatione.

962 2. Sicut Deus habet ſupremum dominium in modum libertatis, ita, & in modum neceſsitatis; ſed dominium in modum neceſsitatis ſolùm convincit, quod poſsit Deus efficere actum neceſſarium; ſed nõ quocumque medio, quia vt eſt communis Thomiſtarum ſententia; non poteſt Deus medio iuditio indifferenti effi-

efficere actum necessarium; ergo efficacia supremi dominij in actus liberos solùm cõvincit, quod possit Deus efficere actum liberum, sed non quocumque medio; vnde ex tali dominio inefficacitèr colligitur, quod possit Deus velle actum liberum per prædeterminationem.

963 3. Quia ex eodem Dominio minimè infertur Deum posse efficacitèr velle actum liberum per prædeterminationem se tenentem ex parte actus primi; vt est communis nostrorum doctrina; non alia ratione, nisi, quia talis volitio esset chimærica, cũ prædeterminatio ex parte actus primi redderet actum necessarium: ergo dum non probetur prædeterminationem exactam, licèt applicantem, non reddere actum necessarium, ex efficacia omnipotentis voluntatis Dei minimè colligetur Deum posse velle efficacitèr actum liberum per medium prædeterminans. Hinc 4. Quam plurima alia exẽpla adducunt, quia si priùs non examinatur; An aliquid sit in se posibilè, aut non? Sed eius posibilitas ex volitione Dei efficaci, qua decernit esse obiecti sub illo modo deducitur, posset quis defendere; quod res potest actu esse sine vllo decreto, si Deus vellet, quod sine vllo decreto fieret; posset, quis dicere, quod voluntas cum prædeterminatione potest indifferentiam suspẽsionis servare, si Deus hoc decerneret: vnde cum hæc contradictionem implicent; quia id, quod ex volitione Dei deducitur, ex alio principio destruitur: Cùr idem non docebunt illa sa efficacia voluntatis Dei de volitione actus liberi per medium prædeterminans? Vel alitèr: Si Petrus est cum necessitate morali ad operandũ implicat, quod Deus in illis circunstantijs vellit, quod Petrus operetur libere à necessitate morali: ergo nec in circunstantijs prædeterminationis potest velle, quod Petrus operetur libere à necessitate physica, nisi priùs suadetur prædeterminationem non esse necessitatem physicam.

964 Quam doctrinam ex Doctore Sancto Probant: quia docens ex efficacia voluntatis Dei procedere, quod aliqua fiant necessario, & alia contingenter, statim subnixit: *Et ideò quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, quibusdam autem aptavit causas contingenter defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniũt*; ergo ex Div. Thom. dum Deus vult effectum fieri contingenter tenetur excludere prędeterminationẽ. Prob. conseq. dum Deus vult effectus fieri contingenter aptare tenetur *causas defectibiles ex quibus effectus contingenter eveniant, & excludere causas necessarias, quæ deficere non possunt*; sed prędeterm. non est *defectibilis* in operando, cum ei non posit operatio deficere; nec ex ea *effectus contingenter evenit*: implicat enim, quod ex ea non eveniat: ergo ex Div. Thom. dum Deus vult effectum contingenter fieri tenetur excludere prædeterm. Ita PP. Societatis: Consulè P. Avendaño, Thyrso, & Aranda,

965 Contra istam solutionem ita disputo: Si Deus vult efficacitèr actum esse libere, actus erit libere; vt solutio fatetur; sed voluntas Dei efficax de eo, quod actus libere sit, nõ excludit medium prædeterm. iuxtà Div. Thom. ergo per medium prędeterm. actus libere erit: vt Min. in qua est difficultas probem, priùs cum eius veritate non pugnare verba D. Thomæ in solutione adducta, suadeo: Doct. Sanctus ait, quod Deus quibusdam *effectibus*, scilicèt, liberis, aut contingentibus *aptavit*, aut *præparavit causas contingenter defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt*. Quid inde? Certè ex his verbis solùm potest ita deduci, sed prædeterm. non est causa contingenter defectibilis ex qua effectus contingẽter eveniat: ergo Deus ad effectus con-

Avendaño disp. 19. de Conc. cap. 2. sect. 12. Thyrs. t. 1. d. 36. sect. 12. Arand. d. 3 sect. 3. & d. 7. sect. 7.

contingentes nequit aptare, seù præparare prædeterm. Sed consequens est omninò verùm, quia nullus Thomista hucusquè asseruit Deum aptare, aut præparare prædeterm. vt ex ea effectus contingenter eveniat. Prædeterm. enim adstruitur non vt medium aptatum, aut præparatũ à Deo, sed medium, quo Deus aptat, & præparat causas ex quibus effectus contingenter eveniunt. Div. enim Thom. per *aptare*, & *præparare* intelligit movere, & applicare causas contingentes ad agendũ; in quo sensu vsurpatur ly *præparare* in illo *præparatur voluntas à Domino*, & ly *aptare* exponitur similiter à Div. Thoma, dum versat illud Pauli: *Deus pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem*; & ita ait: *Deus quando immittit homini bonam voluntatem aptat eum, idest, facit illum aptum.* Supposito ergo cum D. Thom. quod dum Deus vult efficaciter consensũ esse, & libere esse tenetur aptare, & prẹparare causas contingentes, ex quibus consensus contingenter eveniat, quia aliás terminus volitionis esset chimæra; asserimus, motionem, seù applicationem, qua Deus ex vi illius efficacis voluntatis aptat, & præparat contingentes causas non esse defectibilem in operando, sed necessario connexam cũ effectu libero.

*Proverb.* 31

*Paul. ad Hebræos* 13. *D. Tho. ibi.*

966 Et probatur 1. ex D. Tho. *Si Deus movet voluntatem* (quæ est causa contingens) *ad aliquid, impossibilè est poni, quod voluntas ad illud non moveatur*, sed si motio, qua Deus aptat voluntatem, vt contingentem causam esset defectibilis in operando, licèt Deus moveret voluntatem ad aliquid non esset impossibilè ponere, quod voluntas ad illud nõ moveretur, vt patet: ergo ex D. Thom. licèt effectus contingens exigat causas contingentes, seù defectibiles in operando, non exposcit, quod motio, qua Deus causas contingentes præparat sit in operando defectibilis,

*D. Tho.* 1. 2. *q.* 10. *art* 4. *ad* 3.

967 2. Doctor Sanct. vniversa reducit, *in providentiam Dei, vt in causam à qua omnia sunt prædeterminata, & ordinata* Quia ex ea procedit *immobilis dispositio rebus mobilibus inhærens*; quam si volueris fatum nominare *sententiam tene, & linguam corrige*; vt præmonuit Augustinus; sed motio in operando defectibilis nequit fati vocabulum obtinere; nec motio pro nutu mobilis frustrabilis, aut resistibilis potest esse immobilis dispositio; nec contenderet solùm de verbis, qui prophana novitate motionem indifferentem fati nomine nuncuparet: ergo ex efficacia volũtatis Dei à qua omnia sunt prædeterminata; dum Deus vult effectus contingenter evenire aptãdo, & movendo contingẽtes causas, motio, qua eas aptat, præparat, & movet non est in operando defectibilis, sed potiùs *immobilis dispositio mobilibus inhærens*, & connexa cum eventu, & contingentia effectus. Vide superiùs dicta.

*D. Th. Quod lib.* 12. *q.* 1. *art.* 4.

*Aug. lib.* 5. *de Civ. c.* 9.

*Sup. à num.* 936.

968 Deniquè; quod voluntas divina necessitatem rebus volitis nõ imponat colligit Doct. Sanctus, quia est *agens fortissimum, & efficacissimũ*: Sed si solùm per media resistibilia indifferentia, & à determinatione creaturæ prævisa efficacia non induceret necessitatem, exclusio necessitatis non *à fortissima, & efficacissima* vi voluntatis divinæ desumeretur, sed afflexibili determinabili, & resistibili motione mediorum: ergo iuxtà D. Thomam per media ex Deo, & ab intrinseco efficacia potest voluntas divina necessitatem rebus volitis non imponere.

*D. Th. q.* 23. *de volũt art.* 5. *& 1. p. q.* 19. *art.* 8.

## SECTIO TERTIA.

*Deus per prævenientem gratiam determinat substantiam, & modum libertatis consensus salutaris; quia ita determinat consensum, vt posse ad dissensum non auferat.*

969 VT suadeam non esse Thomistarum egregiam petitionẽ prin-

principij asserere Deum sua voluntate efficaci inimpedibili non tollere libertatem, quia vult efficaciter, tam substantiam, quàm libertatis modũ; similiterquè statuere, media ex se efficacia, & prędeterminantia non adimere libertatem, quia simul determinant consensum esse, & libere esse; rationem suæ doctrinæ in hac sect. adducam ex SS. PP. desumptam.

*Sup. à num. 962.*

970 Suppono cum solutione superiùs adducta non posse Deum velle efficaciter actum liberũ esse quolibet medio, quod rationes ibi adductæ convincunt, & exprofesso tradidi, dum principium connexum constituens posse, & independens à libertate ipsam de medio tollere probavi: Nunc brevitèr convincitur: non

*à num.*

potest Deus velle efficaciter actum liberum esse per medium simpliciter antecedenter necessitans ad ipsum; ideòque non potest decernere amorem sui liberum per medium visionis beatæ, aliàs posset velle efficaciter existere chimæram: non ergo potest Deus velle efficaciter esse actum liberum per quodlibet medium; cum veritate tamen huius suppositi rectè conciliatur Deum posse velle efficaciter actum liberum esse per medium ex se efficax, quod sua efficacia libertatem minimè lædat, sed potiùs inferat.

Neque SS. PP. principium petunt, dum efficaciam voluntatis divinæ non lædere libertatem ex eo, quod eam infert, docent, quia rationem adducunt, quam iam expendo.

971 Velle Deum efficaciter actum salutarem esse per medium efficax stat, cum eo, quod actus sit cum potestate proxima ad oppositum: ergo, & cum eo, quod libere sit; cõseq. constat, quia idem est actum ita esse à voluntate, vt ex suo dominio possit non esse, ac non esse ab ipsa necessario, & exinde libere esse ab ipsa: Probo antecedens: ex PP. expressè asserentibus voluntatem efficacem actus non pugnare cum potestate ad eius oppositum; & ex Div. Thoma dum ita ediserit: *Quamvis non esse effectus Divinæ voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate; non enim sunt ista incompossibilia; Deus vult istum salvari, & iste potest damnari, sed tamen ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur*: Vbi expressè loquitur de voluntate efficaci salutis, non enim essent incompossibilia, Deum velle istum salvari inefficaciter, & istum damnari; quia nõ esse effectus potest simul stare cum voluntate Dei inefficaci; vnde ita disputo: voluntas efficax divina actus est coniungibilis cũ potestate proxima ad non esse actus, licèt non esse actus non possit simul stare cum ea divina voluntate: ergo auxilium efficax ad actum erit sociabile cum potestate proxima ad non esse actus, licèt non esse actus non sit sociabile cum eo divino auxilio.

*D. Th. q. 23. de verit. artic. 5. ad 3.*

972 Vel alitèr, licèt sint incompossibilia: *Deus vult efficaciter istũ salvari, & iste damnatur*; non sunt incompossibilia: *Deus vult efficaciter istum salvari, & iste potest damnari*: ergo licèt sint incompossibilia Deus vult efficaciter actum esse, & actus non est: non sunt incompossibilia Deus vult efficaciter actum esse, & actus potest non esse: ergo licèt sint incompossibilia, Deus movet efficaciter per gratiam ad actum, & actus non est; minimè erunt incõpossibilia, Deus movet efficaciter per gratiam ad actum, & actus potest non esse: ergo poterit Deus movere efficaciter per gratiam ex Div. Thoma, vt actus libere sit, componendo, scilicèt, cũ ea motione efficaci, vt actus sit, posse actum non esse.

*D. Tho. q. 6. de Malo artic. vnico ad 3.*

973 2. Idem assumptum probat Doct. S. dum ait: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam voluntatis moventis, quæ deficere*

re

*re non poteſt, ſed propter naturã voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas*: Vbi noto adverſus Janſenij delirium, quod cum motione immutabili propter efficaciam voluntatis Dei moventis *manet* libertas voluntatis noſtrę motæ, *quia nõ inducitur neceſſitas* ex S. Doctore: ergo (1) ex motione immutabili propter efficaciam *non inducitur neceſſitas*: ergo (2) cum motione efficaci componitur libertas à neceſsitate.

974 Noto etiam adverſus PP. Societatis; non loqui D.S. de motione Dei efficaci ex determinatione voluntatis noſtræ, ſed ex ſe, & vt ex Deo; quia motionem eſſe immutabilem aſſerit D. S. *Propter efficaciam voluntatis moventis*; ſed motio efficax ex determinatione volũtatis noſtræ movet immutabiliter ex voluntate mota, non ex efficacia Dei moventis, cum potiùs vt ex Deo ſit mutabilis, flexibilis, & à nobis determinabilis: ergo motio illa non eſt efficax dependenter à noſtra libertate mota, ſed potiùs ex efficacia voluntatis Dei moventis.

975 Vnde ita colligo: ex motione immutabili Dei *propter efficaciam voluntatis moventis, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa*; ſed motio immutabilis propter efficaciam Dei moventis eſt in ſua effieacia à voluntate noſtra mota independens, & dum non inducitur neceſsitas manet vera libertas à neceſsitate; ergo cum motione independente à nobis in efficacia componit D.S. veram libertatem à neceſsitate, quia natura *voluntatis* adhùc *motæ* ſervat indifferentiam poteſtatis ad diverſa, ſeù ad oppoſitũ eius, ad quod movetur.

976 3. Expendo vulgarè D. Th. teſtimonium non vulgariter ſuperiùs confirmatum: vbi exproſeſſo conciliare intendit, *quod voluntas de neceſſitate non movetur à Deo*: & cum ſibi opponeret; *non eſſe poſsibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet*: Vt equivocationem huius propoſitionis oſtenderet reſpondet: *Dicendum, quod ſi Deus movet volũtatem ad aliquid impoſsibile eſt huic poſitioni, quod voluntas ad illud non moveatur: non tamen eſt impoſsibile ſimpliciter; vnde non ſequitur, quod voluntas à Deo ex neceſsitate moveatur*. Vbi ſermonem eſſe de motione Dei ex ſe, & ab intrinſeco efficaci ſpecialiter probavi alibi; connexionem enim eſſentialem motionis Dei cum actu ad quem movet adſtruit, dũ ait, *impoſsibile eſſe huic poſitioni, Deus movet voluntatem ad aliquid, quod voluntas ad illud non moveatur*; quẽ indiſſolubilem nexum, ita alibi expreſsit: *Impoſsibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quod Spiritus Sanctus vellit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatem amittat peccando*. Subdit verò Doctor Sanctus *non eſſe impoſsibile ſimpliciter, quod voluntas ad illud non moveatur; vnde non ſequitur, quod voluntas à Deo ex neceſsitate moveatur*; vbi obſervo 1. adverſum Janſeniſtas (ſi forsàn aliqui nunc ſunt) quod S. Doctor cum efficacia motionis Dei expreſsè coniunxit libertatem à neceſsitate, quia expreſsè compoſſuit *non ſequi, quod voluntas à Deo ex neceſsitate moveatur*.

¶ Secundo; cum efficacia motionis Dei compoſſuit Doct. Sanct. libertatem à neceſsitate, quia licet *Deus ita moveat voluntatem, non eſt impoſsibile ſimpliciter, quod voluntas non moveatur*, ſed non eſſe impoſsibile ſimpliciter voluntati, quod non moveatur eſt voluntatem habere poteſtatem proximam, & expeditam non ſe movendi; quia potentia purè remota ad terminum non impedit impoſsibilitatem ſimpliciter ipſius, vt ſuppono ex alibi demonſtratis, & DD. Societatis non renuunt: ergo cũ motione ex ſe efficaci compoſuit D. Sanct.

D. Th. ibi ſolut. ad 3.

Sup. à num. 938.

D. Tho. 2. 2. q. 24. artic. 11.

D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 4.

Sup. à num. 174.

Sanct. libertatem à necessitate volũtatis, in eo ad quod movetur, quia cũ ea coniunxit potestatem proximam in voluntate non se movendi.

977 In hac doctrina sequutus fuit Div. Thomas Sanctos Patres eum precedentes, quia vnanimi consensu eam tradiderunt; & quidem Mag. Parens Augustinus eam docuit 1. dũ inquit: *Deus ea futura, quæ ex libertate arbitrij proveniunt præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per dispositionem divinæ motionis: per se verò considerata, absolutam naturæ suæ libertatem non deserunt. Fient igitur proculdubiò cuncta, quæ futura Deus esse prænoscit; sed eorũ quædam de libero proficiscuntur arbitrio, quæ quamvis eveniant, existendo tamen, naturam propriam non amittũt; qua priusquam fierent, etiam nõ evenire potuissent.* Vbi S. Pater asserit, quod futura provenientia ex libertate arbitrij Deus cõtuetur, vt præsentia, quæ necessaria fiunt respectu divini intuitus, *per dispositionem divinæ motionis*: ergo per dispositionem *motionis Dei* non ex se indifferentis, sed ex se efficacis: Nam motio ex se indifferens nequit esse dispositio, vt futura necessaria reddantur respectu divini intuitus; si enim motio divina ab ipso consensu, vel ab eius prælciẽtia redderetur efficax, futura redderentur necessaria ad divinum intuitũ per seipsa, & à seipsis non per *dispositionem divinæ motionis*. Pergit M. P. affirmando dispositionem talis divinæ motionis non auferre à futuris *absolutam naturæ suæ libertatem*, cum adhùc *de libero proficiscuntur arbitrio*, quia nõ amittunt, quamvis eveniant, *posse non evenire*, quod habebant *priusquàm* fierent: ergo ex eo cum dispositione motionis divinæ efficacis componit Magn. P. libertatem à necessitate absolutam in his, quæ à libero proficiscuntur arbitrio, quatenus ita eveniunt, vt per illam motionem non amittatur posse nõ evenire.

*Aug. lib de Prædestin. Dei refert. in cap. vasis iræ 23. q. 4.*

978 Secundo adduco M. P. suadentem Pharaonem obduratum, quia nullam, qua converteretur, fuit misericordiam consecutus, non posse ex eo excusationem culpæ habere; his verbis: *An fortè si pie de Deo, sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens iustum, meritumque supplicium miraculorum verbera crebra densabat. Nunquid non potuit, sicut flagelis cædens expulit populum, ita miraculis, credens, Deũ tantæ virtutis agnoscere?* Libertatẽ, ergo à necessitate compossuit Magn. P. in Pharaone obdurato, licèt misericordiam, qua converteretur nõ fuerit consecutus, quia aliam datam ei misericordiam reperimus, qua potuit miraculis credens Deum tantę virtutis agnoscere: videant nunc Jansenistæ, qualiter Discipulorum Augustini nomine glorientur, qui negant in statu lapsus misericordiam purè sufficientem,

*Augustin. de Prædest. & Grat. c. 19.*

979 Deniquè expendo Augustini verba intendentis divinam præscientiam sua certitudine libertatem nostram non extinguere, sed potiùs firmare; dum enim argumentum omni sua vi proponeret subdit: *Attende enim quæso quanta cæcitate dicatur, si præscivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil alitèr potest fieri, quam præscivit, necessè est vt velint, quod ille præscivit*; Si autẽ necessè est, *non iam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est*: Vbi vt vides necessitatem voluntati opponit, & ex necessitate vi cuius voluntas alitèr fieri non posset supponit libertatem destrui, contra Jansenistas: Pergit M. P. ad argumentum debellandum: *O stultitiam singularẽ! Quomodò ergo non potest aliud fieri quam præscivit Deus, si voluntas non erit, quàm voluntatem futuram ille præscivit?* Et infrà ita concludit: *Ita fit,*

*Aug. lib. 3. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 3.*

*ſit, vt & Deum nõ negemus eſſe præſcium omnium futurorum, & nos tamen vellimus, quod volumus: cũ enim ſit præſcius voluntatis noſtræ, cuius eſt præſcius ipſa erit; voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius; nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate nõ erit: ergo, & poteſtatis eſt præſcius; non igitur per eius præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior adderit, quia ille cuius præſcientia non fallitur affuturam mihi eſſe præſcivit.* Vbi advertas velim, quod M.P. non loquitur de præſcientia voluntatis, quę ſit ſuppoſitio conſequens ad ipſam voluntatem, ſed antecedens; quia ſi præſcientia eſſet conſequens voluntatem, quia voluntas adeſſet eſſet pręſcientia, ſed iuxtà Magn. P. *Poteſtas certior aderit propterea quod Deus affuturam mihi eſſe præſcivit*: ergo non loquitur de præſcientia, quæ conſequatur voluntatẽ, & poteſtatem, ſed quę ipſam præcedat; ſicut ergo aſſerit M P. quod per præſcientiam Dei mihi poteſtas non adimitur, ſed quod potiùs certiùs aderit, quia ille, cuius præſcientia nõ fallitur affuturam mihi eſſe pręſcivit; ita ex Div Thoma per voluntatem Dei efficacem mihi poteſtas non adimitur, ſed potiùs certiùs aderit, quia ille cuius voluntas non fruſtratur affuturam mihi eſſe voluit.

980 In eodem principio ad cõpoſẽdam libertatem cum gratia fuerunt D. Auguſtini Sancti Diſcipuli inter quos primas obtinent Anſelm. & Proſper; ille de concordia prædeſtinationis agens, his verbis: *Quamvis neceſsè ſit fieri, quæ præſciuntur, & prædeſtinantur quædam tamen præſcita, & prædeſtinata, non eveniunt ex neceſsitate, quæ præcedit rẽ, & facit, ſed ea quæ rem ſequitur, ſicut ſuprà diximus*; & rationem, cùr prædeſtinata non eveniunt ex neceſſitate, ita exprimit: *Nõ enim ea Deus quamvis prædeſtinat, facit voluntatẽ cogendo, aut voluntati reſiſtendo, ſed in ſua illam poteſtate dimittẽdo; quã. vis ſua voluntas vtatur poteſtate, nihil tamen facit, quod Deus non faciat, in bonis ſua gratia, in malis non ſua, ſed eiuſdem voluntatis culpa*; vbi obſerva 1. *Quod prædeſtinata ex neceſſitate non eveniunt quamvis neceſsè ſit fieri, quæ prædeſtinantur, quia Deus ea* facit voluntatem in ſua poteſtate *dimittendo*: ergo nec per prædeterminationem res ex neceſsitate eveniunt quamvis neceſsè ſit fieri, quę prædeterminantur; quia Deus ea facit voluntatem in ſua poteſtate dimittendo. Secundo iuxtà Anſelmum, dum Deus facit in bonis bona ſua gratia, voluntas ſua vtitur poteſtate; ſed per gratiam purè moraliter ſuadentem, & non prævenientẽdo phyſicè moventem, Deus ſua gratia non facit *in bonis* bona, ſed ſolùm *cum bonis* bona: ergo, & cum gratia phyſicè prædeterminante, ſtat prædeterminata ex neceſsitate non evenire, quia voluntas bona ſua vtitur poteſtate, licèt Deus ea gratia in bonis bona faciat.

981 Similitèr D Proſper ita fatur: *Deus ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem, qua poſſunt nolle non auferat*; ſed Deus non propriè donat velle, ſi ſolùm ab ipſo determinatur poſſe velle, & non ipſum velle: ergo, dũ Deus determinat velle, poſſe nolle non aufert: ergo nec aufert velle eſſe liberum à neceſsitate. Et alibi: *Quod non poteſt niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis, deputetur, quorũ id potuit voluntate non fieri*: ergo quod cooperante gratia, fit, libere, & meritorie fit, quia potuit voluntate non fieri.

*D. Anſelm. de Concord. cap. 2.*

*D. Proſper, lib. 2. de Vocat. gent. c. 28.*

*D. Proſper, ibi, cap. 12.*

## SECTIO QVARTA.

*Rationibus explicatur concordia gratiæ determinando prævenientis conſenſum ſalutarem cum eius libertate à neceſsitate.*

982 DVm reos eſſe violatę libertatis aſſertores gratiæ prę-

de-

determinantis increpamur; onus probandi libertatem non perimi ex prædeterminatione nobis non incumbit; si enim adversarij nos non convincũt ab imputato crimine erimus absoluti: fundamenta autem, quæ hanc cõcordiam exponunt, & explicant in hac sect. subijcimus.

983 Primum sit: gratia efficax determinans consensum salutarẽ non pugnat cum potestate proxima ad dissensum: ergo nec cum libertate à necessitate consensus: conseq. constat: tùm, quia si consensus est, vt possit proximè dissensus esse, non necessario est, vnde erit à necessitate liber; tùm, quia cũ adversarij ex prædeterminatione inferant libertatis ruinam, quia adimere potestatẽ proximam ad oppositum iudicãt; si eam non aufert, nec libertatem à necessitate lædit. Prob antecedens primo: stat quod voluntas seipsam determinet ad consensum, quin à se amãdet, & removeat potestatem proximam dissentiendi: ergo, & Deus poterit ita per gratiam suam determinare voluntatẽ, quin removeat illam potestatem, & in ea evertat libertatem. Prob. conseq. quia magis in manu sua omnipotentissima, & robustissima continet Deus libertatem creatam, quam ipsa seipsam ex Augustino.

*August. de Correct. & Grat. c. 14.*

984 Accedit: iuxtà Div. Thom. sicut omnis actio naturalis est à Deo; ita omnis *actio voluntatis in quantũ est actio, non solùm est à voluntate, vt immediatè agente, sed à Deo vt primo agente, qui vehementiùs imprimit, vnde sicut voluntas potest immutare actum suũ in aliud, ita, & multo ampliùs Deus*; sed quia actio est à voluntate vt immediatè agente voluntas potest immutare se determinando actum suum non evertendo libertatem suam, sed potiùs se perficiendo per actualitatem devicta suspensione: ergo cum actio voluntatis sit á Deo vt primo agente, qui vehementiùs imprimit multo ampliùs poterit immutare actum voluntatis per suam determinationem, quin removeat libertatem, immò potiùs eam perficiendo remota suspensione.

*D. Th. q. 22. de verit. artic. 8. in corpore.*

985 Dices cum Henao, & P. Herrera; quod *Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*: Si comparatio fiat inter Deum, & voluntatem creatam secundùm se, & nude consideratam sine requisitis ex parte actus primi ad volitionem, seù voluntatem suã, quia potest pro suo libito conferre, aut non conferre, immò, & conferre quo momento ipsas determinaturas se elective prænoscat; si tamen comparatio fiat inter Deum, & hominẽ, postquàm à Deo obtinuit omnia requisita ad suam voluntatem, non habet Deus magis in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi homines.

*Henao sect. 262. Herrera de Prædest. q. 16. sect. 3. in fine, & q. 6. sect. 8.*

986 Sed contra: Adhùc postquàm homo habet à Deo in potestate voluntatem suam, hęc voluntas est magis in potestate Dei, quàm hominis, iuxtà August. ergo sine libertatis damno potest à Deo determinari voluntas, quæ sit in hominis potestate: Probo antecedens: Ineptè enim proferret August. Deum magis in sua potestate habere voluntates hominum, quàm ipsidum eam non habent in potestate, tùm, quia ridicula est comparatio inter duo subiecta in ordine ad aliquem terminum, si positivum comparationis non convenit vtriquè subiecto; sicut ineptè diceretur: *Magis habet Deus in sua potestate creare mundum, quam homo*; cum creatio mundi potestati hominis non subijciatur. Tùm, quia Augustinus expresse loquebatur de viris, qui David in Regem proclamarunt, & *sua voluntate constituerunt Regem David*; *Quis non videat? Quis hoc neget?* & tamen viris illis, qui habuerunt in sua potestate eligere David comparando Deum, asserit, *quod si voluerit Reges in terra*

*August. de Correct. & Grat. c. 14.*

*conſtituere magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas;* Sed ſi comparatio fieret inter Deum, & voluntatem nude ſumptam, ſine requiſitis ex parte actus primi ad volitionem comparatio fieret inter Deum, & hominem non habentem in ſua poteſtate volitionem; hæc enim non eſt in hominis poteſtate, dū homo non habet requiſita ex parte actus primi ad ipſam: ergo Deus habet magis ex Auguſtino in ſua poteſtate voluntates hominum quàm ipſi, adhùc poſtquàm à Deo obtinent requiſita ex parte actus primi ad ſuas voluntates.

987 Secundo probo principale antec. Cauſa prima, vel determinatur à cauſa ſecunda ad efficiendū conſenſum liberum, vel determinat cauſam ſecundam? Quodcumque dicatur ſtat conſenſum eſſe voluntati liberum, licèt voluntas determinetur à Deo ad conſentiendum: ergo: Antecedens quoad ſecundam partem ex terminis conſtat, quoad primam ſic ex Illuſtriſs. Caramuele probatur à RR. Thomiſtis: licèt cauſa ſecunda determinet primam in concurrendo, & efficiendo non impedit primam libere concurrere: ergo licèt cauſa prima determinet ſecundam in efficiendo non impediet ſecundam libere cōcurrere: Probatur conſeq. Quia ſi componi poteſt primā cauſam manere liberam in concurrendo, & operando conſenſum, licèt id præſtare debeat ex determinatione creaturæ; cùr non erit componibile longè ſuaviùs cauſam ſecundam determinari à prima, & manere liberam in concurrendo? Vel alitèr: Principium liberū, vel excludit determinari ab alio, vel per determinationem ab alio nō lęditur? Si 1. ergo corruit primum liberum, ſeù libertas primoordialis cauſæ primę, cum cauſa prima determinetur à ſecunda: Si 2. ergo nō corruit libertas humana ex divina determinatione.

*Cramuel in Theol. fund. cap. 1. n. 26. Ferre in 1. 2. t. 1. tract. 4. q. 1. ſect. 8 Carraſc. de Volūt. dub. 6 fund. 11.*

988 Hoc argumentum valdè debilè, & parum momenti habere iudicat RR. Thyrſo 1. Quia procedit ex non penetrata ſententia Societatis: cum Thomiſtæ affirment cauſam primam determinare ſecundam per motionem prævíam impellentem ad volitionem, cui ipſa ſecunda cauſa reſiſtere non poteſt, & cum ea libertatem conſociari: At Jeſuitæ non adſtruunt cauſam ſecundam determinare primam ad eius volitionē, quia hoc eſſet ingens chimæra; ſolùmque aſſerunt voluntatem creatam in vi decreti liberi, quo Deus ſuam omnipotentiam applicavit determinare ſuā omnipotentiam ad actionem externam, quæ non eſt exercitium Divinę libertatis.

*R. Thyrſo t. 2. diſp. 3. ſect. 11.*

989 Sed paritas non eſt inter volitionem cauſę ſecundæ determinatam à prima, apud nos, & volitionem cauſæ primæ determinatam à ſecunda; quia ſic eſſet immane figmētum, ſed inter volitionem cauſæ ſecundæ, & actionem, ſeù efficientiam divinæ omnipotentiæ: vnde ita inſurgo, Deo non ſolùm eſt liberum omnipotentiam velle applicare, ſed eſt Deo liberum efficere in actu ſecundo conſenſum prę diſſenſu, ſed cauſa ſecunda poteſt determinare primam ad ita efficere illæſa libertate primę: ergo, & prima poterit determinare ſecundam ad ita efficere illæſa libertate ſecundæ. Diverſitas in modo determinandi, ex eo, quod cauſa prima imprimit aliquid prævíū connexum cauſæ ſecundæ, apud noſtros DD. cauſa verò ſecunda non imprimat aliquid prævium primæ apud ſuos; non eſt ad rem, quia ſi de conceptu agentis liberi eſt non determinari ab alio ad ſua exercitia libera, vt propugnant, quælibet determinatio ab alio libertatem lædet; & ſi eſt diverſus determinandi modus, erit etiam diverſitas in modo auferendi libertatem; minimè verò fundari poterit, quod vnus determinandi modus

dus libertatem ſervet, & non alter.

990 Vnde communitèr Reſpõdent; quod licèt cauſa ſecunda ſemel libera determinet primam ad actionem externam omnipotentiæ, ſeù ad efficere conſenſum præ diſſenſu non aufert primæ libertatem ad ita efficiendum, non quia talis determinatio ſit componibilis cum tali libertate, ſed quia in cauſa prima non eſt talis libertas. Deus enim, & confert auxilium, ſeù donat voluntati libertatem adæquatam in actu primo ad conſentiendum; & efficit conſenſum in actu ſecundo: & licèt Deus libere cõferat auxilium, & libertatem, quia à creatura non determinatur ad vnũ auxilium præ alio: non immediatè libere efficit conſenſum, quia à voluntate determinatur ad efficiendum conſenſum præ diſſenſu, Deo enim ſolùm eſt liber conſenſus, quatenus voluntati dedit virtutem ſe determinandi, & reliquit eam in manu conſilij ſui ad conſentiendum; nulla ergo eſt determinatio Dei à creatura ad exercitium immediatè liberum Deo; vnde, & nulla eſt paritas inferens determinationem creaturę à Deo ad exercitium immediatè liberum creaturæ.

991 Sed hęc ſolutio valdè diſplicet, cum, vt ſalvet repugnare agẽti libero determinationem ab alio negat Deo influxum immediatum liberum in ſalutarem conſenſum: Cõſenſum verò ſalutarem eſſe immediatè liberum Deo prob. 1. Diminuta eſſet Divina omnipotentia, ſi aliquis actus bonus ſubterfugeret eius immediatum influxum: ergo, & diminuta erit divina libertas, ſi aliquis actus bonus ſubterfugit eius immediatum dominium. Secundo: Quia conſenſus non eſſet novum donum, & beneficium Dei diſtinctum à libertatis dono, pro cuius collatione teneamur ſpeciales gratias præſtare Deo; ſequela, quæ valdè abſurda eſt. Prob. Non eſt Deus ſpeciali laude dignus, nec ſpeciales gratiarum actiones præſtare tenemur, niſi pro eo, quod Deus libere exequitur, & donat; ſed Deus non donat libere, & immediatè conſenſum, ſed ſolùm quatenus libere donat libertatem conſentiendi: ergo præſtando Deo gratias pro tali libertate novas gratias præſtare non tenebimur pro conſenſu. Addo, quod ex hac ſolutione videtur colligi; eandem dependentiam habere Deum in ſuis actibus liberis à libertate creata, ac habet libertas creata in ſuis actibus à libertate Dei. Prob. aſſumptum: Voluntas noſtra dependet à Deo ad ſua exercitia libera, quatenus à libertate Dei depẽdet, quod habeat hanc, vel illam libertatem; hoc, vel illud auxilium; ſemel verò collata libertate vnicè ſtat pro dominio voluntatis creatæ determinare vnum exercitium liberum prę altero: Similitèr vnicè à noſtra libertate dependet, quod Deus habeat hanc, vel illam libertatem, conſtitutam, ſcilicèt, per Scientiam Mediam efficaciæ, vel inefficaciæ auxilij, licèt libertate ſemel ſuppoſita vnicè ſtet penes dominium Dei determinare vnum exercitium ſuę libertatis prę altero; ergo ſicut voluntas noſtra eſt libera dependenter à Deo, qui libere conſtituit ſuam determinatam libertatem, & eſt libera in actu primo ab aliquo libero Deo, non ſibi, & in actu ſecundo ab aliquo libero, ſibi non Deo; ita Deus depẽdet in ſua libertate à voluntate, quæ libere conſtituit ſuam determinatam libertatem; quia eſt liber in actu primo ab aliquo libero creaturæ, non ſibi, & in actu ſecundo ab aliquo libero ſibi, non creaturæ.

992 Tertio probat. principale aſſumptum: Exiſtente gratia prędeterminante actum nullum conſtitutivum poteſtatis ad carentiam actus deficit: ergo, & poteſtas ad talem carentiam exiſtit, & exinde actus libertas: Prima conſequentia conſtat, quia

quia dum nullum constitutivum rei deficit res existit; & secunda etiam infertur, quia actum esse à voluntate, ita vt ab ipsa possit non esse, est actum esse voluntati liberum. Antecedens probat, quia assigna constitutivum potestatis proximæ ad carentiam actus, quod deficiat ex eo, quod prædeterminatio ad actum existat?

993 Dicunt; quod existente prædeterminatione deficit eius carentia, & vnum ex constitutivis potestatis proximæ ad carentiam actus esse carentiam prædeterminationis ad actū: & rationem esse; quia potestas proxima ad carentiam actus constituitur per carentiam cuiuscumque antecedentis actum connexi cum actu, dūmodo sit à libertate independens; cū verò prædeterminatio ad actum talis sit, potestas proxima ad carētiam actus debet talem prædeterminationem excludere, seù constitui per carentiam illius.

994 Sed contra 1. Carentia prædeterminationis actus non constituit potestatem ad carentiam actus: ergo per prædeterminationem nullū constitutivum potestatis ad carentiam actus deficit. Prob. antecedens: Magis opponitur actus cum eius carentia, quam prædeterminatio ad actū; quia prima est oppositio formalis contradictoria, & immediata, secunda est virtualis indirecta, & mediata; sed deficere actum non constituit potestatem ad carentiam actus, aliàs actus nō posset coëxistere potestati ad eius carentiam; ergo nec deficere prædeterminationem actus constituit potestatem ad eius carentiam. Explicatur: Prædeterminatio actus pugnat cum carentia actus, quia connectitur cum actu: ergo si potestas ad carentiam actus non exigit actum deficere, nec exiget deficere prædeterminationem actus.

995 Secundo: Quia difficilè percipitur, quod Adversarij intendunt componere; dum ex vna parte docent, carentiam prædeterminationis Thomisticæ constituere libertatem actus, seù potestatem proximam ad eius carentiam. Ad quod sunt cōvicti ex eo, quod prædeterminatio Thomistica (vt aiunt) est necessitas simplex actus, & libertas debet constitui per carentiam simpliciter antecedentis necessitatis. Ex alia verò parte defendunt, quod deficiente prędeterminatione actus necessario deficeret actus, sicut existente prędeterminatione necessario existit actus; hæc enim incompossibilia omninò sunt: quia implicat libertatem actus constitui per carentiam actus simpliciter necessariam; quia libertas nequit essentialiter pugnare cū suis constitutivis; aliàs esset ingens chimæra; & libertas actus pugnat cū eo, quod actus necessario deficiat; sed carentia prædeterminationis est necessitas antecedens carentiæ actus; ergo libertas actus nequit constitui per prædeterminationis carentiam. ¶ Explico vim huius discursus; per prædeterminationem Thomisticam intelligitur qualitas præveniens actum metaphicè mutuo connexa cum actu, & à nostra libertate indepēdēs; de hac affirmant adversarij esse necessitatem antecedentem actus, nos negamus; aliàs si de diverso obiecto est sermo affirmantes, & negantes non pugnamus; vnde ex consequenti tenentur affirmare carentiā huius prædeterminationis constituere libertatem actus; contra tamen ita disputo: libertas ad actū constituitur per posse libere existere actum, ac perindè, & deficere, quia libertas vnius contradictorij est libertas alteriùs; sed libere posse deficere actum non potest constitui per carentiam huius prædeterminationis: ergo: Probo Min. Actus connectitur mutuo cum prędeterminatione: ergo carentia actus cum carentia prędeterminationis: ergo sicut inferunt, quod existēte prædeterminatione est mihi neces-

sa-

sarium, quod actus existat, ita deficiente prædeterminatione erit mihi necessarium, quod actus deficiat: ergo libere posse deficere actum non potest constitui per carentiam huius prædeterminationis; non ergo sunt componibilia, quæ aduersarij contendunt; quod scilicèt ex defectu prædeterminationis inferatur necessariò deficere actum, & quod libertas ad actum constituatur per carentiam huius prædeterminationis.

996 Ampliùs hoc ipsum conuinco: dum intenditur carentiâ prædeterminationis constituere libertatem actus, seù potestatem proximam omittendi actũ, ex eo suadetur, quod prædeterminatio est necessitas antecedens actus; sed carentia necessitatis antecedentis actus nequit inferre necessariò deficere actum: ergo inconsequenter intendunt ex defectu prædeterminationis inferri necessariò deficere actum. Min. est euidens; quia cum defectu necessitatis antecedentis stat actum existere, immò ita actus existit semper quod existit libere, sed impossibile est, quod actus existat, dum actus necessariò deficit, vt patet: ergo carentia necessitatis antecedentis non infert actum necessariò deficere. Vnde ex eo, quod deficiat *necessitas antecedens ad actum* non infertur *necessariò deficere actum*, sed solùm infertur *deficere actum esse necessariò*; & non absolutè, sed *tali necessitate*, quia ex defectu necessitatis ad actum non infertur actum deficere, cum actus possit esse cum tali defectu, nec infertur deficere actum esse necessariò absolutè; quia potest deficere vna necessitas, & actum esse necessariò ex alia necessitate; vnde ex defectu vnius necessitatis solùm colligitur actum non esse necessariò ex tali necessitate; hæc mihi clara sunt, quę facilè quisque plurimis confirmabit exemplis.

997 3. Vrgeo principale assumptum; si potestas ad dissensum v.g. cõstitueretur per carentiam prædeterminationis ad consensum esset, vel *directè*, & formaliter, vel *indirectè*, & virtualiter; sed neutro modo: ergo. Min. quoad primam partem constat; quia nihil privativum constituit formaliter aliquid positivum; & carentia prædeterm. est aliquid privativum, potestas verò ad dissensum est aliquid positivum, sicut, & libertas tali potestate constituta. Secundam partem ita probo: quod constituitur indirectè per aliquid est, quia constituitur directè, & formaliter per aliud vel realiter identificatum, vel essentialiter connexum cum illo aliquo; v.g. homo constituitur indirectè per carentiam inhibilitatis; quia constituitur directè per rationalitatem cõnexam cum tali carentia: sed potestas ad dissensum non constituitur directè per aliquid connexum cum carentia prædeterm. consensus, aliàs illud assigna? Ergo talis potestas, nec indirectè constituitur per talem carentiam.

998 Dices: Potestatem voluntatis ad dissensum constitui per hoc, quod dissensus sit proximè voluntati possibilis, cum verò dissensus non sit proximè voluntati possibilis, dum adest prædeterm. consensus: hinc esse; quod potestas ad dissensum cõstituatur per aliquid connexum cum carentia prædeterm consensus, & exinde *indirectè* per talem carentiam.

999 Sed contra: dissensum esse proximè voluntati possibilem non pugnat cum prædeterm. consensu: ergo nec connectitur cum carentia talis prędeterm. & exinde potestas ad dissensum non constituetur per aliquid connexum cum tali carentia. Prob. anteced. Prædeterm. consensus solùm infert consensum esse futurũ, non verò constituit, nec infert ipsum possibilem, quia plura sunt possibilia, quæ Deus non decernit, nec prædeterminat: ergo solùm pugnat cum futu-

futuritione diſſenſus, non cum eius vera, & proxima poſsibilitate. Prob. conſeq. Quia prædeterm. conſenſus ſolùm poteſt pugnare cum diſſenſu modo quo connectitur cum conſenſu: ergo dum ſolùm connectitur cum conſenſu vt futuro, ſolùm pugnabit cum diſſenſu vt futuro, vnde, & cum eius futuritione, non poſsibilitate. Alitèr: Prædeterm conſenſus ſolùm opponitur indirectè diſſenſui, quatenus directè opponitur prædetermin. diſſenſus; ergo non poteſt opponi cũ diſſenſu magis, quàm cum eius prædeterm. Patet hęc conſeq quia indirectè oppoſitum alicui extremo, nequit habere maiorem oppoſitionem cum illo, ac cum extremo directę oppoſitionis; quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis: & ideò, quia calor indirectè opponitur aquę, nequit magis opponi aquæ, ac frigori, cui directè opponitur Pergò; ſed prędeterm. conſenſus ſolùm reddit non futuram prędeterm. diſſenſus, nõ verò impoſsibilem, cùm libere cauſetur à Deo, dum exiſtit: ergo prędeterm. conſenſus ſolùm reddit nõ futurum diſſenſum, minimè verò impoſsibilem.

1000 Alitèr vrgetur: Quando voluntas prędeterminatur ad cõſenſum, ita ad ipſum prædeterm. vt poſſit prædeterm. ad diſſenſum: ergo, & voluntas ita elicièt conſenſum, vt poſsit elicere diſſenſum; vnde prędeterm. conſenſus non pugnabit cum poſsibilitate diſſenſus. Antec. certũ; quia Deus libere cauſat prędeterm. quùm poteſt non cauſare. Prob. conſ. Si voluntas prædeterm. ad diſſenſum ipſum eliceret, & non conſenſum, ſed dum prædeterm. ad conſenſum, & ipſum elicit poteſt prædeterminari ad diſſenſum: ergo dum prædeterm. ad conſenſum poteſt elicere diſſenſum.

101 Explicatur: Ideò voluntas prędeterm. ad conſenſum poteſt prędeterm. ad diſſenſum; quia licèt vna prædeterm. non poſsit alteri coëxiſtere; nec poſsit cum alia eſſe *coniunctim*; minimè aufert alteram poſſe adeſſe, cum adhùc dum illa exiſtit poſsit altera eſſe *diviſim* ab ipſa: ergo pariter dum voluntas prædeterm. ad conſenſum poterit elicere diſſenſum; quia licèt diſſenſus non poſsit ei prædeterm coëxiſtere, nec poſsit cum ea eſſe *coniunctim*; non tamen illa auferet diſſenſum poſſe adeſſe, quia adhùc dum illa prædeterm. exiſtit poterit eſſe diſſenſus *diviſim* ab ipſa. Pat. conſ. Quia dum voluntas prędeterm. ad diſſenſum ipſum efficit: ergo modo quo eſt volũtati poſſibile prædeterm. ad diſſenſum erit ei poſsibile ipſum efficere.

1002 Dices: quod licèt voluntas prædeterm. ad conſenſum poſsit prædeterm. ad diſſenſum, & exinde ipſum elicere, non probari voluntatem tunc libere elicere conſenſum: & rationem eſſe, quia vt voluntas libere conſentiat non ſufficit, quod poſsit vtcumque diſſentire, ſed exigitur, quod ex ſua electione, & determinatione poſsit diſſentire; aliàs non eſſet in manu conſilij ſui, nec pro ſua optione obtineret cõſenſum præ diſſenſu; cum verò poſſe efficere diſſensũ, quia poſsit à Deo prædeterm. ad diſſenſum, non ſit poſſe diſſentire ſua electione, & determinatione, ſed potiùs ex determinatione Dei: Talis poteſtas diſſentiendi ſolùm inferet conſenſum præ diſſenſu eſſe liberum Deo, non voluntati: vnde potiùs redargues. Voluntas prędeterm. ad cõſenſum ſolùm poteſt diſſentire pro caſu prædeterm. diſſenſus, ſed prædeterm. diſſenſus non eſt ex electione voluntatis, ſed vnicè pro nutu Dei: ergo, & voluntas poterit diſſentire vnicè pro nutu Dei, non verò ex propria electione.

103 Sed contra eſt: Licèt voluntas ſolùm poſsit elicere diſſenſum prędeterm. à Deo eſt verè potens ad efficiendum diſſenſum ex propria determinatione; ergo, & verè libera.

Prob.

Prob. anteced. Libertas, seù dominiũ voluntatis in sua exercitia est secundùm, subordinatumque, subiectum, & dependens à Deo primo libero, & supremo Domino; sicut ens secundùm, & secunda causa dependet essentialiter à primo ente, & prima causa; sed de conceptu dominij agentis liberi est potestas se determinandi: ergo voluntas ex suo dominio solùm erit potens se determinare dependẽter ab alio, vt primo determinante: ergo ex eo, quod non possit consensum nisi dependenter à prædeterm. Dei non probatur voluntatem non habere potestatem se determinandi, sed non habere potestatem independentem ab alio priùs determinante: ergo, nec infertur non habere veram libertatem, & dominium, sed solùm non habere libertatem independentem ab alio primo libero, & Domino, quod fatemur. Clariùs; est duplex vera libertas, vna prima, & independens; altera secunda, & dependens ab alia libertate: ergo erit duplex vera potestas se determinandi, vna prima, & independens, alia secunda, & dependens ab alia determinatione.

1004 Secundo: Est vera potestas efficiendi in causa secunda, licèt sit dependens ab alia causa primo, & immediatè suos effectus efficiente: ergo erit vera potestas determinandi in secundo libero, licèt sit dependens ab alio libero primo, & immediatè suos effectus determinãte: Antecedens est commune apud Theologos contra Durandum: & consequẽtia infertur, quia sicut causa secunda dependet à prima, secundùm liberũ à primo; & sicut est de conceptu causæ virtus ad efficiendum, est de conceptu liberi virtus ad se determinandum.

1005 Vrgetur tacitam solutionem apud adversarios communem impugnando: Non statuitur verus cõceptus primę causę, per hoc, quod priùs efficiat, & omnis alia causa efficiatur ab ipsa, si non adstruitur immediatè efficiens omnia exercitia cuiuscumquè alteriùs causæ: ergo nõ statuitur verus conceptus primi liberi, per hoc quod priùs determinet, & quod omnis alia libertas determinetur ab ipso, si nõ adstruitur immediatè determinans omnia exercitia cuiuscumque alteriùs liberi, sed libertas causæ secundæ nequit excludere, quod primum liberum exposcit: ergo libertas eius nequit excludere immediatam determinationem primi liberi in sua exercitia.

## SECTIO VLTIMA.

*Disputationis vltima elucidatio; ampliùs roborando principium non peti, dum prædeterm. coëxistere libertati edocetur, quia in actu, & modum ipsum libertatis infert.*

1006 ARgumenta, quæ contrà prę viam determinationem divinam consensus liberi validissima manu ab oppositâ factione instruuntur, quia vt adversarij autumant, cũ ea libertas voluntatis creatæ incomponibilis sit, in toto hoc opere abundè per specialia dubia diluere satagam; nunc solùm exprofesso enervabo, quidquid contra nostrã concordiam ex inconvenienti egregię petitionis principij, mollitur, ponderationibus superiùs cum omni sua vi adductis. *Sup. à num. 961.*

1007 Et suppono adversarios nobiscum consentire, in eo, quod ex determinatione efficaci divina consensus quoad substantiam, & modum libertatis, non colligitur ipsius consensus necessitas. Et ratio est evidẽs: quia determinatio solùm infert, & connectitur cum eo, quod determinat; sed determinatio consensus vt liberi non determinat necessitatis, sed libertatis modum in consensu: ergo, nec infert modum necessitatis, nec cum eo connectitur. Alitèr: ex

determinatione efficaci divina tanquam ex antecedenti tantùm colligi poteſt pro cõſequenti id ipſum, quod Deus determinat; ſed per talem determinationem ſolùm determinat Deus conſenſum fieri libere: ergo ex tali determinatione nequit inferri pro conſequenti conſenſum fieri neceſſariò. Alitèr; talis determinatio ſua efficacia ſolùm facere poteſt id, cuius eſt determinatio; ſed eſt determinatio, vt conſenſus fiat à voluntate, & libere: ergo ſua efficacia, ſolũ facit conſenſum fieri libere à voluntate: ergo per efficaciam ſuam potiùs infert, quàm aufert libertatem conſenſus.

1008 Cùm ergo talis prævia determinatio inferat libertatem, reſtat oſtendere nõ eſſe impoſsibilem, facilè enim adverſarij, vt exiſtimãt, aſſerunt talem determinationem cõſenſus liberi eſſe in terminis implicatoriam.

*P. Palanco, q. 16. ſect. 10. de Prov.*

1009 Sed eſſe poſsibilem noviſsimè Doct. Recentior Thomiſta ita ſuadet: Talis prævia determinatio divina cõſenſus liberi, vel aufert libertatem, quia eſt impoſsibilis, vel eſt impoſsibilis, quia aufert libertatem? Si 1. cum læſio libertatis ex impoſsibilitate illius determinationis proveniat, debet probari impoſsibilitas illius determinationis ex alio capite, quàm ex læſione libertatis, quod nunquam fit. Si 2. ergo debet probari determinationem illam auferre libertatem præſcindendo ab eius impoſsibilitate; cum impoſsibilitas ex læſione libertatis proveniat; quomodò verò præciſa impoſsibilitate determinationis efficacis conſenſus liberi fundari poterit talem determinationem ſua efficacia lædere ipſammet libertatem, quàm ſua efficacia infert?

1010 Hoc tamen argumentum, licèt ingenioſum, haud difficilè erit adverſarijs ſolvere, aſſerendo, determinationem divinam conſenſus liberi eſſe impoſsibilem, quia infert, & ſimul aufert libertatem; in coexiſtẽtia enim huius contradictionis adæquatè conſtituent impoſsibilitatem illius determinationis. Quod exponent 1. in determinatione divina cõſenſus liberi conſtituente poſſe, ſeù ex parte actus primi exacta, vt actus libere fiat: Hanc determinationem aſſerimus eſſe impoſsibilem, quia libertatem perimeret. Si verò evidenter convincis, talem determinationẽ libertatem inferre, quia ad eam determinat. & cum ea connectitur. Statim occurrimus, non exinde probari talis determinationis poſsibilitatẽ, ſed ſolùm convenire ei determinationi vnum ex contradictorijs, in quorum coëxiſtentia conſiſtit eius impoſsibilitas, quia nil magis impoſsibilè, quam prædicatum inferens id ipſum, quod aufert. 2. Si quis affirmaret, neceſsitatem ſimpliciter antecedentem vt conſenſus libere fieret; omnes indubitanter eſſe chimæricã aſſererent; quia vera libertas excludit quamcumque neceſsitatem antecedentem ſimpliciter talem. Si verò demonſtraret, illam neceſsitatem libertatem inferre, cum ad conſenſum liberum neceſsitaret, & cum eo connecteretur; ſtatim diceremus, vnum contradictorium exinde colligi ex illis in quorum coëxiſtentia conſiſtit talis neceſsitatis impoſsibilitas, chimerica enim eſſet, quia libertatem actus ſimul inferret, & auferret: Non ergo, nobis ſufficit convincere, determinationem Dei, *vt conſenſus libere fiat*, libertatem inferre, ſi vlteriùs non progredimur ad probandũ libertatem inferre abſque contradictione, ſeù ita illam inferre, vt minimè deſtruat idipſum, quod infert.

1011 Nec obſtavit ſuperaddere cum eodem Docto Authore; quod ſolùm voluntas Dei poteſt eſſe chimærica, quia tendit in impoſsibile, aut malum culpæ, vel modo indecenti ipſi Deo; cum Deus poſsit velle

*P. Palanco, vbi ſuprà.*

me-

modo sibi decenti omne bonum possibilè; sed Deum velle prædeterminare amorem fieri libere est velle obiectum bonum possibilè, & modo sibi dicenti, cum decentissimum sit divinæ voluntati esse *existentium prædeterminativam*, ex D. Dionysio: ergo poterit Deus velle prædeterminare amorem fieri libere.

*D. Dionis. c. 5. de Div. Nominibus.*

1012 Non, inquam, obstavit: Quia falsum est Deum posse velle modo sibi decenti omne bonum possibilè; modus enim necessitandi est decentissimus, & congruentissimus Deo, & tamen licèt *amorem fieri libere* sit bonum Deo possibilè, nequit Deus velle *amorem fieri libere* necessitando ad ipsum; non ergo potest velle modo sibi decenti omne bonũ possibilè; sed vt Deus possit velle possibilè bonum aliquo modo, est necessè, quod tali bono sit congruus talis modus tendendi ex parte Dei; adstringimur: ergo ad probandum huic obiecto *amorem fieri libere* esse congruum prædeterminare ipsum; & cum non sit ei congruum necessitare ad ipsum, cogimur ad suadendũ Deũ velle tale obiectum prædeterminare, nõ esse ad ipsum necessitare; quod inefficaciter suadebitur adducto medio.

1013 Vnde alitèr ostenditur determinationem efficacem divinam consensus liberi non esse impossibilem. 1. Determinatio consensus ita potest inducere consensum vt potestatem proximam dissensus minimè auferat, vt probavi superiùs: ergo potest ita inducere libertatem vt eã inferat, sine contradictione auferendi id ipsum, quod infert. Patet conseq. Quia consensum esse à voluntate per gratiam potente proximè dissentire est consensum esse voluntati liberum; cũ qua doctrina omnia exempla ab Authoribus oppositę sententiæ adducta sine vi manẽt; nulla enim determinatio necessitans potest modum libertatis in actu causare, cum quælibet ita actum inferat vt potestatem proximam ad oppositũ actus adimat: Nec principium petimus, dũ prævium determinationem divinam consensus liberi non perimere libertatem dicimus, quia eam causat; non enim hoc sine ratione edocemus, sed adductam prę̃stamus.

*Sup. à num. 983.*

*Sup. à num. 961.*

1014 2. Quia nullum est ens, nec entis modus, qui destruatur per hoc præcisè, quod Deus efficacitèr vellit, seù determinet ipsum existere; cùr ergo ab hac vniversali excipies libertatis modum? Modus libertatis etiam subijcitur Dei supremo dominio, in cuius ditione cuncta sunt posita, quia omnia, quæcumque voluit fecit; cùr ergo, Deus destruet potiùs, quàm faciet actum liberum, ex eo, quod efficacitèr vellit ipsum facere?

1015 Vnde ita disputa: Consensus liber per subiectionem Dei immediato effectivo dominio nõ destruitur: ergo nec per subiectionem Dei immediato dominio determinativo. Prob. conseq. Nullum dominiũ effectivum potest esse in Deo, quod determinativum non sit; omne enim efficiens non determinans est in efficiendo subiectum principio determinanti; & dum adversarij exempla adducunt, vt suadeant rectè componi principium aliquod efficere, & nõ determinare, semper exposco, vt ad rem sint, quod superaddãt, illud principium efficiens non determinãs determinanti non esse subiectum in efficiendo; sed dominium effectivum Dei nequit esse alteri dominio in efficiendo subiectũ, semper enim Deus efficit vt supremus Dominus, *& Dominus dominantium*; nec quia reliquit nos in manu consilij nostri, *nobis suam omnipotentiam subijcit*: ergo sicut consensus liber non excludit, sed potiùs exigit immediatum Dei dominium effectivum, ita nec abijciet, sed exposcet immediatum Dei dominium determinativum.

*Innoc. XI. in Decreto novissimè edito.*

1016 3. Conſenſum eſſe conſentienti liberum non pugnat cum diſcretione intrinſeca conſentientis facta à Deo per gratiam interiorem conſentienti prævenientem conſenſum; ſed gratia interior præveniens indifferens, & non determinans nequit eſſe diſcretiva conſentientis: ergo conſenſum eſſe conſentienti liberum non excludit Deum per gratiã prævenientem determinare conſenſum. Diſcurſus rectus: Et præmiſſas alibi diffuſè probavi. Mai. Quia ſi nõ eſſet gratia prẹveniens interior diſcretiva conſentientis, non video, qualiter Auguſtin. ex illo Apoſtolico teſtimonio, *quis te diſcernit?* Potuerit colligere adverſus Pelagium gratiam interiorem prævenientem diſtinctam à donis naturæ, ſi non exigit gratiam prævenientem diſcretivam. Min. ſic: Auguſtin. negavit Deũ poſſe diſcernere conſentientem per dona naturæ, quia per *dona communia omnibus hominibus non diſcernũtur homines ab hominibus*: ergo nec per dona gratiẹ diſcernentur, ſi communia ſunt. In hocque fundamento ſemper inſiſtam vſque dum adverſarij edoceant me principium in quo innititur, hìc Auguſt. diſcurſus: *Deus diſcernit conſentientem: ergo prævenit ipſum per donum diſtinctum à donis naturæ.*

*Sup. à num. 287. vſquè ad 320.*

1017 4. Rectè oramus Deum ſalutarem conſenſum adhùc ſuppoſita libertate ad ipſum; ſed valdè ſtultum eſſet orare alterũ pro eo, quod in mea poteſtate iam obtineo independenter à novo dominio, & determinatione alteriùs: ergo rectè conciliantur me libertatem habere ad conſenſum, & quod conſenſus exigat determinari à Deo: Quod fundamentum diffuſè alibi traddidi.

*Sup. à num. 431. vſquè ad 450.*

***************

## ADDITIO.

1018 AD modum Concordiæ ex PP. deſumptum, à D. Thoma perpetuò traditum, ex efficacia gratiæ, & voluntatis divinæ inferente in opere ſalutari ſubſtantiam, & modum libertatis: quem Caramuel, vt à ſe inventum laudat; cum nullus ſit ex Thomiſtis, qui eum à D. Thoma non didicerit: Et ad fundamenta noſtra reſpondet Doct. Prado: Deum velle efficacitèr conſenſum fieri, & libere fieri infere libertatem conſenſus, & exinde D. Thom. rectè colligere ex efficacia voluntatis divinę libertatem noſtram illa ſam; ſed D. Thom. loqui de divinis decretis, quę revera exiſtunt in Deo erga noſtros actus liberos, minimè verò loqui de decreto prædeterminativo, quod nẽgant exiſtere, & putant repugnare; ſi enim per decretum prædeterm. vellet conſenſum fieri, & libere fieri, vel non inferret modum libertatis, ſed auferret, vel illam inferret modo chimẹrico: quod explicat in decreto, quo Deus vellet *volũtatem conſentire libere, & ſe ſolo talem cõſenſum determinare*: hoc enim decretum, licèt fingeretur efficax, nõ inferret, ſed auferret libertatem, vel illam inferret modo chimẹrico, quia coniungeret cum efficacia prędicatũ pugnans eſſentialiter cum libertate efficaciter decreta: vnde non probatur D. Tho decretum prædeterm. agnoviſſe, ex eo, quod ex efficacia decreti libertatem intulit, loquebatur enim Sanctus de decreto non immediatè executivo conſenſus, & à nobis evitabili.

*Sup. à num. 950.*

*Caramuel. Th. fundam. num. 61. Prado diſp. 3. de Libero Arb. ſect. 4. à num. 62.*

1019 Sed nos ſolùm adſtruimus, concordiam voluntatis efficacis Dei cum noſtra libertate à D. Thom. edoceri, quia Deus *rebus producendis modum, quo producantur prædeterminavit*: quia eſt *agens fortiſſimum, vnde oportet eius effectum ei omnibus modis aſſimilari*: quia eſt *effi-*

*D. Tho. 1. ad Anib. diſt. 47. artic. 4. & q. 23. de Volũt. Dei, art. 5. & 1. p. q. 19. art. 8.*

*efficaciſsima* vnde *ſequitur ea, quæ vult eo modo fiat, quo Deus fieri vult*: Et hanc rationem concordiæ tradimus, & ſuſtinemus in Decretis efficacibus defacto exiſtentibus in Deo; D. verò Thomam loqui de Decretis non evitabilibus à noſtra voluntate, ſed prædetermin. ex eo ſuademus; quia ex Doct. Sancto: *Deus rebus producendis modum, quo producantur prædeterminavit*: Tùm; quia ſi cum Decreto *evitabili, & impedibili* Div. Thom. Libertatem componeret: rationem conciliandi non deſumeret, ex eo, quod voluntas Dei eſt *prædeterminativa, eſt efficaciſsima, eſt agẽs fortiſsimum*; ſed potiùs *divinam voluntatem rebus volitis neceſsitatem non imponere* Probaret. Quia eſt evitabilis, impedibilis, & quia eam *cavere poſſumus*; vt facit Docta Societas, quia ea Decreta exiſtimat à nobis impedibilia in exiſtendo. Tùm; quia iam probavimus D. Th. minimè agnoviſſe Decreta Dei à nobis impedibilia, in exiſtendo, immò licèt *voluntas Dei non poſsit impediri* neceſsitatem rebus volitis non imponere, edocuit.

*Sup. à num. 927. vſque ad 34.*

*Prado ibi à num. 94.*

1020 Iam nobiſcum ſentit Dr. Prado; quod dum nobis (immò, & SS. Patribus) obijcitur principium petere cum vt ſalvemus prædeterm. coherere cum libertate, rationẽ exhibemus, ideò non pugnare cum libertate, quia illam infert, & cum illa connectitur, ſi ratio ibi ſiſtat, principium peti; quia cum connexio coherentiam includat, pro ratione cohærentiæ redditur ipſa coherentia: ſecus verò dum in connexione non ſiſtimus, ſed ex alio principio rationẽ exhibemus, ſcilicèt, ita determinare ad conſenſum, vt poſſe ad diſſenſum non auferat, vitium petitionis principij tunc non obrepere eſt certum: ſed hanc rationem aſſerit S. Thom. alioſquè SS. PP. tradidiſſe de voluntate efficaci, & gratia defacto exiſtẽtibus; non verò de gratia ex ſe efficaci, & de Decreto inimpedibili. Vnde authoritates à nobis adductæ ſpecialiter illa D. Proſperi: aſſerit, non eſſe ad rem; quia omnes fatẽtur providentiam revera exiſtentem, qua Deus *donat* voluntati libere *velle* nõ *auferre poſſe nolle*. Sed oportebat ex illo teſtimonio deducere, quod prædeterm. attinet ad providentiam revera exiſtentem, qua Deus donat voluntati libere *velle*.

*Sup. à num. 969.*

*D. Proſper. ſup. n. 981*

1021 Contra: ergo ſequimur veſtigia SS. PP. cum libertatem conciliamur cum voluntate efficaci, & gratia, per connexionem inferendi libere velle; exhibendo rationem, quia poſſe nolle non aufert:: Et dubium ſiſtit: An PP. loquantur de volũtate efficaci *impedibili*: vel de gratia *indifferenti*, & pro arbitrio volũtatis *vertibili*: Non ergo principium petimus: Et quod D. Proſper nõ loquatur de indifferenti gratia: Prob. quia ex Div. Proſp. gratia, qua Deus donat velle eſt, *quæ ſibi, quos voluit, ſubdidit*; aliàs, *voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariet opem, nõ gratia ſibi humanam ſubijciet voluntatem*: vt enim aſſerevant Epiſcopi Aphricani in Sardinia exules: *In omnibus bonis humanæ arbitrium voluntatis gratiæ Dei ſubijciant*: Et ex Auguſt. *Voluntas, quo liberior eſt divinæ gratiæ ſubiectior*. Sed gratia indifferens, vertibilis, & ex vſu arbitrij efficax, ſeù ab arbitrio determinabilis, non eſt gratia ſibi ſubijciens arbitriũ, ſed potiùs eſt arbitrio ſubiecta: ergo gratia indifferens, non eſt per quam Deus velle donat.

*D. Proſper. lib. 1. de Vocat. gent. c. 25.*

*D. Proſper. ep. ad Aug. Epiſt. Synodica ep. Aphric. de Gratia Dei, & hum. arbit. Aug. ep. 89*

1022 Addo: quia de gratia D. Paulum convertente ad Chriſtum; ita loquitur Auguſt. *Cum legas ipſum primo Saulum, poſteà Paulum ad cognoſcendam, & tuendam veritatem magna violentia Chriſti cogentis eſſe compulſum*: Et alibi: *Ecce habẽt Paulum Apoſtolũ: agnoſcant in eo priùs cogentem Chriſtum, & poſteà docentem, priùs ferientem, & poſteà conſolan-*

*D. Auguſt. epiſt. 48.*

*D. Auguſt. epiſt. 50.*

*lantem*: ſed per gratiam indifferentem ex arbitrio efficacem nequit arbitrium dici *compulſum magna violentia gratiæ Chriſti cogentis*: Ergo per gratiam indifferentem non donavit D. Paulo Deus velle.

*Sup. à num. 995.*
*P. Ramirez diſput. 7. de prædeſt. c. 2 à num. 14.*

1023 Rationes, quibus ſuperiùs probavimus carentiam prædeterm. Thomiſticæ non poſſe conſtituere libertatem: efficaces reputat noviſsimè P. Ramirez: vocando prędeterm. noſtram *ſtrictam*; licèt fateatur eſſe contra communem Societatis ſentẽtiam; immò convincitur, quod non eſſet prędeterm. *ſtricta*, ſi eius carentia libertatem conſtitueret: de alia neceſsitate antecedẽti; (quam vocat prędeterm. *latam*) quæ non habet ſimul prędicata noſtræ prædeter. eſſe, ſcilicèt, exactam, prævenientem, & mutuo cum actu connexam; aſſerit eius carentiam non *conſtitutivè*, ſed *connotativè* ad libertatem pertinere; quatenus pugnat cum alio conſtitutivo libertatis; non enim poteſt *poſitivè* probari talem carentiam libertatem conſtituere.

*P. Ramirez ibi. à n. 23.*
*Prado de Libert diſp. 6. ſect. 8. à num. 135.*

1024 Doctor Prado: attingens illa fundamenta: 1. exiſtimat facili negotio poſſe vrgeri me, vt argumẽtum diſſolvam; loquendo de *prædeterm. conſenſus eſſe tenente ex parte actu primi*: quia ſi hęc prędetermin. eſſet exacta ad conſenſum, per eius carentiam redderetur neceſſarius diſſenſus, & tamen talis carentia conſtituit poteſtatem libere diſſentiendi: Tùm etiam; quia poteſtas diſſentiendi eſt quid poſitivum: ergo per carentiam talis prædeterm. non poteſt conſtitui formaliter, & *directè*, cum ſit aliquid privativum; nec *indirectè*, ſeù *virtualitèr*, quia poteſtas diſſentiendi deberet conſtitui *formalitèr* per aliquid connexum, vel identificatum cum illa carentia: quod eſt inaſsignabile. ¶ Vnde reſpondet: prędetermin. vt à nobis ponitur eſſe neceſsitatem antecedentem, ſed chimæricam, vnde rectè à DD. Societatis vtrumquè aſſeritur, & carentiam illius conſtituere libertatem, & ex illius carentia libertatem deſtrui, quia ex ea infertur eſſe neceſſariam carentiam conſenſus.

1025 Sed in primis inſtantia parum me vrget: quia de prædeter. *exacta ex parte actus primi*, ad conſenſum aſſero, quod de qualibet neceſsitate antecedenti eſt aſſerendum; ſcilicèt, quod illius carentia non cõſtituit libertatem *directè*, & *formalitèr*, quia libertas eſt aliquid poſitivum; ad pertinere ad libertatem *connotativè*, & *arguitivè*: quia libertas conſtituitur formaliter per indifferẽtiam poteſtatis, ad oppoſita, quæ excludit connexionem poteſtatis per vim determinandi vnum ex oppoſitis. Nec prædeterm. ex parte actus primi infert actum deficere, ſed ſolũ *deficere actum eſſe neceſſariò ex illa*; Ratio: quia cum defectu illius neceſsitatis, ſtat actum exiſtere, vel libere vel neceſſariò per exiſtentiam alteriùs neceſsitatis antecedentis ab illa prædeterm. diſtinctę: ¶ Si tamen fingas prædeterm exactam ex parte actus primi eſſe *mutuo* eſſentialiter cõnexam cum actu; Tunc caſus eſt dicendum, libertatem talis actus eſſe impoſsibilem, vnde nullatenus eſſe curandum de conſtitutivis talis libertatis: Et impoſsibilitas libertatis talis actus ex eo conſtaret; quia neceſſariò exiſteret, ſi exiſteret; & neceſſariò deficeret, dum deficeret: Et PP. Societatis idem aſſerere debent in ſuis principijs de libertate actus prædeterm. licèt prædetermin. non eſſet exacta ex parte actus primi: vnde rectè impugnavi, quod nullatenus poſſunt conſtituere libertatem per carentiam prædeterm. Thomiſticę, ſeù *ſtrictè*; vt vocant, & rectè aſſerunt PP. Izquierdo, & Ramirez.

*Vide ſuprà n. 996.*

*Izquierdo, t. 2. de Deo vno, diſput. 30. q. 10. n. 492.*
*Ramirez vbi ſuprà.*

*************
*****

QVÆSTIO

# QVÆSTIO QVARTA.

## VTRVM PRÆDETERM. EXACTA AD ACTVM SALVTAREM ſervet illæſam libertatem eius, ex eo, quod poſſe ad actum non conſtituat?

1026 VT clariùs in valdè obſcuro dubio procedã, præmoneo 1. vt de verbis non contendamus, ad rem nil conducere, dum prædeterminatio adſtruatur poſſe ad actum conſtituens, quod illud conſtituat per modum virtutis, aut per modum complementi conſtituentis poteſtatem expeditam, & cõpletam. Ratio eſt; quia cum libertas non ſolùm exigat poſſe, ſed poſſe expeditum, & completum, equè erit impoſsibilis libertas ſine prædeterminatione, ſivè exacta ad poſſe, ſivè vt exiſtat poſſe expeditum.

1027 Præmoneo ſecundo: dupliciter poſſe excogitari, quod auxilium efficax, ſeù prædeterm. poſſe liberum conſtituat; ſcilicèt, vel vt conſtitutivum *exactum*, vel vt conſtitutivum *permiſſum*: eſſe conſtitutivum exactum, eſt quod nulla poſsit eſſe vera poteſtas libera, ſeù cõpleta, & expedita ad agendum, quæ non ſit per auxilium efficax conſtituta; eſſe verò conſtitutivum permiſſum eſt; quod poteſtas libera, ſeù expedita agendi poſsit conſtitui, vel per auxilium ſufficiens, quod identicè non ſit efficax; vel per auxilium ſufficiens, quod realiter, & identicè ſit efficax; ſicut enim inter duo auxilia ſufficiẽtia; v.g. A, & B, quodlibet poteſt cõſtituere poteſtatem, & neutrum eſt exactum ad eam conſtituendam; ita inter duo auxilia, vnum purè ſufficiens, & aliud ſufficiens, & identicè prędeterm. poteſt diſcurri, quodlibet poſſe poteſtatem liberam conſtituere; & neutrum eſſe exactum ad poteſtatem liberam conſtituendam.

1028 Si verò opponis: Conſtitutum neceſſariò exigere ſua conſtitutiva: ergo, & conſtitutivum poteſtatis eſt neceſſariò exactum ab ipſa poteſtate: ergo nequeunt cohærere; prædetermin. eſſe conſtitutivum poteſtatis, & non eſſe exactam ab ipſa poteſtate. ¶ Evidenter reſpondeo: Conſtitutivum poteſtatis eſſe neceſſariò exactum ab ea poteſtate, quàm conſtituit; non verò eſſe exactum ab ea poteſtate, quàm non conſtituit: vnde apud aſſerentem, quodlibet ex duobus auxilijs, vnum purè ſufficiẽs, aliud ſufficiens, & efficax, poſſe ſufficienter conſtituere veram, & expeditam poteſtatem ad actum ſalutarẽ; neutrum ex illis erit exactum, vt ſit aliqua poteſtas; quodlibet verò erit exactum, vt ſit ea poteſtas, quàm ipſum conſtituit; ſicut ex animis rationalibus A, & B, quælibet eſt ſufficiẽs ad conſtituendum hominem; neutra eſt exacta vt ſit aliquis homo, ſed quælibet neceſſariò exigitur, vt ſit homo ille, qui per ipſam cõſtituitur.

1029 Cùm verò in diſputationibus publicis ex non penetrata mẽte Doctorum gravem equivocationem accidere doleam, opere preciũ duxi, licèt alibi meam mentem expreſſerim, rationibus efficacibus, & fere inſuperabilibus munitam, ampliùs in his immorari, & ſecundã apponere manum, vt quid certum, quid

diſ-

diſputabile ſit manifeſtem; dicta non tranſcribam, ſcriptis plura ſcitu digna ſuperaddam.

1030 Plurima tamen reſolvenda ſunt ad plenam dubit diſcuſsionē. 1. An prædeterminatio ad actum ſit conſtitutivum exactum vt ſit poteſtas proxima, & expedita agendi? 2. An licèt auxilium efficax prędeterminans non ſit exactum ad poſſe, de facto poſſe conſtituat in eo, qui ſalutaritèr agit? 3. Vtrùm prędeterm. ad actum ſalutarem non conſtituat poſſe, licèt non conſiſtat in actione Dei, ſed in aliquo intrinſecè in volũtate recepto, & realiter ab actu diſtincto? 4. Vtrùm, eo ipſo, quod prędeterminatio non conſtituat poteſtatem agendi, illæſam ſervet libertatem actus, vbi; An principium cõnexum cum actu, & independens à libertate in exiſtendo auferat libertatem actus, dum non conſtituit poſſe ad actum? Quorum omnium reſolutionem per ſequentes ſectiones iam exhibeo.

## SECTIO PRIMA.

### *Prædeterminatio ad actum, nequit eſſe conſtitutivum exactum, vt ſit poteſtas proxima, & expedita agendi.*

1031 HAnc concluſionem principium ſanctum iudico, ab omnibus Catholicis Doctoribus piè ſuſceptum, ſolumquè à Janſenianis, Calvini diſcipulis, aut ſimilis farinæ hominibus peſsimè denegatum: vnde propoſitio contradicens concluſioni eſt omninò improbabilis, aut erronea, nè dicam hæreticam: Demonſtro ergo concluſionem multipliciter ex fidei principijs. Primo: eſt certum de fide, *quod ſæpè datur auxilium ſufficiens ad rectè operãdum, licèt deficiat efficax*; ſed dum adeſt auxilium ſufficiens adeſt poteſtas proxima, & expedita ad agendum, ſufficientia enim ad agendum ſine poteſtate expedita agendi ex terminis eſt inintelligibilis: ergo dum deficit auxilium efficax adeſt poteſtas proxima, & expedita ad agendum: ergo auxilium efficax, ſeù prædeterm. non eſt conſtitutivum exactum huius poteſtatis. Conſeq. evidens, cũ ex terminis ſit notum, quod nequit eſſe poteſtas, dum deficit aliquod ex conſtitutivis exactis vt ſit.

1032 Maiorem, ad quam neceſsè eſt difficultatem devolui, adverſum Janſenium tenent vt fide certam omnes Theologi, ita vt ſummo conſenſu aſſerant citra manifeſtam Hæreſim negari non poſſe, gratiam dari ſufficientem, quæ non ſit efficax; ſolùm phyſicæ prædeterminationis aſſertores appellabo, nè Janſeniani, vt ſolẽt eorum patrocinio glorientur, & primo Dominicanos, qui Hęreſis infamia notant Janſenij errorem, adducam: & ſtatim occurrit Illuſt. Fr. Petrus Tapia, Hiſpalenſis Antiſtes, Primarię Theologię Cathedræ in hac Complutenſi Academia Moderator, aſſerens: *Gratiam actualem dividunt Theologi in auxilium* ſufficiens, & efficax: *ſufficiens eſt, quod præſtat poſſe operari; efficax verò tribuit infallibiliter ipſum operari, cum effectu. Diviſio hæc colligitur ex Sacris litteris, in quibus quidem vtriuſque fit mentio, ſufficientis quidẽ ex Apoſt.* Omnia poſſum in eo, qui me confortat: *Non ait, omnia operor, ſeù facio, ſed* omnia poſſum; *quia auxilij ſufficientis eſt præſtare ſolùm poſſe, & ideò dixit*: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: *Ecce expreſsè meminit gratiæ ſufficientis, qua poſſumus piè operari, eãquè ait ex Deo eſſe, ex quibus Apoſtoli verbis Concilium Arauſicanum, & D. Thom. colligunt gratiam ſufficientem ex Deo eſſe, & hanc nemini deeſſe, quando tenetur, vel oportet operari.*

*Tapia q. 2. de Gratia, artic. 3.*

*Ad Philip. 4.*

*2. ad Cor. 3.*

*Conc. Arauſic. Can. 7. D. Thom. ad hæc verba lect. 1.*

1033 RR. etiam Ioannes à Sancto

cto Thoma, nostræ Vniversitatis Primarius Professor, quo physicæ prædeterminationi nemo addictior, Jansenianam opinionem clarè contra Sacram esse Scripturam profitetur, his verbis: *Et si clarè deducatur ex scriptura, non omnem gratiam Dei esse efficacem, vt deducitur ex illo Isaiæ.* Quid vltra debui facere vineæ meæ, & nō feci? Expectavi vt faceret uvas & fecit labruscas: *Et Matthæi*: Quoties volui congregare filios tuos sub alas, & noluisti. *Tamen Catholici Doctores gratiam illam inefficacem sufficientem appellarunt.*

*Toann. à S. Thom. in 1. 2. q. 111. disp. 24. artic. 1.*

*Isaiæ 5.*

*Matth. 23*

1034 M. Alvarez dividens auxilium insufficiēs, & efficax, ait: *Nullum Catholicum posse dubitare de illa divisione.* Concinnit M Ledesma asserens: *Certum est secūdùm fidem, quod detur hominibus auxilium sufficiens. Hoc dictum probari ex multis dictis Conciliorum, & præcipuè ex Concilio Arausicano, & ex Concilio Tridentino in quibus apertè determinatur, quod auxilium sufficiens datur hominibus: ergo hoc est certum secundùm fidem.* Coronidem imponat SS. illi divinæ gratiæ prædeterminantis defensor; M. Lemos ita pronuncians: *Dicendum divisionem hanc actualis auxilij in efficax, & sufficiens consonam, immò reipsa virtualiter, & implicite, & per equivalentia verba traddi in litteris sacris, sanctisque Concilijs, Patribus, Theologis, ac ratione ipsa Theologica apertè comprobari. De quo Bellarminus, & Archiepiscopus Tranensis qui optimè eā ex sacris litteris, Concilijs, & Patribus deducunt.* Quod solita, & mira eruditione diffusè prosequitur. Nec adiungo assensionem veterum Thomistarum Caietani, Ferrariensis, Dominici Soto, Navarrete, & Medinæ agnoscentium auxilium sufficiens ab efficaci distinctum in statu naturæ lapsæ, quia eos asciscit P. Gonet eruditè, & solidè. Adde etiam Primarios Salmantinos Bañez, & Illustrissimus Araujo.

*Alvar. dis. 21. de Auxilijs.*

*Ledesma de Auxilijs, q. vnic. art. 16.*

*Arauf. Cā. 25.*

*Trid. sef. 6. cap. 5. & c. 13.*

*Lemos lib. 4. p. 2. c. 8.*

*Bellar. lib. 1 de Gratia, cap. 11.*

*Alvar. vbi sup.*

*Gon. de Volunt. Dei, d. 4. sect. 3.*

*Bañez in 1. p. q. 23 a. 3.*

*Araujo in 1. 2. q. 111. art. 5. dub. 6 num 34.*

1035 Ex his autem defensoribus physicæ prędeterminationis, qui Dominicanis subsidio venerunt; Jansenianos condemnant. SS. Zumel asserens *articulum de divisione gratiæ insufficientem, & efficacem receptū esse ab vniversis Theologis contra Hæreticos, & contra Calvinum, & Lutherum.* Vlteriusquè supponit: *Certū esse de fide, quod datur hominibus auxilium sufficiens, quibus interdum non donatur efficax.* Quod vberrimè sacris testimonijs confirmat. Additquè: *Iuxtà sensum Calvini eiusque errorem, sequitur nullos habere gratiam sufficientem, qua possint, qui nō habeant etiam efficacem, qua vellint, vt clarè Calvinus protulit loco citato. Id autem manifestè contradicit Scripturæ, & Evangelio.* Cabrera etiam Catholicam vocat sententiam Jansenio oppositam, his verbis: *Circa hāc difficultatem, Calvinus negat auxilium sufficiens, & solùm admittit efficax. Pro resolutione veritatis sit prima conclusio. Divinum auxilium actuale convenienter dividitur in auxilium sufficiens tantum, quo scilicèt possit operari homo, & in auxilium efficax, quo defacto operetur. Hæc conclusio est Catholica.* M. Lorca Cisterciensis Religionis immortale decus, & nostræ Vniversitatis Primarius in Cathedra Scoti Professor, ita scribit: *Vltima divisio est in gratiam sufficiētem, & efficacem, quæ hoc tempore in Scholis celebris est propter exortas cōtroversias cum recentioribus Hæreticis. Hæc gratiæ divisio apertè constat ex Augustino. Et probatur, quia esse gratiam sufficientem constat, cum fides doceat, non posse hominem præstare plurima, nisi gratiæ auxilio instructum.* Illustrissimus denique Ludovicus Montesino, nostræ Primariæ Sacræ Theologiæ D. Thomæ Cathedrę in hac Complutensi Academia Moderator, *de divisione gratiæ in sufficientem, atque efficacem* disputans, asserit: *Receptissima est hæc divisio ab omnibus Catholicis*, quam deindè

*Zum. 1. 2. disp. 4. de Auxil. effi. sect. 1.*

*Calvin. l. 2. inst cap. 3. sect. 10. & lib. 3. c. 24. sect. 15. & 16.*

*Cabrera in 3. p. q. 18. art. 4 dub. 3.*

*Lorca de Grat. disp. 17.*

*August de Corrept. & Grat. c. 11. & 12.*

*Montes. q. 111. disput. 31. q. 5.*

*Calvin. vbi ſuprà.*

probat pluribus Sacræ Scripturę, & Auguſt. teſtimonijs; advertitque erraſſe Calvinum, *dum aſſerit ſolos prædeſtinatos illuminari à Deo illo lumine, quod præbet facultatem ad ſalutẽ, hoc enim ex teſtimonijs ſcripturæ adductis refutatur. Auxilium itaque ſufficiens non ſolùm prædeſtinatis, ſed etiam reprobis, non ſolùm ijs, qui reſpondent, ſed etiam ijs, qui reſiſtunt, tribuitur, & per huiuſmodi auxilium, aut gratiam ſufficientẽ ſuſcipit aliquis facultatem ad operandum, quæ conducunt ad ſuam ſalutẽ.* Nil expreſsius.

1036 Vnde Janſenianus error, negans in ſtatu naturæ lapſæ gratiam interiorem, quæ poſſe verùm ad ſalutaritèr agendum exhibeat, & non ſit efficax, ex Calvino fuit depromptus; vt ex Theologis citatis conſtat, & ſolita eruditione demonſtrat P. Decamps; & non ſemel in hoc opere prę monui. Præter verò evidentia teſtimonia Scripturæ, Conciliorum, & PP. quibus probavi gratiam interiorem reſiſtibilem, & cui defacto ſæpiùs reſiſtitur, quæ ſimiliter gratiam interiorem purè ſufficientem cõvincunt; præterquè rationes ex Sacris litteris deſumptas, & adductas à prę citatis Theologis, eandem fidei veritatem ampliùs comprobare non gravabor.

*P. Decamps lib. 1. diſp. 8 cap. 2. Sup. à n. 10. & n. 766. Sup. à num. 531. vſquè ad 553. Arauſ. 2. Can. 25.*

1037 Primo: Arauſicanũ enim Concilium, ſic decrevit: *Hoc ſecundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia omnes Baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſsint, & debeant, ſi fideliter laborare vellint, adimplere.* Ex quibus verbis, ait Bellarminus: *Sequitur omnes iuſtificatos habere auxilium ſufficiens ad perſeverandum*, ſi enim accepta iuſtificante gratia non haberẽt auxilium ſufficiens, non poſſent, immò nec deberent, quæ ad ſalutem pertinent adimplere.

*Bellarm. de Grat. & Libero Arbit. cap. 11.*

1038 Secundo: Tridentina Synodus, damnans Lutheranorum, & Calviniſtarum errorem aſſerentium, neminem poſſe ſine temeritate perpetuę continentiæ votum emittere; quia gratia ad illud obſervandũ neceſſaria non ſemper adeſt; & votum reſcindi, ita vt ad matrimonium teneatur, ſi quis experitur ſibi talem gratiam deeſſe; ita decernit: *Si quis dixerit, poſſe omnes matrimonium contrahere, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam voverint, habere donum, anathema ſit; cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos, ſupra id, quod poſſumus tentari.* Quibus in verbis, omnibus, qui ſe continentiæ voto adſtrinxerũt auxilium ſufficiens gratiæ ad eã ſervandam, Concilium concedit: cum ideò decernat matrimonium non eſſe licitum continentię voto devictis, licèt non habeant caſtitatis donum, quia Deus rectè petentibus eum non denegat; vnde ſupponit omnes habere auxilium ſufficiens ad rectè petendum, aliàs argumentum Hæreticorum in ſua vi maneret, intenderent enim, quod poſſent nuptias contrahere, qui ſentirent ſe non poſſe donum caſtitatis *rectè petere*, & cum alteram rationem adiungit ex eo, quod *Deus non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus*, pro explorato habet, omnes perpetuam caſtitatem Deo offerentes obtinere auxilium ſufficiens ad reſiſtendum tentationibus, aliàs Deus pateretur eos tentari ſupra id, quod poſſunt.

*Tridẽt. Seſſ. 24. cap. 9.*

1039 Addo SS. Alexandrum 8. in ſua Conſtitutione nuper edita dãnaviſſe hanc propoſitionem: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm vtilis, quàm pernitioſa eſt, ſic vt proindè meritò poſsimus petere, à gratia ſufficiente libera nos Domine.* Quàm inter alias Theſes publicè tuendam propoſuit Ioannes Sinichius, Doct. Lovanienſis die 16 Octob. an. 1649. vt refert Eminentiſ. Aguirre in ſuo doctiſsimo tertio tomo Theologiæ

*Alex. VIII. Gen. Inqui. Roman. die 7. Decemb. ann. 1690.*

*Aguir. diſ. 124 ſect. 1.*

S.

S. Anſelmi, de natura lapſa. Non ſolùm igitur definivit Eccleſia gratiã ſufficientem nõ eſſe pernitioſam ſtatui lapſus noſtro, ſed eſſe vtilèm; nullaque eius vtilitas eſt niſi quatenus nobis præſtat poſſe ad ſalutariter agendum, ſicut, & exhibuit Adamo in ſtatu naturæ ſanę ad perſeverandum: qualitèr enim gratia ſufficiens erit vtilis; ſi non tribuit aliquem effectum voluntati? Non donat velle bonum, aliás efficax foret: ergo tribuit poſſe velle bonum: ergo omninò certum eſt, quod per ſufficientem gratiam, licèt deficiat efficax, poſſe ſalutariter operari, ſufficienter conſtituitur, & exinde gratiam efficacẽ non eſſe exactam ad talem poteſtatem conſtituendam.

*Trid. ſeſſ. 6. cap. 11.*

1040 Secundo principale aſſumptum prob. declaratum eſt à Sacroſancta Tridentina Synodo, quod *Deus impoſsibilia non iubet*, adverſus Lutherum aſſerentem: *Quicumque negat Deum impoſsibilia iuſſiſſe, peſsimè facit*; quem Theologi Lovanienſes tunc damnarunt iuxtà illud celebre S. Hieronymi proloquium: *Qui dixerit Deum præcipiſſe impoſsibilia, anathema ſit.* Vnde Sancto Baſilio affirmanti: *Impium eſt aſſerere Spiritus S. præcepta eſſe obſervatu impoſsibilia*; & S. Auguſtino aſſerenti: *Firmiſsimè creditur Deum bonũ, & iuſtum impoſsibilia non potuiſſe præcipere*: Omnes Catholici ſummo conſenſu ſubſcribunt; ideòque iuſtiſſimè SS. PP. S. Pius V. & Gregorius XIII. damnaverunt Baianum Dogma: *Definitiva hæc ſententia: Deum homini nihil impoſsibile præcipiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cum Pelagij ſit.* Si enim præcipi poſſent, quæ adimpleri non poſſunt, ex præceptis ineptè noſtra libertas à neceſsitate convinceretur; cuius oppoſitum vt fide certum docuimus alibi.

*Lutherus in confutatione rationis. Latom. fol. 227.*

*S. Hiero. ep. ad Damaſ. S. Baſil. orat. in illud attende tibi. Aug. de Natu. & Grat. cap. 69. Pius V. & Greg XIII. in Baium.*

*Sup. à num. 75.*

Nec valet recurrere: quod præcepta ſunt poſsibilia, quatenus ſemper adeſt potentia remota ad ea obſervanda in voluntate conſiſtens. ¶ Quia hoc effugium Janſenianum eſt, ex Hæreticis depromptum, vt convincit P. Decamps, & alibi demonſtratum relinquo. ¶ Nec Doctores refero ad hanc veritatem confirmãdam, quia in ea ante Janſenij ortum vniformes conſpirarunt Theologi omnes; ſolùm adducam Anteceſſorẽ meum Illuſt. Ludovicum Monteſino, quem Complutenſis Academia, vt Theologorum ſuorum Principẽ veneratur, exprofeſſo probantem, *omnia præcepta Decalogi eſſe poſsibilia adimpleri, contra Hæreticos.*

*Decãps lib. 1 diſp. 6 c. 4 Sup. à num. 174.*

*Monteſino q. 109. art. 3. q. 7. ſect. 2.*

1041 Ex hoc ergo fidei principio, ita collige: *Deus impoſsibilia nõ iubet*: ergo dum præceptum obligat res præcepta eſt poſsibilis, aliàs impoſsibile à Deo pręciperetur, ſed ſępiùs præceptum obligat, & deficit auxilium efficax ad rem præceptam, id enim accidit ſemper, quod præceptum obligans non adimpletur: ergo deficiente auxilio efficaci ad rem pręceptam eſt poſsibilis res pręcepta: ergo, & eſt poteſtas proxima, & expedita ad ipſam, non enim eſt mihi poſsibile, quod expedite non poſſum. ¶ Alitèr: de fide eſt, homini iuſto præcepta Dei non eſſe impoſsibilia, nec ei deficere gratiam, qua poſsibilia fiant; Innocentius enim X. declaravit Hæreticam hanc Janſenij propoſitionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & cõnantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſsibilia, deeſtquè illis gratia, qua poſsibilia fiant*; ſed hominibus iuſtis ſæpè deeſt gratia efficax ad obſervanda aliqua Dei præcepta, immò, & ſemper quando amittunt iuſtitiam peccando: ergo gratia efficax non eſt exacta, vt poſsibilia fiant præcepta Dei: ergo nec eſt exacta, vt ſit poſsibilis res pręcepta, aut ad eã ſit poteſtas; quia eſſe præceptum mihi poſsibile eſt me habere poteſtatem ad id, quod præcipit.

*Innoc. X. in Conſtit. quæ incipit: Cũ occaſione.*

*Propoſ. 67. in Baium damnata. Trid. Seſſ. 6. Can. 6.*

1042 Tertio probatur concluſio: Hæc propoſitio fuit à Summis Pontificibus adverſum Baium proſcripta: *Homo etiam damnabiliter peccat in eo, quod neceſſariò facit.* Immò, & Hæretica iudicari debet, cum Tridentina Synodus decernat: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, anathema ſit.* Vt Calvinum damnet; aſſerentem: *Calvin. lib. 2. inſt. cap. 5* *Nego peccatum, ideò minus imputari debere, quod neceſſarium ſit.* Cùm neceſsitate enim compoſuit peccatum impius Hęreſiarcha propter rationē, quàm poſteà arripuit Janſenius, quia ſcilicèt, talis neceſsitas *non ex creatione, ſed ex naturæ corruptela* per originale peccatū promanabat; vnde de fide eſt, omnia peccata eſſe in noſtra poteſtate, quatenus poſsimus nō peccare, quia ea ſolùm in noſtra poſtate habemus, quæ non ex neceſsitate agimus; vt alibi fundavi. ¶ Immò, & lumine rationis notam iudicavit eandem veritatem Auguſtinus, *Sup. à num. 81.* *Aug. lib. de duab. anim. cap. 11.* qui poſtquàm peccatum definivit: *Voluntatem retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vndè liberū eſt abſtinere.* Statim ſubijcit: *Nec libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem neminem vituperatione, ſuppliciovè dignum, qui id vellit, quod iuſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt. Nonnè iſta cantant, & in montibus Paſtores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.*

1043 Nec vim cenſuræ effugies, aut declinare præſumas, aſſerēdo cum Janſenio, quod licèt in hoc ſtatu non ſit libertas à neceſsitate peccandi, peccata ſunt verè libera libertate Adami peccantis, quia ex illo peccato noſtro, & ab omni neceſsitate immuni ortum duxit impotentia non peccandi, ſeù peccandi neceſsitas, qua præmimur in ſtatu lapſus, ¶ Quia hoc effugium alibi caſtigatum, vt multis flagitijs plenum, iam audiri non poteſt, cum SS. Alexander VIII. noviſsimè damnet hanc propoſitionem: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & demeritū ſufficit illa libertas, qua voluntariū; ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* *Sup. à num. 74.* *Propoſ. 1. dāmata ab Alex. VIII die 7. Dec. ann. 1690.*

1044 Ex hoc ergo fidei principio demonſtratur concluſio: omnis homo lapſus peccans habet poteſtatem expeditam non peccādi; ſed nullus homo lapſus peccans habet gratiam efficacem ad non peccandū: ergo non habens gratiam efficacem ad non peccandum habet poteſtatē expeditam non peccandi: vnde gratia efficax non eſt exacta, vt ſit talis poteſtas. Diſcurſus eſt rectus: Mai. eſt de fide: Min. eſt ex terminis nota, quia efficax gratia ad non peccandū cum effectu præſtat non peccare, vnde nemo peccans talem gratiam habet. ¶ Alitèr: *Ad demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiritur in homine libertas à neceſsitate, & non ſufficit libertas à coactione*: vt definivit Innocent. X. adverſus Janſeniū Calvini ſubſcriptorem: ergo vt quis peccet eſt exacta libertas à neceſsitate peccandi: ergo, & eſt exacta poteſtas expedita ad non peccandum: Solùm enim eſt quis liber à neceſsitate peccandi dum poteſt non peccare; cum ex terminis impotentia non peccandi ſit peccandi neceſsitas; ſed vt quis peccet non exigitur auxiliū efficax ad non peccandum, nil enim exigit vt ſit id cum quo pugnat, & peccatum pugnat cum auxilio efficaci ad non peccandum; tale enim auxilium eſt connexum cum peccati defectu: ergo poteſtas expedita non peccandi minimè exigit auxilium efficax ad non peccandum. *Propoſ. 3. in Ianſ. ab Innoc. X. de fin. in Bulla quæ incipit Cū occaſione.*

1045 Vltimo deniquè probatur concluſio: De fide eſt, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando

do resisti, cum sit ab Innocentio X. vt Hæritica proscripta hæc propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*; quod exprofesso aliquando demonstravi. ¶ Certùm omninò etiam est, quod voluntas dum resistit interiori gratiæ libere operatur: tùm, quia resistit ei culpabiliter, & ideò resistentia increpatur, vt constat ex increpatione Iudæis à D. Stephano facta, *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*; & est de fide, vt immediatè anteà ostendi, non posse esse sine libertate peccatum: tùm, quia Sacrosancta Tridentina Synodus, vt libertatem contra Hæreticos definiat, *Voluntatem posse abijcere inspirationem: & posse dissentire Deo excitanti, atque vocanti* statuit, quod ineptè faceret, si voluntas libere non posset inspirationem abijcere, aut Deo excitanti, atque vocanti dissentire.

*Prop. 2. damnat. ab Innocent. X. Sup. è num. 531.*

*Actor. 7.*

*Trid. Sess. 6. cap. 5. & Canon 4.*

1046 Ex hoc principio fidei ita disputo: dum voluntas interiori gratiæ resistit libere adest vera libertas, seù potestas non resistendi, aut ei cõsentiendi; sed dum voluntas resistit non adest gratia efficax ad consentiendum, cum dum adest sit consensus, & voluntas non resistat gratiæ cũ ei consentit, vt est notum: ergo est potestas expedita consentiendi, dum non adest gratia efficax: ergo gratia efficax non est constitutivum exactũ potestatis: Alitèr: Datur gratia interior, cui voluntas aliquando resistit, sed gratiæ efficaci, seù prædeterminanti danti velle bonum, qua Deus facit, vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus nunquam volũtas resistit, vt est notum: ergo datur gratia interior, quæ non sit efficax, seù prædeterminans: immò, & quæ non sit coniuncta, sed separata à prædeterminatione; quod eadem demõstratione convincitur: quia gratia interior resistentiæ sui coniuncta est ab efficaci separata, quę enim prædeterminationi coniungitur, & non resistentię. Pergò; sed gratia interior, quæ est separata ab efficaci dum ei resistitur pręstat verùm posse velle bonum, & veram libertatem salutariter operandi: ergo talem potestatem, seù libertatem non constituit gratia efficax, seù prædeterminans. Prob. Min. Si dum adest gratia interior sine efficaci non esset vera libertas, & potestas ei consentiendi nulla esset culpa ei resistere, aut eam abijcere: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modò cauerì potest?* Cùm *peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quod facere nõ potuit flammæ iniquitatis sit, & insaniæ*, exclamante Augustino; sed gratiæ interiori dum resistitur culpabiliter resistitur, & ideò Deus increpat contemnentes eius gratiam, seù *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis*: ergo.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 18. Aug. lib. de 2 anim. cap. 12.*

*D. Paul. ad Roman. 2.*

1047 Duo superaddo 1. Authorem quendam scribentem de iustitia originali asseruisse in hoc statu lapsus, nullum esse adiutorium gratiæ, nisi *quò*, seù efficax exactum per modum virtutis ad actus salutares; licèt tale adiutorium medicinale distingueret à prædeterminatione, quam non per modum virtutis, sed applicationis subordinantis causam secũdam primę adijciebat; & incidisse in Jansenij damnatos errores, coactũque fuisse negare auxilium verè sufficiens in hoc statu, quod efficax non esset; vnde librum iustissimam censuram promeruisse, prohibendũque censuisse Supremum fidei Hispaniarum Tribunal; in quo Consule RR. Thyrso: iterùmque damnatum fuisse ab Vniversali Romana Inquisitione refert Emin. Aguirre ex auditu.

*Thyrso t. 1. disp. 17. per 22. sectiones Aguirre t. 3. dis. 130. sect. 3.*

1048 2. Nullum ex Thomistis asserere prædeterm. esse necessariò exactam ad posse salutaritèr agere, cum vt de fide certum edoceant auxilium verè sufficiens etiam dum deficit efficax, vt constat ex Alvarez, Zumel, & Ledesma iam adductis, & ex

*Alvarez, Zumel, & Ledesma, vbi suprà, num. 1034. & seq.*

Salmāt. vbi infrà.

ex PP. Salmanticenſibus ſtatim adducendis, qui referuntur pro ſententia adſtruente prædeterm. ex parte actus primi, cum eorum mens longiſſimè diſtet à Janſenij errore vt ex ſect. ſequenti conſtabit impugnando eorum ſententiam.

Nec loquutio affirmans, prædeterm. eſſe complementum actus primi, obſtat; quia aliud eſt eſſe complementum actus primi; aliud exigi, vt actus primus in ſua linea ſit completus; operatio ſalutaris, ſeù actus ſecundus eſt complementum actus primi, ſed non exigitur, vt actus primus ſit in ſua linea completus, prædetermin. ergo ſolùm poteſt vocari complementum actus primi, quatenus actum primum complet, & perficit, dum ipſum ad actum ſecundùm reducit; in quo ſenſu aſſerit D. Thomas: *Complementum virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi.* ¶ Vnde illis non aſſentior, qui prædetermin. vocant motionem virtuoſam, cum nullatenus ſit exacta, vt virtus cauſæ, quàm ad agendum movet, ſed integram virtutem ſupponat; ſi verò inſiſtant poſſe vocari motionem virtuoſam, quia virtutē applicat, non quia eam det, erit quæſtio de nomine, neque in hoc implicabimur. ¶ Ingenuequè fateor me maiorem proprietatem ſępiùs deſiderare in modo loquendi aliquorum aſſerentium prædeterm præſtare vires, aut virtutem voluntati; & inferentium neceſsitatem prædetermin. quia exigitur, vt voluntas contineat exiſtentiam, & actualitatem operationis.

D. Th. 3. cōtra gent. c. 66. art. 4.

## SECTIO SECVNDA.

### *De facto auxilium identicè prædeterminans in eo, qui ſalutariter agit non conſtituit poſſe agere.*

Salm. tract. 14. de Grat. diſp 7. dub. 6. n. 331.

1049 SAp. PP. Salmāticenſes ſupponentes auxilium ſufficiens poſſe non eſſe efficax, & ab efficaci realiter ſeparari, immò de facto Iudam habuiſſe auxiliū ſufficiens præſtans vltimum poſſe ad exiſtentiam, & actualitatem operationis, licet Deus illum efficaciter ad cōverſionem non præmoviſſet: vbi vt evidens ſupponunt gratiam efficacem non eſſe exactam ad conſtituendam poteſtatem proximam operandi. ¶ Aſſerunt 1. In eo, qui convertitur neceſſe non eſſe duo auxilia realiter multiplicare, quorum vnum ſit ſufficiens, & aliud efficax, cum ſufficiat Deum imprimere vnicam realitatē, quæ eminenter habeat vtriuſque auxilij rationes, quæque præſtet vires, & moveat: *Quia non magis præiudicat libertati* (aiunt) *vnum auxiliū, quod ſimul eminenter ſit ſufficiens, & efficax; quam præiudicarent duo auxilia, quorum vnum eſſet præciſsè ſufficiens, & aliud præciſsè efficax.* ¶ 2. Aſſerunt poſſe rationabiliter dubitari; An ſit poſsibilis caſus in quo auxilium efficax nullas præſtet vires, ſed præciſsè moveat? Nam ſatis veriſimile apparet, non poſſe Deū movere efficaciter creaturâ ad agendum, quin eo ipſo, & eodem, vt ſic dicamus, impulſu eam conſtituat cōplete potentem ad actualitatem, & exiſtentiam operationis; licet autem concedatur id non repugnare, nihilminùs de facto, & ſecundùm communem providentiam non ita contingere, cum vna realitas auxilij poſsit ſimul obire munera auxilij dantis poſſe, & auxilij moventis ad actum; vnde ſecundùm 1. munus dantis vires ad exiſtentiam, & actualitatem operationis eſt illud auxilium complementum actus primi; ſecundùm verò aliud munus determinandi, movendi, & applicandi non eſt virtus, nec ſe tenet ex parte actus primi, ſed eſt mera reductio, ſeù applicatio virtutis.

Salmant. vbi ſup. n. 332.

Salm. diſp. 5. dub. 6. n. 125.

1050 Eandem ſententiam defendunt: M. Alvarez aſſerens, idem auxi-

Alvar. de Auxil. diſp. 73. num. 4.

auxilium in peccatore ſubito adDeũ perfectè conversò eſſe formaliter efficax,& eminenter ſufficiens, & SS. Lemos,dum gratiæ adiuvãti tribuit, & præſtare vires,& prædeterminare, immò auxilium ſufficiens, & efficax in conſentiente non diſtingui realiter expreſsè affirmans. Subſcribenteſquè ei referunt PP. Salmanticenſes,Navarrete,Ledeſma,Zumel,Nazarium,& M Ioannem à SanctoThoma : Quam ſententiam ita diffuſè propoſui,vt conſtet, ita diſtare à doctrina (ſi fas eſt eam ita vocare) in ſect. antecedenti impugnata; quam quod maximè. Diverſiſsima enim ſunt; auxilium ſufficiens ſemper eſſe efficax; ac auxilium ſufficiens poſſe aliquando eſſe identice efficax; primum eſt indubie omninò falſum; ſecundùm eſt probabile; ſimiliter omninò certum eſt auxilium efficax nõ eſſe exactum ad conſtituendam poteſtatem proximam rectè operandi: non autem ęqualem certitudinẽ obtinet,quod auxilium efficax in conſentiente non ſit identicè ſufficiens, & exinde,quod non conſtituat poteſtatem ſalutariter operandi, quoad munus præſtandi vires,licet nõ quoad munus applicandi; cum contrarium edoceant tot Sap. Magiſtri.

*Lemos t. 4. p. 2. c. 4. n. 91. & c. 9. fol. 33. Salm tract. 3. de Peccat. diſp 5. num. 37. Ledeſma de Auxil. art. 13. fol. ad 7. pag. 286. Zumel variar. diſp. d. 5. ſect. 1. conc. 4. Navarr. t. 2. in 1. p. cõtrov. 9. ſ. 1. Naz. 1. p. q. 62. artic. 2. conclu. 7. Ioann. à S. Tho. t. 2. in 1. 2. diſp. 24 art. 3. fol. ad 4.*

1051 Veram tamen iudico oppoſitam ſententiam; vnde aſſero auxilium efficax prædeterminans, non ſolùm non eſſe exactum ad cõſtituẽdam poteſtatem proximam ſalutariter operandi; ſed nec poſſe eſſe identice ſufficiens,nec conſtituens poteſtatem illam adhùc in conſentiente. Ita tenent iam communiter Thomiſtæ diſtinguentes realiter in conſentiente auxilium ſufficiens à prędeterminatione hancquè abſolutè excludentes adhùc in conſentiente ab actu primo; ita Gonet,Palanco noviſsimè,& alij,quorum album nõ congero,nè prolixus fiam.

*Gonet de Voluntate Dei diſp. 4. ſ. 3. Palanco de Provid. q. 15. fol. 343.*

1052 Et in aſſerti confirmationem primo Sacroſanctam Tridentinam Synodum produco definientẽ, peccatores ad iuſtificationem diſponi libere gratię aſſentiendo, & cooperando, *ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem,neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens quippè,qui illam abijcere poteſt.* Quibus verbis libertatem extinctam nõ eſſe in ſtatu lapſus per poteſtatẽ abijciendi inſpirationem expoſſuit; ſimiliterquè eam exprimit per poteſtatem diſſentiendi Deo excitanti in eo,qui gratiæ cooperatur, dum ita decernit: *Liberum arbitrium motũ, & excitatum à Deo cooperatur aſſentiendo Deo excitanti,atque vocanti,ita vt poſsit diſſentire, ſi vellit.*

*Trid. ſeſſ. 6. cap. 5.*

*Trid. ſeſſ. 6. Can. 4.*

1053 Ex primis Concilij verbis,ita diſcurro: homo ita agit *recipiens inſpirationem* Dei,hoc eſt eam acceptando,ſeù ei conſentiendo, vt *illam abijcere* poſsit; ſed homo conſentiens inſpirationem, quę ſit identice prædeterminatio,& efficax gratia,abijcere non poteſt: ergo adhùc in eo,qui conſentit inſpiratio non eſt identice gratia efficax, ſeù prędeterminatio.Mai.conſtat ex verbis Concilij. Min.prob. Poteſtas abijciendi inſpirationem non eſt poteſtas impediendi ne exiſtat, detur vè nobis à Deo; quia cum inſpiratio exiſtat ante omnem noſtræ libertatis vſum, eius exiſtentia non humano, ſed divino tantum ſubditur arbitrio; poſſe igitur inſpirationem abijcere eſt poſſe eam fruſtrare, ea abuti,ei refragari; poſſe enim abijcere eſt poſſe id, quod eſt abijcere, & abijcere nil aliud eſt,quam contemnere,fruſtrare, aut abuti, ſed homo conſentiens non poteſt fruſtrare inſpirationem, quæ ſit identice prędeterminatio, nec ea abuti,aut ei refragari: ergo. Prob. Min. Poſſe fruſtrare inſpirationem, ea abuti,aut ei refragari eſt poſſe cõponere fruſtrationem,abuſum,& reſiſtentiam cum ea inſpiratione; *fruſtrare* enim,*abuti*,aut *reſiſtere*, ſunt ter-

*Sup. à num. 554.*

termini, qui eſſentialiter explicant ſenſum compoſitum cum fruſtrato, abuſo, & reſtito; tùm, quia ita plurimis rationibus aliquando firmavi, nec diſſentiunt Sap. Salmanticenſes: tùm, quia ex terminis oppoſitis clarè colligitur *adijcere, adhærere, conſentire, & acceptare* ſenſum compoſitũ ſignificant cum eo, cui adijcimus, adhæremus, conſentimus, aut quod acceptamus. Tùm, quia nemo fruſtrat abijcit, aut otioſa reddit ſubſidia, aut auxilia, quæ non obtinet; nemo diſſentit perſuaſionibus, aut inſpirationibus non exiſtentibus, nullus tandẽ reſiſtit motioni, impulſui, aut inimicis poſsibilibus. Sed nemo poteſt cõponere fruſtrationem, abuſum, aut reſiſtentiam cum inſpiratione, quæ ſit identice prędeterminatio: ergo.

*Salm. tract. 14. diſp. 7. dub. 4. ſect. 10.*

1054 Prob. hanc Min. Componere abuſum, fruſtrationem, aut reſiſtentiam cum inſpiratione, quæ ſit prędeterminatio eſt componere fruſtrationem cum prædetermin. quidquid enim componitur cum A, debet coëxiſtere omni identificato A, cum enim neceſsè ſit identificata coëſſe, quidquid vni coëxiſtit cum omnibus ei identificatis extat. ¶ Vel alitèr: fruſtratio coëxiſtens inſpirationi, quæ eſt prędeterm. coëxiſtit inſpirationi, quæ non poteſt exiſtere, quin extet prędetermin. nil enim poteſt extare, quin extet idipſum, quod eſt; ſed quidquid coexiſtit A, quod non poteſt extare ſine B, coexiſtit B: ergo. Pergo: ſed chimæra eſt componere fruſtrationem, abuſum, aut reſiſtentiam cum prædetermin. ergo, & cum inſpiratione, quę ſit prędeterm. vnde ad hanc coexiſtentiam nulla erit poteſtas vera, nec antecedens, quia hæc nequit ad chimæram terminari. Prob. Min. Quia impoſsibile eſt coeſſe fruſtrationem, aut reſiſtentiam cum forma eſſentialiter irreſiſtibili, & infruſtrabili, qualis prædetermin. ſupponitur. ¶ Alitèr: fruſtratio coexiſteret prædetermin, coexiſtendo conſenſui, vel non cõexiſtendo conſenſui? Vtrumquè eſt chimæra. 1. Quia fruſtratio, ſeù diſſenſus coexiſteret conſenſui, cum quo eſſentialiter pugnat. 2. Quia prædeterm. non coexiſteret conſenſui, cum quo eſſentialiter connectitur.

1055 Ex alijs Sacri Concilij verbis, ita inſurgo: *Liberum arbitriũ motum, dum cooperatur aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti poteſt diſſentire, ſi vellit*, vtique Deo excitanti, & vocanti, cui aſſentit; ſed arbitrium nulla vera potentia poteſt diſſentire Deo excitanti excitatione, ſeù inſpiratione, quæ ſit identice prędetermin. ergo adhùc dum arbitrium cooperatur inſpiratio Dei non eſt identice prædetermin. Prob. Min. diſſentire excitationi, quæ ſit prædetermin. eſt ex terminis impoſsibile, ſeù includens contradictionem: ergo ad ita diſſentire nulla poteſt eſſe vera poteſtas. Conſeq. conſtat; quia ſolùm verè poſsibile terminat poteſtatem veram. Antecedens probat. arbitriũ diſſentire excitationi eſt componere diſſenſum cum tali excitatione; vt oſtenſum manet; ſed eſt impoſsibile componere diſſenſum cum excitatione, quæ ſit prędeterm. quia eſt impoſsibile prædeterm. ſeparari à conſenſu, & diſſenſum componi cum conſenſu: ergo.

*Trid. ſeſſ. 6. Can. 4.*

1056 Dices 1. Quod licet Sac. Concil. concedat arbitrio dum conſentit poteſtatem abijciendi inſpirationem, & diſſentiendi excitationi, eſt dum inſpiratio excitans eſt auxilium purè ſufficiens, vt poteſt; non verò tollit, quod detur inſpiratio excitans, quæ ſit efficax, quam nec arbitrium poſsit abijcere, nec ei diſſentire.

1057 Sed hoc non tàm eſt ſolvere, quàm non penetrare vim argumenti; vnde inſiſto: Concilium aſſerit arbitrium poſſe abijcere inſpirationem, & ei diſſentire, dum ea excitatum conſentit; ſed non poteſt arbi-

bitrium abijcere inſpirationem, quę ſit identice efficax: ergo inſpiratio, qua excitatur conſentiens non eſt identice efficax. Prob. Min. Concil. docet hominem poſſe *inſpirationem illam abijcere*, vt evinceret, quod, *qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur*; ſicut anteà dixit: ſed ineptum argumẽtum eſſet, ſi homo non poſſet abijcere inſpirationẽ illam, qua excitatur dum conſentit: hæc enim eſſet argumentatio Concil. *Homo conſentiens poteſt abijcere aliam inſpirationem diſtinctam ab ea, qua excitatur: ergo libere aſſentiendo gratiæ, qua tunc excitatur ad iuſtificationem diſponitur*: Quam inefficacem eſſe quis non videat? Ergo de ea inſpiratione, cui aſſentiendo homo diſponitur ad iuſtificationem affirmat Concilium abijcibilitatem; quod clarè indicant illa verba *quippè, qui, & illam*: ergo *illam*, & non tantum aliam abijcere poteſt.

1058 Accedit, quod ſi adhibita explanatio ſubſiſteret, licet inſpiratio eſſet neceſsitans, vt deliravit Jãſenius, ex Sacro Concilio falſitatis non convinceretur. Aſſumptum probo 1. Quia ſicut eſt inabijcibilis inſpiratio neceſsitans, ita, & prædeterm. eſſe enim inſpirationem inabijcibilẽ per diſſenſum procedit ex ipſius eſſentiali connexione cum conſenſu, & æquè eſt connexa cum conſenſu inſpiratio ipſum prædetermin ac ad ipſum neceſsitans: Vnde ita diſputo; vel inſpiratio ea, qua excitatur conſentiens eſt abijcibilis, vel non? Si 2. ergo ex eius abijcibilitate nequit colligi in Janſenium non eſſe neceſſitantem, vt hucuſquè accuratè Catholici contenderunt. Si primum, ergo ea inſpiratio non eſt prædeterm. cum hoc prædicatum etiam pugnet cum abijcibilitate. ¶ 2. Quia fortè verisimilius ſalvat Sacr. Concil. mentem inſpiratio, licet neceſsitans, quã prædetermi. ſicut eam temperat Vincentius Lenis; quia inſpiratio prædeterm. ſolùm concedit arbitrio eam poteſtatem abijciendi inſpirationẽ, quam Concilij verba expoſcunt, quę ſit poteſtas abijciendi aliam inſpirationem, quę non eſſet efficax, & adeſſet ſi voluntas non conſentiret; Lenis verò concedit poteſtatem abijciendi ipſammet inſpirationem neceſsitantem; fatetur enim, quod in pugna ſpiritus, & carnis, ſi maior torrens carnalis voluptatis irruat ad eã voluntas ſe convertet; & ab inſpiratione per diſſenſum ſe avertet; vnde Lenis ab omnibus reiectus, vt deprabator Sacri Concil. ſtatuit poteſtatẽ abijciendi *illam* inſpirationem pro caſu, quo non ſit neceſsitans, dum ſolutio ſolùm admittit poteſtatem abijciendi, aliam inſpirationem, quæ non ſit efficax, non verò *illam*, qua conſentiens excitatur. *Lenis, lib. 2. cap. 7. ſect. 1.*

1059 Dices 2. ex PP. Salmant. verùm eſſe ex Sac. Concilio conſentientem poſſe abijcere illuminationem, & inſpirationem, diſſentirequè Deo excitanti; tamen ex hoc ſolùm colligi, actus illos indeliberatos, quibus excitatur conſentiens nõ eſſe identice prædeterminationem; ſed nec eſſe auxilium ſufficiens; quia hoc conſiſtit in qualitate fluida diſtincta ab illis actibus, & habitibus ſupernaturalibus, præſtante vires ad exiſtẽtiam, & actualitatem operationis voluntati, & indiſtincta realiter ab auxilio efficaci prædeterm. dum volũtas conſentit; de quo auxilio, nec affirmatur à Sac. Concilio abijcibilitas, nec poteſtas in voluntate ei diſſentiendi. *Salm. diſp. 5. de Gratia actuali, dub. 5. & 6. n. 125.*

1060 In hac ſolutione extat ſentẽtiæ oppoſitæ probabilitas; quia omninò falſum iudicarem, inſpirationem, & illuminationem Spiritus Sãcti, qui ſunt actus indeliberati, quibus excitamur ad bonum eſſe iden-

ticè auxilium efficax prædeterm. & habere eſſentialem connexionem cũ actu deliberato ſalutari; vnde enim proveniret ijs actibus neceſſaria iſta connexio? Immò, & anſam præberet Lutheri caſſo, & damnato errori aſſerentis, motus indeliberatos ex cœno concupiſcentiæ emergentes, quibus *abſtractus, & illectus* homo tentatur ad malum eſſe connexos cum conſenſu peccaminoſo; cum principium ſanctum ſit concupiſcentiam aliquando *ſenſum facere ſine conſenſu*, vt PP. loquuntur, aut vt Auguſtinus, *ſolùm impulſum libidinis operatur ſine conſenſione peccati*: Si enim motus indeliberati ad bonum in cõſentiente ſunt connexi cum vitali merito; cùr motus indeliberati ad malum in peccante non erunt connexi cum lethali demerito?

*Aug. lib. 6. cont. Iulian. cap. 11.*

1061 Præſcindendo tamen à gravi dubio; An præter auxilium efficax ad actus indeliberatos, actuſquè ipſos, & habitus ſupernaturales ſit exacta alia qualitas præſtans ſufficientiam ad actus liberos? Vnicuique enim ſuum ſit iudicium; nos negativam ſententiam ſequimur; ex alio verò principio ſolutionẽ reijcimus: Nam ex Sac. Concilio, omni auxilio conſtituenti ſufficientiam poteſt voluntas diſſentire, eumque abijcere: ergo, ſi inſpiratio, quia abijcibilis nequit eſſe identice efficax, nullum auxilium ſufficiens erit identice efficax. Prob. ant. Concil. nomine inſpirationis, & gratiæ excitantis intelligit auxilium ſufficiens; ſed ex Cõc. arbitrium poteſt inſpirationem abijcere, & gratiæ excitanti diſſentire: ergo. Prob. Mai Sac. Concil. gratiam prævenientem diviſit in excitantem, & adiuvantem, ſed gratia ſufficiens eſt præveniens, & non reducitur ad adiuvantem, quia ſub munere adiuvantis explicat efficaciam: ergo ad excitantem expectat. Vide SS. Lemos ex cenſura Academiæ Salmanticenſis efficaciſsimè ſuadentem auxilium ſufficiens ad gratiam excitantem attinere.

*Lemos lib 4 p. 1. tract. 7 c. 16. & p. 2 tract. 2. c. 8.*

1062 Addo: ex illa propoſitione olim ab Innocentio X. in Janſeniũ definita: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur*; Theologos omnes colligere arbitriũ gratiam ſufficientem aliquando reſpuere, repudiare, contemptimquè reijcere; quod inexpugnabili, & potentiſsima probatione adverſus Janſenium firmari putant, ex Synodi Tridentinæ Decretis ſtatuentibus arbitrium *poſſe abijcere inſpirationem, & diſſentire Deo excitanti*; collectio verò non firma, ſed inepta foret, ſi non ſupponerent Conc. de gratia ſufficienti loqui.

*Inn. X. vbi ſup. ſect. 1.*

*Trident. vbi ſuprà.*

1063 Secundo probo præcipuũ aſſumptum: Conſentiens ſuppoſita libertate proxima ad conſentiendum iuſtè, & rectè orat Deum conſenſum ſalutarem, ſed ſi libertas conſentientis conſtitueretur per auxilium ſufficiens identice efficax ſtultè oraret Deum ſalutarem conſenſum: ergo libertas conſentientis non conſtituitur per auxilium ſufficiens identice efficax; vnde tale auxilium non conſtituet poteſtatem cõſentiendi: Mai. edocent PP. Salmant. & alibi eam diffuſè probavi: ſufficiat nunc ſpeciale Auguſtini teſtimonium monentis: *Agendæ ſunt Deo gratiæ, quia data eſt poteſtas, & orandum, nè ſuccumbat infirmitas*: Poſtquàm igitur data eſt poteſtas, hortante Auguſtino, ſeù libertas, orandum eſt pro cõſenſu, nè *ſuccumbat infirmitas*. Prob. iam Min. ſtultum eſt orare Deum, vt donet, quod iam pro ſuo dominio nõ poteſt impedire: Improvidum enim, & ineptum eſt expoſcere alterum mihi donum, dum nec poteſt non donare, aut donationem impedire; ſed ſemel cõſtituta libertate per auxilium identice prædeterm. Deus nõ poteſt impedire conſenſum, cũ implicet Deum eum non donare, & adæquata libertas Dei ad donandũ,

*Salm. diſp. 7 dub. 1. Sup. à num. 431.*

*Auguſtin. tract. 53. in Ioann.*

vel

vel non, consensum fiſtat in dominio prædeterminandi, vel non, ipſum: ergo ſemel poſita illa libertate ſtultum eſt orare Deum conſenſum, vt donum à tali libertate diſtinctum.

1064 Alitèr: fruſtra oramus Deum donum, quod obtinemus; donatus enim iam donum non poſcit, ſed pro dono gratias donanti refert; ſed dum Deus largitur libertatem conſentiendi conſtitutam per auxilium identice prędetermin. iam ſum donatus conſenſu; cum prædeterm. abſque conſenſu non ſit: ergo ſuppoſita tali libertate teneor Deo propter conſenſum gratias agere non eum ſuppliciter poſtulare.

1065 Vrgentiùs: Vnum ex prę-cipuis argumentis, quo oppugnamus aſſerentes Deum non exercere dominium immediatum determinativũ conſenſus, ſed eius dominium ſiſte e in determinando libertatem, deſumitur ex eo, quod ſtultum foret ſuppoſita libertate orare Deum conſenſum, vt donum à libertate diſtinctũ; ſequelam duobus ex principijs deducimus; 1. quia *quid ſtultiùs, quam orare vt facias, quod in poteſtate habes.* 2. Quia fictè, & irriſoriè oramus alterum donum, quod iam pro ſuo dominio electivo conferre, aut determinare non poteſt; ſed idem inconveniens eiſdem ex principijs æquè efficaciter colligitur, ſi libertas conſentientis conſtituitur per auxilium identice prædetermin. ergo libertas conſentientis non eſt ita cõſtituta. Probo Min. 1. Quia ſi ſtultum eſt orare, vt faciam, quod in poteſtate habeo, ſtulti ùs erit orare, vt accipiam, quod iam obtineo, ſed poſita illa libertate iam obtineo conſensũ: ergo ſtultum erit conſenſum expoſcere. ¶ 2. Si ſtultum eſt orare alterum donum, quod iam pro ſua libertate determinare non poteſt; ineptũ etiam erit orare alterum donũ, quod iam pro ſua libertate impedire non poteſt, libertas enim donantis, ſicut exigit poteſtatem determinandi donum, ita, & id impediendi; ſed ſuppoſita libertate conſentientis conſtituta per auxilium identice prędeterm. Deus non habet novam, & diverſam libertatem ab ea, qua contulit auxilium, vt poſsit impedire donum: ergo ſuppoſita illa libertate ſtultum erit orare Deum conſenſum, vt donum ab illa libertate diſtinctũ: Certè argumentum ex neceſsitate orationis depromptum ſuppoſita libertate, vel DD. Societatis non oppugnat; vel Authores oppoſitæ ſententię valdè premit.

*Auguſt. de Nat. & Gratia, cap. 18. Et Hieron. lib 2. contr. Pelagian.*

1066 Tertio eandem ſententiã impugno, quia ex ea manifeſtè ſequitur, voluntatem non poſſe in hac providentia per libertatem acceptã in A, non conſentire in A, conſenſuram ſub eadem libertate in inſtanti B, quod experientia videtur eſſe falſum: Sequelam probo: Si voluntas non conſentit in A, non obtinet in A, libertatem conſtitutam per auxilium identice prędetermin. vt patet; ſed iuxtà han providentiam, vt conſentiat in B, debet libertas conſtitui per auxilium identice prædetermin. vt adverſarij propugnant: ergo nequit in hac providentia conſentire in B, ſub libertate non conſentiente in A. Patet conſeq. Quia libertas conſtituta per auxilium identice prædeterminans diſtincta neceſſariò eſt à libertate non ita conſtituta.

## SECTIO TERTIA.

*Prædeterminatio ad actum ſalutarem non conſtituit poſſe, licet non conſiſtat in actione Dei, ſed in aliquo intrinſecè in voluntate recepto, & ab actu diſtincto.*

1067 CONcluſionem iſtam propugnare ſum coactus, quia P. M. Palanco ex Sacro Minimorum Ordine à Thaumaturgo illo S. Franciſco de Paula erecto, in ſuo

ſatis egregio opere de providentia, nouiſsimequè in lucem edito ſpecialem inter Thomiſtas, vt iudico, ſententiam defenſandam ſuſcipit, ſtatuēs *phyſicam prædetermin. conſiſtentem in qualitate non cohærere cum libertate.* Ductus ex eo, quod qualitas prædeterm. conſtitueret actum primum, ſeù poteſtatem proximam voluntatis, & cum eſſentialiter ſit connexa cum actu ad ipſum abſolutè neceſsitaret. ¶ Prædeterminationem autem abſolutè conſtituit in actione Dei formaliter immanente; ſed tranſeuntè virtualiter, cuius immediatus effectus eſt actio voluntatis, à qua vnicè voluntas intrinſecè determinatur; hancque motionem activam ex parte Dei abſolutè, & ſine addito vult appellari phyſicam prædeterm.

*P. Palanco de Provi. q. 15. ſect. 1.*

*Palanco vbi ſuprà.*

1068 Sed priuſquàm in certamen deſcendam, vt æquivocationē, quæ hìc accidere ſolent, auferā, ſuppono aliquale eſſe diſsidium inter Thomiſtas in naturā ſuæ prædeterm. conſtituendo: Aliqui affirmantes eſſe qualitatem, non quæ ſit habitus, ſed quæ habeat modum motionis, ſeù applicationis; quos ſequitur noſter Eruditiſsimus Primarius M. Prado referens eidem ſententiæ ſubſcribentes Capreolum, Ferraram, Zumel, Cabreram, Verdu, Ram, Illuſt. Araujo, & Lermam: pro eaque adduci poſſe, aſſerit, omnes aſſerentes inſtrumenta elevari phyſica qualitate tranſeuntè eis impreſſa ab agente principali; quæ ſententia ex D. Tho. fundatur, qui naturam præmotionis exponens negavit eſſe qualitatem permanentem, affirmando eſſe tranſeuntem, *quia habet eſſe quoddam incompletum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* ¶ Alij verò Thomiſtæ, talem motionem præviam nō eſſe qualitatem; ſed ſolùm eſſe motum paſsivè receptum in cauſa ſecūda ratione cuius movetur, vt ipſa ſe moveat, vt magis conforme Divi Thomę ſuſtinent, expreſsè enim ait, quod auxilium gratiæ *non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ: actus enim moventis in moto eſt motus*, pro hac ſententia refert idem Mag. Prado, M. Ledeſma, Alvarez, Nuño, pro eaquè poſſe adduci affirmat Caietā. Soto, & alios aſſerentes, inſtrumenta elevari ſola motione virtuoſa principalis agentis.

*Prado metaph. contr. 1. 2. art. 6.*

*D. Tho. q. 3. de Potentia art. 7. ad 7.*

*D. Tho. 1. 2. q. 110. art. 2.*

1069 Hanc quæſtionem eſſe de nomine iam olim præmonuit M. Lemos: quia cum nemò ex Thomiſtis aſſerat præmotionem eſſe qualitatē, ſeù formam permanentem, quia ita, & libertatem præmeret, & actū primum conſtitueret; ſed omnes ſupponant prę̄motiones eſſe tranſeuntèr in cauſis, *vt impreſsiones, quæ ceſſant actu ceſſante* ex Div. Thoma: & cum vt ait M. Prado: *Diſcipuli omnes Sācti Thomæ conveniant influxum Dei aliquid phyſicum imprimere cauſæ ſecundæ quam movet; dividuntur autem in explicando, quid ſit hoc à Deo cauſæ ſecundæ impreſſum?* Diſsidium erit maximè de voce; quia ſi conſtat prædeterm. eſſe aliquid phyſicum à Deo cauſę ſecundę impreſſum, & eſſe aliquid tranſiens, & fluidum; ſolùm in modo loquēdi erit diverſitas; An, ſcilicèt, hoc impreſſum à Deo cauſæ ſecundæ ſit qualitas, quia intrinſecè inhærens, vel motus, quia tranſeuntèr exiſtens? De hoc ergo dubio parum curandum erit iuxtà Auguſtini monitiunculam; *cum de re conſtat non eſſe certandum de nomine: Non ſolùm approbo*, ait Mag. P. *verùm etiā moneo, vt ſemper rerum curam magis, quàm verborū te habere delectet.*

*Lemos, lib. 3. fol. 58.*

*Div. Thom. M. Prado, vbi ſuprà n. 103. & vide ipſum. Cont 10. artic. 4. n. 45.*

*Auguſt. ep. 124. Auguſt. de Quant. animæ, lib. 5. vnic. cap. 6.*

1070 Si ergo, vt indubium ſupponunt Divi Thomæ diſcipuli præmotionem eſſe intrinſecè, & tranſeūtèr receptam, ſeù inhęrentem in cauſa ſecunda: Quod de re inter ipſos poteſt eſſe diſsidium? Hucuſquè ſolùm duplex 1. An hæc præmotio intrinſecè inhærens voluntati ſit realiter diſtincta ab auxilio ſufficiente

con-

Sect. 2. et 3.

consentientis? De quo in hac quæstione iam dixi, & cum hoc Authore non disputo, supponit enim nobiscũ realem distinctionem inter auxiliũ sufficiens, & prædeterminationem: 2. An prædeterminatio intrinseca voluntati identificetur realiter cum consensu, seù actione voluntatis, vel sit aliquid medians inter actum primum, seù auxilium sufficiens, & consensum, realiterquè ab vtroquè diferens? In quo plurimi Authores nostræ Scholæ negarunt prædetermin. realiter à consensu distinctam, eam enim esse asserebant consensum ipsum, vt priùs natura à Deo, quàm à voluntate determinatum, vt N. Primarij Montesino, & Ioann. Gonsalius Martinus: hanc sententiam asserit Primarius noster F. Ildeph. Michaël probabiliter edocuisse in materia de auxilijs; his verbis: *Hæc Doctrina*; scilicèt, consensum esse impedibilem à voluntate prædeterminata: *Meliùs capietur in mea sententia probabili, quàm probabiliter defendi in materia de auxilijs, vbi docui non dari qualitatem mediam realiter distinctam inter potentiam, & actionem, quæ qualitas media realiter distincta sit physica prædeterminatio, sed dixi physicam prædeterminationem esse identificatam realiter cum actione causæ secundæ, essequè eandem actionem proùt priùs intellectam oriri à Deo, quàm à causa secunda*: A qua sententia non recedit Mag. Cabrera, dum ait: *Actuale Dei auxilium est motio actualis Dei recepta in potentia creata, quæ realiter nõ distinguitur ab operatione potentiæ, sed solùm formaliter, itaquè non est qualitas, nec operatio immanens divinæ volũtatis; sed ipsamet actio elicita à potentia creata habet rationem auxilij actualis quatenus procedit à Deo, vt à causa prima supernaturali*: Sed in huius Authoris sententia prædeterm. non in consensu, sed in ipsa actione Dei immanente consistit; vnde ei nõ favet Primarius Michaël probabiliter docens *prædeterm. realiter idẽtificatam cum actione causæ secũdæ*, nec M. Cabrera expresse negans, quod auxilium actuale *sit operatio immanens divinæ voluntatis*. Excedant ergo, vt ingenioso huic Authori placet Sap. Salmanticenses: excludendo à numero discipulorum Augusti & Thomæ negantes qualitatem physicè prædetermin. Ego tamen nõ excedere existimo dum asseveró nullum ex Thomistis legisse, qui physicam prædeterminationem in actione Dei constituat, præter hunc Doctum Magistrum, quem nobilem esse Thomistam fateor: Prædetermin. nõ idẽtificari cum actione creaturæ colligitur efficaciter ex his, quę iam scripsi: Nunc non disputo; An prædetermin. sit vel non qualitas? Quia si huic Authori placet qualitatem esse nego, non esse verò actionem ipsam Dei scholasticè ita probo.

Palanco, q. 14. n. 84.

Sup. à num. 287.

1071 Gratia efficax, quæ existit, dum voluntas salutariter cõsentit est physica prædetermin. consensus salutaris; sed gratia ista efficax non est idem realiter cum actione Dei: ergo prædetermin. physica non est ipsa actio Dei. Mai. solidè, & accutè probat prælaudatus M. ego ita prob. Min. Gratia efficax, quæ existit dum voluntas consentit est intrinsecè recepta, & inhęrens in consentiẽte, sed actio Dei immanens non est intrinsecè recepta in consentiente; cum in Deo maneat subiectivè, solũquè terminative sit in nobis, quatenus consensus, seù eius effectus in nobis recipitur: ergo gratia efficax ista non est actio Dei. Min. est evidẽs: Pro veritate tamen maioris omnes non solùm Thomistas, sed Scholasticos DD. quos legi appellare possem, iudico enim omnes gratiam interiorem physicè receptam in voluntate in sufficientem, & efficacem dividere: Jansenius hanc divisionem destruxit; quia negavit gratiam inter-

tiam,

Monteſ. t. 2. in 1. 2. q. 111. art. 3. diſp. 31. & 125. n. 44. & 46.

Ioan. Gonſ. lib. 2. phyſic. q. 4. à num. 202.

Ildeph. Michael. q. 19. de Volunt. art. 8. dub. 1 cap. vltim.

Cabrera in 3. p. q. 18. art. 4 diſ. 5. dub. 1. n. 40

nam, seù intrinsecè receptam ineffi-
cacem, licet gratias externas ineffi-
caces vltro admitteret: ergo pariter
prædictam divisionem tollet, qui li-
cet fateatur gratias externas effica-
ces, negat gratiam efficacem interio-
rem, seù intrinsecè receptam: Nun-
quid nullum ex sacris testimonijs
exprimẽtibus gratiam efficacem po-
test adduci ad suadendam gratiã vo-
luntati intrinsecam? Scholę omnes,
vt iudico, gratiam efficacem esse in-
trinsecam voluntati fatentur, sivè
sit, aut non, efficacia gratiæ intrinse-
ca; sivè si est efficax ab intrinseco, sit
consensus, aut non; sivè sit qualitas,
aut aliquid intrinsecũ per modũ mo-
tionis: Si verò ab extrinseco efficax,
an à Scientia Media, à consensu, vel
à Decreto Dei? Hucusquè verò dis-
putatum non invenio; An gratia ef-
ficax sit intrinseca, & inhærens in cõ-
sentiente, vel sit entitas increata in
consentiente nõ inhærens, nec recep-
ta? Probo autem illam Mai. multi-
pliciter 1. authoritate Sacræ Scrip-
turæ, 2. Conciliorum, 3. SS. Patrum,
4. Ratione Theologica.

*Ripalda d. 113. sect. 11 num. 83. Salm. dis. 5. dub. 6. num. 112.*

1072 Prius tamen, si licet, ex-
pendo testimonium, quod ad aliud
intentum adducunt P. Ripalda, & P.
Salmantic. illorum Theologorum
coram Clemente VIII. asserentium:
*Fatemur, quod ad pietatis opera, qui-
bus homo ad iustificationem disponi-
tur necessarium est auxilium præve-
niens gratiæ efficacis, per quod Deus
facit, vt homo piè operetur, quod qui-
dem auxilium est internum, supernа-
turale, intellectui, & voluntati in-
trinsecum, & donũ peculiare distin-
ctum ab auxilio sufficiente.* Certè ac-
tio Dei non est donum internum in-
tellectui, & voluntati intrinsecum,
sed de hac authoritate parum curo.

1073 Prob. ergo Mai. 1. Gratia
efficax est illa gratia cooperans, seù
adiuvans edocta à D. Paulo asseren-
te: *Non ego, sed gratia Dei mecum,*
sed D. Paulus loquitur de adiutorio

*1. ad Cor. 14*

gratię ei intrinseco distincto realiter
à Deo, & eius actione: ergo gratia
efficax intrinseca est consentienti, &
distincta realiter ab actione Dei. Mi-
norẽ probat Mag. Lemos, his verbis:
*Sancti PP. vniversi in expositione hu-
ius testimonij, gratiæ adiutorium
distinctum ab ipso Deo, ipsiquè Apo-
stolo tributum intellexerunt. Grego-
rius enim illam gratiam Dei, vocat
donum Dei, à Deo ipso datum: & S.
P. Augustinus illam gratiam vocat
divinam motionem in nobis receptã.
S. Anselmus ad illum præfatum locũ
Pauli illam gratiã dicit esse aliquid
in nobis, sine nobis à Deo causatum.
Sic Bernardus, sic Ambrosius sic San-
ctus Prosper, sic Sanctus Thomas, vna
voce enim per illam Dei gratiam, ali-
quid supernaturale creatum, & no-
bis tributum planè interprætantur:*
Videatur hic SS. M. non solùm in eo
capite, ex quo inter plura hęc transcri-
psi; sed alibi, vbi ex modo loquẽ-
di Conciliorum efficaciter suadet
gratiam prævenientem excitantem,
aut adiuvantem esse donum Dei in-
trinsecè receptum in consentiente, &
distinctum ab operatione.

*Lemos l. 4. part. 1. tr. 7 cap. 2.*

*August. de Spiritu, & Litter. c. 34 & seqq.*

*Lemos ibi, cap. 4.*

1074 Vnde in 2. probat. ex Cõ-
cilijs solùm addo. 1. Gratia adiuvãs,
& excitans sunt dona Dei ex Tridẽ-
tino quibus homo disponitur, vt se
se convertat ad Deum; *præparatur
enim voluntas à Domino* per hæc sua
dona; sed dispositio præparans volũ-
tatem, vt se convertat ad Deum de-
bet esse ei intrinseca, vt patet: ergo
gratia adiuvando prævenies est gra-
tia intrinseca; sed hæc gratia est effi-
cax: ergo. ¶ Accedit Catheciſmus
in illis verbis: *Deus omnia, quæ mo-
ventur, & agunt intima virtute ad
motum, & actionem impellit*, in qui-
bus gratiam prædetermin. iudicant
Thomistæ expressam, nec dissentit
Doctus iste M. sed intima virtus im-
pellens omnia, quæ agunt ad actionẽ
est intrinseca ijsquè inhærens; non
enim virtus impellens diceretur in-
tima,

*Cathech. in 1. p. ad ill. Creator Cœli, in fine. Palanco, q. 10. sect. 1.*

tima, si extrinseca esset: ergo talis gratia intrinseca est.

1075 Ex Concilio Senonensi idem probatur, ait enim: *Voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quoddam, & occulto secretioris inspirationis affatu contacta se convertit in Deum.* Vbi Thomistæ duas motiones edoctas esse à Concilio iudicamus, moralem vnam in illis verbis: *Misericordiæ prævenientis auxilio suffulta*; physicam aliam in ijs; *& interiori quoddam, & occulto secretioris inspirationis affatu contacta*; cum enim hæc inspiratio secretior sit aliam minus secretam supponit; hæc autem motio physica est prędetermin. sed iuxtà Concil. hæc secretior inspiratio est intrinseca voluntati, & in ea inhærens: ergo prædetermin. non consistit in actione Dei, sed in aliquo voluntati intrinseco: Prob. Min. 1. Illa secretior inspiratio occulto, & interiori affatu voluntatem contingit: ergo ei inest. ¶ 2. vt voluntas *misericordiæ prævenientis auxilio sit suffulta* debet inhærere misericordia illa prævenientis: ergo vt secretioris inspirationis affatu sit contacta debet ei inhærere secretior ea inspiratio.

*Senonense Decret. 15.*

1076 Ex SS. PP. Augustin. & Divum Thomam adducam. 1. Sanctum Augustinum dum de D. Petri pœnitentia, ita affatur: *Quod scriptum est; respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est; misericordia Dei subvenit latenter, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis vsque ad exteriores lachrymas movit, & perduxit affectum.* Vbi expressè loquitur de auxilio efficaci, quia auxilium movens, & perducens affectum interioris hominis vsquè ad exteriores lachrymas efficax est. Sed tale auxilium ex August. fuit intrinsecum Div. Petro, & non extrinseca actio Dei: ergo. Prob. Min. Auxiliũ illud vocatur ab August. misericordia Dei latenter subveniens, cor tangens, & interior Dei gratia visitans Petrum, sed hæc omnia gratiam intrinsecam exprimunt: ergo.

*August. de Grat. Christ. cap. 45.*

1077 2. August. ait: *Hæc itaque gratia* (idest efficax) *quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippè tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Ergo gratia efficax nobis datur, & cordibus divina largitate tribuitur: ergo est donum, quod intus in nobis est; nec enim nobis tribuitur, quod nobis non ineſt. ¶ Dices nobis donari gratiam efficacem *terminativè*, seù eius terminum, non verò ipsam *subiectivè*, & in se. ¶ Contra: quia nobis *datur hæc gratia, vt cordis duritia primitus auferatur*: ergo non, quia per eius terminũ aufertur cordis duritia; si enim Augustin. ex illis Apostoli verbis: *Misericordiã consecutus sum, vt sim fidelis* continuò deduxit: *ergo non quia eram fidelis*; cùr similiter non possum ex August. verbis colligere? Illa gratia datur, vt cordis duritia auferatur: ergo nõ quia aufertur: Non ergo illa gratia datur nobis ratione termini, sed potiùs terminus ratione gratiæ, quia gratia datur, vt detur terminus.

*August. de Præd. SS. c. 8.*

*August. lib 2. cõt. 2. ep. Pelag. c. 7. & ep. 107.*

1078 3. Adiutorium *quò* nunc perseverant Sancti iuxtà August. est efficax gratia; sed hoc adiutorium est aliquid intrinsecum inhærens sanctis: ergo gratia efficax est intrinsecè inhærens iuxtà Augustin. Mai. est indubia: & prob. Min. ex dictis Augustin. in illis capitibus essentiã adiutorij *quò* exponẽtibus, vbi expressè de eo fatur, vt dono nobis intrinseco non solùm ratione termini (cum quo identificari senserunt plures, quos olim reieci) sed ratione sui: sufficiat, quod dum comparat Sanctos Adamo, qui *in eo bono, quo factus fuerat rectus acceperat posse*: de Sanctis,

*August. de Corrept & Grat. c. 11. & 12.*

*Sup. à num. 422.*

ctis, ita ait: *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeverantiæ datur*, ideſt ſine quò; *ſed tale, vt eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm vt ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſsint, verùm etiam, vt per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* Ergo Sancti etiam accipiunt donum, per quod non niſi perſeverantes ſunt.

*Cap. 12. in principio.*

1079 Divum Thomam in eiuſdem veritatis confirmat. expendo 1. dum diſtinguit duplicem vocationẽ vnam externam, interiorem aliam, quę eſt (inquit) *quidam mentis inſtinctus, quo cor movetur, & hæc in prædeſtinatis eſt efficax*: ergo. 1. Gratia efficax non eſt actio Dei, quia inter vocationes externas, nõ interiores Div. Thom. eam numeraret, ſi extrinſeca eſſet: ergo. 2. Gratia efficax eſt nobis inhęrens, qualiter enim nõ ineſt nobis *mentis inſtinctus, quo cor noſtrum movetur.*

*D. Thom. ad Roman. 8. ſect. 6.*

1080 2. Efficaciſsimè, ni fallor, aſſumptum ex eodem S. Doctore cõfirmo; aſſerit enim: *Quidam verò omnia fato agi dixerunt, ordinationem, quæ eſt in rebus ex divina providentia, fatum nominantes. Vnde Boetius dicit; quod fatum eſt inhærẽs rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus. In qua fati deſcriptione diſpoſitio pro ordinatione ponitur. Rebus autem inhærens ponitur, vt diſtinguatur fatum à providentia. nam ipſa ordinatio ſecundùm quod in mente divina eſt, nondum rebus impreſſa, providentia eſt, ſecundùm verò, quod iam eſt explicata in rebus fatum nominatur. Mobilibus autem dicit vt oſtendat, quod ordo providentiæ à rebus contingentiam, & mobilitatem non aufert, vt quidam poſſuerunt; ſecundùm hanc ergo acceptionem negare fatum eſt providentiam divinam negare.* Hucuſquè Sanct. Doctor, qui nullibi explicatius videtur tradidiſſe prædetermin. intrinſecè voluntati inhærentem; 1. ita colligo: *Negare fatum ſecundùm acceptionem à* Div. Thom. adductam *eſt providentiam divinam negare*; ſed fatum accipitur à Div. Thom. *pro diſpoſitione rebus mobilibus inhærente, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus*: ergo negare diſpoſitionem inhęrentem rebus mobilibus per quã providentia adimpleatur iuxtà Div. Thom. eſt providentiam divinam negare. ¶ 2. Fatum eſt *ordinatio in rebus, ſeù rebus inhærens, vt diſtinguatur à providentia, nam ordinatio ipſa non dum rebus impreſſa providentia eſt, ſecundùm verò, quod iam eſt explicata in rebus fatum nominatur.* Ergo præter ordinationem, ſeù actionem nondum rebus impreſſam, ordinationem rebus inhærentem, & impreſſam Doct. Sanct. ſtabilit, quam explicationem, effectum eſſe providentiæ, fatumquè nominari ſtatuit. ¶ 3. Ordinatio, ſeù diſpoſitio illa rebus mobilibus inhæret ex divina providentia, *quia ordo providentiæ à rebus contingentiam, & mobilitatẽ non aufert, vt quidam poſſuerũt.* Nõ ergo metuendum eſt, quod ordinatio impreſſa rebus, ſeù eis inhærens mobilitatẽ, aut libertatem auferat, quia licet impreſſa *mobilibus* inhæret. ¶ Poſtremò: fatum iſtud innegabile, licet moneat Doct. Sanct poſt Auguſt. Gentilitatis vocem reſpuendam, ita diffinitur: *Fatum eſt immobilis diſpoſitio rebus mobilibus inhærens*, ſed ex hac diffinitione colligimus ex Doct. Sanct. fatum non eſſe motionem indifferentem, ſeù reſiſtibilem, quia non eſſet *immobilis diſpoſitio*, ſi eſſet à mobili fruſtrabilis: ergo ex eadem diffinitione deducitur, quod talis motio, ſeù ordinatio non eſt actio Dei mobili extrinſeca, quia ſi ita eſſet non eſſet *mobili inhærens.*

*D. Th. Quod libet. 12. artic. 4.*

*Sup. à num. 936.*

1081 Tertio expendo vulgatum, & celebre teſtimonium, in quo ex-

expoſuit Doct. Sanct. naturam phyſicæ præmotionis, qua Deus ad agẽdum movet, & applicat cauſas ſecũdas, & cum in ſe opponeret 7. argum. probando ſufficere cauſis ſecundis ad operandum virtutem naturalem primo participatam à Deo, quin de novo Deus aliquid in ipſis operetur movendo eas ad operandum, nè ſic abeamus in infinitum; per hæc verba diſſolvit. *Ad 7. dicendum*, quod virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata: ineſt eis, vt quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat eſt, vt intentio ſola habet eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis; ſicut ergo ſecuri per artem dari potuit accumen, vt eſſet forma in ea permanens; nõ autẽm dari ei potuit, quod vis artis eſſet in ea, quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum: ita rei naturali potuit conferri virtus propria, vt forma in ipſa permanens: non autem vis qua agit ad eſſe, vt inſtrumentum primæ cauſę: niſi daretur ei, quod eſſet vniverſale eſſendi principium, nec iterùm virtuti naturali conferri potuit, vt moveret ſeipſam: nec vt conſervaret ſe in ſe. Vnde ſicut patet, quod inſtrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur abſque motu artificis: ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur *abſque operatione divina*.

*D. Tho. q. 3. de pot. art. 7 ad 7.*

1082 Plurima hìc amplectitur D. Thom. quæ neceſſum eſt ſtrictim colligere. Primo aſſerit, virtutẽ cauſarum ad operandum eſſe quid permanens *inhærens eis, vt quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura*. ¶ 2. Statuit motionem Dei applicantem virtutem completam cauſæ *habere eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aëre*. (Non quia verùm eſſe non habeat, ſed quia eſſe motionis eſt fluẽs, ea celeritate, qua colores in aëre diſparent) *& virtus artis in inſtrumẽto artificis*: ergo Doctor Sanctus, nõ ſolùm docet motionem non eſſe virtutem exactam ad poſſe, verùm etiã eſſe inhærentem, cum *à Deo fiat in re naturali* ei enim ineſt, ſi in ea à Deo fit. ¶ Nec Sanct. Doctor motionem excludit à conceptu virtutis, quia ſit extrinſeca rei naturali, vt hìc ingenioſus M. ſuſpicatur; ſed quia virtus *ineſt rebus, vt quædam forma habens eſſe firmum in natura*, ſeù permanẽs; *Id* verò, *quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt vt intentio ſola habens eſſe quoddam incompletũ*, ſeù tranſiens, vnde virtutem eſſe intrinſecam ſtatuit non alitèr motionem, cum ſolùm diverſitatem conſtituat, penes eſſe firmum virtutis, & eſſe incompletum motionis.

1083 Nec valet aſſerere cum prælaudato Authore vim eam in cauſa ſecunda à Deo receptam non eſſe vt efficiat in genere cauſæ principalis effectum proprium, ſed *vt agat ad eſſe, vt inſtrumentum primæ cauſæ*; ad idquè agendum formaliter, & actualiter ipſa vi participata, non verò actione diſtincta, & ad ipſam vim ſubſequuta, quia licet hãc *fieri* à Deo *in re naturali* ex D. Th. inferatur, ſecus fieri ſeorſim ab actione, & ante illã, cũ potiùs fiat eodem fieri, quo à Deo fit actio naturalis; fit enim in cauſa, vt per ipſam vim actualiter agat, ſeù vt in ſubiecto formaliter agente; ſimiliterquè fit in actione, vt in actu illa vi modificato: vnde vnico indiviſibili fieri fit in cauſa ſecunda actus agendi cum illa vi ad eſſe, vt effectum principalis agentis. ¶ Vnde præfatus M. reijcit opinionem illam inter Thomiſtas valdè probabilem ſubijcientem actionem tranſeuntem in paſſo; quia cum Doctor Sanct. illam vim, ſeù motionem receptam in

*P. Palanco, q. 14. ſect. 4. erga finem.*

cauſa expreſsè affirmet, vis illa non polet eſſe ipſa actio, aut eius modus, ſi actio non eſſet ſubiectiue in agẽte.

1084 Priuſquàm ſolutionem oppugnem obſerva 1. præiacto teſtimonio, vt validiſsimo ſemper prædeterm. intuliſſe Thomiſtas, ita vt

*Suarez ſup. adductus n. 453.* Suarez iudicaret aliquando D. Tho. prędetermin. edoctam in eo, in ſummaretractaſſe, licet alibi Doct. Sanct. exponere tentet: Alij verò P. Societatis per illam

*Ant. Perez diſp. vlti. de Prov. ſect. 3 num. 32.* *vim factam à Deo in re naturali* ipſam operationem cauſæ ecundę intellexerunt, vt elicitam ab actione Dei immanente, vt P. Antonius Perez, alij autem agnoverũt Div. Thom. docuiſſe aliquid applicãs cauſas ſecundas diſtinctum ab eius

*Henao, ſect. 68. n. 571.* actone, vt P. Henao, licet negent eſſe prædetermin. vnde hoc teſtimonium omninò inefficax redditur ad ſualendum eſſe prædetermin. cum exeo Doctus Thomiſta neget colligi aliquid, quo Deus moveat diſtinctum ab actione creaturæ.

1085 Obſerva 2. cum prædicto Authore; valdè diverſa eſſe, cauſam ſecundam agere in virtute primæ, & moveri à Deo ad agendum: Doct. enim Sanct ait Deum eſſe

*D. Thom. ibi in corp.* *cauſam cuiuslibet actionis, in quãtum applicat virtutem actioni, & in quãtum eius virtute omnis alia virtus agit*; quem ſecundum modum influxus expoſſui, vt à primo diverſum, eoque poſteiorem; vnde confundentes vnum cun alio non ita clarè, vt expedit procedunt. ¶ Nunc ſolùm diſputamus de modo influendi *in quantum Deus applicat virtutem actioni*; ſoluto autem Div. Thom. vnicè intelligtur à P. Palanco de alio modo influxus *in quantum Dei virtute omnis alia virtus agit* (in fine verò D. Sanct. vtrumquè influxum exponit, vt ex verbis ſolutionis conſtat) quia actioni cauſę ſecundæ communicat Deus quandã vim, vt producat prædicatum *entis*, quod vtpotè vniverſaliſsimum ſolùm vniverſali Authori correſpondet, vt principali cauſæ. ¶ Me tamen hìc pungit ſcrupulus: Si actio creaturæ exigit vim receptã ex actione Dei, qua modificetur, vt efficiat prædicatum *entis*, quod eſt in effectu, & vnicè Deo, vt cauſę principali attribuitur; cùr non erit neceſſaria in voluntate vis quędam recepta ex actione Dei, qua modificetur, vt efficiat prædicatum *entis*, quod eſt in actione, & vnicè Deo, vt principali cauſæ tribuitur? Cùm verò vis iſta debeat prævenire actionẽ, ſicut vis communicata actioni prævenit effectum, aliquid intrinſecum pręter virtutem permanentem erit in cauſa præveniens actionem.

1089 Accedo nunc ad præcipuum ſcopum probando, vt præcludatur ſolutio, *Deum applicare virtutem actioni* eſſe aliquid intrinſecum tranſiens dare virtuti diſtinctum ab actione, iuxtà Div. Thom. argumentum enim, quod ſibi opponit in hunc modum procedebat: *Si Deus in natura operante operatur: opportet, quod operando aliquid rei naturali tribuat, nam agens agendo aliquid actu facit.* En propoſitionem primã ab arguente aſſumptam, quàm in ſolutione D. Thom. indubitanter admiſsit: Poſito verò *Deum operando aliquid rei naturali tribuere*: Proſequitur argumentum ad probandum hoc eſſe falſum hac interrogatione: *Aut ergo illud ſufficit ad hoc, quod natura poſsit per ſe operari, aut non?* Nimis autem ſtolida eſſet interrogatio, ſi Deus operando ſolùm tribueret rei naturali operationem, & non aliquid ei pręvium; hæc enim eſt fatua inquiſitio, operatio ſufficit, vt natura poſsit operari, aut nõ? *Si ſufficit*, (proſequitur Sanct Doctor) *cum etiam virtutem naturalẽ Deus naturæ tribuerit, eadem ratione poterit dici, quod, & virtus naturalis ſufficiebat ad agendum, nec oportebit, quod Deus poſtquàm virtutem naturæ contulit, vlteriùs ad eius ope-*

*D. Tho. vbi ſup. arg. 7.*

ra-

*rationem aliquid operetur. Si autem non sufficit opportebit, quod ibi aliquid aliud iterùm faciat, & si illud non sufficit iterùm aliud, & sic in infinitum.*

1087 Hęc est Div. Thom. contra seipsum obiectio, cui satisfecit in verba superiùs adducta, solutionem autem per partes expendere oportet, vt clariùs nobis de Divi Thomę mente conceptus illuceat; in responsione supponit Deum operari in operatione naturę tribuendo aliquid rei naturali: ad interrogationem asserit; sufficere illud, quod Deus operatur, vt natura possit per se operari, Ad replicam; cùr hoc tributum à Deo sufficit, vt natura agat, & non sufficit virtus naturalis primo à Deo indita? Disparitatem tribuit, quia virtus naturalis ineſt ei, vt forma permanens, illud verò tributum à Deo non potuit permanenter communicari rei naturali, nisi esset movens immotum; sicut instrumẽto artificis potuit permanenter communicari accumen, sed non vis artis, quia haberet intellectum: ergo Div. Thom. clarissimè defendit aliquid, non permanens tributum rei naturali distinctum à virtute, & operatione; quis enim credet Doct. Sanctum prę occupatum ad diffusè solvendũ hoc argumentum, operatio sufficit, vt natura operetur; ergo, & virtus naturalis?

*Sup. à num. 1081.*

1088 Pro adęquata explicatione allegati testimonij, quod sine dubio præstantissimum est inter omnia Angelicæ Doctrinæ faventia, paulisper immoremur, ad formam Scholasticam reducendo argumentum in se à Div. Thoma propositum; ita procedebat; si Deus operaretur in natura operante aliquid operando rei naturali tribueret; sed Deus operando nihil rei naturali tribuit: ergo Deus non operatur in natura operante. Mai. supponit arguens, quia *agens agendo aliquid actu facit*. Prob. Min. Si Deus operando aliquid tribueret rei naturali, vel hoc sufficeret, vt natura posset per se operari, aut non? Si 2. est abire in infinitum: Si 1. ergo virtus naturalis primo à Deo indita naturæ sufficiet, vt natura possit per se operari: Quis non videt hoc argumentum minimè exposcere profundissimam doctrinam, quàm ad eius infringendam vim adduxit D. Tho. si Deus operando in operatione naturæ solùm tribueret operationem, & non aliquid ei prævium? Nonnè Div. Thom. accingeretur ad diffusè respondendum argumento ita inepto: Vt natura operetur sufficit, quod Deus tribuat operationem rei naturali: ergo sufficiet, quod rei naturali tribuat virtutem?

1089 Probo iam assumptum à ratione, quæ in Scriptura, & PP. fundamentum habeat (nõ enim ago Philosophum) dupliciter. Primo; ex illo Apostoli, *quis te discernit*? infertur donum intrinsecè inhærens consentienti eum discernens realiter à consensu distinctum; sed donum gratiæ discernens consentientem distinctum à consensu est gratia prædetermin. & distincta à libertate cõsentiendi: ergo gratia prędetermin. est intrinsecè inhærens in consentiente distincta à consensu, & libertate consentiendi; & exinde nõ consistit in actione Dei, quæ nobis non inhæret, nec exigitur ex parte actus primi, quia non distingueretur à libertate adæquatè. Discursus rectus Min. vltrò fatetur M. Palanco accutissimè probans dona gratiæ indifferentia non posse esse discretiva; vnde donum discernens nequit libertatem constituere, & si distinguitur à consensu erit gratia ipsum prædeterminans: Ad Mai. reducitur difficultas, quia dum hìc Author me introducit pugnantem cum Primario olim nostro P. Ribadeneyra, licet profectò sim impar Achylle miles, esse aliquam intrinsecam discretionem consentienti distinctam à

*Paulus 1. ad Cor. 4.*

*P. Palanco, q. 13 sect. 4.*

conſenſu, cum Ribadeneyra renuit tale diſcretivum intrinſecum, in quo loquitur conſequenter ad ſuam doctrinam negantem prędetermin. intrinſecam, ſummequè diſtat à Societatis Schola dum efficaciſsime ſuadet prædeterm. extrinſecam conſenſus, ſeù diſcretionis intrinſecæ formalis: Intendo autem, non ſolùm eſſe actiuam eam diſcretionem extrinſecam, ſed etiam adeſſe conſentienti inhærentem gratiam diſtinctam realiter à conſenſu; nec otium eſt, vt probationes meas huius aſſerti firmem, dum eas accumine miro diluere, & infringere connatur ſolùm vnam mihi efficaciſsimam rationem, licet olim à me expenſam ab hoc Authore intactam ſubijtio.

*Sup. à num. 287.*

1090 Itaque diſputo: Auguſt. præiacto Apoſtol. teſtimonio vicit Semi-Pelagianos, immò, & ſeipſum convincens dari nobis donum gratiæ præueniens conſenſum diſtinctum ab eo, & à donis naturæ: ſed hoc teſtimonium, vel gratiam eam intrinſecā non convincit, vel eſſe diſcretivam perſuadet: ergo datur gratia præueniens conſenſum intrinſeca conſentienti, quæ ſit diſcretiva. Mai. eſt indubia, quia ſi id non convinceret Auguſtin. tàm longè abeſſet illo Apoſtoli loco Semi-Pelagianos, quod ſuberteret, & proſterneret, quod nec tangeret. Prob. Min. 1. Deum diſcernere ſolùm ſuadet gratiam Dei diſcretivam: ergo ſi convincit gratiam Dei nobis intrinſecam diſtinctam à conſenſu, gratia hæc intrinſeca erit diſcretiva. ¶ 2. Hæc eſt Auguſtini conſequentia: *Deus ex Apoſt. diſcernit conſentientem: ergo datur conſentienti gratia præueniens conſenſum diſtincta à donis naturæ*, dum ex antecedenti Apoſtoli infert conſequens Catholicum, adverſus Hæreſim Semi-Pelagianam, ab omnibus Ortodoxis, vt ſanctum amplexum: Aſſume ergo principium, vt fiat ſyllogiſmus perfectus præfata Auguſt.

*Auguſt. de Præd. SS. c. 3.*

conſequētia ego aliud non invenio, niſi hoc; Deus diſcernit conſentientem prę veniendo ipſum per donum intrinſecum diſcretivum; ſed dona naturæ diſcretiva eſſe non poſſunt: ergo eſt donum præveniens gratiæ intrinſecum conſentienti diſtinctum à donis naturæ. Min. convincit Auguſtin. ſolemni illo principio: *Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus diſcernuntur homines ab hominibus?* Ergo illa Mai. aſſumpta eſt vera; ſcilicèt eſſe donum gratiæ prę veniens intrinſecum, & diſcretivum: ſed gratia indifferens diſcretiva eſſe non poteſt, vt nobiſcum fatetur hic Author, & non obſcurè colligitur ex Auguſtin. e docente dona naturæ eſſe impotentia ad diſcernendum, quia communia ſunt: ergo eſt intrinſecum nobis donum præveniens gratiæ non indifferens, ſed determinans, & à conſenſu diſtinctum.

*Aug. vbi ſup. cap. 5.*

1091 Vrgentiùs præmo: Apoſtoli teſtimonium convincit gratiam inhærentem diſtinctam à conſenſu, & donis naturæ: ergo, & ſuadet gratiam inhærentem diſtinctam à conſenſu, & donis libertatis: Antecedēs conſtat, quia illo teſtimonio Auguſtin. non poſſet debellare Semi-Pelagianos. Prob. conſeq. Ideò ex hoc teſtimonio convincitur gratia inhærens in conſentiente diſtincta à conſenſu, & donis naturæ iuxtà Auguſt. quia dona naturę ſunt communia cōſentienti, ſed etiam dona gratiæ, quę conſtituunt libertatem ſunt communia conſentienti, & diſſentienti, vt & ipſa libertas: ergo. ¶ Alitèr: Deum diſcernere conſentientē probat prævenire conſenſum per gratiam intrinſecam, ſeù inhærentem in conſentiēte; aliàs vt ſæpiùs dixi infelicitèr vſus fuiſſet Auguſtin. loco Apoſtol. adverſus Semi-Pelag. etiam hoc teſtimonium ſuadet gratiam prædeterminantem; aliàs hic Author ineptè vteretur eo adverſus Jeſuitas: ergo

eo

eo ex testimonio vtrumquè colligitur, gratia præveniens intrinseca, & gratia prędetermin. sed si gratia prędetermin. esset extrinseca, & non inhærens, cũ per eam sufficienter Deus discernat, discretio ex Deo non probaret gratiam Dei inhærentem: ergo gratia prędetermin. inhęrens, & intrinseca est.

1092 Secundo à ratione Theologica probo conclusionem: Gratia, qua Deus iustificat dispositos eis inhæret: ergo gratia, qua Deus adiuvat excitatos eis inhæret; sed gratia hæc adiuvans est prędetermin. cum supponat gratiam excitantem, seù actum primum, & præveniat secũdũ: ergo gratia prędetermin. nobis inhęret non constituẽdo actum primum: ergo non est realiter ipsa actio Dei: Subsumpta, & consequentiæ ex ea illatę constant. Antecedens est de fide adversus Hetherodoxos nostri temporis à Tridentina Synodo definitũ: consequentiam probo 1. Ideò gratia dispositos iustificãs eis inhæret, quia est *gratia Dei, qua nos facit iustos, qua videlicèt ab eo donati verè iusti sumus*; vt enim ait Apostolus, sumus *iustificati gratis per gratiam ipsius*; ideſt, per gratiam ab eo donatam, & nobis infusam; nec ly *per* potest exponi de benevolentia Dei iustis extrinseca, vt delirarunt Calvinus, & Kemnitius relati, & reiecti ab Emin. Bellarmino; sed gratia adiuvans excitatos est gratia Dei, qua nos adiutos facit, & qua ab eo donati adiuti gratis sumus per gratiam ipsius; ideò enim continuò exposcimus Deum adiutorium gratiæ ipsius, dicitquè Dominus: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis*; nec loquitur de gratia excitante, sed adiuvante efficaci, non enim dicit *faciam*, vt ambulare positis, sed vt *ambuletis*: ergo. ¶ 2. Ideò gratia iustificans nobis inhærens est, quia dicitur *charitas diffusa in cordibus per Spiritum Sanctũ, qui datus est nobis*: *Accepimus enim*, iterùm fatur Apostolus: *Spiritum adoptionis in quo clamamus*: *Abba Pater*: Sed gratia, qua Deus nos adiuvat, vt eum diligamus, & facit dilectores suos, etiam dicitur cordibus nostris infusa, vt differtis verbis docet Augustin. asserens: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos*: Nec potest dici difusa per dilectionem, quæ est actio nostra; actiones enim effunduntur ex cordibus, non in corda: *De corde enim exeunt cogitationes malæ*, ait Dominus; & ex Apostolo: *Finis præcepti charitas de corde puro*. Similiter est gratia accepta in corde ex illa celebri Augustin. sententia: *Homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor*; dicitur spiritus, quo agimus ex illo: *Qui spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei*; & ex Aug. *Aguntur, vt agant*: *Spiritus enim, qui te agit agentibus adiutor est*: ergo gratia adiuvans est donum Dei nobis inhærens distinctum ab actione nostra.

1093 Ampliùs confirmo: Gratia per quam Deus *excitat* habitualiter iustos est interior, non solùm quia intus operatur, sed quia intrinsecè inhęret in excitato: ergo gratia per quam Deus *adiuvat* excitatos est interior, non solùm quia intus operatur, sed quia intrinsecè inhæret in adiuto. Antecedens est indubium; sicut enim est innegabile actum salutarem esse interiorem, ita, & intus à Deo effici; vnde gratiam interiorem excitantem, quàm fatemur edocti à PP. Ecclesiæ esse interiorem, quia intus inhęrentem, videtur omninò certum. Consequentia prob. Quia sicut S. Concilia vocant interiorem gratiam excitantem, ita, & adiuvantem.

Hanc oppinionem P. Palanco novissimè impugnat P. Ramirez plurimis rationibus; & similiter eam reijcit Doctor Prado; Duoque solùm non

*Trid sess. 6. cap. 7.*

*Trident. ibi.*

*Apost. ad Roman 3.*

*Bellarm. de iustif. lib. 2. cap. 3.*

*Ezech. 36.*

*Apost. ad Roman 5.*

*Apost. ad Roman. 8.*

*Augustin. de Spiritu, & Litt. cap. 32*

*Matth. 15. Apost. ad Thim. 1.*

*Aug. lib. 2. cont. 2. ep. Pelag. c. 8. Apost. ad Rom. 8. Augustin. de Gest. cum Pelag. c. 3.*

Additio. *Ramirez, disput. 6. de Prædest. c. 1 Prado de Libero Arbit. disp. 6. sect. 4.*

*Prado ibi, n. 57.*

non placent, 1. quod Prado quasi supponit me asseruisse quæstionem inter Thomistas, & P. Palanco esse de nomine; quod nec in mentem venit; si enim omnes Thomistæ gratiam efficacem dicunt esse intrinsecam subiectivè consentienti, & hoc negat P. Palanco; quomodo non erit dissidiũ de re, & valdè gravi inter Thomistas, & P. Palanco? Quod assero esse quæst. de nomine est An prædeterm. intrinseca consentienti, sit dicenda *qualitas*, quia inhærens, vel *motio*, quia transiens? 2. displicent, quia iudicãt cum sententia Scotistarum convenire P. Palanco, specialiter cum relatis à P. Ribadenevra, & P. Izquierdo: quia quod asseritur de Theodoro Smisingo: non convenire cum P. Palanco constat ex P. Sendin, referente hæc eius verba: *Dicimus secundo, nullam esse pariter concordiam liberi arbitrij creati cum prævia determinatione intrinseca, nec extrinseca antecedenter illad determinante*; quod menti P. Palanco ex diametro opponitur. Nec P. Felix favet P. Palanco; quia P. Felix prædeterm. quam fatetur vocat *moralem*: Et ait esse ortam *ex imperio*, & sympatia, quatenus voluntas nostra per quamdam sympatiam determinatur infallibiliter posito imperio extrinseco Dei: Nec alij Scotistæ favent, iuxtà P. Bernique, quia Scotistæ solùm communiter admittunt decretum executivum concomitans, & aliud intentivum, quod non habeat prioritatem causalitatis respectu determinationis creatæ: Vnde nullatenus favent P. Palanco: Hic ergo Sap. Magister solus est in sua sententia, & vnus pro multis, *cui vt accerrimo impugnatori qualitatis intrinsecæ prædeterm. non potest non gratulari Societatis Schola*, vtquè accerrimo impugnatori Scientiæ Mediæ non potest nõ gratulari Angelica Schola: Sed nec cum Jesuitis, nec cum Thomistis plena concordia est. Vnde nec inimicorum consensum acquirit, nec in nostrorũ intelligentia permanet.

*Ribaden. disput. 9. de prædest. c. 1. Izquierdo, disp. 30. q. 9 num 394. Sendin de Libero Arbit. disput. 3. in princip. Felix de Gratia, diff. 3.*

*Bernique de Scient. lib. 2 f. 206. & à fol. 369.*

*Ramirez vbi suprà.*

## SECTIO QVARTA.

*Si gratia prædetermin. potestatem consentiendi constitueret libertatem consensus perimeret; vnde est impossibilis libertas consentiendi per gratiam prædetermin. constituta.*

1094 HAnc conclusionem pugno, non solùm contra Doctos Thomistas sectione secũda impugnatos sustinentes defacto, & iuxta præsentem providentiam libertatem consentientis constitui per auxilium identicè prædetermin. seù per illud submunere elevantis; & conferentis virtutem, non verò sub munere applicantis, & determinantis, quę duo munera obijt auxilium indivisibile realiter, sed etiam contra Illustris. Godoy, M. Gonet, & Doctum Primarium olim Salmantinum eiusdem Sacræ Dominicanæ familię, quia licet nobiscum, sentiant gratiam prædetermin. defacto non constituere libertatem, seù potestatem consentiendi, tamẽ asserunt hoc non esse exactum à libertate, quia adhùc supposito potestatem consentiendi esse per prędetermin. constitutam libertas illæsa maneret, & integra subsisteret; non enim iudicant omnem suppositionem constituentẽ posse, connexam, & à libertate independentem esse necessitatem simpliciter antecedentem, specialiter si connexio, quæ est in actu primo non exigitur ab ipso actu secundo.

*Godoy in 3. p. disp. 43. sect. 1. num. 101. & d. 48. sect. 3. n. 30. & 49. sect. 8. Gonet de Impec. Christi, num. 160. RR. Dominus Matilla in manuscriptis.*

1095 Præmoneo tamẽ Doctos istos Authores non esse intelligendos de prædetermin. ex parte actus primi *exacta* ad omnes actus liberos; sic enim certum iudicarem libertatem contrarietatis omninò destrui, argumento firmissimo alibi ponderato, quod novissimè illustrat, & promovet P. Palanco; nam libertas exigit con-

*Sup. à num. 459. Palanco de Provid. q. 15. n. 29.*

coniunctionem poteſtatum ad libertatis extrema; ſed chimærica eſſet coniunctio poteſtatum ad contraria extrema, ſi conſtituuntur per prædetermin. ſicut chimærica eſt coniunctio prædeterminationum ad extrema contraria: ergo libertas ad contraria extrema impoſsibilis eſt, ſi quælibet poteſtas per prędetermin. conſtituitur. ¶ Addo Concil. Trident. affirmat *Liberum Arbitrium motum poſſe diſſentire*: ergo cũ motione, ſeù prædeterminatione conſenſus componit poſſe diſſentire, ſed prædetermin. conſenſus nequit componi cum prædetermin. diſſenſus: ergo prędetermin. diſſenſus non conſtituit poſſe diſſentire; & ſi conſtitueret periret libertas, quàm nos edocuit Concilium.

1096 Sed licet loquãtur de prædeterminatione non exacta ad omnes actus, ex parte actus primi; ſed conſtituenti aliquando poſſe ad aliquem actum, eis non aſſentior; ſed propugno prędeterm. identicè conſtituentẽ poteſtatem conſentiendi labefactare libertatem conſenſus, & eſſe omninò impoſsibilem libertatem conſentiendi ita conſtitutam.

*Sup. à num. 195. vſquè ad 206.*

1097 Hanc concluſionem probant, omnia fundamenta, quibus diffuſè probatum manet principium conſtituens poſſe agere connexum, & à libertate independens, ad ſuum eſſe; eſſe impotentiam ſimpliciter non agendi, ſeù neceſsitatem ſimpliciter antecedentem actus; ſed prædeterm. eſt connexa, & independens à libertate: ergo ſi poteſtatem conſtitueret, libertatem perimeret.

1098 Alitèr concluſionem probo; principium liberum determinat actum primum (non eius prædetermin. quia prędeterminatio eſt indeterminabilis) vt coniungatur cum actu ſecundo: ergo poteſt determinare actum primum, non coniungi cum ſecundo; patet conſequent; quia libere determinare actum primum vt cõiungatur, eſt poſſe determinare ipſum, vt non coniungatur. Pergò. Poſſe determinare A, non coniungi cum B, eſt poſſe determinare A, non eſſe, vel A, eſſe, & non eſſe cum B, A, enim non coniungitur cum B, dum non eſt A, vel dum eſt A, & non eſt B, ſed principium liberum nequit determinare actum primum per prædeterm. conſtitutum *non eſſe*; cum eſſe prædeterm. à libertate non dependeat, nec eſſe, & non cum actu ſecundo; quia hoc eſt chimæra: ergo nequit libere determinatè illum actum primum non coniungi cum ſecundo.

1099 Sed ingenioſus Doct. Prado hanc probationem non multum roboris habere iudicat: Primò, quia negari poteſt conſequentia primi entimematis: vt enim inferius ſuſtinebimus. Principium liberum poteſt determinare *coëxiſtentiam* prędeterm. & conſenſus, licet talem *coëxiſtentiam* non poſsit impedire; Ergo pariter alius dicere poterit, quod licet principium liberum poſsit determinare *coniunctionem* actus primi cũ conſenſu, non tamen poteſt eam impedire; ergo nec determinare *non coniunctionem*: Patet, quia idem eſt poſſe determinare vnum contradictorium, ac poſſe aliud impedire.

Additio. *Prado de Libero Arbit. diſp. 2. ſect. 1. à num. 8. Infrà q. 6. ſect. vltima.*

Secundo, quia reſponderi poteſt. Diſtin. antec. Principium liberũ determinat actum primum, *vt ſumptus adæquatè* coniungatur cum actu ſecundo, nego antec. vt coniungatur cũ illo, *inadæquatè ſumptus*, quoad ſola principia in illum influentia; cõcedo antec. quam ſolutionem à me didiciſſe fatetur, dum aſſerui: *Sicut verò principium actus liberi diſtinctum à principio libero non exigit indifferentiam activam, ſeù effectivam vtriuſque extremi libertatis, vt conſtat in auxilio gratiæ impotenti efficere peccatum, ita nec exigit indifferentiam ſubiectivam coniungibilitatis cum vtrovis libertatis extremo.* Ex quo evidenter infertur prin-

*Sup. n. 253.*

ci-

cipium *liberum* non posse determinare *principium actus liberi* ad coniunctionem cum vtrovis extremo. Nequit enim *principium liberum* determinare coniunctionem, vel non coniunctionem principij illius, quod non habet *indifferentiam subiectivã coniungibilitatis* cum vtrovis libertatis extremo.

Tertiò, quia iudicat probationem instari in prędeterm. adhùc non attinente ad actum primum: Nam asserimus, quod voluntas libere *coniungit* consensum cum illa, & posse non *coniungere*: Vnde si instas, posse determinare A, non coniungi cum B, est posse determinare A, non esse, vel A esse, & non esse B: Respondemus, quod voluntas prædeterm. potest determinare *non coniunctionem* illius cum consensu, quia licet, neque possit determinare, quod deficiat prædeterm. neque quod ista existente deficiat consensus: hoc minimè requiritur ad non coniunctionem, *quia non coniungere vnum cum alio stat per vtriusque defectum*: En solutionem: vt principium liberum posset determinare non coniunctionem prædeterm. cum consensu, libet prædeterm. constitueret actum primum.

*Infrà q. 6. sect. 1.*

1100 Sed hęc licet ingeniosè excogitata vim rationis nostræ non auferunt: solùm maiorem explicationem exposcunt: Principium, quod assumpsi, vt prædetermin. non possit actum primum, seù libertatem constituere; est: *Principium liberum determinat actum primum (non eius prædeterm. quia prædeterminatio est indeterminabilis) vt coniungatur cũ actu secundo*: Vnde nescio cùr Doct. Prado probationem verbis meis referendo parenthesim omisit; clariùs principium traddo; *libertas adæquatè sumpta est determinabilis à principio libero, vt coniungatur cum actu libero*: Ex his infero, sed prædeterm. est indeterminabilis à principio libero; ergo libertas est realiter adęquatè distincta à prędeterm. ¶ Nec obstat prædeterm. non expectans ad actum primum; quia principium liberum solùm exigit posse determinare suam libertatem adęquatè sumptam; minimè verò ea, quæ sunt extra essentiam suę libertatis; & talis est prędeterm. si actum primum, seù potestatem non constituit. ¶ Nec obstãt; quæ opponit, quia asserimus principium liberum posse determinare *coexistentiam* prędeterm. cum consensu; seù *coniunctionem* vtriusque; quia non hæc dicimus, quia principium liberũ habeat vim determinandi prædeterm. quia hæc potiùs est determinatio ipsius principij liberi: sed cum principium liberum determinet suã libertatem, vt coniungatur consensui, seù determinet consensum, determinat *coexistentiam*, seù *coniunctionem* prædetermin. cum consensu; non quatenus hæc complexa prædeterm. includunt; sed quatenus *cõsensum* exprimunt: non ergo hæc confundas; quia valdè diversa sunt: *Principium liberum determinat prædeterm. vt coniungatur cum consensu*. Et *principium liberum: determinat coexistentiam, & coniunctionem prædeterm. cum consensu*. Primum enim est falsum; secundùm verùm, quia principium liberum determinat *coexistentiam, & coniunctionem* determinando consensum, à prædeterm. determinatum, & non eam determinando.

Nec principium, quod assumpsi instantiam patitur in principio actus liberi connexo constituente posse, & dependente in existendo à principio libero. Ratio; quia hoc principium connexum, non habet connexionem per *vim determinandi* principium liberum ad extremum, cum quo connectitur; (vt prædeterm.) sed per *inconiungibilitatem*, cum alio extremo: Ergo potest libertas adæquatè sumpta determinari à principio libero, licèt inadæquatè constituatur per

tale

tale principiũ: Ergo principiũ liberũ, licet nõ posit determinare cõiũctionem illius principij actus liberi cũ vtrovis libertatis extremo, quia non habet *indifferentiam subiectivã coniungibilitatis* cum vtroque; poterit determinare, vt *coniungatur* tale principium cum actu secundo, & vt *non coniungatur*, determinando principij, & actus defectum; *quia*, vt dixi, *non coniungere vnum cum alio stat per vtriusque defectum.*

1101 Solùm restat firmare principium assumptum, scilicèt: *Libertas adæquatè sumpta est determinabilis à principio libero, vt coniungatur cũ actu libero*: Et probatur: Principium liberum se movet, & determinat ad agendum, vt Dominus suorum actuũ; vt infrà probabitur vt certum; sed nõ haberet dominium electivum se determinandi, si non determinaret suã libertatem adęquatè, cum per suam libertatem adæquatè sumptam liberum constituatur: Ergo principium liberum potest determinare suam libertatem adæquatè, vt coniungatur cum actu ¶ Alitèr: Principium liberum habet dominium electivum, vt pro suo libito vtatur sua libertate; sed posse vti pro libito sua libertate est posse determinare suam libertatem, vt agat; ergo ¶ Alitèr, inter principium liberum, & alia comprincipia, quę libertatem constituũt, est differentia, quia alia comprincipia in agendo subordinantur principio libero; sed comprincipia subordinari principio libero in agendo in nullo alio stare potest, nisi in eo, quod principium liberum determinet omnia sua comprincipia, quę cõstituunt suam libertatem, hæc verò minimè determinent principium liberum; Ergo libertas adæquatè sumpta est determinabilis à principio libero, vt coniugatur, aut non coniungatur cum actu libero.

*Infrà sect. 12.*

## SECTIO QVINTA.

*Prædeterminatio nõ constituens posse agere illæsam servat libertatem actus; principium enim determinans actum, & independens à libertate, si non constituit potestatem agendi cum libertate actus non pugnat.*

1102 COnclusioni prælatæ omnes Thomistæ subscribẽt edocentes, sivè prædiffinitionem divinam inimpedibilem à nostra libertate, sivè superaddentes prędeterm. nobis intrinsecam, & inimpedibilem à nobis in existendo; omnes enim tuentur suppositionem antecedentẽ actum (eam enim nomine principij significamus) connexam, & à nobis independentem in existendo libertatis excidium minimè inducentem; illi autem DD. qui opinantur prędeterm. aliquando constituere posse, nõ formaliter sub munere auxilij efficaci; sed identicè sub munere auxilij sufficientis; si cum suppositione tria illa prædicata exprimente libertatẽ sustinent illæsam, faciliùs, immò, & necessariò fatebuntur illa duo solùm prædicata connexionis, & independentię libertatem non labefactare.

1103 Difficiliùs est mentem nobilium RR. Societatis in hac controversia indagare; Doctus R. Thomista iudicat esse hanc conclusionem inter ipsos cõmunem, quia fatentur libertatem illæsam semper, quod principia proxima ad extrema libertatis indifferentia manent. Diffiteor: existimo enim esse communem DD. Societatis sententiam, cum hypothesi nostra libertatem simul staturam, & non staturam, quin fundamenta, quæ vnum convincunt reddant inefficacia probantia alterum, cum potiùs vtraque convincant esse chimęricam hypothesim, in qua procedimus, simul inferentem libertatem illæsam, & extinctam; libertatem enim statu-

*P. Palanco, disp. 16. sect. 3.*

ram nobiscum sentiunt, quia principia proxima indifferentia forent; sed simul non staturam opponent, cum suppositionem esse exactam, & independentem, simulque non constituere posse repugnet; tùm etiam, quia suppositio connexa, & independens indifferentiam voluntatis sui determinativam ad vtramvis partem adimeret: solùm ergo ex RR. Societatis pro conclusione adducam; tùm eos, qui prædiffinitionem efficacem consensus liberi independentem à Scientia Media in essendo sustinent, necessè enim est fateantur suppositionem connexam, & inimpedibilem cohærere libertati, cum principia proxima consensus indifferētia sunt, quos citatos invenies à R. Thyrso, & P. Avendaño; tùm etiam asserentes, prædiffinitiones efficaces consensus liberi necessariò supponere directionem Scientiæ Mediæ, vt ęco modo non concipiantur, non verò vt libertatem servent, illæsam, necessè enim etiam est, vt concedant prædiffinitionem connexam non exigere impedibilitatem ex prælucentia Scientiæ Mediæ provenientem, vt non perimat libertatem; eos citatos reperies apud P. Ribadeneyram, & P. Junium; nec tamen nobiscum absolutè conveniunt; licèt enim suppositionē connexam cum consensu inimpedibilem cum libertate concilient, loquuntur de suppositione non exacta, nec ad consensum prære quisita; nos verò libertatem consociare intendimus cum suppositione connexa inimpedibili exacta ad consensum non constituente potestatem proximam consentiendi. Probemus ergo nunc, cum ea suppositione libertatem stare, cum verò ostendimus adversarios inefficaciter intulisse talem suppositionem, quia exactam, & indepēdentem cōstituere posse, vel ex prædicatis connexionis, & independentiæ cum libertate pugnare, cum illa suppositione libertatem staturam sine contradictione intulerimus, & hypothesim, in qua procedimus non esse chimæricam.

*Thyrso, t. 2. disp. 5. Avendaño, disp. 14. c. 1.*

*Ribaden. de Prædest. q. 12. cap. 2. n. 12. Iunio sect. 5 cap. 5.*

1104. Ita probo: Suppositio cōnexa cum consensu, & à libertate inimpedibilis, dum non constituit potestatem proximam ad consensum (quam post hac appellabimus suppositionem A,) non evertit consensus libertatem; sed prædetermin. si potestatem proximam consentiendi non constituit est talis suppositio: ergo si potestatem non cōstituit libertatem, non evertit. Prob Mai. Potestas activa consensus cum eo non cōnexa, non est ad eum necessitata, & proindè est indifferēs, seù libera, sed suppositio A, licèt connexa cum potestas non sit, non reddit potestatem connexam; dum enim omnia constitutiva potestatis inconnexa sunt potestas connexa esse nequit: ergo nec reddit eam necessitatam, nec libertatem evertit. ¶ Aliter: suppositio A, non est potestas: ergo ex eo, quod deficiat nullum constitutivum potestatis deficit, & similiter ex eius existentia nullum constitutivum potestatis advenit: ergo potestas æquè erit indifferens, & libera existente A, sivè deficiente. Prob. conseq. Quia potestas libera certo libera erit, dum eius constitutiva eadem perseverāt.

1105. Vrgeo: Suppositio A, nō tolleret libertatem per aliquid à se distinctum, nec per se formaliter: ergo posset cum libertate cōponi. Antecedens quoad primam partem cōstat; quia si tolleret libertatem per aliud distinctum, iam ipsa non tolleret; sed illud aliud, quod absse esset, cum supponamus ante ipsam omnia media à potestate exacta esse indifferentia. 2. pars antec. prob. Libertas solùm tollitur formaliter per impossibilitatem consensus, aut eius antecedentem immediatam necessitatē; his enim exclusis integra manet; sed suppositio A, non est antecedens immediata impossibilitas consensus,

quia

quia impoſsibilitaret id, cui connectitur; nec eius antecedens immediata neceſsitas: ergo: Prob. 2. part. Min. 1. Quia ſi eſſet antecedens immediata neceſsitas non eſſet extrà adæquatam proximam poteſtatem conſentiendi, & poſt ipſam conſtitutam.

2. Neceſsitas antecedens ex Div. Anſelmo eſt *cauſa vt res ſit*; B. etiam Albertus ait, *eſt neceſsitas abſoluta, quàm vocat Anſelmus antecedentẽ, quæ eſt ex cauſis proximis ad effectũ ordinatis*; ſed ſuppoſitio A, non eſt *cauſa* vt conſenſus *ſit*, aliàs poteſtas proxima conſentiendi eam includeret, nec neceſsitas ex hac ſuppoſitione eſſet *ex cauſa proxima ad conſenſum ordinata*: ergo ſuppoſitio A, nõ eſſet immediata antecedens neceſsitas conſenſus.

*D. Anſel. de Concord. cap. 1. B. Albert. Magn. 1. p. ſum. q. 62. memb. 8.*

1106 3. Adduco Sanctiſs. Thomam referentem ſententiam quorũdam aſſerentium aliquos effectus eſſe contingẽtes ex cauſis medijs, quamque rationem, vt inſufficientem refutantem, reducendo contingentiã effectuum in voluntatem divinam, fugiendo planè, vt in cauſas creatas vltimo referatur, probando *meliùs dicendum eſſe propter efficaciam divinæ voluntatis*, aliqua evenire cõtingenter, ea quidem, quæ Deus *vult contingenter fieri*, & ideò (Sanctus ait) *quibuſdam effectibus aptavit cauſas contingentes defectibiles ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus volìti à Deo eveniunt cõtingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes, ſed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire contingentes cauſas ad eos præparavit.* Legitoquè eundem Doctorem Sanct. dum hæc fatur: *Si cauſa proxima fuerit contingens, eius effectum contingentem oportet eſſe, etiam ſi cauſa remota neceſſaria ſit.* Ex quibus auteis verbis ita colligo 1. Dum Deus vult *effectũ contingenter fieri* effectus contingẽter, & ſine neceſsitate eveniunt, & *quia Deus vult effectus contingenter evenire cauſas contingentes ad eos præparavit*; ſed ſuppoſitio A, nõ excludit, quod Deus aptet cauſas contingentes defectibiles ad conſenſum; qualiter enim auferet contingentiam cauſæ connexio A, ſi cauſa non eſt; ergo ſuppoſitio A, poteſt ſtare cum contingentia conſenſus, & cum volũtate efficaci Dei de eo, quod conſenſus contingenter eveniat. ¶ 2. *Si cauſa proxima* conſenſus *fuerit contingens*, conſenſum *contingẽtem oportet eſſe*, & ſine antecedenti neceſsitate, ſed exiſtente A, cauſa proxima conſenſus erit contingens, licet A, habeat cum conſenſu connexionem neceſſariam, cuius cauſa proxima nõ eſt; ergo exiſtente A, conſenſus eſt contingens, & ſine antecedenti neceſsitate: Si enim Doct. Sanct. componit cauſam proximam eſſe contingentẽ, *etiam ſi cauſa remota neceſſaria ſit*, ideſt, neceſſariò connexa; cùr ſine contradictione non ſubſiſtet cauſa proxima contingens, & eius effectus etiam ſi ſuppoſitio A, quæ cauſa adhùc remota non eſt neceſſariò connexa ſit?

*D. Tho. 1. p. q. 19. art. 8.*

*D. Thom. 1. cont. gent. c. 67.*

1107 Dices 1. Cauſam proximam conſenſus de ſe eſſe contingentem, aut liberam, ſecus verò vt conjunctam cum ſuppoſitione A, quia cũ talis ſuppoſitio, vt connexa determinet cauſam ad conſenſum eius indifferentiam labefactat. ¶ Vel aliter dices: illam poteſtatem proximam eſſe ex ſe liberam *negativè*, quia à nullo à poteſtate exacto neceſsitatẽ includit; non verò eſſe ex ſe liberam *poſitivè*, quia præſcindit ab eſſe cum A, vel ſine A, à cuius coniunctione connexa redditur, & indifferentiam amittit.

1108 Contra 1. A, Titulo connexionis ſolùm infert conſenſum: ergo à cauſa contingente ſolùm removet indifferentiam pugnantem cum conſenſu; ſed cum conſenſu ſolùm

pugnat indifferētia ſuſpenſionis cauſæ, non indifferentia poteſtatis, conſenſum enim eſſe pugnat cū eo, quod non ſit, non verò cum eo, quod poſsit non eſſe: ergo cauſa contingens per A, ſolùm amittit indifferentiam ſuſpenſionis, non poteſtatis; hanc verò, & non illam libertatem expoſcere, cum communi Theologorum aſſenſione iam olim demonſtravimus.

*Sup. à num. 161. vſque ad 173.*

1109 2. Determinatio, non auferens indifferentiam oppoſitam ſimplici neceſsitati libertatem cauſæ nō tollit; tùm, quia quęcumque alia determinatio ſolùm aufert indifferentiam potentiæ *ex parte ſui*, non verò indifferentiam potentię ex parte *eius ad quod dicitur*; quàm vnicè D. Tho. ad libertatem deſiderat; vel vt verbis M. Ferrara vtar, ea determinatio ſolùm aufert voluntatem eſſe *in potentia* ad vtrùmlibet, non autem eſſe *potentiam* ad vtrùmlibet: ſed A, non eſt determinatio auferens indifferētiam oppoſitam ſimplici neceſsitati: ergo non aufert indifferētiam eſſentialem libertatis. Prob. Min. Determinatio, quæ non eſt ſimplex neceſsitas non aufert indifferentiam oppoſitam ſimplici neceſsitati, vt ex terminis patet; ſed A, non eſt ſimplex antecedens neceſsitas, vt probavi: ergo.

*D. Thom. 1. cont. gent. cap. 82. M. Ferrara, ibi.*

2. Determinatio, quæ non aufert poteſtatem principij proximi ad oppoſitum determinato non aufert indifferentiam oppoſitam ſimplici neceſsitati; determinatum enim poteſt non eſſe, dum eius oppoſitum poteſt eſſe, & cum determinatum poteſt nō eſſe non neceſſariò eſt; vnde nec cauſæ deficit illa indifferentia, quæ per ſolam neceſsitatem eſſendi perijt; ſed determinatio A, conſenſus non aufert à principio proximo poſſe nō conſentire: ergo. Prob. Min. Poſſe non conſentire ſolùm deficit cauſæ, dum poſſe conſentire excludit carētiam conſenſus; tùm, quia alitèr poteſtas conſentiendi non eſt conſentiendi neceſsitas; tùm, quia quæcumque impoſsibilitas carentiæ conſenſus non orta ex poteſtate conſentiēdi eſt conſequens libertatem in actu primo per principia proxima indifferentia adæquatè conſtitutam; ſed licet A, pugnet cum carentia conſenſus, poſſe conſentire cum ea carentia non pugnat, cum A, extra poſſe ſupponatur: ergo.

1110 Dices 2. A, Pugnare cum poteſtate non conſentiendi, non quia poſſe conſentire conſtituat; ſed quia per eius carentiam poſſe non conſentire conſtituitur, quia poſſe non conſentire excludit omne connexum cū conſenſu, & a libertate independens, quale ſupponitur A.

1111 Sed hoc potiùs eſt hypotheſim eſſe poſsibilem oppugnare, quàm in ea non ſtaturam libertatem defendere; vnde cōtra inſurgo; quidlibet ſolùm involuit formaliter carētiam excluſivi formalis ſui ipſius; nil enim formaliter tollitur, niſi per id, cuius carentiam habet intra ſe, ſicut nec formaliter ponitur, niſi per id, cuius exiſtentiam intra ſe habet; ſed A, non eſt excluſivum formale poteſtatis non conſentiendi: ergo poteſtas non conſentiendi non conſtituitur per carentiam A. Prob Min. A, nō eſt impoſsibilitas antecedens nō cōſentiendi: ergo nec excluſivum formale poteſtatis non conſentiendi. Probo antec. Impoſsibilitas antecedens vnius cōtradictorij eſt alteriùs antecedens neceſsitas; ſed A, vt probavi, non eſt antecedens neceſsitas conſentiendi: ergo nec antecedens impoſsibilitas non conſentiendi.

*Sup. à num. 1105.*

## SECTIO SEXTA.

*Ianſeniana argumenta inferentia gratiam ab intrinſeco efficacem in ſtatu naturæ lapſæ eſſe exactam ad poſſe ſalutariter operari obijciuntur, & diluuntur.*

1112 JAnſenius poſt Baium, & Calvinum gratiam intrinſecò

secè efficacem esse exactam ad posse salutariter operari deliravit, ex quo funesto principio perversa illa dogmata abEcclesia proscripta deduxit, & Catholicæ doctrinæ fundamenta labefactavit; ita enim colligit: Gratia interior præveniens est exacta ad posse salutariter operari; vt adversus Pelagium,& eius reliquias demonstravit Augustinus,& declaravit Ecclesia; sed in statu naturæ collapsæ nulla est gratia interior præveniens, quę non sit efficax: ergo hoc in statu gratia efficax exacta erit ad potestatem salutariter operandi. Mai. est principium fide sanctum. Min. triplici argumento probat. 1. ex Scriptura Sacra. 2 ex S. Augustino. 3. ratione Theologica, quæ in hac sectione evidenter refutabo.

§. I.

*Argumenta, quæ ex Sac. Scriptura desumpsit Iansenius, probant gratiã interiorem intrinsecè efficacem, sed non suadent omnem gratiam interiorem efficacem esse.*

1113 1. Objciuntur testimonia Sacra indicantia connexionem gratię interioris cum opere salutari, ex eo, quod dum adest gratia opus existit, vt in illo Apost. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur ij sunt filij Dei*: ex quo ita deduxit Augustin. *Ac per hoc quicũque agũtur Dei spiritu, ipsi facta carnis mortificant spiritu*; & alibi ita asserit: *Agis, si ageris, & benè agis, si à bono agaris.* Sed spiritus Dei, quo agũtur filij, vt facta carnis mortificent, est motio gratiæ ipsius: ergo gratia Dei à bono opere, & mortificatione carnis non dividitur.

*Ad Rom. 8. Aug. lib. 6. cont. Iulianum, c. 14. Aug. serm. 43. de verb. Domini.*

1114 2. Ex testimonijs colligẽtibus ex defectu operis boni nullam adesse interiorem gratiam, vt dũ ait Dominus: *Omnis qui audivit, & didicit à Patre, venit ad me* Ex quibus ita intulit Augustinus: *Profectò omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit.* Vlteriùsque addidit: *Qui credunt prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt, atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt.* Omnem igitur gratiam interiorem iudicat Augustin. ex verbis Christi connexam cum fide; aliàs inefficacitèr colligeret, *non credentes intus non audire, neque discere, sed foris*: & similiter dum ex eis ita intulit: *Si omnis, qui didicit venit, quisquis nõ venit profectò nõ didicit.*

*Ioann. 6. August. de Prædest. SS. cap. 8.*

*August. de Grat. Christi, cap. 14.*

1115 3. Ex Sacræ Paginæ verbis indicantibus, gratiam Dei per Christum esse exactam ad posse salutariter agere, vt sunt illa Christi: *Nemò potest venire ad me nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Et illa: *Nemò potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre.* Sed gratia efficax est gratia trahens, & donans venire ad Christum: ergo non datur gratia interior præstans posse distincta ab efficaci, cum nisi adsit efficax *nemò possit venire* ad Christum. ¶ Augetur difficultas, ex modo loquendi Conciliorum, dum gratiam Dei adiuvãtem per Christum (quo nomine gratiam efficacem significari volumus;) ita esse exactam edocent, vt sine illa nihil valeamus veræ pietatis facere; Aphricanum ait: *Gratia Dei per Iesum-Christum nos per singulos actus adiuvari: ita vt sine illa, nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, agere, dicere valeamus*; Arausicanum asserit: *Dei adiutorium etiam sanctis semper esse implorandum, vt ad bonũ finem pervenire, & in bono possint opere perseverare.*

*Ioann. 22. Ioann. 6.*

*General Cõcil. Aphric. sub Zozimo*

*Papa Arausican. 2.*

1116 Ex simili modo loquendi D. Thomę, intendunt P. Societatis motionem efficacem iuxtà eius mẽtem debere esse exactam ad posse, & non solùm ad agere. Sanctissimus enim Doctor dixit: *Sine hac essentiali motione homo nequit aliquid velle*; oppositum tamen nos asserere dum affirmamus; hominem sine motione

*P. Ortega cont. 3. q. 7. art. 11.*

*D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 6. ad 3. art. 1. & 4. in corp.*

Dei

Dei poſſe omnia velle. Scripſit ſimiliter Sanct. *Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta non poteſt in ſuum actum prodire, niſi moveatur à Deo*; & expreſsiùs, dum motionem Dei vocat virtutem, ait enim; *Nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ.* Sed Div. Thom. loquitur de motione prędetermin. ſeù efficaci: ergo motionis efficacis virtute *poteſt* quęlibet creatura *in ſuum actũ prodire.*

*Auguſt. de geſtis Pelagij, cap. 3.*

*Ripalda lib. 2. adverſus Baia. diſ. 23 ſect. 26.*

1117 Huic argum. Omnes Orthodoxi reſpond. neg. Minorem: Ad eius 1. probat. reſpond. Ripalda, per ſpiritum, quo aguntur filij Dei intelligere Auguſtin. gratiam inclinantẽ, non verò connexam, ait enim: *Agũtur ſpiritu exhortante, illuminante, & adiuvante.* Vnde ex ſola gratia non intuliſſe Auguſtin. effectum operis; ſed ex eo, quod voluntas ſuo libero conſenſu ſinat ſe agi gratia. ¶ Vel Auguſtin. non inferre hominem benè agere, & facta carnis mortificare, ex eo, quod agatur ſpiritu Dei in actu primo, ſed in actu ſecundo; quaſi Auguſtin. diceret; quicumque agunt, ſi ſpiritu Dei aguntur, benè agunt; ſcopus enim Apoſtoli ſolùm fuit hominem regi ſpiritu divino, & non poſſe ſua naturali facultate facta carnis mortificare.

*Aug ſerm. 13.*

*P. Ripalda, vbi ſuprà n. 310. & Suarez in notationib. ad iſtum locum Auguſt.*

1118 Hanc tamen ſolutionem rectè impugnant Salmãticenſes, quia ſi illa conſecutio toties ab Auguſtino inculcata niteretur in cooperatione arbitrij, ſenſus redderetur ineptus, & M. Pater ſolùm id, quod eſt puerile affirmaret, ſcilicèt: *Qui aguntur ſpiritu Dei mortificando carnem, eam mortificant.* Similiter ſenſus erit: *Agis, ſi ageris* agẽdo: Quod eſt abſurdum: Auguſtinus igitur ex ſpiritu Dei, quo agimur intulit cooperationem arbitrij. ¶ Licet enim ſpiritu Dei *exhortante, & illuminãte* regamur, ipſo tamen, vt *adiuvante*, & inferente conſenſum agimur, non enim ſpiritu Dei agimur, vt agamus, ex eo, quod ſpiritu Dei regimur: In cuius confirmationem veritatis extat celebre Auguſtin. teſtimonium, dum enim præmitteret, vt Pelagianum dogma, quod *homines voluntate propria ſine Deo reguntur.* Id ita reijcit: *Abſit à nobis; nam proculdubiò plus eſt agi, quàm regi: qui enim regitur, aliquid agit; qui verò agitur agere aliquid ipſe vix intelligitur. Tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia ſalvatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere: quotquot ſpiritu Dei aguntur, &c.*

*Salmant. de gratia efficaci, dub. 1.*

*Auguſt. de geſtis Pelagij, cap. 3.*

Nec M. Pater comparat voluntatem agi à Deo, cum regi à ſeipſa viribus naturæ, vt exiſtimat Ripalda cum Suarez; ſed potiùs convincit homines regi à Deo, ex eo, quod aguntur à Deo, à maiori ad minus: Profectò enim hic fuit Auguſtin. diſcurſus: *Proculdubiò plus eſt agi, quã regi; ſed tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia ſalvatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere voluntates noſtras agi ſpiritu Dei*: ergo voluntates noſtrę ſine Deo non reguntur. Mai. probat Auguſtin quia *qui regitur aliquid agit.* Ideſt: omnibus eſt prævium, & intellectu facilè, rectum ab alio ex ſe agere, & determinari ad agendum: *Cum qui agitur, agere aliquid ipſe vix intelligatur*; ideſt, valdè difficilè, & paucis intelligibile, eſt actum ex ſe agere; licet veriſsimum ſit, quia vt Auguſt. inquirenti: *ergo agimur non agimus?* Reſpondet *immò, & agis, & ageris, & tunc benè agis, ſi à bono agaris: ſpiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor eſt.* Min. verò ex verbis Apoſtoli convincit Auguſtin. Vnde ita adverſum Pelagium concludit: *Spiritu ſapientiæ, non viribus propriæ voluntatis reguntur filij Dei.* Præter ergo ſpiritum Dei, quo homines reguntur, quem blaſphęme negavit Pelagius, intulit Auguſtin. ſpiritum Dei, quo homines aguntur.

*Aug. ſerm. 13. de verb. Apoſt.*

*Auguſt. de geſtis Pelagij, cap. 3.*

Nec

1119 Nec valet si 2. respondeas cum eodem Ripalda. Rectè inferri opus bonum ex spiritu agente filios Dei, non tamen ex omni interiori gratia; quia is spiritus est amor efficax, & liber charitatis; præter verò id auxilium, sunt alia inefficacia, & cum opere bono inconnexa: Assũptum probat; quia spiritus agens est proprius filiorum Dei, sed is charitas est; tùm, quia Paulus mox ad verba, quæ versamur subdit: *Accepistis spiritum Dei, in quo clamamus Abba Pater*; tùm, quia Augustinus ait: *Qui cũ spiritu Dei aguntur charitate aguntur*. Ergo spiritus Dei agens connexus cum bono opere charitas est. ¶ Immò affirmat P. Avẽdaño sustinuisse P. Ripalda in manuscriptis dari auxilia actualia gratiæ intrinsecè efficacia, quæ consistant in actibus nostris deliberatis elicitis per auxilia intrinsecè indifferentia.

*Ripalda ubi sup. n. 312.*

*Apostol. ad Roman. 8. Aug. serm. 13. de verb. Apostol. P. Avend. disp. 23. c. 1. sect. 8.*

1120 Contra enim est; quia licet aliquando Augustin. opus, quod per gratiam Deus operatur, gratiam appellet: spiritus, quo aguntur filij Dei non est iuxtà M. P. actualis charitas, sed est proprius filiorum Dei, quia eam donat; *agimur enim eo spiritu, vt agamus, & agentibus adiuvat*; sed actibus nostris liberis, nec adiuvamur, nec agimur: ergo spiritus Dei agens actus nostri liberi non sunt. ¶ 2. August. ait: *Qui agitur agere ipse vix intelligitur*, quis autẽ seriò affirmaret vix intelligi agere ipse, qui agitur à seipso, dum formaliter, & identicè ageret ipso agi? Vide, quę scripsi, vt suaderem, adiutorium *quò*, seù spiritum, quo filij Dei aguntur ad perseverandum non esse actualem perseverantiam.

*Aug. sup. allect.*

*Sup. à num. 421.*

1121 Vnde respondeo: Verùm esse spiritum, quo aguntur filij Dei esse gratiam actualem intrinsecè efficacem, & cõnexam cum bono opere; fallax autem argutia est, ex ea veritate inferre: omnem gratiam interiorem, ita esse cõnexam; vnde enim deduces, omnem interiorem gratiam esse spiritum, quo aguntur Filij Dei; vnde hæc est sophistica collectio: Hæc gratia est connexa: ergo omnis gratia: arguitur enim à non distributo ad distributum affirmative, vt in hac: hìc homo currit: ergo omnis homo currit. Plurima sunt Sac. Paginæ, & SS. Patrum testimonia eructantia gratiam, quæ adesse non possit sine bono opere; fatemur: omnem verò interiorem gratiam talem esse, vt Hæreticum, censura inustum, anathematis fulmine à Tridentino contritum, reijcimus, relegamus, & refragamur; inter enim Jansenij errorem, & opinionem P. Societatis in medio sumus; Jansenius errat in hac vniversali; *omnis gratia interior est ab intrinseco connexa cum opere salutari*. P. Societatis falso (non improbabiliter) sustinent hanc vniversalẽ: *Nulla gratia interior est ab intrinseco connexa cum opere salutari*. Nos autem vtramque cõtrariam dicimus falsam, subcontrarias contradicentes esse simul veras, quia inter gratias interiores prævenientes opus liberũ salutare in statu lapsus, aliquas edocemus intrinsecè connexas, & efficaces, aliquas sufficientes, non efficaces intrinsecè; vnde ad sacra testimonia, quibus abutitur Jansenius, ad probãdam gratiam interiorem connexam dicimus, evincere aliquam gratiam intrinsecè efficacem esse, sed non omnem: ad argumenta ex Sacra Scriptura à P. Societatis deprompta ad convincendum gratiam indifferentem, & inconnexam, asserimus demonstrare aliquam interiorem gratiam talem esse, sed non omnem, vnde vsque dum exclusiva inferatur, vel à Jansenianis gratiæ interioris indifferentis in statu lapsus (quod est impossibile, Cœli enim machina corruet inconcussa stante Ecclesia, adversus eam enim portę inferi non prævalebũt) vel à P. Societatis, gratiæ interioris prævenientis ab intrinseco

seco connexæ (quod numquam fiet) sententia Thomistica non labefactabitur.

1122 Paulispèr immoremur, vt principium, ex quo argumenta in nos ex sacris verbis desumpta, cum à Jansenio, tùm à P. Societatis dissolvimus, explicetur, & dilucide exponatur: connetur quis suadere, voluntatem Dei intrinsecè efficacem esse, & connexam cum obiecto volito; proferendo hæc divina eloquia: *Voluntati eius quis resistet? Non est, qui Dei possit resistere voluntati. Supremus Dominus exercituum decrevit, quis poterit infirmare*: Occurrunt communitèr Theologi hæc verba sacra convincere dari voluntatem Dei intrinsecè efficacem, & connexam cũ volito, minimè verò omnẽ Dei voluntatem intrinsecè esse efficacem. ¶ Intendat autem alter persuadere, voluntatem Dei intrinsecè non esse efficacem, aut connexam cum obiecto volito, adducendo hæc sacra verba: *Quoties volui congregare filios tuos Hyerusalem, & noluisti. Deus vult omnes homines salvos fieri.* Obsistunt Theologi, quia allata testimonia solùm persuadent esse voluntatẽ aliquam Dei inefficacem, & inconnexam cum obiecto volito, minimè verò, nullam voluntatem Dei esse intrinsecè efficacẽ, & connexam: simillime procedimus in dubio gratiæ ab intrinseco connexę cum opere salutari. Intendit Jansenius omnẽ gratiam interiorem prævenientem esse ex se efficacem, & connexam in statu lapsus: expendit testimonia sacra, quę versamur; quotquot *spiritu Dei agũtur, &c. omnis qui audivit, &c. Nemò potest venire ad me, &c.* Sed obviam facimus asserendo præiacta verba gratiam interiorem intrinsecè connexam inferre; minimè verò, omnem interiorem gratiam connexam esse. Procurant summo connatu P. Societatis, omnem gratiam interiorem prævenientem esse indifferentẽ, & intrinsecè inconnexam cum opere salutari; in medium adducunt hæc Sacræ Paginæ verba: *Vocavi, & renuistis: Spiritui Sancto resistitis: An divitias bonitatis eius* (Dei scilicèt) *contemnis? exhortamur nè in vacũ gratiam Dei recipiatis. Deus stat ad ostium, & pulsat, vt si quis aperuerit intret.* Et alia quam plurima; sed obviam facimus asserẽdo, sacra hęc eloquia evidenter evincere adversum Jansenium esse gratiam interiorem inefficacem, resistibilem, & inconnexam, cui defacto sępiùs resistitur, vt definivit Ecclesia: Minimè verò cõvincere omnem gratiam interiorem intrinsecè inconnexam esse; & vt divisio gratię interioris in intrinsecè indifferentem, & intrinsece connexã inepta suadeatur, non sufficit vnum extremum ex sacris testimonijs adstruere, si alterum non excluditur; vnde cum in medio inter Jansenij proscriptum errorem, & opinionem P. Societatis, Thomistæ simus, ab vtroque extremo valdè seiungimur.

1123 Probo iam in Jansenium, quod licèt præiactum Apostoli testimonium evincat gratiam interiorem intrinsecè efficacem, nõ persuadet omnem interiorem gratiam hoc in statu efficacem esse: 1. Angeli Sancti, qui filij Dei permanserunt acti fuerunt spiritu Dei, & tamen interiorem gratiam inconnexam cum opere salutari obtinuerunt: ergo licet in statu collapsæ naturæ spiritu Dei agantur filij Dei, gratiam sufficientem, seù inconnexam obtinere possunt: Antecedens quoad secundã partem est adhùc Jansenio certum, in statu enim sanitatis auxilia sufficiencia profitetur: quoad 1. probatur ex Augustin. asserente: *Confitendum est igitur cum debita laude creatoris nõ ad solos homines pertinere, verùm etiam de Sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis, per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.* Sed ex eodem Augustin. *Qui eã spi-*

*Matth. 23. 1. ad Thim. 2.*

*Act. 7. Ad Rom. 2. 2. ad Corint. 6.*

*Aug. lib. 12. de Civit. Dei, cap. 9.*

Aug. serm. 13. de verb. Apost.

*spiritu Dei aguntur charitate aguntur Charitas enim Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctũ, qui datus est*: ergo si in Sanctis Angelis charitas fuit per Spiritum Sanctum diffusa, confitendum est cum debita laude creatoris spiritu Dei, seù charitatis actos fuisse.

Iansen. lib. 2. de Gratia Christi, cap. 27.

2. Jansenius admisit debiliorem quandam gratiam dumtaxat imperfectum consensum exprimentem: ergo ea gratia non agimur, vt mortificando facta carnis agamus: ergo licet spiritus, quo iuxtà Apostolum quotquot aguntur filij Dei sunt, & vivunt facta carnis mortificando, sit intrinsecè connexus cum opere salutari mortificandi carnem, ineptè deducitur, omnem interioris gratię spiritum esse connexum, vt spiritus, quem hìc descripsit Apostolus.

1124 Operosiùs in verbis Apostoli adductis vtramquè interiorẽ gratiam sufficientem, & efficacem investigemus, & perscrutemur; Paulus ait: *Debitores sumus, vt non secundùm carnem vivamus, si enim secundùm carnem vixeritis moriemini; si spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis.* Nos ergo exhortatur *spiritu* facta carnis mortificare, vt vivamus; sed inepta, & importuna esset exhortatio, vt spiritu connexo, aut insufficiente facta carnis mortificaremus: ergo Paulus verbis ijs edocet spiritum sufficientem, & inconnexum cum carnis mortificatione. Probo Min. de spiritu connexo; inutiliter exhortatur quis ad agendum spiritu inseparabili ab actione, seù dum infallibiliter agit, sicut ineptum esset exhortare aliquem, vt si currit moveatur. ¶ De spiritu insufficiente æquè efficacitèr: Prob. Min. Inepta est exhortatio vt faciam, quod facere non possum, seù dum ad id agendũ insufficientiam habeo, vnde stultum esset exorare catenis victum vt curreret; iam enim olim aiebat D. Hieronymus; *Fateamur possibilia Deũ dedisse mandata, ne ipse author iniustitiæ sit, si exigat fieri, quod fieri nõ potest*: Si ergo, *debitores sumus, non secundum carnem vivere.* Spiritum supponit Paulus, quo possimus facta carnis mortificare. ¶ Addo, quod quia Deus homini ab initio à se constituto adiecit mandata sua dicens: *Si volueris mandata servare conservabunt te*; evincitur (vt nec Jansenium post Calvinum latet) in homine integro spiritus gratiæ sufficientis, & inconnexæ ad mandata servanda: Cùr igitur, si Apostolus eisdem fere verbis exponit debitum hominum in statu lapsus non vivendi secundum carnem, & quod *si spiritu facta carnis mortificent vivent* in eis non exprimetur sufficientia indifferens hominum in statu lapsus ad servandum debitum, non vivendi secundum carnem?

S Hiero lib. 1. adversus Pelag.

Eccles. 15. v. 14.

1125 Probo iam Apostol. etiam edocere spiritum gratiæ connexum cum carnis mortificatione, dum continuò ait: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur ij, filij Dei sunt*: Non dixit filios Dei esse, qui debent secũdum carnem non vivere, & exhortantur, vt eo spiritu, quo possunt facta carnis mortificent, ij enim non sunt semper filij Dei, sed *quicumque spiritu Dei aguntur*: Cùr autem ita intulit? Quia dixerat: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis*: Sed (Augustin. ait) *quicumque spiritu Dei aguntur, facta carnis mortificãt spiritu*: ergo *quicumque spiritu Dei aguntur* spiritu vivunt, seù *filij Dei sunt*. Ex hac Apostoli illatione ita colligo: illatio recta exigit antecedens esse connexum cum illato, & id formaliter non includere; sed ex hoc antecedenti *spiritu Dei aguntur*, infertur hoc consequens *facta carnis mortificant, & filij Dei sunt*: ergo spiritus Dei actor est ex se ab intrinseco connexus cum carnis mortificatione, quia si eam inferret, vt eam includit ineptè eam intulisset; collectioque

Apost. vbi supra.

ctioque Augustin. ita exponeretur, *spiritu aguntur mortificando, ergo mortificant.* Quo nihil absurdiùs: ergo cum Apostol. vnum exhortaretur, & alterum intulisset, vtrùmque spiritū gratiæ edocuit, sufficientem, nè importuna esset exhortatio, intrinsecè connexum, nè inepta esset illatio.

1126 Dices ex P. Antonio Perez: qui determinatur nullo modò agit patiendo prędeterminationem; sed qui agitur à Deo aliquo modò agit; ait enim Augustin. *Qui autem agitur agere aliquid vix intelligitur*; vbi notanda est illa vox *vix*; si enim agi non esset agere aliqua ratione, qui agitur, nè vix quidem ageret: ergo spiritus actor, seù quo agimur non est intrinsecè connexus, seù prædeterminans. ¶ Respondeo: Voluntatem in ipso prædeterminari, seù agi non agere *formaliter*, hoc enim esset inintelligibile, cum prædeterm. non sit voluntatis actio, sed Dei efficax motio; & ideò dixit Doct. Sanctus, *in ea operatione, qua Deus operatur movēdo naturam non operatur natura*; At verò in ipso agi, seù prędeterminari voluntatem agere *connexivè*, seù *applicativè*; quia voluntatem agi connectitur cum ipsam agere, & per agi applicatur, vt agat; *agimur enim, vt agamus* (ait Augustin.) *spiritus enim qui nos agit agentibus est adiutor*, & hoc est, quod *vix intelligibile* affirmat Augustin. licet verùm sit; agi, vt libere agamus, prędeterminari, vt ex nobis determinemur.

1127 Annectamus iam Jansenii argumenti filum præcisum; & ad secundam probationem intendētem ex testimonio illo Christi; *omnis qui audivit, & didicit à Patre, venit ad me*; iuxtà Augustin. explanationem colligi ex defectu operis salutaris absentiam gratiæ; omnes Orthodoxi vniformiter occurrunt ex defectu operis colligi defectum gratiæ efficacis, non verò omnis interioris gratiæ; quia non omnis interior gratia est, vt ea, quæ ab Augustin. ex verbis Christi describitur; quod ex eo deducitur, quod Christus non dixit: *Omnis, qui audivit à Patre venit*: *sed qui audivit, & didicit*: ergo supponitur posse audiri vocationem Patris, & ad Christum non venire: ergo ad venire alia gratia exigitur præter vocationem, quæ auditur.

1128 In huiusque indubiæ veritatis confirmationem addo 1. Calvinum, vt annotat P. Decamps, ex eo testimonio adversus Tridentinos Patres disputasse; ita enim evomuit: *Dico apertè repugnare, quod hic pronuntiant Tridentini Patres cum illa Christi sententia, quisquis audivit, &c. Nam, vt prudenter animadvertit Augustinus, inde sequitur, nullū à Deo audire, & discere, quin simul in Christum credat, motumque Spiritus Sancti, sic esse efficacem, vt fidem semper gignat.* Sed huic fallaciæ iam olim doctrina adducta responsum præbuit nobilis veritatis Catholicæ propugnator. Ruardus Tapperus, asserens: *Et nos docemus motum Spiritus Sancti sic esse efficacem, vt in electis fidem gignat, sed non semper, nec in omnibus, quia Sacra Scriptura testatur multos resistere Spiritui Sancto, multosque spiritum extinguere, gratiā Dei in vacuum recipere, gratiæ Dei quosdam deesse.*

1129 Addo 2. Præiactam distinctionem vocationum gratiæ sæpiùs edocuisse SS. Augustin. & Thomam, quorum testimonia alibi expensa consule, eis superaddendo non fuisse oblitum huius distinctionis M. Parentem versando sentētiam Christi, quàm exponimus; ita enim ait eam expendens; *sic docet Deus eos, qui secūdùm propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere*: Immò eodem in capite, vbi nobis opponi existimat Jansenius, eandem diversitatem vocationum gratię accuratè explicuit; ait enim: *Quando Pater intus auditur,*

*Anton Perez, de Provid. disp. vltim. sect. 12.*

*D. Tho. q. 3. de Potentia, art. 7. ad 3.*

*Aug. vbi suprà.*

*Ioann. 6.*

*Decamps, lib. 1. disp. 8 cap. 3. Calvin. in Antidoto, s. 6. cap. 6.*

*Ruard. Tapper. apud Decamps, vbi suprà.*

*Sup à num. 543. vsquè ad 6. Augustin. de Grat. Christi, cap. 3.*

*Augustin. de Prædest. SS.*

*tur, & docet, vt veniatur ad filium aufert cor lapideum, & dat cor carneum; sic quippè facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: ergo loquitur de gratia interna electorum vocatorum secundùm propositum, quos Deus facit vasa misericordiæ ad gloriam præparata.

Nec obstant illa Augustin. verba: *Qui non credunt intus non audiunt*; quia intelligenda sunt; *non audiunt intus* secundùm propositum: hìc enim *non audire*, multoties sumitur pro vocanti non annuere, aut eius voci non obedire; vt in illo: *Non audivit populus meus vocem meam*, sicut *audire* eo in Psalmo accipitur pro acceptare, aut obedire, in verbis illis: *Israël, si audieritis me non erit in te Deus recens*: Audire verò vocantem, non dicit ex se obedire, aut acceptare; aliàs inepta esset illa exhortatio: *Hodie, si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.*

*Psalmo 80.*

*Psalmo 94.*

1130 Cum ergo omnes Christi verba iuxtà Augustin. exponamus de gratia efficaci, restat examinare, qualiter sit efficax ea gratia, qua Pater intus auditur, & docet venire ad Christum? An sit efficax ab intrinseco, vel ab extrinseco? Si autem est ab extrinseco efficax, à quo? A cooperatione arbitrij, à scientia consensus sub ea gratia, vel à prædiffinitione consensus per gratiam? ¶ Sustineo, Christum loqui de gratia, qua Pater docet venire ad Christum intrinsecè efficaci, seù connexa, iuxtà M. Augustini mentem: & primo Christum nõ loqui de gratia intus docente efficaci à cooperatione arbitrij, ita vt sensus sententiæ Christi sit (vt suspicatur Ripalda, & communitèr P. Societatis:) *Quicumque à Patre intus audierit, & simul consentiendo didicerit veniet ad me credendo.* Probo efficaciter, ni fallor: 1. Nam vt ait Augustin. *Quid est ad me veniet: nisi credet in me?* Ergo sensus sententiæ Christi redditur ita ineptus: *Qui audierit, & crediderit* (hoc enim est consentiendo discere) *credet*, quia *veniet* idem est, ac credet.

*Ripalda vbi sup. n. 319.*

*Augustin. de Prædest. SS. cap. 8.*

1131 2. Non solùm audire, sed etiam discere iuxtà Augustin. prævenit credere, vt fassus fuit P. Avendaño; ait enim Augustin. *Pater auditur, & docet, vt veniatur ad filium*; doceri ergo non est venire, & credere, sed vt veniatur: quis enim inspiciens Augustin. expressè distinguentem, discere à Patre, & venire ad Filium, hęc confundere, audebit? Ita fatur: *Multos venire videmus, quia multos credere videmus in Christum; sed vbi, & quomodò à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus: Nam gratia ista secreta est, gratiam verò esse, quis ambigit?*

*Avendaño disp. 23. c. 1. sect. 6.*

*Augustin. ibi*

*Augustin. ibi*

1132 3. Si discere esset credere, & non gratia ipsum credere præveniens, huic interrogationi. *Cùr ergo non omnes docet, vt veniant ad Christum? Si dixerimus, quia nolunt discere, quos non docet* esset recta responsio, quia vt fatetur Augustin. *Qui audiunt non credunt, quia nolunt*; sed hanc responsionem refutat, & reijcit Augustin. ergo Augustin. per discere non intellexit ipsum credere, sed gratiam id prævenientem. ¶ Clariùs: Augustin. causalem istam affirmat, audientes non credunt, quia nolunt, sed hanc reijcit, non discunt, *quia* nolunt: ergo ex Augustin. discere non est credere.

*Augustin. de Prædest. SS. cap. 6.*

*Augustin. de Prædest. SS. cap. 8.*

1133 Si autem hac doctrina nõ admissa asseras cum P. Avendaño; per audire, & discere intelligi gratiã prævenientem concessam à Patre, vt veniatur ad filium, connexamque cũ venire, & credere, non autem ab intrinseco, quia importet quidquam prædeterminans, sed decretum præparativum vocationis congruæ præsupponens Scientiam Mediam de fide Christi futura sub illa.

*Avendaño, vbi suprà.*

1134 Contra probo, connexionem inter audire, & discere cum ve-

nire ad Christum, seù in eum credere non provenire à præscientia conditionata fidei sub illa vocatione, 1. Quia si ab ea præscientia esset illa connexio, possent coniungi audire, & discere à Patre cum non venire; tùm, quia audiens, & discens posset præsciri non credens; tùm, quia cum conditionalis sit contingenter vera, quia conditio, seù vocatio est intrinsecè inconnexa cum conditionato poterit conditionatum deficere pro casu conditionis; Sed *Absit* (Augustinus ait) *vt quisquam non veniat, qui à Patre audivit, & didicit*: ergo audire, & discere à Patre non connectuntur cum venire ad Christum ab extrinseca præscientia, sed ab intrinseco.

*Augusti. de Prædest. SS. cap. 8.*

1135 2. Quia ita concludit M. Pater: *Ergo trahi à Patre ad Christum, & audire, & discere à Patre, vt veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere à Patre, quo credat in Christum, neque enim audientes Evangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat, qui dicebat, nemo venit ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo*: Sed accipere donum à Patre, quo quis credat in Christum, & discernatur à non credente est obtinere donum ab ipso credere distinctum, & cum eo ex se connexum, & non à præscientia fidei sub illo: ergo ex Augustin. donum dans venire ad Christum ad eumque trahens est intrinsecè connexum, cum credere. Prob. Minor. Quia si donum connexum cũ credere ex præscientia fidei sub illo sufficeret, vt credens discerneretur eo dono à non credente possent Semi-Pelagiani hanc discretionem ex Deo stabilire per dona naturæ accepta à Deo connexa cum credere à præscientia conditionata fidei sub illis; vnde discretio ex Deo non conuinceret in credente donum distinctum à credere, & donis naturæ, sed solùm præscientiam fidei conditionatam sub illis donis, quod est absurdum.

*Augusti ibi*

1156 Postremò, quia nullibi M. P. expressiùs distinxit vocationẽ inefficacem: *Qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias*; à vocatione efficaci *eorum, qui secundùm Dei propositum vocati sunt, quam vocationem significans* Apost. *ait, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia maior seruiet minori*; *ex vocante non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens, hanc etiam intuebatur, cum diceret*; *sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei, idest sine mutatione stabiliter fixa sunt*, de qua vocatione inquit Mag. Pater: *Ad hanc vocationem, qui pertinent omnes sunt docibiles Dei, nec potest eorum quis dicere, credidi vt sic vocarer: prævenit eum quippè misericordia Dei, quia sic vocatus est vt crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt, & didicerunt à Patre per Filiũ, qui evidentissimè dicit, Omnis, qui audivit, &c.* Ex quibus verbis ita colligo. 1. Vocatio secundùm propositũ, seù efficax consistit iuxtà Augustin. in audire, & discere à Patre, sed efficacia constituta per scientiam cõditionatam non consistit in audire, & discere, sed audienti, & discenti est extrinseca: ergo efficacia vocationis iuxtà Augustin. non constituitur per conditionatam scientiam. ¶ 2. *Non potest, quis dicere credidi, vt vocarer sic*, idest efficaciter, & secũdùm propositum, cum potiùs electus, *sic vocatus est vt crederet*: Vocatio enim vt efficax *prævenit* credere, & à credere non prævenitur: Sed si vocatio secundùm propositum obtineret efficaciam à præscientia conditionata fidei sub illa, posset quis dicere *credidi vt sic vocarer*, sicut potest quis dicere, *credidi vt sic Deus præsciret*, cum res, quia futurę adstruantur à Deo scitæ; & sicut credere prævenit præscire à quo non prævenitur, ita præ-

*August de Prædest. SS. cap. 16.*

*Ad Rom. 9.*

*Roman. 11.*

prævenire*t sic* vocari à quo non prę-veniretur : ergo vocatio ſecundùm propoſitum ab intrinſeco efficaciam habet, non à Scientia Media, ſeù conditionata fidei ſub illa.

*P. Anton. Perez de Provid. diſ. vlt. ſect. 9.*

1137 Sed ingeniosè inſurges cum P. Antonio Perez, & alijs; Audire, & diſcere à Patre eſt gratia efficax ad credere in Chriſtum; ſed audire, & diſcere includit noſtrũ conſenſum liberum : ergo gratia eſt efficax à conſenſu libero, & non eſt prædeterminans. Prob. Min. 1. ex D. Thoma exponente teſtimonium Ioãnis, his verbis: *Attractio Patris efficaciſsima eſt, quia omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: vbi duo ponit, vnum ſcilicèt, quod pertinet ad donum Dei, cum dicit audivit, ſcilicèt Deo revelante; aliud, quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit, & didicit, ſcilicèt per aſſenſum, & iſta duo neceſſaria ſunt in omni doctrina fidei.* Ergo diſcere à Patre iuxtà D. Tho. ad liberum pertinet arbitrium, aſſenſumque nobis liberum includit. ¶ 2. Quod præcipitur nobis, liberum eſt; ſed intus audire, & intus diſcere nobis præcipitur; Chriſtus enim dicit in Evangelio, *qui habet aures audiendi, audiat.* Ergo interior auditio nobis libera eſt.

*D. Th. lect. 5 in cap. 6. Ioannis.*

*Matth. 11*

1138 Reſpondeo negando Min. & ad eius 1. prob. D. Thom. ſolàm velle *diſcere* pertinere ad liberũ arbitrium *connexivè*, ſeù *applicativè*, non formaliter; quatenus *diſcere* nobis non liberum connectitur cum aſſenſu nobis libero : quod colligo 1. quia Doct. Sanctus minimè recedit ab Auguſtino, ex cuius mente haud inefficaciter fundavi diſcere non eſſe credere, ſed gratiam ipſum credere prævenientem. ¶ 2. Quia gratia docens eſt gratia trahens ad credendum, & efficax; ſed iuxtà Div. Tho. gratia efficaciter trahens ad credendum operatur, & prævenit credere, ita enim ait Doctor Sanct. exponendo præter ſuadendo, & excitando efficacem tractum Patris ad Chriſtum: *Sed quia nõ ſolùm revelatio exterior, vel obiectum virtutem, attrahendi habet*, Et moralem tractum, *ſed etiã interior inſtinctus impellens, & movens ad credendum*, prę ve nit ergo credere ad quod impellit : *Ideò trahit multos Pater ad Filium per inſtinctum divinæ operationis moventis interiùs cor hominis ad credendũ*: Quam efficientiam phyſicam probat ex ſacris litteris: *Quia Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere*; & quia eſt *cor Regis in manu Domini quocumque voluerit inclinabit illud.*

*Sup. à num. 1130.*

*D. Tho ibi, lect. 5 lit. C.*

*Ad Phil. 2.*

Ad 2. probat. Min. neg. Minor. Quia audire non præcipitur nobis, niſi pro it ſignificat annuere, aut obedire, interdũ enim audire eſt poſtulata petenti concedere, aut præcipiẽti parere; vt ſuperiùs dixi, in illis verbis: *Qui habet aures audiẽdi, audiat*: Audire ſumitur pro intelligere, quod præterquàm quod ex cõtextu conſtat; ita exponitur à Divo Thoma aiente: *Ideſt qui habet aures ſpiritualiter audiat, & intelligat*, & alibi ex Remigio; *Ac ſi diceret: Qui habet aures cordis audiendi, ideſt, intelligendi, audiat, ideſt, intelligat*; Cùm Chriſtus dixit Ioannem eſſe Eliam : *Quia non dixit Ioannem Eliam eſſe in perſona, ſed in ſpiritu.*

*Oſſee 11.*

*Sup. à num. 1129.*

*D. Thom. ad illa verba. Matth. 11. D. Th. ad ea verba in Catena.*

1139 Tertię probationi minoris, principalis Janſenij argumenti deſumptæ ex modo loquendi Sacræ Scripturę, Conciliorum, & SS. Patrũ de gratia efficaci : Reſpondeo verè dici: *Neminem poſſe venire* ad Chriſtum niſi Pater eum *trahat*; *& niſi fuerit ei datum à Patre*; ſed nõ quia gratia efficax, & trahens, ſeù donans venire ſit exacta ad poſſe venire, ſed quia eſt neceſſaria ad ipſum venire, cui expoſitioni favent plura Scripturæ Sacræ teſtimonia eodem in ſenſu accipienda; Paulus enim ait: *Qui autem in carne ſunt Deo placere non poſ-*

*Ioann. 2. Ioann. 6.*

*Ad Rom. 8.*

*possunt*; & alibi: *Qui in carne vivit non potest placere Deo.* Quia non possunt coniungi in carne, id est, secundùm carnem vivere, & Deo placere, quia non vivere secundùm carnem exigitur ad actu placendum Deo; sed nō quia necessarium sit ad posse placere Deo, quia secundùm carnem vivens habet potestatem Deo placendi, quia, & tunc potest facta carnis spiritu mortificare, & Deo vivere. ¶ Simili in sensu dixerunt Labam, & Bathuel: *A Domino egressus est sermo, non possumus extrà placitum eius quidquam aliud loqui tecum.* Et tamen est indubium, quod habebant posse loqui extrà placitum Dei, alias non libere loquerentur: ergo solùm erat impossibile hæc duo componere, Deum id decernere, & illos aliud loqui; vnde Deum id non decernere erat exactum, vt aliud loquerentur, non autem vt aliud loqui possent. ¶ Nec dissimiliter, asserit scriptura: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*; Cùm definitum sit in Tridentino, *Iustum*, seù arborem bonam *posse peccare*, seù malos fructus facere; Qualitèr hæc primo aspectu opposita compones? Nisi, quia iustus habet potestatem peccandi, sed amittendo esse iustum per peccatum, non enim possunt cōponi læthaliter peccare, & iustum esse; & quia non esse arborem bonam exigitur ad peccare, at non exigitur ad posse peccare, seù malos fructus facere, quia, & hoc possunt arbores bonæ: *Possunt enim transgredi, & non sunt trangressæ; facere mala, & non fecerunt*: Ita nemò potest venire ad Christum nisi Pater eum traxerit, seù id donet per gratiam, non quia ad posse venire exacta sit gratia efficaciter trahens, & venire donans, sed quia venire nequit esse sine gratia trahente, aut id ipsum donante; quo in sensu dicitur: *Nemò potest currere nisi moveatur*, non quia motus constituat posse currere, sed quia implicat cursum existere sine motu.

*Ad Corint.* *Genes. 24.* *Matth. 7.* *Trident.*

1140 Sed ingeniosè insistes: sicut Scriptura affirmat: neminem posse venire ad Christum sine interiori gratia, ita asserit neminem posse venire ad Christum sine gratia trahente, & id donante; sed testimonia affirmantia neminem posse venire ad Christum sine interiori gratia ineptè exponerentur si diceretur tantum asserere ipsum venire non posse esse sine interiori gratia, non verò eam gratiam exactam esse ad posse venire: ergo similiter non rectè exponūtur testimonia asserentia neminem posse venire ad Christum sine gratia trahente, & id donante, quia hæc gratia sit exacta ad venire non ad posse.

1141 Respondeo: Plurima esse testimonia sacra exprimentia neminem posse venire ad Christum sine interiori gratia, nō solùm, quia exacta sit ad venire, sed quia necessaria ad id posse, vt sunt: *Sine me nihil potestis facere*, scilicèt, proùt ad salutē opportet: *Nemò potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto*; Et clariùs dum fatemur: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: Vbi appertè affirmatur non esse in nobis sufficientem potentiam ad cogitandum opera saluraria, sed sufficientiam nostram esse ex gratia Dei.

*Ioann. 6.* *1. Cor. 12.* *2. Corint. 3.*

1142 Ad id, quo augetur difficultas ex modo loquendi, cum Concilij Aphricani, tùm Arausicani, dum illud decernit: *Gratia Dei per Christum nos adiuvari, quia sine illa nihil veræ pietatis valemus*; & istud definit: *Dei adiutorium sanctis esse implorandum, vt possint perseverare*; eadem doctrina satisfacit, quia in eodem sensu intelliguntur: in quo similiter exponitur Tridentini Canon statuens: *Si quis dixerit iustificatū, vel sine speciali auxilio Dei in acceptā*

*Trid. sess. 6. de Iustific. Can. 22.*

*ta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse; Anathema sit.* Vbi sensus est non posse simul componi hæc duo, iustificatum finaliter perseverare, & non habere speciale, & efficax perseverantiæ donum; quod nõ exigitur ad potestatem proximam perseverandi, cum iustum posse perseverare, seù habere potestatem proximam perseverandi sine speciali auxilio ratione gratiæ habitualis, & donorum ei gratiæ debitorum, sit communis Theologorum sententia, cui favet Augustinus, dum ait, quod *homo in primo statu*, scilicèt, originalis iustitiæ *accepit donum per quod perseverare posset, non autem accepit, vt perseveraret*. Et haud obscurè colligitur ex SS. Innocentio X. in Jansenium definiente: *Homini iustificato numquã deesse auxilia, quibus possibilia sunt præcepta Dei.* Iusto igitur semper adest auxiliũ præstans posse perseverare, eo enim fit possibile perseverantię præceptum.

*Augusti. de Corrept. & Grat. c. 12.*

*Innoc. X. in 1. propos. adversi. Iansenium definita.*

1143 Ad probationem ex verbis D. Thomæ depromptam asserentis, quod *homo sine motione Dei nequit aliquid velle*. Et quod *nulla creatura potest in suum actum prodire, nisi moveatur à Deo*: Similiter dicimus Doct. Sanct. debere intelligi in sensu composito, quatenus est impossibile hominem velle, & agere nisi moveatur à Deo: Non autem, quia motio Dei sit exacta ad posse velle, & agere: Hancque fuisse D. Thomæ mentem probant Docti Thomistæ: quia Sanct. Doctor loquitur de omni natura, tàm *corporali*, quàm *spirituali quantumcumque perfecta*; sed certum est plures causas secũdas naturales priusquàm moveantur à Deo habere potentiam sufficientem ad operationes sibi correspondentes: ergo Div. Thom. motionem Dei non exposcit ad posse sufficienter agere, & velle, sed ad agere, & velle.

*Gonet, disp. 4. de Voluntate, sect. 3. Salmantic. disput. 6. de Gratia efficaci, dub. 1. sess. 4.*

1144 Vrgentiùs id in Jansenii evincit M. Gonet; quia Doctor Sanctus de quacumque *natura* creata *quantumcumque perfecta* statuit *non posse in suum actum prodire, nisi moveatur à Deo*: Ergo iuxtà Sanctum natura nostra adhùc sana, & integra non poterat in suum actum prodire nisi moveretur à Deo; sed adhùc, non renuente Jansenio, motio Dei efficax non erat exacta in statu integritatis ad potestatem salutariter agendi: ergo loquutio illa Divi Thomæ potest verificari in statu lapsus, licet motio efficax hoc in statu potestatem agẽdi non constituat. ¶ Si dicas Doctorem Sanct. illis in verbis loqui de motione gratiæ sufficientis. ¶ Intentum obtinui; quia iam ijs ex verbis colligi non poterit motionem Dei efficacem constituere posse agere.

*D. Thom. 1. 2. q. 109. artic. 1. in corpore.*

1145 Addo denique, adversus P. Societatis: D. Thomam eo in loco ita scribere: *Quod homo cõvertatur ad Deum, hoc non potest esse, nisi Deo ipsum convertente*: & tamen Deum nos convertere non exigitur, vt possimus cõverti, quia dum Deus nos convertit convertimur, ex illo *converte nos Domine ad te, & convertemur*, & vt posimus converti nõ exigitur, vt convertamur: ergo licet D. Thom. asserat, nos non posse agere nisi à Deo moveamur, non infertur, hanc motionem prędeterminantem constituere posse agere, sed solùm colligitur esse exactam ad agendum.

*D. Tho. 2. 2. q. 109 art. 6. in corp.*

## ADDITIO.

1146 AD rationes nostras quibus, ex sacris testimonijs à Jansenio prave intellectis, intulimus gratiam intrinsecè efficacem; Doctor Prado respondere intendit: Ad 1. rationem ex verbis Apostoli desumptam: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*: asserit gratiam, qua Deus nos agit, & à Deo agimur, vt non secundum carnem vivamus, sed spiritu facta carnis mortificemus, esse ipsam *excitantem* indifferentem, vnde

*Prado de Libero Arbit. disp. 7. sect. 6. à n. 87. vsquè ad 96.*

vnde per iſtum textum minimè probari aliam gratiam diſtinctam adiuvantem intrinſecè efficacem: Et probat. 1. ex illis Auguſt. verbis: *Agũtur ſpiritu exhortante, illuminante, & adiuvante*: Et expoſitionem, quã iudicat noſtram. Quod filij Dei ſpiritu *exhortante, & illuminante* regũtur; *adiuvante* verò aguntur; reijcit, vt apertè contradicentem Auguſtin. quia ſi ſpiritus exhortans, & illuminans ſolùm regit, & non agit, debuiſſet Sanctus Doctor non dicere, quod *aguntur ſpiritu exhortante, illuminante, & adiuvante*; ſed potiùs: *Non aguntur ſpiritu exhortante, & illuminante: ſed ſolùm adiuvante*; dixit autem oppoſitum, vt eſt perſpicuum.

*Aug. ſerm. 13. de verb. Apoſtoli.*

*Suprà num. 1118.*

¶ 2. Quia ſi ex textu Apoſt. colligeretur gratia intrinſecè efficax, & ab excitante diſtincta, eſſet, ex eo, quod per gratiam excitantem ſolùm *regimur*, & quod per adiuvantem *agimur*, & ex Auguſt. *Proculdubiò plus eſt agi, quam regi*; ſed hęc ratio eſt ineffícax; Tùm, quia quod ſit plus agi, quam regi, non probat, quod idẽ ſpiritus, & gratia regens, non ſit ſimul agens: Tùm, quia ideò D. Tho. intelligit verba Apoſtoli cum limitatione, dicens: *Per Spiritum Sanctũ quodammodo agimur, vt præcepta Dei impleamus ſecundùm illud Apoſtol.* Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij *Dei*: Vbi ly *quodammodo* denotat non ſimpliciter omninò eſſe intelligenda verba illa: Tùm, quia clariſsime hoc ipſum edocuit D. Chriſoſt. dicens, Paulum: *Nec ſimpliciter dicere, quicumque ſpiritu Dei vivũt, ſed quicumque ſpiritu Dei ducuntur.* Et ideò ſic intelligit verba prædicta Ferrarienſis.

*Aug. vbi ſup. n. 1118*

*D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 22.*

*D. Chriſoſt. ad Rom. 8. hom. 14.*

*Ferrara ad verba allata D. Thom.*

3. Hoc teſtimonio vſus fuit Auguſt. vt convinceret neceſsitatẽ gratię tribuentis ſufficientiam adverſus Pelagium, qui eam negavit; ſed gratia tribuens ſufficientiam eſt excitans, & non intrinſecè efficax: Ergo hoc teſtimonium evincit gratiã excitantem; ſed per illud teſtimonium non poteſt evinci, niſi gratia per quã *aguntur*, qui ſunt filij Dei; Ergo gratia per quam ita *aguntur*, eſt excitãs & prębens ſufficientiam, non verò alia diſtincta intrinſecè efficax: ¶ Demum, quod idem ſit ſpiritus gratiæ excitans, & agens, conſtat ex D. Auguſt. in Pelagium aſſerente: *Hoc enim ſpiritu, non viribus propriæ voluntatis, reguntur, & aguntur, qui ſunt filij Dei.*

*Auguſt. de geſtis Pelagij, cap. 3.*

1147 Sed hæc facilia ſunt, nec tangunt ſolutionem meam, de qua aſſerit *tàm frigida ſolutio non eget impugnatione* dicimus, quod *agimur ſpiritu Dei exhortante, & illuminãte*, ſed hoc eſt *agi moraliter* ſeù *regi*: hìc ſpiritus eſt gratia excitans, & cõſtituens ſufficientiam; de quo non dubitamus; ſed vlteriùs aſſerimus, quod ad verificandum teſtimonium Apoſtoli non ſufficit, nos agi moraliter per gratiam excitantem dantẽ ſufficientiam, ſed exigitur nos *agi phyſicè* per ſpiritum determinantem ab excitante, & indifferente diſtinctum; dum probamus cogimur ad id ſuadendum; Dum reſpondemus, te teſtimonijs aſſerentibus *inſpirationibus agimur; amore agimur: ſpiritu exhortante, & illuminante agimur*: Dicimus hæc teſtimonia abſre eſſe, quia probãt, quod ſupponimus; arguens tenetur excluſivam probare, intendendo, textum Apoſtoli verificari, licet ſolùm *agamur* moraliter *amore, inſpirationibus, & ſpiritu exhortante, &c.* Vnde neſcio, quomodo vir valdè ingenioſus, poſtquã ita deſpexit illam ſolutionem meã; aſſerat: *Ergo ſi mea probatio convincit*, quod per gratiam excitantem aguntur filij Dei, *obtinet abſdubio, quod textus præſens non probat aliã gratiam ab excitante diſtinctam: eſt nè ergo abſre?* Clarum enim videtur abſre eſſe textus tantùm probantes, *quod per gratiam excitantem aguntur filij Dei*, quod ſupponimus, ſed

*Prado ibi, num. 89.*

*Prado ibi,*

eſt

est necesse vlteriùs suadere; vel quod per solam gratiam excitantem aguntur, vel quod sufficit ad verificandũ textum Pauli, agi gratia excitante; vnde ex hoc textu non rectè colligi, gratiam ab excitante distinctam; sed hoc illis textibus SS. PP. minimè suadetur.

1148 Probo iam ex SS. Patribus. D. Thoma, Divo Chrisostomo, & Augustino, ad quos recurrit, non sufficere ad verificandum textũ Pauli, quod agamur gratia excitante, seù spiritu Dei illuminante: Et 1. ex D. Thoma, ex professo exponente textum Pauli, per hæc verba: *Primo potest sic intelligi*: quicumque spiritu Dei aguntur, *idest, reguntur sicut à quoddam ductore, & directore, quod quidem in nobis facit spiritus, scilicèt in quantum illuminat nos interiùs quid facere debeamus.* Spiritus tuus bonus deducet me, &c. *Sed quia ille qui ducitur ex seipso non operatur. Homo autem spiritualis non tantum instruitur à Spiritu Sancto quid agere debeat, sed etiam cor eius à Spiritu Sancto movetur. Ideò plus intelligendum est in hoc, quod dicitur*: quicumque spiritu Dei aguntur. *Illa enim agi dicuntur, quæ quoddam superiori instinctu moventur. Vnde de brutis dicimus, quod non agunt, sed agũtur: quia à natura moventur, & non ex proprio motu ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter: sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundùm illud.* Cùm venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Dei cogit. *Et illud.* Quod Christus agebatur à spiritu in differto: *Non tamẽ per hoc excluditur quin viri spirituales, per voluntatem, & liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrij Spiritus Sanctus in eis causat, secundùm illud.* Deus est qui operatur in vobis velle, & *perficere.*

*D. Tho. lect. 3 in ep. ad Rom. 8.*

*Psalm. 142.*

*Isai. 59.*

*Lucæ 4.*

*Phil. 2.*

Ergo in testimonio Pauli non solùm Filij Dei *aguntur, idest, reguntur*, seù excitantur, quatenus *Spiritus illuminat nos interiùs, quid facere debeamus*, sed *plus intelligendum est, illa enim agi dicuntur, quæ quoddam superiori instinctu moventur*; hysicè, sicut *de brutis dicimus quod agũtur, quia à natura moventur*, & incapacia sunt excitationis moralis: *Similiter homo spiritualis ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum, cùm venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Dei cogit: quin excludatur motus liberi arbitrij quem Spiritus Sanctus in eis* physicè *causat*, quia *Deus est, qui operatur* physicè *in nobis velle*: Ergo ex testim. Pauli rectè colligimus iuxtà D. Thomam nos agi à gratia alia, præter excitantem, indifferẽtem, & moraliter moventem.

1149 2. Quia licet Doctor Sanctus asserat, quod *per Spiritum Sanctum quodammodo agimur, vt præcepta Dei impleamus*, non est quia verba Apostoli non sunt intelligẽda simpliciter, sed quia *considerandum est*, (D. Thom. ait) *quod à Spiritu Sãcto filij Dei aguntur, non sicut servi, sed sicut liberi: cùm enim liber sit, qui sui causa est: illud libere agimus, quod ex nobis ipsis agimus: hoc verò est, quod ex voluntate agimus ::: Spiritus autem Sanctus sic nos ad agendum inclinat, vt nos voluntariè agere faciat, in quantum nos amatores Dei constituit: filij igitur Dei libere à Spiritu Sancto aguntur ex amore*: Ergo ex D. Thom. *quodammodo* agimur Spiritu Dei, non quia simpliciter non agimur, sed quia agimur, sicut liberi, quia ita Spiritus ad agendum inclinat, vt nos libere agere faciat: Et ita intellexit Doct. Sanctum Ferrara, non sicut iudicat Prado, licet enim asserat nos à Spiritu Sancto non simpliciter agi, non est quia non agamur physicè; sed quia *actio* non *determinatur ab altero omninò ita*

*D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 22.*

*Ferrara ibi.*

*quod* nos *non ſimus indifferentes ad agendum, ſicut bruta, nos enim ita movemur ab altero, vt ſit in poteſtate noſtra agere, & non agere: & propter hoc dixit S. Thom. quod per Spiritũ Sanctum quodammodo agimur, vt præcepta Dei impleamus*: Vbi ſolùm negat nos determinari *omninò* à motione Dei, motionem enim Dei determinantem ſupponit alibi Ferrara, vt fatetur Collegium Coimbricenſe Societatis Ieſu.

*Ferrara 3. contr Gent. Colleg. cap. 70 Coimbricenſe. 2. Phyſ c. 7. p. 13.*

1150 3. Ex D. Chriſoſtomo etiã ſuadetur, quod non intellexit Paulũ, quatenus ſolum doceat, nos agi *moraliter*, ſeù *regi* ſpiritu Dei, ſed etiã *agi phyſicè*: Intendit enim Paulus iuxtà Chriſoſt. *Non ſolùm eſſe beneficium ſpiritus, quod præteritis nos peccatis liberavit, ſed quod, & ad futura inexpugnabiles reddit, & vita dignatur immortali*, ſed vt, *& aliam mercedem proponeret, addidit*: Etenim quicunque ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt filij Dei: *Hæc enim rurſus corona, prioris multo eſt maior. Quapropter, neque ſimpliciter dixit, quicumque enim ſpiritu Dei vivunt; ſed*, quicunque ſpiritu Dei ducũtur: *Oſtendens, quod ſic vult illum vitæ noſtræ dominum eſſe, vt gubernatorẽ navigij, & aurigam currus equorũ, nec corpus ſolùm, ſed ipſam etiã animam habenis huiuſmodi ſubijcit, neque enim illam vult dominari, ſuoque quoddam inſtituto vivere, ſed & illius authoritatem ſpiritus poteſtati ſuppoſuit*: Vbi vt vides pluſquam ſpiritu Dei vivere eſt ſpiritu Dei duci; ſed ſpiritus ducens Dei eſt Dominans, & gubernans animam illiuſque poteſtatem poteſtati ſpiritus ſubijciens; Et ſpiritus Dominans, gubernans, & ſubijciens, non ſolùm regit, & moraliter excitat, hìc enim poteſtati animę ſubijcitur, & ab ea determinatur.

*Chriſoſtom. hom. 14. in ep. ad Rom. 8.*

1151 Accedamus ad M. P. Auguſt. vt inſpiciamus; An ad verificandum textum Apoſtoli ſufficiat nos agi gratia excitante indifferente, ſeù moraliter agi, & regi? Et Primo, eſſe eundem ſpiritum gratię excitantem, & agentem, minimè colligitur ex illis Auguſt. verbis: *Hoc enim ſpiritu, non viribus propriæ voluntatis, reguntur, & aguntur, qui ſunt filij Dei*:: Si enim quis veriſimè diceret, *ſpiritu Dei, non viribus propriæ voluntatis credunt, ſperant, diligũt, qui ſunt filij Dei*, Non rectè inferes, ergo idem eſt ſpiritus Dei quo credimus, ſperamus, & diligimus; ſed tantum inferes; Ergo ſpiritus Dei eſt quo credimus, &c. Similiter ex illis verbis Auguſt. ſolùm infertur nos *regi*, & *agi* ſpiritu Dei, non tamen eſſe eundem ſpiritum quo regimur, & quo agimur: vt exponeret Auguſt. quomodo *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*, ita ſcripſit: *Vt ergo ames Deum, habitet in te Deus, & amet ſe de te, id eſt, ad amorem ſuum moveat te, accẽdat te, illuminet te, excitet te*. Nec rectè inferes, ergo idem eſt ſpiritus gratię quo Deus habitat, & quo Deus excitat; ſimiliter ex illis Auguſt. verbis inefficaciter colligis: ergo idem eſt ſpiritus gratiæ, quo regimur, & quo agimur.

*Auguſt de Geſtis Pelagij, cap. 3.*

*2. Corint. 4.*

*D. Aug. de verb. Dom. Serm. 43.*

1152 2. Quia minimè ex Pauli textu probavimus gratiam tribuentem ſufficientiam, quatenus D. Paulus ait: *Quicumque ſpiritu Dei agũtur, &c.* ſed quatenus ait: *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*: Vnde ex noſtra probatione inefficaciter colligitur à Prado, quod ſpiritus quo agimur eſt gratia excitans ſufficientiam exhibens; iuxtà Aug. Probo aſſumptum in Janſenium, & exinde inefficaciam argumenti in nos facti: *Debitores ſumus, vt non ſecundum carnem vivamus*: hoc eſt: dum *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*: In hac pugna noli vinci. Contradicatur, reſiſtatur, repugnetur: mortificando ſpi-

*Sup. n. 1124*

*Prado ibi. n. 92. allatus, n. 1146.*

*Ad Rom. 8.*

*Galat. 5.*

spiritu facta, & concupiscentiam carnis, vt vivamus: Sed quo spiritu pugnare debemus? Audiamus Augustin. *Non enim non habes vnde pugnes, Deus tuus in te est, spiritus bonus datus est tibi ::: Ibi enim concupiscit adversus spiritum vbi est spiritus. Quod enim ait*, Caro concupiscit, &c: *Noli putare spiritui hominis tãtundem datum, spiritus Dei est, qui pugnat in te adversus te, adversus illud, quod est in te contra te.* Sed Apostolus non dixit quod omnes, qui spiritu Dei pugnant sunt filij Dei, sed *quicũque spiritu Dei aguntur*; *Agis* enim (Aug. ait) *si agaris, & benè agis, si à bono agaris: Quamdiù vivimus pugnamus, quamdiù pugnamus periclitamur*; sed in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos: *Nam lucta ista tam periculosa est, vt si dimiserit rector ruina sequatur*; Ergo præter spiritum Dei, quo periclitantes pugnamus, qui est excitans, & sufficientiam constituens, necesse est, quod *rector non deserat, & agnoscere redemptorem*, qui *spiritum dedit, quo mortifices facta carnis; Nõ enim Deus sic nos expectat pugnantes, quomodo expectat populus venatores. Populus venatori favere potest, periclitantem adiuvare non potest.*

*Aug. Serm. 43. de verb. Domini.*

*Ad Rom. 8.*

*Aug. ibi.*

*Roman. 8.*

1153 3. Quia semper, (quod sciã) August. intellexit verba Pauli, de spiritu Dei connexo, quo agimur: 1. in lib. de Gestis Pelagij, verba eius dedimus supra: vbi falsum probavimus, quod Suarez dixit: *Idem est à Deo agi, quod regi*; quia Sanct. Aug. scripsit: *Proculdubiò plus est agi, quã regi*: Quod, & Sanctus probavit: Et ideò P. Lemos dixit: *Quod pro efficaci gratia ex Deo ipso nihil potest dici manifestius*: ¶ 2. Quia non solùm in lib. de Verbis Domini, vt vidimus immediatè, sed etiam in libro de Verbis Apostoli; vbi ait: *Tu te vis agere, à te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest, quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? Sivè Epicureus eris, sivè Stoicus eris, inter filios Dei non eris.* Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei; *Non qui secundùm carnem vivunt suam, non qui secundùm spiritum suum vivunt, non qui carnis voluptate ducuntur, non, qui spiritu suo aguntur*; Et dum connexionem docet inter agi spiritu Dei, & agere, subdens: *Et tunc benè agis, si à bono agaris.* ¶ 3. In libris contra Julianum ex verbis Apostoli, ita intulit: *Ac per hoc, quicumque aguntur Dei spiritu, ipsi facta carnis mortificant spiritu.* Quid clariùs pro cõnexione? ¶ 4. In lib. de Gratia, & Lib. Arbitrio: versans priora illa Apost. verba: *Si spiritu, &c.* Ait: *Hæc dixi vt Apostolicis verbis liberũ arbitrium vestrum à malo deterrerẽ, & exhortarer ad bonum*: Rectè ergo ex illis verbis colligitur spiritus gratię sufficiens ad vitandum vivere secundùm carnem, & vivendum actiones carnis mortificando; sed statim addidit: *Nec tamen ideò debetis in vobis ipsis, non in Domino gloriari, quando non secundùm carnem vivitis. Vt enim non se extollerent existimantes se suo spiritu tanta hæc bona opera facere posse non Dei: continuò subiecit*; quotquot enim spiritu Dei aguntur, &c: *Quando ergo spiritu actiones carnis mortificatis, vt vivatis, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite, cuius spiritu agimini*: Quomodò autem hęc verba subiecit Apost. nè extolleremur, & vt Dominum glorificemur, dum nõ secundùm carnem vivimus: si agi spiritu Dei, vt carnem mortificemus includit nostram operationem, & est vnicè ex determinatione nostra? ¶ 5. In lib. de Corrept. & Gratia cõsidera, quæ per hæc verba SS. Doctor scripsit: *Intelligant*, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, *vt quod agendum est agant, & cum egerint illi à quo aguntur gratias agant; aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agãt: &*

*Aug. lib. de Gestis Pelagij, c. 3.*

*Suprà num. 1113.*

*Suarez prolog. 6. de Gratia, in Notis ad Aug. de Gestis. Lemos, lib. 4 p. 2. tract. 4 cap. 26. n. 416.*

*D. August. serm. 13. de verb. Apost.*

*Aug. lib. 6. cont. Julian. cap. 5. August. de Grat. & Libero Arbit. cap. 11. Apost ad Roman. 8.*

*August. de Corrept. & Grat. c. 2.*

*& ad hoc eis ostenditur quid agere debeant: vt quando id agunt, suavitatem, quàm dedit Dominus, vt terra eius daret fructum suum, accepisse se gaudent, quando autem non agũt, orent, vt quod nondum habent accipiant*: ergo agi spiritu Dei non est agere nostrum, sed est vt agamus; Et si agimus, dum verbis ostenditur, quid agere debemus, suavitatẽ spiritus gratiæ accipimus, quàm orare debemus, dum non agimus, vt agamus. ¶ Et alibi dixit; quod *divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter agimur, vt adversitate aliqua non vincamur*, ex quibus spiritum quo agimur esse connexum, & non indifferentem suprá fundavimus.

*Aug. ibi. c. 11.*

*Vide suprà à n. 430. & 482.*

1154 Denique: hęc propositio est falsa: *Quicumque aguntur spiritu gratiæ excitantis, illuminantis, indifferentis, constituentis libertatẽ, & sufficientiam sunt filij Dei, & facta carnis mortificãt spiritu*: Alias non daretur culpabiliter non mortificare facta carnis, quia non est culpa dum deficit sufficientia, & libertas, & dum adesset esset mortificatio: Ergo ad verificandam illam vniversalem Apostoli: *Quicumque spiritu Dei aguntur, sunt filij Dei*, seù mortificant facta carnis est necesse, quod agamur alio spiritu connexo, præter spiritum gratiæ excitantis, indifferentis, & constituentis libertatem.

1155 Nec solvuntur rationes, quibus probavimus textum Apostoli non posse intelligi de gratia efficaci ab extrinseco, seù à cooperatione arbitrij: Non enim solvitur prima ex Salmanticensibus desumpta; quia alias conditionalis propositio toties ab August. inculcata esset frivola: quia esset dicere: *Agis si ageris agendo*: & *qui aguntur spiritu Dei mortificando carnem, eam mortificant*:: Ex ijs, quæ dixit Prado; (quam vocat levem obiectionem:) Certum esse conditionalem esse frivolam in qua cõditionatum sub eisdem terminis assumitur ex parte hypothesis; esse verò vtilem, & cordatissimam si sumatur sub alijs: Et sic evenire in conditionali D. August. quia diversa est ista expresio *agimur spiritu Dei* ab ista, *carnem mortificamus*, & ideò non est ineptia assumere ex parte hypothesis, quod *agimur spiritu Dei*, & ex parte conditionati *mortificare carnem*, licet ipsa carnis mortificatio sit agi spiritu Dei: sit exemplũ: asserit Tridentinũ, arbitrium Deo excitanti *posse dissentire si velit*: ipsum autẽ velle dissentire est dissentire: Ergo idem erit dicere, quod *potest dissentire, si velit*, ac quod *potest dissentire, si dissẽtiat*? Minimè: quia hoc posteriùs esset ineptia, illud verò prius est vtilissima declaratio. ¶ Levissima enim solutio, & vt ab exemplo incipiam falsissimum est quod illa propositio Concilij Tridentini sit conditionalis in qua hoc obiectum exprimatur; *posset dissentire, si dissentiret*: licet sub his expresionibus *posset dissentire, si velit*: Hoc enim in Jansenium fusè supra impugnavimus; Et ly *si* in Sacro Concilio non ordinem consequentiæ, sed causæ, & principij importare fundavimus, quia explicatur esse in potestate, & dominio electivo voluntatis dissentire, dum cooperatur assentiendo. ¶ Fateor conditionalem posse esse doctrinalem, licet *si* importet ordinem consequentiæ, & conditionatum se teneat realiter ex parte conditionis, sub diversis expresionibus; sed quod exprimitur ex parte conditionis debet habere connexionem cum cõditionato absque expresione ipsius conditionati, quia si solùm conditio habet connexionem proùt exprimit conditionatum ipsum, conditionalis, vel est falsa, vel frivola; sed quod exprimit hæc conditio, *si agimur spiritu Dei*; intellecta de spiritu gratiæ excitantis, & indifferentis, nullam habet cõnexionem, cum hac expresione *facta car-*

*Sup. à num. 784. vsque 798.*

*Sup. à num. 1118.*

*Prado ibi. 44.*

*carnis mortificare*, vt patet: Ergo vel illa conditionalis non est vera, vel ipsum conditionatum exprimitur ex parte conditionis; & sic est frivola, & inepta.

*Supr. num. 1125.*

1156 Similiter non solvitur secunda ratio superiùs adducta, quia illatio Apostoli recta non esset cum intullit, hoc consequens, *facta carnis mortificant*, ex hoc antecedenti: *Spiritu Dei aguntur*; quia non est in antecedenti connexio nisi, vt includit formaliter consequens: Doctor enim Prado: Resp. Quod obiectum consequẽtis potest realiter claudi in obiecto antecedẽtis, quia consequẽs sæpè infertur ex vi connexionis *Logicæ* verſantis inter eiusdem rei prædicata; Vnde licet sit idem realiter spiritu Dei agi, ac carnem mortificare, cum sint prædicata diversa, habẽt sufficientem distinctionem, vt vnum possit ex alio inferri in quo claditur, non formaliter, sed realiter. ¶ Sed hęc solutio non valet; supponimus rectam esse illationem inter prędicata diversa cum reali identitate ex vi connexionis *Logicæ*; quod intendimus est, quod in illo antecedẽdi *spiritu Dei aguntur*; si de spiritu gratiæ indifferentis intelligitur nulla est connexio, nec Logica, nec Physica, cum consequenti, potest enim antecedens esse verùm, & consequẽs falsum; si non intelligitur antecedẽs de illo spiritu indifferenti solùm, sed cum aliquo addito, vt v. g. *efficaciter*: assignes, quomodò hoc additũ non includat formaliter consequẽs? Si efficacia est extrinseca, & formaliter cõstituitur per ipsum consequẽs: Consequentia ergo Apostoli, vt sit recta fuit ex spiritu Dei quo agimur physice connexo cum mortificatione carnis.

*Prado ibi, num. 96.*

1157 Secundo testimonio, quo *Sup. à num. 1130. vsque ad 32.* Jansenius abutitur, & vsi sumus ad gratiam intrinsecè efficacem inferẽdam, ex illis Christi verbis: *Omnis, qui audivit, & didicit à Patre, venit ad me* Respondet Doct. Prado: Quod *venire* ad Christum est *credere*; & *discere esse etiam credere*: Non gratiam prævenientem credere ab excitante distinctam; & ad nostram primam rationem, desumptam ex eo, quod cũ *venire* sit *credere*, si *discere* esset *credere*, sensus sententiæ Christi esset, ita ineptus: *Omnis qui audierit*, & *crediderit credet*; ait: quod optimè dicitur de duobus identificatis sine vllo ineptitudinis vitio, quod vnum non potest esse sine alio, si sumuntur secundùm expresiones, & respectus dissimiles, vti sunt *discere*, *venire*, & *credere*: frustrà ergo cõtenditur pro introducenda in textu D. Aug. gratia alia distincta ab excitante, quasi illa sit designanda per ly *discere à Patre*. ¶ Ad 2. nostram rationem desumptam ex eo, quod ex Aug. distingui debent hæc duo *discere à Patre*, & *venire ad filium*, vnde cum *venire* sit *credere*, discere non erit credere, sed prævenies credere. ¶ Resp. *discere*, & *credere*, seù venire, distingui *connotative*, sed non *realiter subiective*, quia *credere* solùm exprimit respectum ad Deum revelantem cui credimus; *discere* verò designat respectum ad Deum, vt interiùs excitãtem, & sua illuminatione docentem, & ideò Aug. ea nominare vt diversa, vt asserat non posse quemquam credere nisi discat à Patre; sicut dicitur, neminem posse intelligere litteras, nisi didicerit à Magistro: & ipsum discere est intelligere, quia solùm denotatur, in illo modo loquendi, quod ad intelligentiam litterarum est necessaria prævia doctrina Magistri. ¶ Ad 3. nostram rationem desumptam ex eo, quod Aug. hanc causalem affirmat, *qui audiunt non credunt, quia nolunt*. Et hanc reijcit, *nõ discunt, quia nolunt*: Et exindè apud Aug. *discere* non est *credere*: Resp. causalem reiectam ab Aug. non esse, quam refert obiectio; sed longè diversam, scilicèt, *Pater non omnes docet*;

*Prado ibi.*

*Ioann. 6.*

cet, *quia nolunt discere, quos non docet*; vt possem videre, si textum non præpropere, sed attentius legissem: Hanc verò causalem iustissimè reijcere; licet discere sit credere; quia per illam innuitur assensum esse causam, aut meritum interioris doctrinæ, qua Pater docet; vel etiam duritiam nostram esse causam, vt Deus nos non edoceat, cum tamen verissimum sit, quod docet etiam illos, qui nolunt discere; & quod nolitio addiscendi non impedit; sed supponit doctrinam, quæ per eam nolitionem abijcitur, & respuitur.

1158 Hæc ita diffusè compellimur dicere (Aug. ait:) *Quod enim potuerunt magna, & acuta ingenia cogitare, aut inopiæ est tacendo vitare, aut arrogantiæ contemnendo præterire*: Non præpropere, sed attentione suma lego B. Aug. qui *indutus virtute ex alto abundantius* omnibus laboravit: non autem ipse, sed gratia Dei cum illo, *ipsius enim ministerio Dominus vberiorem huius rei fidelibus suis institutionem præbuit.* Hunc lego (iterùm loquitur S. Fulgētius, *humiliter orans misericordiæ Dominum, vt eundem spiritum intelligentiæ legens accipiam, quem ille accepit vt scriberet: & eandem illuminationis gratiam adipiscar, vt discam, quam ille adeptus est, vt doceret.*

1159 Supponendum est in quo convenimus, scilicèt, *venire* ad Christum esse *credere*: Hoc enim non solùm docuit, sed efficacissimè probavit August. multis in locis: 1. dum ex professo exponit Christi verba; ita scribens: *Si non credit, nec venit. Non enim ad Christū ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideò illa mulier, quæ fimbriam tetigit, magis tetigit, quàm turba, quæ præsit. Ideò Dominus dixit*, quis me tetigit? *Et mirantes discipuli dixerunt*, Turba te comprimit, & dicis, quis me tetigit? Et *ille repetivit*, Tetigit me aliquis. *Illa tangit, turba premit: quid est tetigit, nisi credidit?* ¶ 2. probat August. *Credere in eum, hoc esse, venire ad eum*, scilicèt Christum: quia *nè quisquam putet aliud dictum esse*, venire ad me, *quā* credere in me, *paulò post cum de suo corpore, & sanguine loqueretur, & scandalizati essent plurimi in sermone eius, ait* verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non *credunt.* ¶ 3. Aug ait: *Qui Evangelio audito* venire *ad Christum, hoc est in eum* credere, *noluerunt.* Vbi vt vides, idem est venire, ac credere; & *audire* stat cum nolle credere, seù *venire.*

1160 Supponendum est etiam *doctrinam* nullatenus esse verâ Christi gratiam, vt sæpissimè adversus Pelagianos probat, & demonstrat M. P. Augustinus: 1: Quia *qui sic audiunt, quod ait lex*, Non cōcupisces, *vt hoc, quia* didicerint, *sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorio gratiæ Dei ad faciendum, quod iussum est dari sibi virtutem credant, & petāt ad hoc eis lex subintravit, vt abundaret delictum.* 2. Hoc ipsum ex professo convincit Aug. dum de *credere* asserit *opus est hoc gratiæ, quam qui accipiunt doctrina salutari Scripturarum Sanctarum, et si fuerunt inimici fiunt amici, non opus eiusdem* doctrinæ, *quam qui audiunt, & legunt sine* gratia *Dei peiores eius efficiuntur inimici. Non est igitur gratia Dei in lege, atque doctrina, sicut Pelagiana perversitas desipit:: Doctrina quamvis sancta, & iusta, & bona, tamen occidit, si non vivificet spiritus, per quem fit, non vt audiendo, sed vt obediendo, neque vt lectione, sed vt dilectione teneatur:: Vnde Iesus credentes à non credētibus discernens.* Nemo *inquit* venit ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo: *Et vtique, vt hoc diceret in eius doctrina fue-*

*Aug. epist. 106.*

*D. Fulgent. de verit. prædest. lib. 2. cap. 18.*

*D. August. tract. 26. ex posit. in c. 6. Ioan.*

*Lucæ 8.*

*Aug. lib 1. ad Bonifac. cont. 2. epist. Pelag. c. 3. Ioann. 6.*

*August. de Corrept. & Grat. c. 7.*

*Aug. Epist. 89.*

*Aug. Epist. 107.*

*Ioann. 6.*

*fuerant scandalizati discipuli eius, qui eum poste à non sunt secuti.* Non ergo *gratiam dicamus esse doctrinã, sed agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse doctrinam, quæ gratia si desit videmus etiam obesse doctrinam.* Corrigantur ergo, qui putant gratiã Dei esse doctrinam *quamvis vtilem, quæ* per linguas, & litteras *prædicatur.* ¶ 3: Quia eandem veritatem plurimis in locis consulendis M. Pater ex professo demonstravit, vbi videatur.

*Augusti. de Spir. & Lit. à c. 3. vsque ad 14. & lib. 4. contr. Iulian. c. 3. & lib. de Grat. Christi à c. 9. vsque ad 12*

*August. de Grat. Christi, cap. 13.*

1161 Sed licet certissimum sit adversus Pelagium doctrinam, quę *per linguas, & litteras prædicatur* non esse gratiam: tamen doctrina gratia est iuxtà Aug. dum eam Deus *altius, & interius per se ipsum ministrat occultus, cum ineffabili suavitate.* Et hanc gratiam doctrinæ ait SS. Pater, esse connexam cum operatione: *Qui* enim *novit quid fieri debeat & non facit, nondum à Deo* didicit *secundùm gratiam, sed secundùm legem: non secundùm spiritum, sed secundùm litteram:* quia *quisquis discit hoc modo,* ideſt, secundùm spiritũ, & gratiam, *agit omninò quidquid agendum didicerit.* Nil expressius? Vnde *de isto docendi modo* exponit SS. Pater verba Christi, quæ versamur: Et *non rectè dici* asserit de eo, qui non venit *audivit quidem, & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit. Prorsus nõ* rectè dicitur *de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim sicut veritas loquitur* omnis, qui didicit venit, *quis quis non venit profectò, nec didicit:* Hęc certa videntur: An verò *discere* sit connexum cum *venire*, seù *credere* per identitatem, vt ait Prado, vel per vim determinandi, *venire*, seù credere, vt nos dicimus? Controvertitur.

*Augusti. de Grat. Christi, cap. 14.*

1162 Insisto verò esse alienum omninò à mente Augusti. quod *discere* sit *credere*: Et 1. Credere solùm ait Aug esse indicium certum, quod Dens nos docet secundùm gratiam; Ita ait M. Pater: *Vnde ad Thessalonicenses sic Apostolus loquitur,* de charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis scribi: Nam ipsi vos à Deo didicistis vt diligatis invicem: *Atque vt probaret eos à Deo didicisse, subiunxit;* Etenim facitis illud in omnes fratres, in vniversa Macedonia: *Tanquàm hoc sit certissimum indicium quod à Deo didiceritis, si id, quod didiceritis, feceritis.* Ergo ex Apostolo iuxtà Aug. *facere,* non est *discere,* sed est indicium certissimum doctrinæ, quæ occultè à Deo per se ipsum cum ineffabili suavitate infunditur. ¶ 2. Quia ita ait Aug. *Et isto divino docendi modo etiam ipsa volũtas, & ipsa operatio, non sola volendi, & operãdi naturalis possibilitas adiuvatur; si enim solùm posse nostrum hac gratia iuvaretur, ita diceret dominus:* Omnis, qui audivit à Patre, & didicit *potest* venire ad me: *Non autem ita dixit, sed* omnis *inquit,* qui audivit à Patre, & didicit venit ad me ::: *Non est autem consequens vt qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit, sed* omnis, qui didicit à Patre, *non solùm potest venire, sed* venit, *vbi iam,* & possibilitatis *profectus,* & voluntatis *affectus,* & actionis *effectus est:* En vbi Augustus asserit *discere secundùm gratiam* non esse exactum ad *posse* venire; quia omnis, qui didicit venit, & *non est consequẽs, vt qui potest venire, etiam veniat:* (audiat hæc Jãsenius) Discere verò secundùm gratiam est adiutorium voluntatis, seù ad *velle,* & operationis, seù ad *agere:* Et velle, & operari sunt talis adiutorij *effectus:* Ergo hoc *discere* non est credere, seù velle; quia nec adiuvat ad velle, nec causat velle, quod est realiter identicè *velle* ipsum.

*August. de Grat. Christi cap. 13. Apostol. ad Thes. 4.*

*August. de Grat. Christi. cap. 14.*

1163 Vnde solutiones Doct. Prado superiùs adductæ ad rationes nostras efficaciter impugnantur: Prima solutio, quod sententia Christi

*Suprà num. 1157.*

non

non facit sensum ineptum, licet *discere* sit realiter *credere*, quia sumuntur secundùm expresiones, & respectus dissimiles : Contra se habet: quia necessè est, vt illa vniversalis nō faciat sensum ineptum, quod in ly *discere* sit connexio cum *credere*, quin exprimat *credere* ipsum ; vt superiùs arguebam ; quod est difficilè, si *discere* solùm importat indifferentem gratiam præter *credere*: ¶ 2. Solutio, scilicèt Aug. solùm distinguere *discere*, & *credere*, cōnotative nō *realiter subiective*; iam manet impugnata: Et vlteriùs ex 3. ratione impugnatur: Supponimus omnes hanc causalem esse apud Aug. verissimam: *Illi, quia voluerunt, crediderunt : illi, quia noluerunt; non crediderunt.* Et si *discere* esset credere ; Hæc causalis esset vera: *Illi, quia voluerunt didicerunt, illi quia noluerunt, non didicerunt.* Quæ est falsa, & omninò aliena à mente Aug. si non præpropere legitur : loquebatur Christus cum discipulis, qui eum audierunt, & in eius doctrina fuerant scandalizati, nec *audientes à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat.* Et ex audientibus hanc causalē expresè negat Aug. *Quare non omnes docet? Quia nolunt discere, quos non docet* : Et tamen ex audientibus est verùm: *Quare non omnes credūt? Quia nolunt credere, qui non credūt*, quid efficaciùs, vt apud Aug. *discere* non sit realiter subiective credere? Dicere autem: illam causalem negare Aug. quia etiam *docet Deus eos, qui nolunt discere. Et quod nolitio addiscendi supponit doctrinam, quæ per eam abijcitur*, vt ait Prado, est verùm de doctrina, quę per *linguas, & litteras prædicatur* ; non de doctrina, qua Deus docet : *Per se ipsum occultus, & secundùm spiritum*, quia de isto *docendi modo, quo per gratiam docet Deus, qui non venit profectò, nec didicit* : Ergo falsum est, & Augustin. oppositum, quod nolitio addiscendi supponit *hanc doctrinam*, quæ per nolitionem *abijcitur*, & *respuitur* : cum expresè de ista gratia doctrinæ secreta asserat M. P. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur à nullo duro corde respuitur.* Tota ergo ratio Augustini : *Cùr* Pater *non omnes docet, vt veniant ad Christum? nisi quia omnes* quos *docet, misericordia docet : quos autem non docet iudicio non docet, quoniam* cuius vult miseretur, & quem vult obdurat : *Sed miseretur, bonum tribuens : obdurat digna retribuens:* Non est hæc ratio : Cùr dum *multi audiunt verbum veritatis : alij credunt : alij contradicunt* : Sed sufficiens ratio est : *Volunt isti credere : nolunt autem illi* :: Non ergo *discere* est realiter subiective *credere.*

1164 Addo : Hæc est Augustin. sententia : *Quem trahat, & quem non trahat* Pater, *quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare* : Audiamus etiam August. *Quid est autem nobis trahi à Patre, nisi discere à Patre?* Ergo quare Pater illum doceat, & illum non doceat, noli velle iudicare, si non vis errare : Sed quare ille *credat*, & ille non credat ; possumus iudicare per velle, & nolle arbitrij: quia non credens dum audit crederet si vellet : Ergo in Augustin. *discere* à Patre, seù *docere* Patrem non est realiter subiective credere ; sed gratia connexa cum credere, credere præveniens, & ab ipso credere realiter distincta Vide Additionem Sect. sequentis.

(?)

* * * * * * * * * * * * * * * *

*Supr. num.* 1155.

*Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 6.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 8.*

*Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 8.*

*Aug. ibi.*

*Roman. 9.*

*Aug. ibi, cap. 6.*

*Aug. tract. 26. Expoſit. in cap. 6. Ioan.*

*Aug. ibi.*

§. II.

*Argumenta, quæ ex S. August. desumpsit Ianſenius probant docuiſſe gratiam intrinſecè efficacem, minimè verò in ſtatu lapſus negaſſe gratiam ſufficientem: Vbi, An Pelagius in aliquo ſtatu ſui erroris adiutorium ſufficiens gratiæ tandem conceſſerit, & in quo differant iuxtà Aug. Gratia hominis integri, & lapſi, deciduntur.*

1165 SEcundo opponit Ianſenius ex M.P. Auguſtino; Pelagius nullam veram gratiam per Chriſtum admiſit, vt conſtat ex Concilijs, qui eum damnarunt: ſed Pelagius vltro admiſit auxilium gratiæ, quod vocatur ſufficiens, & id reiecit S. Auguſt. ergo gratia ſufficiens, nec eſt vera gratia per Chriſtum, & eſt de mente Pelagij contra S. Auguſtin. Prob. Min. Gratia ſufficiens eſt adiutorium poſsibilitatis à Pelagio conceſſum, ſed adiutorium poſsibilitatis à Pelagio admiſſum reiecit Auguſt. ergo. Diſcurſus rectus. Maiorē. Probat Ianſenius plurimis teſtimonijs ex libro Auguſt. de Gratia Chriſti; ſufficiat adducere verba Pelagij apud S. Auguſtin. aientis: *Quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adiuvat*, Dei, ſcilicèt, *quod verò benè, vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt, quia hæc omnia vertere in malum poſſumus*; ergo Pelagius agnovit adiutorium poſſe ad bonum exhibēs, & à nobis in malum vertibile, quod eſt auxilium poſsibilitatis, ſed gratiæ fruſtrabilis, & reſiſtibilis. Min. autem prob. Ianſenius ex S. Auguſtin. adducta Pelagij verba ita increpante: *Deſinat iſta dicere, non ſolùm enim Deus poſſe noſtrum donavit, atque adiuvat, ſed etiam velle, & operari operatur in nobis.*

*Auguſt. de Grat. Chriſti cap. 4.*

*Auguſt. de Gra. Chriſti cap. 25.*

1166 Vrgentiùs confirmat aſſumptum Ianſenius: gratia ſufficiens eſt adiutorium *ſine quo*, ſed Auguſt. non agnovit adiutorium *ſine quo* in ſtatu naturæ collapſæ; ſed ſolùm in ſtatu naturæ integræ: ergo hoc in ſtatu gratia pure ſufficiens ignota fuit Auguſtino. Mai. omnes fatentur, diviſionem auxilij in ſufficiens, & efficax colligentes ex partitione adiutorij in *ſine quo*, & *quo*, quam exponit Auguſtin. & 1. Adiutorium *ſine quo* Adamo donatum ad perſeverandum *tale erat, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret vt vellet*, ſed gratia ſufficiens eſt gratia, quam deſerere poſſumus, non velle exhibens, ſed poſſe permanere ſi vellimus: Ergo. ¶ 2. Adamo Deus *dederat adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeverantèr bonum tenere, quod vellet*: fuit enim ei *datum adiutorium perſeverantiæ, non quo fieret vt perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet*: Sed gratia ſufficiens ad perſeverandum, eſt *qua* non fit vt perſeveremus, aliàs eſſet efficax, & *ſine qua* per liberum arbitrium perſeverare non poſſumus, cum ſit exacta, poſſeque conſtituens: ergo gratia ſufficiens erat id adiutorium *ſine quo* Adamo ad perſeverandum collatū.

*Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 11.*

1167 Min. verò probat Ianſenius ex Auguſt. de adiutorio gratiæ lapſis donato, ita edocente: *Nunc verò ſanctis in Regnum Dei per gratiā Dei prædeſtinatis, non tantum tale adiutorium perſeverantiæ datur, ſed tale vt eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm vt ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſsint, verùm etiā vt per hoc donum non niſi perſeverantes ſint*: ergo ex Auguſtin. Sanctis nunc non ſolùm datur adiutorium *ſine quo* perſeverantes eſſe non poſſent, verùm etiam *quo*, ſeù *per quod* non niſi perſeverantes ſint: *Quia de ipſa perſeverantia boni non voluit Deus Sanctos in viribus ſuis, ſed in*

*Aug ibi. c. 12.*

*ipso gloriari eis, non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit*, sine quo *non possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur, & velle, vt quoniam non perseverabunt, nisi, & possint, & velint, perseverãdi eis possibilitas, & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur.* Vnde ex ijs ita intulit S. Pater: *Subventũ est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur*, quia Deus Adamo *fortissimo dimisit, facere, quod vellet; infirmis servavit vt ipso donante invictissimè, quod bonum est vellent*: ergo Sanct. Aug. in statu sanitatis agnovit adiutorium sufficiens, seù *sine quo* non posset Adamus perseverare; in nobis autem infirmis solùm edocuit gratiam donantem perseverandi *possibilitatem*, & *voluntatem*, cum subventum sit *infirmitati* per gratiam indeclinabiliter, & insuperabiliter agentem, *invictissimè* donantem ipsum velle; quæ prædicata gratiæ solùm adiutorio *quo*, seù efficaci adaptari possũt.

1168 Hoc argumentum præcipuum est Jansseniani Dogmatis, ita vt Catholicos gratiæ sufficientis defensores Pelagiani erroris reos esse pronuntiet, & licet ab instituto recedam, non sine fructu, evidenter enim convincam ex libris Augustini de Gratia Christi, & de Correptione & Gratia, ex quibus arma desumpsit post Calvinum Jansenius, gratiam sufficientem nunquam admisisse Pelagium, eam docuisse Augustinum, quidque in his dubijs vt certum credi debet, quid verò inter Catholicos vtriusque scholæ acri contentione exagitatur. Prętermisisquè plurimis controversijs circa Pelagij errores ab Authores aprime, & operosius tractatis, dubium sistit: An Pelagius in aliquo fui erroris statu gratiam sufficientem admisserit?

1169 Et pręmoneo me non potuisse colligere ex libro profundo S. Augustin. de Gratia Christi, in quo fisteret Pelagij error, vsque dum animo fuit eum non eruere ex Pelagij verbis ibi ab Augustin. adductis, quia eorum ambiguitate potiùs fallaciter se abscondebat, quam explicabat, sed potiùs ex sensu eis a SS. Patre exhibito, quem hæretica astutia latere non potuit. Pelagius in Palestina Synodo: *Damnabit eos, qui dicũt, gratiam Dei, & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina*; qua adiuratione S. P. *putabit, omnes Pelagij tergiversationes esse cõsumptas*; similiter damnabit in illis Episcopalibus gestis eos, qui dicunt, *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*: & tamen in libris à Pelagio posteà editis, memoratisque in Epistola, quàm Romã misit, nihil aliud sentire *monstravit, quàm id, quod dãnasse videbatur*, seù ficte, nè anathematizaretur in Synodo illa, reiecit; vnde *diversis verbis eandem rem dicebat, vt non intelligeretur, & alijs, atque alijs locutionibus se latere putabat*: ergo error quem Pelagius evomuit non ex eius ambiguis verbis agnoscendus est, quia varijs tergiversationibus eum obtegere, vt impune grassaretur impiè, & cavillosè studuit; sed potiùs ex S. Augustino, qui eius insidias pandit. *Augusti. de Grat. Christi cap. 3.* *Aug. ibi. c. 9.*

1170 Duabus ex sententijs Pelagij tentat Jansenius colligere veram gratiam sufficientem agnovisse, tùm, quia ait: *Deus donavit posse bonum facere*: Tùm, quia affirmat Deũ *hoc posse adiuvare*. 1. convincam Pelagium non tradidisse gratiam sufficientem, qua Deus *donet posse*. 2. Prob. quod nec quando fatetur Deũ *adiuvare posse*. *Aug. ibi. c. 4.*

1171 Primum assumptum demonstro: Pelagius solùm asseruit Deum *posse donare* donando naturã: ergo dum fatetur Deum *donare posse* non agnoscit veram gratiam. Prob. antec. 1. Augustino testante Pelagius *Aug. ibi. c. 3.*

*posi-*

*possibilitatem, quâ potest homo esse iustus datam confitetur à Creatore naturæ*: Ergo ex Pelagio Deus *donat* homini *posse* esse iustũ per creationem naturæ, non per gratiam. ¶ 2. Augustin. hæc Pelagij verba transcribit: *Tria ita distinguimus; primo loco posse statuimus; secundo velle; tertio esse, posse in natura*: Quid expressiùs? *Velle in arbitrio, esse in effectu locamus, posse ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit*; ergo ex Pelagio Deus contulit posse locatum in natura vt Creator, non vt Redemptor. ¶ 3. Quia Augustin. sæpiùs monet, vt *sciamus, quod* Pelagius *loquitur; Nec erremus aliter eum intelligendo, quam sentit* affirmare *solam possibilitatem esse ex Deo*, quia eam *in natura possuit*: Et ideò dixisse in opere bono esse laudẽ Dei, *qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit: hanc autem possibilitatem in natura eum ponere, de verbis eius superioribus clarum est.* Et in tanta claritate non videt Jansenius? Adiunxit enim Pelagius ad laudem operis boni Deum, illudẽdo illud Apostoli testimonium: *Deus est, qui operatur in vobis velle*; quia nisi *natura esset, in qua nos condidit, qua velle possumus*: (Ea posse in natura condita;) *non vellemus*: Consequenterque, dum gratiam adiuvantẽ in voce, vt invidiam Catholicorum effugeret, fatebatur, *possibilitatem naturalem* ea asserebat adiuvari: ergo ex Pelagio: *Deus non donat posse* per gratiam naturæ exhibitam, vt reparetur; sed per donum creationis dum conditur.

*Aug. ibi. c. 4.*

*Aug. ibi. c. 6.*

*Aug. ibi. c. 6.*

*Ad Phil. 2.*

*Aug. ibi. c. 6. & 9. & 25. & 33. & 41.*

1172 2. Assumptum difficiliùs est, specialiter cum verisimum iudicem cum communi Theologorum sententia, Pelagium interiorem gratiam agnovisse, quæ esset sapientiæ revelatio intellectum illustrans, & suscitans voluntatem, vt faciat bonum, & declinet à malo, eam verò adstruebat *meritis* comparatam, & vt *faciliùs nequam spiritui, Spiritus Sancti auxilio resisteremus*. Nunquã autem gratiam sufficientem confessus fuit, vt inter Thomistas affirmant P. Gonet, & P. Lemos. Immò nec veram gratiam sufficientem fatetur, licet prædictam revelationem sapiẽtiæ illustrantem, & suscitantem omninò *gratis* donatam, & simpliciter exactam agnosceret.

*Gonet disp. 1. de Hæresiar. Pelag. art. 2.*

*P. Lemos, trat. 1. c. 13.*

1173 Probo simul omnes assumpti partes: valdè diversa sunt *dare possibilitatem, & adiuvare possibilitatem*; Gratia sufficiens *posse donat* ad salutariter agendum, quia nõ est verùm posse sine illa, non est gratia, seù auxilium *quo* agimus, sed est *quo* possumus, *subministratione virtutis adiuvans*; vnde non est gratia hęc adiutorium *possibilitatis*, quasi potestati completæ accedat, sed adiutorium *voluntatis*, quia voluntatẽ supponit, cui virtutem ad salutaritèr agendum subministrat; Sed Pelagius in nullo statu sui perversi dogmatis agnovit adiutorium posse voluntati donans, & ei subministrans virtutem ad salutaritèr agendum: ergo Pelagius, licet internam gratiam aliquãdo admisit, gratiam sufficientẽ nũquam agnovit. Mai. cõtinet primam notionem gratiæ sufficientis. Prob. Min. Si tale adiutorium posse exhibens virtutem subministrando agnovisset aliquando Pelagius esset dũ dixit: *Deum adiuvare vt velle, & agere valeamus*; vt infert P. Contenson, sed in hoc adiutorio non est intelligenda gratia à lege, & doctrina distincta, ac perinde, nec posse exhibens, ita enim intellexit Aug. præiacta Pelagij verba, ait enim: *Non est hic appertum, vel quam dicat gratiã, vel quatenus ea naturam sentiat adiuvari, sed sicut alijs locis, in quibus evidentius loquitur intelligi potest non vult aliud accipi, quam legem, atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adiuvetur* Ergo. ¶ Ita ergo collige: Pelagius semper, vel saltim

*Aug. ibi. c. 2.*

*Aug. ibi. c. 5.*

*Contenson. diss. 3. historica.*

in secundo sui erroris statu agnovit necessariam *legem*,& doctrinam, vt declinemus à malo, & faciamus bonum; non tamen confessus fuit gratiã sufficientem; vt sentiunt Authores, cum quibus disputo: Sed per *adiutorium vt agere valeamus* asserit S. Augustin. *Non velle aliud accipi præter legem,& doctrinam*: ergo per hoc adiutorium non intellexit Pelagius sufficientem gratiam.

1174 Prob Min. 2. Si Pelagius agnovisset hãc gratiam, saltim ad faciliùs esset, dum dicebat: *Deum gratiæ suæ auxilium subministrare, vt quod per liberum homines facere iuvẽtur arbitrium, faciliùs possent implere per gratiam, quàm non nos, vt tu putas, in lege tantummodò, sed in Dei esse adiutorio confitemur*: Quod adiutorium videtur sufficiens, cum sit præter legem; sed Augustinus eadem expectatione suspensus animadvertit, quæ Pelagius subiunxit per hæc verba: *Adiuvat enim nos Deus per doctrinam, & revelationem suam.* (En adiutorium Pelagij præter legẽ, doctrina interiùs revelata) *dum cordis nostri oculos apperit, dum nobis nè præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* In quibus omnibus gratiam Dei posuit in lege,& doctrina, vt affirmat, & convincit Augustinus, quia solùm diversa munera doctrinæ revelatę exposuit, vt *divina præcepta, & promissa discamus.* Si autẽ per hæc verba: *A commendatione legis, & doctrinæ non recessit*, non in eis sufficientem gratiam expresit. ¶ Vnde (vt tacitæ obiectioni occurram) nota, quod quando Augustinus dixit: *Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam vt modo dicere cæpit in gratia.* Non fuit, quia variaret errores, sed voces, quia cæpit vocare gratiam, quàm priùs nominavit doctrinam, dum eam *deputabit gratiã, qua iuvamur ad operandam iustitiã; gratiæ vocabulo frangens invidiam, offensionemque declinans.*

Apud August. ibi. c. 4

Aug. ibi.

Aug. ibi. c. 14.

Aug. ibi. c. 9.

Aug. ibi. c. 37.

1175 Prob. Min tertio: Expendendo præcipuum Pelagij testimonium, quod gratiam sufficientem videtur exprimere; Aiebat etenim: *Deus operatur in nobis velle, quod bonum est, velle, quod sanctum est, dũ nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est.* Vnde insurgit P. Contenson adversus P. Gonet. Per gratiam sufficientem intelligitur gratia interior, qua illustratur intellectus, & excitatur affectus; sed expresse fatetur Pelagius gratiam interiorem *succendentem* intellectum, *suadentem* bonum, & *suscitantem* voluntatem in affectum *desiderij Dei*: ergo Pelagius gratiã sufficientem agnovit: ego tamen efficaciùs, ni fallor insurgo adversus ipsum, & alios, pro P. Gonet: Nihil certiùs, quàm gratiam sufficientem non sistere in lege,& doctrina; vt est principium sanctum: assumo pro minori, quod continuò subiungit Augustin. ad præiacta Pelagij verba: *Quid manifestiùs nihil aliud* Pelagium *dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quod bonum est, quam legem, atque doctrinam?* Ergo nil manifestiùs, quàm Pelagium in his verbis non agnovisse sufficientẽ gratiam. Min. ex professo convincit S. Augustinus: *Quia doctrina Sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo; ad doctrinam etiam pertinet, quod sapientia revelatur, cum suadetur omne, quod bonum est.* Non ergo quælibet illuminatio est gratia sufficiens, sed ea *quæ* sit *auxilium virtutis Christi*, vires voluntati præstans, quam

Pelag. apud Aug. ibi. c. 10.

P. Cõtenson vbi suprà.

Sup. à num. 1130. quam nunquam Pelagius admiſsit. ¶ Nec iudices in cõſequenter nos procedere, quia ſuperiùs diximus doctrinam eſſe efficacem gratiam, & nunc nec eſſe ſufficientẽ edocemus: quia hanc dubitationem iam olim abſtulit Auguſt. aſſerens, quod dum Deus docet ſecundùm *ſpiritus gratiam* efficaciter adiuvat; dum autem docet ſecundùm *legis litteram*, nec ſufficienter. Vide ſuprà ſcripta.

Aug. ibi. c. 13.

Sup. à num. 1160. & 1.

1176 4. Quia cum Auguſt. hanc Pelagij aſſertionem errroribus plenam verſaret: *Subditi ſimus Deo, eiuſque faciendo voluntatem divinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam ſpiritui auxilio Sancti Spiritus reſiſtamus*; in quibus verbis ſugillabit *mereamus gratiam*; quia ſi redditur *debita non eſt gratuita, ac per hoc iam nec gratia.* Et ſimiliter damnabit, quod *faciliùs* Spiritus Sancti auxilio nequã ſpiritui reſiſtamus; quia *etſi minus facilè, tamen putat fieri præter gratiam.* Hoc tamen auxiliũ Spiritus Sancti iudicarunt plurimi eſſe auxilium efficax, quod tandem, licèt ex meritis, & ad faciliùs Pelagius conceſsit argumentis Catholicorum convictus, fundanturque in eo, quod id auxilium vocabit S. Auguſt. *Magnum profectò adiutorium divinæ gratiæ.* Ego tamen ſpecialiter, tale auxilium Spiritus Sancti, licet ex meritis, & ad faciliùs, quod Pelagius conceſsit, non ſolùm non eſſe efficax, ſed nec ſufficiens, ex S. Auguſtino efficaciſsimè convinco; ita enim Sanct. Pater loquitur verſans hæc Pelagij verba: *Quod tamen qualecumque, & quantumcumque adiutorium, eum credibile eſt in hoc conſtituere, quod nobis additur ſcientia, revelante ſpiritu per doctrinam, quam vel non poſſumus, vel difficilè habere poſſumus per naturam*; Sed doctrina, licet revelãte ſpiritu comparata non eſt verùm adiutoriũ ſufficiens, cum ſolùm ſit ſcientia vt *facienda noſcamus*, non ſubminiſtratio *virtutis infirmitatem perficiens*, vt cognita faciamus: ergo illud auxilium Spiritus Sancti, quod ex meritis, & ad faciliùs conceſsit Pelagius in vltimo, vt vocant, ſuæ perfidię ſtatu, non fuit verùm auxilium ſufficiens.

Pelag. apud S. Auguſt. ibi. cap. 22. Aug. ibi. c. 31. Aug. ibi. c. 28. Contenſon ibi. cap. 3. Aug. ibi. c. 23.

S. Aug. ibi. cap. 30.

Aug. ibi. c. 12.

1177 Denique: vaferrimus hęreticus, licet varijs verborum involucris errorem ſuum obtegens latere non potuit Sanct. Auguſtinum, pandit enim, quæ pro *ſuo* mirifico *captu intelligere potuit in Pelagij ſcriptis, quando nominavit gratiam*; Sed S. Auguſt. nunquam intellexit in Pelagio gratiam ſufficientem: ergo nec eam admiſsit. Prob. Min. adducendo Sanct. Auguſt. Pelagiani dogmatis latebras proferentem per hæc verba: *Quæcumque pro gratia videtur dicere* Pelagius, *qua iuvemus vt declinemus à malo, bonũque faciamus*, ita dicit, vt nullo modo à verborum ambiguitate diſcedat, quam diſcipulis ſic poſsit exponere, vt nullum auxilium gratię credant, qua naturæ poſsibilitas adiuvetur, niſi in lege, atque *doctrina*, ita vt ipſas quoque orationes, vt in ſcriptis ſuis appertiſsimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, niſi vt nobis doctrina etiã divina revelatione apperiatur, non vt adiuvetur mens hominis, vt id quod faciendum eſſe didicerit, etiã dilectione, & actione *perficiat*, ab illo enim ſuo manifeſtiſsimo dogmatè non recedit omninò, vbi tria illa conſtituit, poſsibilitatem, volũtatem, actionem, & ſolam poſsibilitatem dicit divino ſemper adiuvari auxilio: voluntatem autem, & actionem, nullo Dei adiutorio exiſtimat indigere. Ipſum verò auxilium, quo poſsibilitatem naturalem perhibet adiuvari, in lege cõſtituit, atque doctrina, quàm nobis fatetur etiam Sãcto Spiritu revelari, propter quod, & adorandum eſſe concedit. Sed hoc adiutorium legis, atque doctrinæ etiam Propheticis fuiſſe temporibus,

Aug. ibi. c. 42.

S. Auguſt. ibi. c. 41.

ad-

adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur in Chriſti eſſe arbitratur exemplo. Quod nihilominùs ad doctrinam pertinere perſpicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur, vt videlicèt tanquàm via demonſtrata, qua ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij adiutorio nullo alteriùs indigẽtes, ſufficiamus nobis, nè deficiamus in via, quamvis, & ipſam viam contendat, etiam ſola inveniri poſſe natura, ſed faciliùs, ſi *adiuvet gratia.*

1178 Hęc verba manifeſtant Pelagij perverſum dogma, quoad varios erroris ſtatus, in quibus non tàm errores, quàm eiuſdem erroris verba, & voces variabit; ſemper enim per *verba*, ita *ambigua* loquebatur, vt diſcipulis poſſent exponi, *vt nullum auxilium gratiæ crederent, qua naturæ poſsibilitas adiuvetur, niſi in lege, atque doctrina.* Cùm enim argumento ex neceſsitate orationis deſumpto præmeretur à Catholicis, vt gratiam veram adhùc præter legem, & doctrinam admitteret aperti ſimè affirmavit orationes non adhiberi pro gratia à lege, & doctrina diſtincta, ſed *vt nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur*; Nunquam enim omninò receſſit ab illo ſuo manifeſtiſsimo dogmate: *Solam poſsibilitatem divino ſemper adiuvari auxilio* affirmando, *voluntatem autem, & actionem nullo Dei adiutorio indigere.* Non ſolũ autem manifeſtè erravit negando adiutorium divinum voluntatis, & actionis, ſed perversè conſtituendo id adiutorium poſsibilitatis, quod affirmabat, quia *illud conſtituebat in lege, atque doctrina*; Nec enim ita contra lumen rationis pugnabit aſtutus Hęreſiarcha lumine, licet fidei orbatus; vt diceret legem iuvare incognitam ad operandum bonum, aut doctrinam non propoſitam iuvare ad credendum, voluntas enim ab incognito moveri non poteſt, vt ſignato ſuper nos lumine omnes noſcimus, ſed prius dicebat legem iuvare vt cognitam per cognitionem naturaliter ortam ab eius oſtenſione, & ſimiliter doctrinam, quod autem poſteà *fatebatur* erat *etiam doctrinam nobis Sancto Spiritu revelari.* Cùm verò præmeretur Catholicorum argumentis, vt inimicus gratiæ Chriſti, cum adiutorium legis, & doctrinæ etiam Propheticis fuiſſet temporibus: *Si enim per legem iuſtitia, gratis Chriſtus mortuus eſt*; vt hæc evidentia illuderet argumenta legi, & doctrinę gratiam Chriſti poſt eius Adventum ſuperadebat, quam *in Chriſti eſſe arbitrabatur exẽplo*; quatenus Chriſtus *imitatione ſui ad perfectam incitat ſanctitatem, & vitiorum conſuetudinem virtutum vincit exemplo*; ita intelligebat *eos, qui ſub lege peccant adiuvari vt per gratiam Chriſti liberentur, quia eis non ſufficiebat ſola lex propter nimiam peccãdi conſuetudinem, niſi Chriſti accederet intuendum, & imitandum in doctrina Evangelica virtutis eius exẽplum*: & cum quilibet *perſpiciat* exẽpla virtutis Chriſti, ad *doctrinam*, quę *nobis Evangelicam prædicatur pertinere*: Perſpicere omnes debent Pelagium ad iuvandam poſsibilitatẽ naturæ nunquam gratiam edocuiſſe ſupra legem, & doctrinam, ſed ſolùm ſuperadiſſe vt fugeret Catholicorum tela, vel doctrinam novo modo propoſitam, ſcilicèt *Spiritu Sancto revelante*, vel novam doctrinam *in exemplo virtutum Chriſti.* Hanc verò internam gratiam ſolùm arbitrabatur *demonſtrare viam, qua ambulare debemus.* Quod eſt munus revelationis oſtendentis, & ſuadentis; non tamen vires arbitrio exhibentis, eo quod ſemel via demonſtrata *iam viribus liberi arbitrij adiutorio nullo alterius indigentes ſufficiamus nobis, nè deficiamus in via*; Vnde gratia illa edoctrix, & Magiſtra erat, non arbitrij virtus adiuvans: Concludit Sãct.

*Apoſt. ad Galat. 2.*

*Aug. ibi cap. 39.*

Aug.

Auguſt. Pelagij cavillationem, his verbis: *Quamvis, & ipſam viam cõtendat etiam ſola inveniri poſſe natura, ſed faciliùs ſi adiuvet gratia.* Quæ verba nullum alium ſenſum obtinere poſſunt, *niſi*, quod invenire viam ſalutis poſſet natura comparari, per cognitionem, ſcilicèt naturalem boni proſequendi, & mali fugiendi conſequutam ad legem, ſeù doctrinam propoſitam, faciliùs verò inveniri viam ſalutis, ſi *doctrina divina revelatione aperiatur*, vt mens hominis quid faciendum ſit diſcat; revelationem, ergo illam interiorem, nec neceſſariam exigebat Pelagius, vt *viam ſalutis demonſtraret*, & nullo modò aſſerebat eſſe virtutem arbitrio vires exhibentem, vt non deficeret ambulando in via ſemel inventa.

1179 Exemplum ſit ob oculos ponens perverſum Pelagij dogma; ſit homo dormiens, vulneratus, aut pedibus læſus, in magno conſtitutus periculo, niſi velocitèr fugeret; accedat aliquis imperans ei fugam, oſtendens viam per quam ambulare debet, vt imminens malum caveat, ſtupentem ſuſcitans, magnis motivis docens, & ſuadens, quàm bonum ſit fugere, exempla magna, quæ allicecerent adducens; & licet fingeres doctrinam iſtam Spiritu Sancto revelatam: Diceret nemò, illum hominem eſſe ſufficienter adiutum, vt malum per fugam vitaret? Minimè, quia ſi claudus eſt, & læthaliter vulneratus poſt tot excitationes, & ſuaſiones impotens erit ad fugam arripiendã; ſi autem homo ille ſanus eſſet, & viribus robuſtus à ſomno excitatus, per legem exhortatus, & ſuaſionibus incitatus, à bonitate fugæ motus expedite poſſet fugere: Ita erat arbitriũ vt evomuit Pelagius, quod *Creator generaliter humanæ naturæ inſeruit, fortè, & firmum ad non peccandum*; Vnde ſolùm ſuſcitari, doceri, exigebat, vt declinaret á malo: lege, & doctrina vnicè adiuvari, & pro *ineſtimabili benignitate Dei quotidiano muniri auxilio, vt faciliùs per id fiat, quod fieri poterat, licèt minus facilè præter eam gratiam* deliravit: Arbitrium Catholicum infirmum eſt, licet non extinctum, originali culpa læthaliter vulneratum, licet non amiſſum; vnde non ſolùm excitatione, ſuaſione, & doctrina indiget, ſed *ſubminiſtratione virtutis Spiritus Sancti, & auxilio virtutis Chriſti, adiuvante infirmitatẽ ſuam.* Sanante, & vires exhibente, vt à malo declinet, & bonum ſalutare proſequatur.

*Pelag. apud S. Auguſt. ibi. cap. 28.*

1180 Vndè intelligo planè excidiſſe Recentiorem, aliàs Doctum, & valdè ingenioſum, affirmantẽ abſolutè, quod S. Auguſtin. *ſupponere videtur poſſe conſiſtere in natura, & doctrina*, Auguſt. enim æquè à præiacto errore diſtat, ac à Pelagiana Hęreſi, poſſe enim arbitrium ſalutariter agere per naturæ vires, & doctrinã, fuit Hęreſis damnata ab omnibus Cõcilijs in Pelagium congregatis, & poſtremò à Tridentina Synodo ſub anathematis fulmine proſcripta; vnde iſtæ propoſitiones ſunt omninò falſæ: *Dummodò tota gratia à contrarijs aſsignata conſtituat poſſe non aſsignatur gratia formaliter diſtincta à gratia legis, & doctrinæ. Quia omnis gratia conſtituens poſſe includitur in gratia legis, & doctrinæ, illamque non excedit.* Quia gratia cõſtituens poſſe non Pelagianum, ſed Catholicum eſt diſtincta à lege, & doctrina: *Lex enim iubet magis quã iuvat.* Doctrina credenda proponit, vires ad credendum non exhibet: Deus non ſolùm eſt legislator, & Magiſter, ſeù Doctor noſter, ſed etiã adiutor, quia *noſtra ſufficientia ex Deo eſt.*

*Palanco de Provident. q. 13. ſect. 2. num. 26.*

*Trident. ſeſ. 6. de Iuſtifi. Canon 1. Palanco vbi ſup. n. 23.*

*Auguſt. de Grat. Chriſt. cap. 8.*

1181 Nec ſufficit recurrere, vt prædictæ propoſitiones exponãtur, ad hoc, quod licet auxilium ſufficiẽs ſit gratia diſtincta à lege abſolutè ſumpta, non ab ea vt obligante, quia,

ſup-

ſuppoſita obligatione legis eſt ita debitum id auxilium, vt à Deo negari non poſsit.

Non inquam ſufficit; quia inter duos errores extremos media incedit Catholica veritas: *Legem obligare ad impoſsibilia* eſt Calvini Hæreſis: *Per legem fieri nobis poſsibilia opera ſalutaria* eſt Hæreſis Pelagij: Orthodoxi fatemur: *Deum impoſsibilia non iubere*, non quia iubendo iuvat, ſed quia *iubendo monet, & facere, quod poſſumus, & petere, quod non poſſumus, & adiuvat vt poſsimus*, non per legem iubendo monẽtem, ſed per ſubminiſtrationem virtutis Spiritus Sancti, & gratiæ Chriſti, *ſine quo nihil poſſumus facere* vt opportet.

Trid. Seſſ. 6. cap. 11.

Ioan. 6.

1182 Non me latet Theologos aliquos affirmare Pelagium aliquando admiſiſſe auxilium gratiæ ſufficientis, quod licet ſit falſum, improbabile minimè exiſtimo, fundantur enim in eo, quod Pelagius tandem conceſsit adiutorium à lege diſtinctum, quia aliquando ſic fatur: *Quã gratiam nos non vt tu putas in lege tantummodò, ſed in Dei eſſe adiutorio confitemur.* Quod iudico improbabile eſt affirmare: *In gratia legis*, & doctrinæ eſſe auxilium ſufficiens vt poſsimus ſalutariter operari, & quod Pelagius admiſsit verùm adiutorium poſsibilitatis, nil doctrinæ, & legi ſuperaddendo.

Pelag. apud S. Auguſt. de Gratia Chriſt. cap. 7

1183 Hucuſquè convenimus adverſus Pelagium, & Janſenium; graviſsima enim concertatio Angelicæ Prædicatorum Scholæ cum P. Societatis, non ſtat in natura adiutorij poſsibilitatis, omnes enim vna voce fatemur, tale adiutorium diſtinctum à lege iubente, & doctrina proponente per ſubminiſtrationem virtutis Spiritus Sancti exhibentis vires arbitrio ad declinãdum à malo, & proſequendum bonum. Diſsidium ſiſtit. An S. Auguſtinus prẽter id adiutorium poſsibilitatis, exigeret aliud adiutorium voluntatis, & actionis ei prẽvium, & cum ea connexum, quod etiam negavit Pelagius? Affirmat Schola Angelica, negant P. Societatis.

1184 Affirmativam verò ſententiam ex eo libro de Gratia Chriſti attente inſpecto haud inefficaciter colligo: Supponendo indubium eſſe, *eſſe maniſeſtiſsimum Dogma Pelagij à quo omninò non receſsit, voluntatem* ideſt volitionem, *& actionem nullo Dei adiutorio indigere, ſolam poſsibilitatem divino adiuvari auxilio, quod in lege, & doctrina conſtituebat*; Vnde non ſolùm erravit, quia non conſtituebat auxilium poſsibilitatis in *ſubminiſtratione virtutis Spiritus Sancti*, ſed quia *nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adiuvari credebat auxilio.* Ex diverſis principijs intulit perfidus Hæreſiarcha adductos errores (quod præoculis habe) negare auxilium poſsibilitatis in ſubminiſtratione virtutis Spiritus Sancti, nitebatur, vt ſuperiùs indicavi: *Quia fortè, & firmum ad non peccandum liberum in nobis habemus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ Creator inſeruit.* Quaſi ita argueret, liberũ arbitrium eſt fortè, & firmum ad non peccandum, non originali vulnere læſum: ergo ſolùm indiget, quod ei *manifeſtetur via per quam ambulare debet*, non ſubminiſtratione virtutis vt ſit *ſufficiens vt in ea non deficiat.* Vbi ex antecedenti Hæretico (fortè per rectam conſequentiam) inferebat conſequens Hæreticum: Negare autem *Deum adiuvare vt velimus, & vt agamus* fundabat, quia *voluntas, & actio noſtra eſſe aſſerebat*, & ad nos *eſſe referenda, quia de arbitrij fonte deſcendunt.* Hanc ergo differẽtiam inter *poſſe*, ſeù poſsibilitatem, & *velle*, & *eſſe*, ſeù *voluntatem, & actionem ſubtilitate curavit* aſsignare: *Quod poſſe* erat à Deo, *nec eſſe in noſtra poteſtate, ſed poſsibilitatem*

Aug. ibi, c. 41.

Aug. ibi, c. 5.

Aug ibi, c. 28.

Aug. ibi, c. 41.

Aug. ibi. c. 5.

Aug. ibi c. 3.

Aug. ibi, c. 4.

Auguſt. ibi, c. 3.

Aug. ibi, cap. 4. *nos habere etiam si nollimus*; vnde, *quod homo possit bonum velle; atque perficere solius Dei erat.* Quę potestas potest esse, etiã, si nec vellimus, nec agamus, duo verò *ista sine illa esse non possunt*; Velle verò, & agere in nostra potestate sunt, *liberũ enim est mihi, nec voluntatem bonam habere, nec actionem, nullo autem modò possum non habere possibilitatem boni, ineſt enim mihi etiam si noluero.* Ex qua differẽtia ita *generaliter* loquebatur: *Quod possumus omne bonum facere, dicere, & cogitare Dei est. qui hoc posse donavit, qui hoc posse adiuvat; quod verò bene agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum est, quia hæc omnia vertere in malum possumus*: Vnde negare verùm auxilium possibilitatis, quod submini-straret virtutem, non erat ex cõceptu libertatis: *Quia posse non esse nobis liberum, nec in nostra potestate, sed solius Dei*, nec Pelagium latebat, sed quia volebat *tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitabat,* Aug. ibi. c. 27. vt auxilio virtutis Spiritus Sancti nõ indigerent: negare adiutorium voluntatis, & actionis, erat ex libertatis conceptu, & dubium diversum à recta constitutione adiutorij possibilitatis, & ideò monet S. Pater: *Vt non erremus intelligendo Pelagium, aliter quam sentit, quod quandocumque legimus, vel audimus divinæ gratiæ adiutorium confiteri, vt à malo declinemus, bonumque faciamus, sivè in lege, atque doctrina, sivè vbi libet cõstituat*, quia quomodocumque id adstruat, *nec voluntatem, nec actionẽ divino adiuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis.* Ita enim arguebat Pelagius: *benè* velle est nobis liberum, & in nostra potestate, quia id vertere in malum possumus: ergo arbitrium non indiget Dei auxilio, vt bene velimus, sed tantummodo vt bene velle valeamus; vbi ex antecedenti Catholico per ineptam consequentiam inferebat consequens hæreticum; & ideò fuit propositio illa Pelagij dãnata: *Non est liberum arbitrium si Dei indiget auxilio, quia in propria voluntate vniuscuiusque est aliquid facere, vel non facere.* Vnde auxilium actionis negavit propter libertatem: Hoc ergo adiutorium actionis, & voluntatis, quod S. Augustin. in libro illo adversus Pelagium probavit, suadere intendo esse adiutoriũ prævium, & connexum, & exinde prędeterminans. 1. Probo esse prævium, posteà probaturus esse connexum.

August de Gestis Pelagij, c. 18.

1185 1. Assumptum ostendo: 1. Augustin. intendit adversum Pelagium, quod *Deus non adiuvet tantummodo, vt velle, & agere valeamus, sed etiam, quod adiuvet, vt velimus, & agamus*; Huiusquè adiutorij *gratia agi, non solùm vt facienda noverimus, verùmetiam vt cognita faciamus, non solùm vt diligenda credamus, verùm etiam vt credita diligamus.* Sed Deus per adiutorium simultaneum non adiuvat *vt* velimus, & agamus, sed *cum* volumus, & agimus; nec eo adiutorio *agitur, vt* cognita faciamus, & *vt* credita diligamus, cum simultaneum sit, quia non prævenit velle, facere, & diligere: ergo Sanct. Augustin. non loquebatur de adiutorio simultaneo voluntatis, & actionis. ¶ 2. Quia S. Pater probat contra Pelagium Deum adiuvare volũtatem, & actionem, quia *Deus operatur in nobis*, non solùm posse, sed etiam *velle, & perficere*, seù operari, *operatur enim omnia in omnibus*; & ideò increpat Pelagium stolidè asserentem, *quod loqui possumus Dei est, quod bene loquimur nostrum est*; ex eo, *quod hoc non docet, qui loquitur bene*, sed potiùs *inquit, non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Sed hæc non possunt intelligi de adiutorio simultaneo, quia per id Deus non operatur *in nobis* velle, sed *nobiscum*, nec in *nobis loquitur*,

Aug. ibi. c. 5.

Aug. ibi. c. 22.

Aug. ibi. c. 5. Philip. 2.

Aug. ibi. c. 16. Matth. 10.

ſed nobiſcum : ergo Auguſtin. intendit adiutorium voluntatis, & actionis, non ſolùm ſimultaneum, ſed prę-vium.

1186 2. Aſſumptum, ſcilicèt, S. Auguſtin. intendere probare adiutorium prævium voluntatis, & actionis, quod ſit connexum, & non ex ſe indifferens, vt exiſtimant adverſarij probo 1. Adiutorium prę-vium indifferens eſt, *vt agere valeamus*, & exinde eſt adiutorium poſsibilitatis, quo Deus libertatem donat, ſed adiutorium actionis, quod Auguſt. expoſcit eſt, vt *bene agamus* : ergo non eſt id adiutorium indifferens.

*Vide Aug ibi. c. 5. et 6.*

*Aug. ibi. c. 10.*

2. Argumento mihi efficaciſsimo, cum Pelagius diceret: *Non adiutorio Dei, ſed ex nobis ipſis in nobis effici volũtatem bonam* : Videns huic dogmati valde contrariam ſententiã illam Apoſtoli aientis : *Deus operatur in nobis velle*, veluti ſolvendo adiunxit: *Deum in nobis operari velle, quod bonum eſt* ſuccedendo præmijs, ſuſcitando voluntatem, & ſuadendo bonum : Sanct. Pater, tamen eum oppugnat probando nihil aliud Pelagium dicere *gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quod bonum eſt, quam legem, & doctrinam* : & quod *ſi vult eſſe Chriſtianus*, debet fateri gratiam, qua gloriæ magnitudo *creditur, & ſperatur, amatur ſapientia, & bonum perſuadetur* : Vnde tamen probat S. Auguſtin. quod non poteſt gloria credi, & perſuaderi bonum gratia ſuccendente gloriæ pollicitatione, aut ſuſcitante boni ſuaſsione ? Ratione, quàm continuò adiunxit, dicens : *Non enim omnium eſt fides, qui audiunt per ſcripturas Dominum Regnum Cælorum pollicẽtem, aut omnibus perſuadetur, quibuſcumque ſuadetur vt veniant ad eum qui dicit, venite ad me omnes, qui laboratis* : ergo ex S. P. gratia pollicitatione, & ſuaſsione non efficit, vt gloria credatur, & bonum perſuadeatur, quia pollicitatio gloriæ non eſt connexa cum fide, nec vocatio ſuadens cum perſuaſsione : ergo pariter auxilium prę-vium, licet ſit ſubminiſtratio virtutis Spiritus Sancti, dummodò ſit indifferens, & inconnexum eſt inſufficiens, vt per id Deus operetur gloriæ fidem, & boni perſuaſsionem. Prob. conſeq. Quia ſicut *non eſt omnium fides, qui audiunt Deum pollicentem, nec bonum perſuadetur quibuſcumque ſuadetur*, ita nec omnium eſt fides, qui ſufficiẽter adiuvantur, nec bonum perſuadetur quibuſcumque auxilium virtutis Spiritus Sancti ſubminiſtratur : ergo ex eodem principio ex quo intulit Sãct. Auguſtin. non ſufficere vt Deus in nobis operetur velle bonum, gratiã pollicitatione ſuccendentem, & ſuaſsione ſuſcitantem, infertur, nec ſufficere gratiam virtutem ſubminiſtrantem indifferentem, ſed gratiam exigi trahentem ad Chriſtum, & donantem venire ad ipſum, quia omnium eſt fides, qui trahũtur, & quibus donatur.

*Verba Pelagij, vide n. 1175.*

*Matth. 11*

*Ioann. 6.*

1187 Dices : Deum operari in nobis velle, per vocationem ſufficientem connexam cum fide, non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ſcilicèt à præſcientia fidei ſub illa, quia omnium eſt fides, qui ita vocãtur qualiter Deus ſcit eis congruere, vt vocãtem non reſpuant. ¶ Sed contra 1. Ergo ſi Pelagius gratiæ, ſeù doctrinę ſuadenti bonum, & promittenti gloriam ſuperadderet præſcientiam fidei, & perſuaſionis ſub illa (quàm nõ diffiteretur) inefficax redderet, & evidenter ſolveret S. Auguſtini argumentum. ¶ 2. Ergo ratio Sancti Auguſtini non evincit veritatem Catholicam, ſcilicèt, vt Deus in nobis operetur velle, gratiam trahentem, & donantem diſtinctam à doctrina promittente, & ſuadente : Probo ſequelam; quia rationem Auguſtini efficacia deſtitueret audactèr affirmãdo per doctrinam illam Deum operari velle, non ſuperaddendo gratiã prævíam, ſed præſcientiã fidei ſub illa,

illa, quia sic suaderet, qualiter sciret eis congruere, vt persuadeantur.

1188 3. Nam S. Pater alloquitur Pelagium per hæc verba: *Cogitationem, & electionem, sicut sunt discernenda discernat: Et cum sit vtrũque donum Dei, sed vnum minus* cogitatio scilicèt; *alterum maius*, electio quidem: *Non hic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, vt horum duorum, quod minus est, divino tribuat adiutorio, quod autem maius est humano vsurpet arbitrio*: ergo pariter cogitatio, & electio, sicut sunt discernenda non discernuntur, & iustitia nostra super laudem iustificatoris nostri extollitur, si cogitatio, quę est minus donũ divinæ tribuitur determinationi, & electio, quæ est maius donum vsurpatur humani arbitrij determinatione: ergo intendit Sanct. Augustin. ex determinatione *Dei nos gratia accipere charitatem*, seù electionem; sicut ex Dei determinatione accipimus scientiam, seù cogitationem. *Aug. ibi. c. 16.*

1189 Accedamus iam ad Jansenij confirmationem ex libro S. Augustini de Correptione, & Gratia depromptam, in quo invictissimè stabilire stolidè existimavit Jansenius sententiam suam, agnoscentem differentiam statuum integritatis, & lapsus humanæ naturæ, quia in natura sana solùm fuit adiutorium *sine quo*, & sufficiens spectans ad bonitatem Conditoris; in natura autem lapsa iã succurrat adiutorium *quo*, seù efficax spectans ad gratiam medicinalẽ Christi Redemptoris liberantis nos à corpore mortis huius; vnde negare S. Augustin. lapsis adiutorium *sine quo*, seù sufficiens totis viribus cõtendit.

1190 Sed discrimen id inter vtrùmque statum naturę integræ, & lapsæ, quod post Calvinum finxit Jãsenius longissimè, sicut à veritate à mente S. Augustini distat, ex vtraque parte, ex eo, quod in hoc statu negat adiutorium *sine quo*, seù sufficiens; vt demonstravi, tùm superiùs, tùm, dum esse de fide, & de S. Augustin. mente gratiam interiorem resistibilem in statu naturæ collapsæ convinci; & ex eo etiam, quod naturæ integræ negat adiutorium *quo*, seù efficax, quod nunc brevitèr, & solidè probabo. Si quis tamen plura alia desideret consulat P. Decamps, Emin. Aguirre, RR. Thyrso, alioſque ab eis relatos. *Sup. à num. 1031. vsque ad 46. Sup. à num. 531. vsque ad 53. Decamps, lib. 3. disp. 3. à cap. 8. Agui. disp. 132. sect. 6. Thyrso, tom. 4. disp. vlti. Sup. à num. 321.*

Ita probatur: Sanct. Augustin. non negavit Angelis Sanctis adiutorium *quo*: ergo tale adiutorium non est proprium naturæ lapsæ Prob. antec. primo. Gratia discernens bonos Angelos à malis non est adiutorium *sine quo* commune bonis, & malis; sed Deus per suę gratiæ adiutorium discrevit bonos Angelos à malis, vt alibi in August. fundavi: ergo Deus donavit adiutorium *quo* Angelis bonis. ¶ 2. *Charitas Dei diffusa fuit* (August. ait) *in Sanctis Angelis per Spiritum Sanctum, qui datus fuit eis*: Quod, & dixit de charitate actuali, cum eam vocet *amorem, cum quo facti sunt Angeli*, in quaque *voluntate bona* asserit bonos *mansisse*. Similiter iuxtà August. *Dedit Deus homini primo bonam voluntatem; in ea quippè cum fecerat, qui fecerat rectum*; Sed *amor castus*, seù *bona voluntas*, nec donatur, nec diffunditur per adiutorium *sine quo*; hoc enim fuit in Angelis desertoribus dũ peccarunt, & in bona voluntate nõ permanserunt, alias non peccarent, quia vt Augustin. ait: *Adiutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent*: ergo amor castus fuit diffusus in Angelis Sanctis per adiutorium *quo*, & per id fuit bona voluntas primo homini donata. ¶ 3. Adiutorium *quo*, seù efficax gratia *habet suam efficaciam ab Omnipotentia Dei, & à Dominio, quod divina Maiestas habet in voluntates hominum, sicut, & in cætera omnia quæ sub cœlo sunt, secundum S. Augustinum*; vt multis testimonijs probat Clemens VIII. in *Aug. lib. 12. de Civit. Dei, cap. 9. Augustin. de Corrept. & Grat. c. 11. Aug. ibi. Clem. VIII. Proposit. 6. apud Lemos tomo 1. in principio.*

suo doctissimo rescripto, sed divina Maiestas æquè est Omnipotens in sua ditione, suoque dominio continens voluntatem in statu lapsus, ac sanitatis; Deus enim est (August. ait) *cui omnia æqualiter subiacent*: Ergo voluntas nostra vtroque in statu æquè est subdita Omnipotenti Domino, æquèque ab eius adiutorio pendens: ergo æquè indigent adiutorio *quo* Angeli, & homo primus, sicut nos lapsi.

*Aug. lib. 1. de Trinit. c. 10.*

1191 Vt ergo reiecto Jansenio ad expositionem illius per difficilis Sanct. Augustin. capitis accedamus. Primo occurrit solutio P. Vincentij Contempson ex Sacra Dominicana Familia eloquentissimi, & eruditi Scriptoris; asserentis S. Augustin eo in capite comparasse gratiam per se ad vtrùmque statum sanitatis, & infirmitatis ex proprijs eorum meritis necessariam, hocque in sensu verùm dixisse Sanct. August. quod licet homo lapsus ob concupiscentiæ pugnã indigeat invictissimo adiutorio *quo*, nè infirmitate sua voluntas succumbat; homo autem sanus tali adiutorio per se non indigebat, sed solùm sufficienti, seù *sine quo*, quia cum in bonis esset summa cum facilitate perseverare poterat.

*Contempson tit. 3. disser. 1. cap. 2.*

1192 Sed cum huius Authoris in sectione aliqua R. Thyrso mentionem faciat eam ita subscribit: *Vincẽtius Contempson cum Lovanien sibus sentit, cuius sententia impugnatur.* Incunctanterquè asserit: *Absque dubio hac in parte Ianse nicare. & à Iãsenio non recedere.* Cùr ita censet? Nescio, quia æquè hìc Doctissimus Scriptor distat à Jansenio, quàm quod maximè.

*R. Thyrso t. 3. disput. 5. sect. 5. ss. 2.*

1193 Nec licèt affirmaret Cõtempson (à quo distat, vt iam expono) in statu sanitatis non exigi gratiam ex se efficacem, & exigi in statu lapsus Jansenismi notam incurreret; Nec Illust. Doctor D. Michaël Perez, Scholasticus, & Canonicus meæ Magistralis Ecclesiæ, qui eiusdem Abbas, & Chancellarius Vniversitatis electus desiderium sui relinquit, iustè tam acri præmeretur censura, licet differentiam statuum, ita exponeret in suis manuscriptis iam prælo paratis (quæ non vidi) vt refert R. Thyrso. Qui enim in statu innocentiæ defenderet auxilia solùm intrinsecè indifferentia, sicut P. Societatis, quin concederet inconvenientia erroris Pelagij, & Baij eo in statu, quæ colligi ex ea doctrina intendũt Thomistæ, negant colligi P. Societatis, & ineptè, & audactèr Jansenius concessit, Nil eo in statu ab Ecclesia damnatũ defenderet: Similiter si in statu lapsus defenderet auxilia intrinsecè efficacia, sicut Thomistæ, quin admiteret incõvenientia errorisCalviniani eo in statu, quæ colligi ex ea doctrina intenduntP. Societatis, negant colligi Thomistæ, & Hæretice Jansenius cõcesit, nil abEcclesia damnatũ sustineret: Sed vtriusque sententiæ argumentis prẹmeretur, telo superaddito ex comparatione vnius status ad alterum, cum in differentia statuũ talis auxiliorum diversitas fundari minimè possit. Nec liber quidam à Supremo Hispaniarum Fidei Consilio iustissima censura proscriptus, damnationem meruit, quia (licèt in vtroque statu prædeterminationem agnosceret) in statu integritatis negabit gratiam intrinsecè efficacem, quam admisit in statu lapsus ad sanãdam naturæ egritudinem; sed prohibitus fuit, quia in statu integritatis ex negata gratiẹ intrinseca efficacia in errores Baianos cæcidit; & in statu lapsus, quia gratiam intrinsecè efficacem per modum virtutis exactæ ad posse sustinuit, in errores Jansenianos tandem incidit.

*R. Thyrs. t. 4. disp 4. per totam.*

*Vide suprà num. 1047.*

1194 Sed Doctus Dominicanus Contempson à Jansenio summe recedit, cùm nec diversitatem statuũ inferre in vno gratiam intrinsecè efficacem, & non in alio, sentiat: Solũ

cum

Contempſon ibi.

enim ait in ſtatu integritatis eſſe neceſſariam gratiam ex ſe efficacem ex *divinæ ſcientiæ, & voluntatis cauſalitate, ex omnipotentiſsima poteſtate, & Supremo Dei dominio, in cauſas liberas, & ex Scientiæ Mediæ impoſsibilitate.* In ſtatu verò lapſus eſſe exactam gratiam, ita efficacem novo etiam titulo, quo non exigebatur in ſtatu integro, ex infirmitate, ſcilicèt, naturæ per peccatum originale cõtracta, qualiter victrix medicinali vi efficacia gratiæ conſtituitur. Vnde ſumma ſolutionis prędicti Authoris ſiſtit in hac conditionali: *Si per poſsibile, vel impoſsibile non eſſet auxilium illud* quo, ſeù efficax *neceſſarium ratione ſubordinationis, illud integritas primi hominis minimè deſideraret, & tamen eo egeret homo infirmus, tametſi ratione ſubordinationis cauſæ ſecundæ ad primam non exigeretur*: Quid hic cum Janſenio comercij?

Thyrſo ibi. diſp. 5. ſect. 5. ſ. 2.

Addit autem Thyrſo: *Vincentij Contempſon ſententia difficilior eſt, quàm ſententia prædeterminatorũ, nam duplicem gratiam per ſe efficacem prærequirit in ſtatu lapſus ad actum ſalutarem.* Sed vbi aſſeruit Contempſon in ſtatu lapſus duplicẽ gratiam ex ſe efficacem eſſe neceſſariam? In ipſo lego in ſtatu lapſus eſſe gratiam ex ſe efficacem exactam, & titulo ſubordinationis ad Deum, & titulo corruptionis naturę: Eſſe tamen exactam gratiam duplici ex titulo; vnde eſt duplicem exigi gratiam?

Aguir. diſp 132. ſect. 9.

1195 Et ideò Emin. (purpura, & modeſtia) Aguirre, non infamen Janſeniſmi maculam, ſed inconſtantiam Vincentio Contempſon imputat, quia cum in ſpeculatione prima probaret neceſsitatem motionis prędeterminantis, in ſecunda negat dependentiam naturæ integræ à gratia ex ſe efficaci. ¶ Sed nec adductam inconſtantiam, ſeù inconſequentiam inter primam, & ſecundam ſpeculationem reperio: Non enim prælaudatus Author motionem prędeterm. diſtinguit à gratia ex ſe efficaci, quia prædetermin. ad actum ſalutarem ex terminis eſt gratia ex ſe efficax; nec gratię ex ſe efficacis neceſsitatem negat in natura integra; ſolùm enim edocet non eſſe neceſſariam ex peculiari differentia illius ſtatus, vt diſtincti à ſtatu lapſus, hoc autem in ſtatu eſſe exactam ex propria differentia illius, vt diſtincti à ſtatu integritatis.

1196 Tantùmque diſtare à Janſenio ſentio ſolutionem P. Contempſon, vt eam probabilem inter Thomiſtas iudicem, in SS. PP. Auguſt. & Thom. haud leviter innixam. Vt primum evincam ſufficiat adducere Gonet, cuius ſolutionem ibi Contempſon impugnavit hanc ſtatuentem cõcluſionem: *Homo in ſtatu innocentiæ indigebat efficaci motione ad ſingulos actus, ſicut in ſtatu naturæ lapſæ; licet tunc ea ſolùm egeret, ratione ſubordinationis, quam quælibet creatura habet ad Deum in operando, nunc verò vlteriùs indigeat ea ob naturæ corruptionem, & debilitatem* Eſt nè hoc gratias, & motiones efficaces in ſtatu lapſus multiplicare? Minimè, ſed capita indigentiæ vnius efficacis gratiæ; vnde Gonet indubiè fatebitur conditionalem illam in qua nititur Contempſon: Si ratione ſubordinationis motio efficax non eſſet exacta homo ſanus ea non indigeret: *Quia ſolùm eget ea ratione ſubordinationis*; homo verò lapſus motione efficaci indigeret, licet ratione ſubordinationis non eſſet exacta, *quia ea indiget ob naturæ corruptionem, & debilitatem.*

Gonet, diſp. 5. de Nat. reparat. ſ. 3.

1197 2. Probo: Nam S. Auguſt. ait: *Si in tanta infirmitate vitæ huius ipſis*, ideſt, lapſis *relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei* ſine quo *perſeverare non poſſent manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent inter tot, & tantas*

Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 12.

*tas tentationes infirmitate sua volũtas ipsa succumberet.* Ergo ex Aug. si voluntas lapsi relinqueretur adiutorio *sine quo*, quin Deus adiutorio *quo*, seù efficaci operaretur vt vellet, *infirmitate succumberet*: ergo adiutorium *quo*, seù efficax non solùm exigitur, vt Deus operetur omnia in omnibus, in statu lapsus, sed etiam vt voluntas *inter tantas tentationes infirmitate non deficiat.*

1198 Probo iam tertium: Nam S. Doctor, de homine iusto lapso, hęc scribit: *In statu naturæ corruptæ homo etiam in gratia existens indiget prædicta motione propter duo*; primo quidē *ratione generali, propter hoc, quod nulla res creata potest in quemcumque actum prodire nisi virtute motionis divinæ.* En rationem indigentiæ motionis efficacis communē naturæ integrę: *Secundo ratione speciali* (addit Sanct. Doctor) *propter cōditionem status humanæ naturæ, quę quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem*: indigentia ergo motionis Dei efficacis in statu lapsus provenit sufficienter, licet non vnice, ex *corruptione*, & *infectione naturæ quantum ad carnem*; ergo ex *hac ratione speciali status* esset necessaria motio efficax, licet *ratione* illa *generali* nō exigeretur.

D. Tho. 1. 2. q. 109.

1199 Sed licet prædicta solutio probabilis sit inter Thomistas ei non assentior, ex duplici principio: 1. Quia si differentia statuum apud Sanct. Augustinum sisteret, in eo, quod gratia efficax in statu lapsus exigitur duplici ex causa, & in statu integro vnico ex principio, Augustinus minimè solveret argumentum propter quod differentiam statuū edocuit. 2. Quia falsum existimo, quod si gratia ex se efficax non exigeretur in statu lapsus ratione subordinationis, esset exacta ex corruptione, debilitate, & infirmitate naturæ; vnde illę conditionales non subsistunt, in quibus Contempson fundat differētiam statuum vt exponat Augustinus.

*Contempson vbi supra, n. 1191. & 4.*

1200 Primum probo: Sanctus Augustinus operosius tractat, & quærit: *Quomodò respondeamus eis, qui dicunt; si in illa rectitudine, in qua sine vitio factus est* Adamus *habuit perseverantiam proculdubiò perseveravit in ea: & si perseveravit vtique non peccavit, nec illam suam rectitudinē, Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverātiam, & si non habuit non vtique accepit. Quomodò enim, & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porrò si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse nō perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideò non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate. Nondum quippè erat in genere humano perditionis massa ante quàm peccasset, ex quo tracta est origo vitiata*: Argumento verò cum summa ista difficultate proposito intendit respondere Augustin. differēdo etiam statuum exponendo, (vt ait iste Author) consistentem in eo, quod vt Adamus perseveraret non erat exactum adiutorium *quo* perseverantiā acciperet ratione infirmitatis, sicut nunc, sed solùm ratione subordinationis; sed ad minuendam difficultatem huius interrogationis: *Quid* Adamus *non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit?* Quid conducit, quod adiutorium *quo* accipitur perseverantia, & non habuit Adamus fuerit exactum vnico tantum titulo, non duplici? Equè enim præmit argumentum, dum adiutorium ad perseverandum deficit, quod erat omninò exactum, licet vnica ratione: *Quid non perseverando peccavit?* Omninò enim impertinens est ad imputabilitatem dum exactum deficit, quod rationes exigentiæ multiplicētur, aut non,

Se-

1201 Secundum assumptum, scilicèt ex sola infirmitate naturæ nõ esse exactam ad actus salutares gratiam efficacem intrinsecè connexã, quàm plurimis rationibus exactam sustineo: Probo; vt homo lapsus possit vincere legem illam, quam sentit in membris suis, seù pondus concupiscentiæ ad peccatum vehementer inclinans sufficit inspiratio Spiritus Sancti, seù delectatio cęlestis ad bonum salutare vehementer alliciens: ergo tunc voluntas lapsi in ratione equilibrij simillima erit volũtati hominis integri: Quid enim ad hanc indifferentiam interest, quod nullum in vtraque parte pondus sit, aut quod in vtraque paria sint pondera? Et vt exemplo bilancis vtar, equè in medio sistit, dum pondus est in vtraque parte equale, aut dum nullum adest pondus. Pergo; sed vt inspiratio cęlestis sursum rapiens equet pondus concupiscentiæ deorsum trahẽtis nõ exigitur connexa cum opere salutari, sed sufficit, quod ad id inclinet; concupiscentia enim non est connexa cum opere deliberato pravo, sed ad id allicit: vt omnes Catholici adversus Calvinum sustinemus: ergo ex corruptione naturę, seù cõcupiscentia rebelli auxilium *quo*, seù intrinsecè connexum natura lapsa non desideraret; si aliundè non exposceret. ¶ Explicatur: De fide est peccatum non esse sentire motus concupiscentiæ, D. enim Paulus eos sentiebat, solùm est peccatum post concupiscẽtias ire: ergo motus concupiscentiæ non solùm ad peccatum non necessitat, vt Lutherus, Calvinus, & similes pestes delirarunt, verùm etiam nec intrinsecè connectitur cum peccato, quia separabilitas equè pugnat cum connexione, ac cum necessitate: Pergo: ergo potest adstrui motus indeliberatus cęlestis inspirationis equãs concupiscentiæ motum, & voluntatem in perfecto equilibrio relinquẽs absque connexione cum opere salutari. ¶ Authoritates SS Augustin. & Thom. probant ex corruptione naturæ esse necessariam specialem gratiam, vt inferiùs exponam, non verò colligi eam esse prædeterminantem, & intrinsecè connexam. *Infrà à nũ. 1227.*

1202 Vnde ad Jansenij argumentum ex illis S. August. capitibus de Correptione, & gratia desumptũ respond. communi ea solutione, quã tradunt, Gonet, Emin. Aguirre, & alij: negando S. August. ibi comparasse vniversaliter gratiam naturæ integræ, cum gratia naturæ lapsæ, quia in hac vniversalitate adiutoriũ *quo*, & efficax fuit in natura integra; & adiutorium *sine quo*, seù sufficiens in natura lapsa. Sanct. enim August. solùm comparavit in ordine ad perseverandum gratiam Adami cũ gratia Sanctorum prædestinatorum; qua in comparatione asseruit Adamum habuisse adiutorium *sine quo*, seù sufficiens per illa verba: *Primo itaque homini datum est adiutorium perseverantiæ non* quo *fieret, vt perseveraret, sed* sine quo *per liberum arbitrium perseverare non posset*: Quid obstat hoc, vt Sanctis Angelis fuisset donatum adiutorium *quo* fieret vt perseverarent? Sanctos verò prędestinatos habere adiutorium *quo*, seù efficax ad perseverandum asseruit per hæc verba: *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis* (de ijs ergo solùm loquitur:) *Non tantùm tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale vt eis perseverantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donũ non nisi perseverantes sint.* Quid exinde vt nunc Sanctis non prędestinatis tantùm tale adiutorium perseverantiæ detur *sine quo* perseverantes esse non possint? Immò hoc expressit Augustin. dicens reprobos aientes: *Non accepimus perseverantiam* non iustè excusari: *Quoniam potest dici in eo, quod audieras, & tenueras in* *Gonet disp. 5. sect. 4. Aguir. dis. 132. sect. 7.*

*Aug. ibi, c. 12.*

*August. de Corrept. & Grat. c. 7.*

*eo perſeverares, ſi velles*: Quæ phraſis in Auguſtin. ſignificat poteſtatem proximam perſeverandi, ea enim expreſsit adiutorium ſufficiens Adami.

1203 Sed contra hanc ſolutionem plura difficilia opponuntur: 1. Quia cum Auguſt. obiectionem ſuperiùs adductam ex Adverſarijs cõcinnaret ſtatim, ita incipit Reſpondere: *Quapropter ſaluberrime confitemur Deum, ſic ordinaſſe Angelorũ, & hominum vitam, vt in ea priùs*, in ſtatu, ſcilicèt, ſanitatis, *oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitriũ: Deinde*, ideſt, in ſtatu infirmitatis, *quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium*; Sed ſi vtroque in ſtatu exigeretur adiutorium *quo*, ſeù efficax donans voluntati *velle*, & perſeverare, aut in vtroque oſtenderetur *quid poſſet gratiæ beneficiũ*, aut in neutro *quid poſſet liberum arbitrium*. Inintelligibilis; ergo redditur contrapoſitio Auguſtin. niſi aſſeratur *priùs* nõ fuiſſe exactum adiutorium *quo* velle donans; nunc verò exactum eſſe.

*Sup. à num.*

*Aug. ibi. c. 10.*

1204 2. Auguſtinus enim proſequitur: *Angeli quidam per liberũ arbitrium à Domino Deo refugæ facti ſunt. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt*. Stare in veritate eſt perſeverare: ergo ſicut deſertores per liberum arbitrium à bono receſſerunt, ſancti per ipſum arbitrium in bono perſeveraverunt; ſed ſi ad perſeverandum cum effectu exigeretur ſpeciale adiutorium *quo* id donans, non verè dicerentur *per liberum arbitriũ in veritate ſtetiſſe*, ſicut nec nunc verè poteſt affirmari de Sanctis lapſis prędeſtinatis: ergo ex Auguſtin. in Sanctis Angelis non fuit exactum adiutorium *quo* ad perſeverandum.

*Aug. ibi. c. 10.*

1205 3. Auguſt. aſſerit alibi: *Qui non infertur in tentationem nõ diſcedit à Deo. Non eſt hoc omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc ſunt, fuerat in homine antequam caderet*: Cùr autem in viribus arbitrij primi hominis erat *non diſcedere à Deo*, ſi hoc non eſt omninò *in viribus arbitrij*, quales nunc ſunt? Rationem continuò ſubdit SS Pater per hæc verba: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cũ ſuis cadente in veritate ſteterunt* in perſeverantia igitur Sanctorum Angelorum *præſtantia libertatis* integrę *apparuit*, non gratiæ beneficium: *Poſt caſum autem hominis*, proſequitur Sanctus, *non niſi ad gratiam ſuã Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad Deum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, vt homo nõ recedat ab eo*: Si ergo non *antequam caderet*, ſed *poſt caſum hominis* pertinet ad gratiam *non recedere à Deo*, ad perſeverandum non erat ante caſum exactum adiutorium gratiæ efficax, quod eſt neceſſarium poſt caſum.

*Auguſt. de Dono Perſever. cap. 7.*

1206 Vltimo denique opponunt Auguſt. difficillima verba aſſerentis, arbitrium in innocentiæ ſtatu *ita liberum erat, vt velle bene poſſet, & male; nunc autem per peccatum perdito bono merito; in his, qui liberantur factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat* in arbitrio, ſcilicèt, ſano: Nulla tamen adhiberi poteſt ratio; Cùr nunc Sanctis gloria *donum gratiæ* ſit, quæ Adæ *merces meriti* futura erat ſi perſeveraret? Niſi quia nunc Sancti ex dono efficaci gratię perſeverant, cum Adamus adiutorio *ſine quo*, abſque efficaci perſeverantiæ dono libertatis ſuæ prędeſtantia poſſet perſeverare, & gloriam obtinere.

*Aug. ibi. c. 11.*

1207 Addo, & vrgeo: ex Auguſtin. *Sine vlla dubitatione confitendum eſt, ideò gratiam vitam æternã vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippè ipſa intelligitur, quæ gratia in Evãgelio legitur, gratiam pro gratia, ideſt,*

*Auguſt. de Correp. cap. 13.*

*ideſt, pro his meritis, quæ contulit gratia*: Sed vita æterna SS. Angelorum non fuit gratia; *ſed merces meriti*, & talis futura erat vita æterna Adami ſi perſeveraſſet; vt ex Auguſt. vidimus: ergo vita æterna, nec fuit in Angelis, nec eſſet in Adamo reddita meritis, quæ contulit, aut contuliſſet gratia: ergo in ſtatu eo nõ erat gratia efficax, ſeù adiutorium *quo* merita cum effectu conferens.

1208 Hæc ſunt difficillima Auguſtin. teſtimonia, quæ poſt Calvinũ adduxit Janſenius, vt gratiam neceſſitantem in ſtatu lapſus ſuſtineret, quam negavit in integro: Alijque Doctores ea produxerunt, vt probarent gratiam hominis lapſi eſſe intrinſecè efficacem, ſecus hominis integri: vnde neceſsè eſt ad plenam Sanct. Auguſtini intelligentiam diſcrimen inter vtriuſque ſtatus gratiã exponere *adiutorio Domini in cuius manu sũt, & nos, & ſermones noſtri.*

*Aug. ibi.* Cùm SS. Pater aſſeruiſſet, quod in Adamo fuit manifeſtum, *quid poſſet liberum arbitrium*: & quod ſi *ſine vitio per liberum arbitrium manere voluiſſet acciperet merito permanſionis beatitudinis plenitudinem.* Statim ſubdubitavit: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam?* Quaſi hoc conſequeretur ex eo, quòd per liberum arbitrium potuit ſine vitio manere; & ex eo, quod in eo fuit oſtenſum quid liberum arbitrium poſſet; ſed continuò ſatisfacit Auguſt: *Immò verò habuit magnam* Dei gratiam Adam: *Sed diſparem.* Cui? Gratiæ, ſcilicèt, liberationis collatę Sanctis poſt lapſum: quam gratiarum diſparitatem, ita exponit Auguſt. *Ille* (loquitur de Adamo) *in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat.* Accepit enim ab initio iuſtitiæ, & ſanctitatis gratiam, non *ex* dono creationis, vt impudenter aſſeruit Baius, ſed *cum* dono creationis, erat enim Deus ſimul *condens naturam*, vt creator, *largiens gratiam*, vt iuſtificator: *Sancti verò* (Sanctus ait) *in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum, libera nos à malo.* Hæc eſt prima differentia, ſeù diſparitas gratiarum; quod gratia Adami fuit vt eſſet in bonis, gratia Sãctorum eſt, vt liberet eos à malis in quibus ſunt.

*Aug. ibi, c. 11.*

*Auguſt. de Corrept. c. 10.*

*Aug. lib. 12. de Civit. cap. 9.*

*Ille in illis bonis* (adiecit Sãctus) *Chriſti morte non eguit*; vt medici, nõ enim eſt opus valentibus Medico: *Iſtos à reatu, & hæreditario, & proprio, illius agni ſanguis abſolvit*, vt mundi ſint, & liberati à peccato ſervi fiant iuſtitiæ: *Ille* (Pergit Sanctus Adamum deſignando) *non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti cum dicunt*, video aliam legem, &c. Quis me liberavit, &c. Gratia Dei per Chriſtum; *quoniam in eis caro cõcupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, atque in tali certamine laborantes, & periclitantes dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcũt. Ille verò à nulla tali rixa à ſe ipſo adverſus ſe ipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur.* Quæ differentia gratiæ lapſus vincentis concupiſcentiam rebellem, à gratia integritatis, in qua non pugnavit adverſus rationem, ſatis apperta eſt, ex ea tamen vltimam earum gratiarum diſparitatem eruit SS. Pater aiens: *Proindè etſi non interim lætiore nunc, verùm tamen potentiore gratia indigẽt iſti.* Illa lætior, vbi nulla anxietas, & pugna; hæc potentior, vt rebellem appetitum compeſcat: Has differentias gratiarum vtriuſque ſtatus cum Auguſt. fatemur, vbi nec leviſsimè indicatur, quàm Janſenius ſomniavit.

*Roman. 5.*

*Galat. 5.*

1209 Vnde ad 1. Auguſt. teſtimonium communitèr reſpondetur: Quod *prius* fuit oſtenſum poſſe arbitrij, dum cum eſſet *in bonis vbi nullũ patiebatur malum* in bono non permanſit: *Deinde* fuit monſtratum *gra-*

*tiæ beneficium*, quia dum eſt captivum in lege peccati gratia per Chriſtum liberatur à corpore mortis huius.

Sed vt radicitus Janſenij argumentum conteram, ſentio Auguſtin. in illa contrapoſitione per *prius*, & *deinde* non comparaſſe ſtatum integritatis cum ſtatu lapſus; ſed potiùs ſtatum *viæ*, cum ſtatu termini *beatitudinis, & pœnæ*; ineptiſsime ergo ex hac contrapoſitione Auguſt. firmari poterit differentia Janſeniana ſtatus integritatis, á ſtatu lapſus.

1210 Probo aſſumptum. 1. Auguſt. ita ait: *Saluberrimè confitemur, quod rectiſsimè credimus* (ergo loquitur de ijs, quæ neceſſariò ad ſalutem fide divina credi debent. Tale nè erit diſcrimen gratiarum à Janſeniſtis proclamatum?) *Deum ſic ordinaſſe Angelorum, & hominum, vitam, vt in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium* merendo, ſcilicèt, aut peccando: *Deindè quid poſſèt ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæque iudicium*: beneficium præmiando merita, iudicium puniendo demerita, hìc enim eſt ſenſus verborum Auguſt. Quia cum indiſcriminatim loquatur de ordinatione *vitæ Angelorum, & hominum* non debet intelligi de diſcrimine ſtatus integritatis à ſtatu lapſus, cum hæc ſtatuum differentia non ſit in Angelis, quia ſtatim, vel ex merito pervenerunt ad beatitudinem, vel ex peccato in damnationem.

*Aug. ibi. c. 10.*

1211 2. Me convincit contextus; quia S. Pater eam ſententiã probat prius in Angelis, quàm hominibus continuò enim ait: *Angeli quidam per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti ſunt.* (En *prius* oſtenſum, quid potuit liberum arbitrium peccando) *refugientes tamen eius bonitatem non potuerunt effugere iudicium, per quod miſerrimi effecti ſunt.* (En *deinde* oſtenſum iuſtitiæ iudicium in miſeria, & pœna dæmonum) *cæteri autem* Angeli *per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt.* (En *prius* oſtenſum, quid potuit liberum arbitrium merendo) *eãque de ſuo caſu nunquam futuro certiſsimam ſcire meruerunt .:. Quia ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium permanſionis acceperunt.* En *deinde* oſtenſum in præmio beatitudinis beneficium gratiæ: quid illuſtrius pro noſtra expoſitione?

1212 Vltimo, quia idem probatSS. Pater in hominibus, in quibus *prius* etiam manifeſtavit Deus quid poſſet liberũ arbitrium; *deinde* quid poſſet gratiæ beneficium, iuſtitiæque iudicium. Proſequitur enim Sanctus: *Sic*, ideſt, ſicut Angelos, *& hominem fecit cum libero arbitrio, ideòque beatum, quia, & non mori, & non miſerum eſſe in ſua poteſtate eſſe ſentiebat: In quo ſtatu recto, ac ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet acciperet merito permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua, & Sancti Angeli ſunt beati.* (En expreſſum, quod ſi homo *prius* manifeſtaret arbitrium merendo: *Deinde* Deus oſtenderet gratiæ beneficium eum, ſicut Sanctos Angelos præmiãdo.) *Quia verò per liberum arbitriũ Deum deſeruit.* (En quomodo *prius* homo monſtravit poſſe arbitrij peccando) *iuſtum iudicium Dei expertus eſt, vt cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhùc poſita, tota cum illo peccaverat damnaretur*: En quomodo *deinde* Deus manifeſtavit ſuæ *iuſtitiæ iudicium*: ergo eſt evidens, illam Aug. contrapoſitionem per *prius*, & *deinde* non verſari inter ſtatum integritatis, & ſtatum lapſus, ſed ly *prius* referri ad merita, aut demerita arbitrij, in Angelis, & hominibus; ly *deinde* ad beneficium gratiæ in præmio meritorum, & ad iuſtitię iudicium in pœna demeritorum.

1213 Ad 2. Reſpond. Auguſtin. aſſeruiſſe Sanct. Angelos *per liberum arbi-*

*arbitrium in veritate stetisse*, quia in eorũ perseverantiæ meritõ fuit monstrata liberi arbitrij potentia, minimè verò, quia non obtinuerunt auxilium sufficiens, & efficax, vt perseverarent: Adiutorium sufficiens, nec Jansenius negat, cum S. Pater id, & Angelis dessertoribus, & Adamo expressè concedat. Probo ergo non denegasse Sanctum Sanctis Angelis adiutorium *quo*, seù efficax, vt in veritate starent, licet affirmet per liberũ arbitrium in veritate stetisse. ¶ 1. Rationibus adductis suprà, illustratisq; ex eo, quod nunquam invenies Sãct. Augusti. contraponere Angelos Sanctos, Prædestinatis, vt ij habeant auxilium *quo*, quod illi nõ obtinuerũt; semper comparavit Sãctos nunc prędestinatos, Adamo nõ perseveranti, & huic negat auxilium *quo*, quod illis concedit, vt ex verbis Augustin. manifestum feci. ¶ 2. August. ait: *Angelos Sanctos amplius adiutos* ad beatitudinem perveniſſe: ergo amplius adiuti, quàm dessertores perseverarunt, quia perseverando ad beatitudinem pervenerunt: ergo nõ solùm adiuti adiutorio *sine quo* Angelis dessertoribus communi. ¶ Dicere hoc amplius adiutorium non esse prævenies beatitudinem, sed esse ipsam beatitudinem, iam alibi impugnavi, & auxilium efficax Sanct. Angelorum evinci, ex eo, quod Deus eos discrevit ab Angelis pravis, & quia ipsi Coronas victoriæ suæ offerunt Deo; consule si placet.

*Aug. ibi. c. 10. & 11.*

*Sup. à num. 1190.*

*Sup. à num. 1202.*

*Aug. lib. 12. de Civit. Dei, cap. 9.*

*Sup. à num. 424.*

*Sup. à num. 322.*

1214 Nunc addo ad illustrandam eandem veritatem SS. Ecclesiæ Patres eam nos edocentes. 1. D. Fulgentium, auxilium efficax Sãctis Angelis tribuentem, & eius discrimen à gratia Sanctorum nunc prædestinatorum exponentem, per hęc verba: *Ipsa igitur* (virtus divina) *etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi ipsa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in vtroque operata, in hoc vt surgeret, in illo nè caderet; in illo nè vulneraretur; in isto vt sanaretur ab hoc infirmitatem repullit; illum infirmari non sinit, illius esca; istius medicina.* Nil Illustrius! ¶ 2. Adduco D. Gregorium aientem: *Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus redemptio hominum: illis fortitudo nè cadant; nobis adiutorium vt surgamus.* Quid clarius? ¶ Adijtio Div. Bernardum, dum inquit: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo nè laberetur, sic illum de captivitate eruens, sic istum de Captivitate defendens, & hac ratione equæ, vtriaue redemptio communis, solvens illam, & servans istum.* Hanc differentiam gratiarum ex Augusti. eructarunt Ecclesię PP. in statibus integritatis, & lapsus, non quam duce Calvino somniavit Jansenius.

*D. Fulgent. lib. 2. ad Trasimundum Reg. cap. 3.*

*D. Gregor. hom. 14. in Ezechielem.*

*D. Bernard.*

1215 Vnde simul confirmatur præiacta solutio Respond. ad 3. difficilè Augusti. testimonium, cuius sensus esse nequit, quod Angelus, aut homo sanus non indiguerint gratia efficaci, vt non discederent à Deo; quia est sententia Augustini in Concilio Arausicano confecrata: *Natura humana etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullomodo se ipsam creatore suo non adiuvante servaret; vnde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire, quàm accepit, quomodò sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Ex eo ergo Augustinus dixit: *Non discedere à Deo non esse in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, fuisse in homine antequam caderet*; quia in eo fuit habitualis gratia, cum cæteris donis, & virtutibus, quibus poterat, & liber erat ad non discedendum à Deo, in quo apparet *libertatis illius primæ conditionis præstantia.* Hæc autem libertas nõ est in homine post casum, sed per peccatum amissa, & ideò dixit Sanctus: *Liberum arbitriũ*

*Aug. Epist. 106. Arausican. Concil. 14.*

*Aug. epist. 107.*

*ad diligendum Deum primi peccati grãditate perdidimus*: Quia eo amiſimus habitualem gratiam, & virtutes, quibus Adami arbitrium vires habebat ad diligendum Deum; non ergo illa comparatio Auguſtini fuit in gratia efficaci, quæ non exhibet arbitrio vires, imò eas ſupponit; ſed fuit in habitu gratiæ, & virtutibus vires exhibentibus arbitrio.

1216 Dices: Quomodò Sãctus potuit vocare vires arbitrij gratiam, & virtutes, vt abſolutè affirmet, quod homo in prima conditione poterat per arbitrium, id quod ſolũ poterat per ſupernaturalem gratiam? ¶ Reſpond. eſſe hanc communem Auguſtini phraſim; & ideò Sanctus dixit: *Naturam totam perdidit in ſemetipſo primus Adam*, & aſſeruit, Sanctos Angelos per liberum arbitrium in *veritate ſteriſſe*, & Adamum per liberi arbitrij vires potuiſſe in eo ſtatu recto, & ſine vitio in quo cõditus fuit, permanere; ſicut enim ait Apoſtolus, *natura eſſe filios iræ*; & Sanctus peccatum originale vocat *peccatum naturæ*, ſeù *naturale*, non quia peccatum id natura ſit, ſed quia ſimul cum natura contrahitur, ſeù à nativitate nobis ineſt: Vnde ſolet dici *naturale* (Divus Thomas ait) *omne illud, quod natura incipiens accepit*. Ita Auguſt. dixit per peccatum Adamum amiſiſſe *poſſe naturæ, & poſſibilitatem naturalem*. Immò, & Cœleſtinus primus dicit *homines prævaricatione Adæ naturalem poſſibilitatem perdidiſſe*; Similiter Auguſtin. vocat *naturalem* poſsibilitatem Adæ ad nõ diſcedendum à Deo, & perſeverandum, non quia gratia eam conſtituens ſit naturæ debita, vt impudenter aſſeruit Baius, ſed quia à nativitate infuit Adæ ſimul cũ natura donata, quę *incipies eã accepit*; in hocque ſenſu loquutos fuiſſe PP. ita verùm eſt, quod nec Janſenium latuit.

*Aug. epiſt. 107.*
*Auguſt. de Corrept. c. 10.*
*Apoſt. ad Epheſ. 2.*
*Aug ſerm. 14. de verb. Domini.*
*D. Th. in 2. diſt. 19. q. 1. art. 4.*
*Aug. lib. 11. de Geneſi ad litteram.*
*Cœleſt. I. in in epiſt. ad Epiſcop. Galliæ.*
*Janſenius de Grat. primi homini, cap. 9.*

1217 Ad 4. reſpond. S. Auguſt. non intendere vitam æternam non fuiſſe gratiam Angelis Sanctis; quia hoc eſt Baianum dogma ab Eccleſia ſæpè proſcriptum; in Angelis vocatur ab Auguſtin. gloria *merces meriti*, & in nobis *donum gratiæ*, licet vtriſque ſint gratuita merita, quibus gloria datur, propter differentiam ſuperiùs ex PP. expoſitam; quia gratia in nobis liberat à damnatione, qua tenemur obſtricti: Angelis licet donaret merita beatitudinis indebitæ, non eos liberavit à debita damnatione; illa gratia erigit poſtratos; hæc elevat erectos; illa ſolvit malũ: hæc donando bonum à malo non liberat; vnde cum gratia in Angelis dicatur naturalis, quia licet naturę indebita ſimul cum natura donata, ita gloria ei correſpondens non tam gratiæ donum, quàm merces meriti dicitur; in nobis gratia naturalis non dicitur, quia potiùs *natura ſumus filij iræ*; vnde gloria noſtræ gratię correſpondens potiùs dicitur gratiæ donum, quam merces meriti, quia omninò *gratis dantur merita, quibus datur* ¶ Per quod ad id, quod vrgetur Reſpõd. gratiam in vtroque ſtatu donare mèrita; in ſano donans indebitum bonum: in lapſo liberans à debito malo: ibi bonum ſervans; hìc malum ſolvens; ibi vulnus impediens, hìc ſanans; quia ſani eſca, lapſi medicina.

*Sup. à num. 1214.*

1218 Hucuſquè amico federe Angelica Schola, & P. Societatis pugnant, vel contra Hęreticos deblaterantes gratiam lapſum neceſsitare, non ſanum, vel adverſum alios aſſerentes, gratiam ſanitatis ſolùm eſſe intrinſecè indifferentem, lapſus autem eſſe intrinſecè efficacem: In ſe tamen arma vertunt, dum P. Societatis intendunt, Deum in vtroque ſtatu ſolùm prævenire merita per gratiam intrinſecè indifferentem; Schola Angelica pugnat, Deum vtroque in ſtatu prędvenire merita per gratiã intrinſecè efficacem: & ex capitibus

S. Augustin. quæ versamur, ita efficacitèr disputat: Adiutorium *quo* Sancti nunc perseverant est efficax, cum eo *non nisi perseverantes sint*, non est indifferens, sed cum perseverantia connexum, quia eo *invictissimè volunt, indeclinabiliter, & insuperabiliter aguntur*, quæ prędicata proculdubiò exigunt connexionem; sed adiutorium efficax non indifferens, sed connexum est intrinsecè efficax: ergo Augustin. edocuit adiutorium intrinsecè efficax, vt nunc Sancti perseverent: Cum igitur gratia efficax vtroque in statu sit eiusdem speciei, gratia in statu sanitatis etiam erit intrinsecè efficax.

*Sup. à num. 421. vsquè ad 29.*

12019 P. Societatis per oppositas semitas intendunt præiacto fundamento satisfacere; cum enim omnes conveniant adiutorium *quo* non esse præveniens connexum; aliqui negant esse pręveniens perseverantiam, sed esse asserunt, identicè perseverantiam ipsam, qua perseverantes sumus in genere causę formalis. ¶ Hanc verò solutionē diffusè impugnavi alibi, & eius Authores retuli. Alij verò tàm longè sentiunt ab ista sententia, vt sustineant, adiutorium *quo* non solùm non esse perseverantiam ipsam, sed nec esse cum ea connexum, sed indifferens. Et alibi Authores retuli, & solutionem impugnavi.

*Sup. à num. 430.*

*Thyrso tomo 4. disput. 5. sect. 3.*

*Aug. adductus, nu. 1208.*

1220 PP. tamen Societatis sic ex adverso suam opinionem fundāt: Gratia efficax in statu sanitatis est eiusdem speciei, ac in statu lapsus; vt supponimus, sed in statu sanitatis nō erat intrinsecè efficax: ergo nec in statu lapsus. Prob. Min. R. Tyrso post alios: vberior, potentior, & fortior gratia exigitur ad perseverandum in statu lapsus, ac sanitatis, vt expressè asseruit Augustin. Sed si eo in statu esset exacta gratia intrinsecè efficax, seù prædeterminans, nequit verificari gratiam lapsi esse robustiorem, & vberiorem, non enim est posśibilis gratia robustior prædeterminante, cum perseverantia essentialiter connexa, in quocumque subiecto etsi gravissimè tentatio victoriam obtinente, & omnem rebellionem expugnante: ergo.

*Thyrso ibi, sect. 4.*

1221 R. Thyrso refert M Alvarez, & P. Gonet asseruisse non esse ex mente Augustin. fortiùs auxilium exactum ad perseverandum in statu lapsus, ac in statu sanitatis. ¶ Ego autē solùm lego in his Doctis Thomistis, quod indubium est, scilicèt, Adamū indiguisse alio speciali auxilio ad perseverandum præter auxilium *sine quo*, & quod dum Augustin. negavit adiutorium *quo* ad perseverandum, nūc Sanctis prædestinatis concessum, non fuit, quia id non exigeretur eo in statu, vt Jansenius dixit; cum Sācti Angeli id obtinuissent, & Adamus ad plura opera salutaria, An verò sit cōcedenda lapsis nunc potentior gratia, quàm Angelis Sanctis, aut Adæ, si actu perseveraret? In Thomistis decisum non reperio; quid sentiam iam expono.

1222 Iudico esse ex genere in hoc statu potentiorem gratiam exactam, quàm in statu sanitatis; exindeque vberiorem gratiam esse nunc in prædestinatis, quàm fuit in bonis Angelis, & fuisset in Adamo, si perseveraſſet. ¶ Non moveor ex illis Aug. verbis: *Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam, sed hæc potētior est in secundo Adam*, quia hæc comparatio Augustin. non fuit absoluta ratione status; sed inter gratiam sufficientem, & efficacem ad perseverantiæ effectum, vt constat ex his, quæ continuò adiungit: *Prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiā si vellit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, vt vellit.* ¶ Convincor verò ex Augustin. dum differentias generales vtriusque status agnoscens, ait: *Proindè, etsi non interim letiore nunc, verùm tamen potentiore gratia indigent isti*, idest, lapsi; quod autem

*Aug. de Corrept. c. 11.*

*Aug. ibi. in principio*

tem principium aſſumpſit Auguſtin. vt *proindè potentiore gratia indigeāt* lapſi? Quia in lapſis *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*; Adamus verò *nulla tamen rixa in ſe ipſo adverſus ſe ipſum turbatus, ſua ſecum pace fruebatur*; Sed hoc principiū generale eſt vtrique ſtatui: ergo abſolutè potentiore gratia indigent lapſi.

1223 Inefficacitèr verò ita colligit P. Thyrſo: *Gratia in ſtatu lapſus eſt potentior, & fortior: ergo in integro, & ſano non eſt intrinſecè efficax, ſicut in lapſo*: Sicut ineptè ego ex eodem antecedenti deducerē adverſus ipſum: ergo *in ſtatu lapſus nō eſt ſolùm extrinſecè efficax, ſicut in integro*. Manifeſtè enim diceret, ex eo, quod vtroque in ſtatu gratia ſit extrinſecè efficax, non probari gratiam non eſſe inæqualē, ſed inæqualitatem non deſumi ab extrinſeca efficacia; ſed ex eo, quod eſt actiuior, fortior, ſeù viuacior gratia, quæ redditur extrinſecè efficax in lapſo, ea, quę ſimiliter redditur efficax in ſano; ita, qui in vtroque ſtatu fatemur gratiam intrinſecè efficacem, nō cogimur ad negandam inæqualitatem in gratijs, ſed ſolùm ad eam non inferre ex intrinſeca efficacia, ſed ex eo, quod eſt actiuior, fortior, & viuacior gratia, quę in lapſo coniungitur cum gratia intrinſecè efficaci, quam ea, quæ ſimiliter coniungitur in ſano.

1224 Vno verbo: Gratia potentior in lapſo nō eſt auxilium *quo*, ſeù intrinſecè efficax, ſed auxilium *ſine quo* ſufficiens, & libertatem conſtituens: Vnde *potentiore gratia indigent* lapſi, licet gratia intrinſecè efficaci indigeant, & innocētes: Duo firmare debeo, vt ſolutio ſubſiſtat. 1. Inæqualitatem gratiarum non deſumi ex gratia mouente, & determinātē, ſed ex ea, quæ confert virtutem, ſufficientem, & libertatem. 2. Quid addit gratia ſufficiens lapſi, vt ſit maior, & potentior gratia integri.

1225 Primum 1. firmet D. Thomas differentiam ſtatuum exponens per hæc verba: *Virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad vnum, ideſt, ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale; ſed in ſtatu naturæ corruptæ, quantum ad duo, ſcilicèt, vt ſanetur, & vlteriùs, vt bonū ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium* En diverſitatem in virtute gratiæ, quia virtus gratuita integræ naturæ purè elevat conferendo poſſe, naturæ autem corruptæ elevat, & ſanat: *Vlteriùs autē* (Sanctus addit) *in vtroque ſtatu indiget homo auxilio divino, vt ab ipſo moveatur ad benè agendum*. En omnimodam ſimilitudinem in auxilio divino *vlteriùs* exacto, ſeù virtuti ſuperaddito, vt anteà expoſſuit Div. Thom. quo Deus phyſicè movet ad benè agendum.

*D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 2. in corp.*

*D. Tho. ibi, art. 1. in corpore.*

1226 2. Idem expreſsit Auguſt. differentiā generalem gratiæ vtriuſque ſtatus ita edocēs: *Ille*, ideſt Adamus *non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti*, ideſt, Sancti nūc, *cum dicunt, video aliam legem, &c.* Quale autem eſt hoc adiutoriū, quod Sancti nunc implorant, & quo opus non habebat Adamus? Statim reſolvit Sanctus: *Quoniam in eis caro cōcupiſcit adverſum ſpiritum dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt: Proindè potentiore gratia indigent*: ergo hæc Chriſti gratia potentior, qua indigēt nunc Sancti vincendi, pugnandique virtutem prę ſtat: ergo gratia potentior ad ſufficientiam virtutis, ſeù libertatem expectat: In hac ergo conſiſtit inæqualitas gratiæ vtriuſque ſtatus; quia, vt Auguſt. dixit: *Maior libertas* (pende verbum) *eſt neceſſaria adverſus tot, & tantas tentationes*.

*Auguſt. de Corrept. c. 11. in principio.*

*Aug. ibi. c. 12.*

1227 Ad 2. Reſpondeo gratiam ſufficientem eſſe *potentiorem* in lapſo,

ſo, quàm in integro; quia in iſto præter iuſtitię gratiam, & virtutes ſolùm includebat Spiritus S. illuminationē oſtendentem viam, qua ambulare debebat. In lapſo autem præter habitum gratię, virtutes, & Spiritus S. illuminationem exigitur eiuſdē Spiritus S. inſpiratio, quę ſit cœleſtis delectatio voluntatem accendens, eiuſque indeliberata motio ad ſupernaturale virtutis bonū alliciens: Huic, in qua ſum, opinioni Theologi communitèr ſubſcribunt, eos citant, & ſequuntur P. Decamps, & R. Thyrſo, & 1. vtroque in ſtatu eſſe exactam illuminationem S. Spiritus eſt evidens, quia eſt exacta cognitio boni ſupernaturalis vt in id feratur voluntas impotens in incognitum: *Voluntatē enim* (Aug. fatur) *non allicit ad faciēdum quodlibet, niſi aliquid viſum*, ideſt alicuius rei viſio, & intellectio: *Quid autem quiſque, vel ſumat, vel reſpuat eſt in hominis poteſtate.* En indifferentiam poteſtatis, ſeù libertatem à neceſsitate vtroque in ſtatu expreſſam: *Sed quo viſo tangantur, nulla poteſtas eſt.* Vnde viſio ad bonū ſalutare excitans gratia eſt: *Quia nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mētem*, vt alibi dixit Auguſt.

*Decamps, l. 3. diſp. 3. c. 14. Thyrſo, diſp. 5. ſect. 9. Aug. lib. 3. de Lib. Arbit. c. vltimo*

*Auguſt. de Spir. & Litera, c. 33.*

1228 In ſtatu verò lapſus, non in integro eſſe exactam cœleſtem illam delectationem; vnico principio ſuadetur. Neceſsitas cœleſtis delectationis, ſeù inſpirationis Spiritus S. in homine lapſo iuſtificato vnicè provenit ex carnis cōcupiſcentia ad malum alliciente, & adverſum ſpiritum pugnante; ſed in ſtatu integro cōcupiſcentia adverſus ſpiritum non pugnabat, ſicut nunc pugnat; ergo in ſtatu integro non erat neceſſaria motio alliciens ad bonum, vt id voluntas proſequeretur. Mai. prob. ex Auguſt. ſępiùs id inculcante ſufficiat Sanctū adducere, dum inquirit: *Quomodò te à te liberat Deus?* Ideſt, à certamine carnis, & ſpiritus, quod in Adamo nō fuit, qui ſua ſecum pace fruebatur; & reſpondet: *Dando tibi vires pugnādi adverſus concupiſcentias tuas, inſpirando virtutem, dando menti tuæ cœleſtem delectationem*: ergo cœleſtis delectationis inſpiratio exigitur ab Auguſtin. vt habeamus virtutem pugnandi adverſus concupiſcentias noſtras. ¶ Hancque motionem exigit D. Thom. quia in homine lapſo iuſtificato *manet infectio, & corruptio quantum ad carnem, per quā ſervit legi peccati, vt dicitur ad Roman. 7. Quia ibi Apoſt. in perſona hominis reparati dicit, ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati*: Ergo auxilium actuale ſanans animā quantum ad carnem exactū eſt propter corruptionem carnis: & ideò Caietanus exponens Sanctū dixit, quod homo in ſtatu integro indigebat auxilio actuali ex vna parte tantum, ſcilicèt ignorantia ſupervenientium, quę exigit illuminationem, non ex infirmitate carnis, quæ exigit inſpirationem; ita ſentit P. Gonet referens Soto, Curiel, & Driedo.

*Aug. hom. 29.*

*D. Tho. adductus, n. 1198.*

*D. Tho. ibi. art. 8. in corpore.*

*Caiet. in 1. 2. q. 104. artic. 9.*

*Gonet diſp. 3. ſect. 4.*

## ADDITIO.

1229 ALiqua ſuperaddere placet propter ea, quæ Scriptores Recentiores de ſententijs præiactis aſſeruerunt, ad quatuor Concluſiones reducuntur aſſerta huius Sectionis: 1. Pelagium nunquàm agnoviſſe auxilium gratiæ ſufficientis: 2. Gratiam ſufficientem, ſeù dantem poſſe eſſe diſtinctam à lege, & doctrina, & hoc eſſe omninò certū: 3. Controverſiam Auguſtini cum Pelagio circa adiutorium volūtatis, & actionis fuiſſe de adiutorio efficaci prævio, & connexo: 4. Voluntatem ratione infirmitatis contractæ per originalem culpam non indigere gratia intrinſecè efficaci licet oppoſitum probabile ſit; Eſſe autem exactam potentiorem gratiam, quia in ſtatu ſanitatis non erat exacta gratia actualis, ſeù cœleſtis delectationis vires voluntati exhibens, quæ eſt neceſſaria in ſtatu lapſus.

Cir-

1230 Circa primam conclusionem, rationes nostras laudat Doct. Prado : Nec mihi displicet ratio, quàm tradit ex ijs Aug. verbis : *Confiteretur*, Pelagius quidem, *ergo sic se aliquando tenuisse*: *sed iam non tenere, vt de correptione eius apertissime gauderemus*: De correptione igitur Pelagij erat in Augustin. animo *apertissime* gaudere : Inquiro ergo, vel August. agnovit Pelagium *aliquando tenuisse*, nullam esse gratiam prętер legem, & doctrinam, & *iam nō tenere*, vel non agnovit? Si 1. assigna vbi de illa correptione *apertissime* gaudet? Si 2. ergo melius Augustin. agnoscis Pelagij sensus, qui correptionem eius agnoscis, quàm nescivit August. Et hanc sententiam nostram prætер Thomistas adductos tenent: Nicolai in annotationibus ad D. Th. Cabassutius, Bernardinus Vetuveis, & Emin. Noris ex professo suadens Pelagium veram gratiam nunquam agnovisse, sed fucato gratiæ, vocabulo conatum fuisse, invidiam frangere, & piorum offensionem declinare : Non quia non agnovit gratiam interiorem excitantem, vt supposuimus cum communi Theologorum sententia, & probat eruditè Emin. Aguirre ; sed quia huic gratię internæ semper negavit esse *submin'stration-em virtutis Spiritus Sancti* Et exinde esse gratiam sufficientem.

*Prado, disp. 8. sect. 5. n. 68. & 74.*

*August. de Grat. Christ. cap. 22.*

*Nicolai in D. Thom. 2. sent. dist. 37 q. 1. art. 2.*

*Cabassutius in Hæresis Pelagianæ Theologica Delineatione, fol. 684.*

*Vetuveis in Speculo veræ Ecclesiæ, lib. 9. cap. 2. artic. 1.*

*Noris Hist. Pelagianæ, lib. 1. c. 15.*

1231 Sed Doctor Prado observat inconsequentiam meam; cum me audit loquentem : *Nō me latet Theologos aliquos affirmare, Pelagiū aliquando admisisse auxilium gratiæ sufficientis; quod licet sit falsum, improbabile minimè existimo : fundantur enim in eo, quod Pelagius tandem concesserit adiutorium à lege distinctū.* Alibique in eadem Sectione asserentem: *Evidenter convincam gratiam sufficientem nunquam admisisse Pelagium.*

*Supra num. 1172.*

*Aguirre in Opusc. 1. S. Anselmi, c. 114. sect. 4.*

*Supra num. 1182.*

*Supra num. 1168.*

Collatis igitur his duobus testimonijs, sic interrogat Doctor Prado, Si Doctor iste *evidenter convincit Pelagium nunquam admisisse gratiā sufficientem*, qua veritate dicit postea : *Pelagium aliquando admisisse auxilium gratiæ sufficientis, improbabile minimè existimo.* Hæc sunt cōtradictoria formalia : *Pelagius nunquam admisit auxilium gratiæ sufficientis*:: *Pelagius aliquando talem gratiam admisit.* Primam propositionem testatur ipse se evidenter cōvincere : Quomodò ergo potest iudicare, secundam non esse improbabilem? Potest nè non esse improbabilis propositio aliqua, cuius formaliter contradictoria convincitur evidenter? Profectò difficilè solet esse stare pro veritate, & simul aliorum placitis obtemperare. Hucusquè Prado.

*Prado ibi, num. 30.*

1232 Sed hæc valdè levia sunt: Non iudicare improbabilem opinionem asserentem *Pelagium aliquando tenuisse gratiam sufficientē*; est quia *sufficit mihi probare mea, & aliena non carpere*, vt aiebat D. Hieronymus: Non quia *volui amicissimis aliquomodo indulgere; siquidem non potui veritatis ipsius vi impeditus, subscribere*, vt ait Prado : Sed quia esset imprudens audacia opinionem Doctissimorum virorum, quorum sapientia, eruditio, sanctitas, omnibus innotescit, improbabilitatis nota affigere; illam opinionem novissimè docuit Sap. Bolibar Primarius Salmantinus, & nostri ævi Oraculum; audebit Prado vnius Bolibar opinionem censurare? Nunquid contra illud assertum adducet, Conciliorum decreta, SS. Pontificum Oracula, aut omnium Theologorum vniformem sensum? Nec in mea opinione mērore sum affectus, quia Sap Magistris amicissimis Dominicanę Familiæ nō subscripsi, subscripsi quidem plurimis, sufficiat subscribere Gonet, & Lemos: O quales viros nominavi!

*Hier. Aug. ep. 13.*

*Prado ibi, n. 24.*

*Bolibar de Grat. Dei, dub. 6. ff. Vltim. n. 57.*

*Gonet, & Lemos allati, n. 1172.*

1233 Vt inconsequentiæ notam non incurram; quia dixi *evidenter*

con-

Thyrſo tom. 1. diſp. 11. ſect. 12.

convincã: ſufficiat referre RR. Thyrſo aliquando dicentem, *demonſtratio contra prædeterminationem*: ſæpiſsimè verò affirmat non eſſe improbabilem ſententiam Thomiſtarum; aliàs Sedi Apoſtolicę non obtemperaret: finge nunc me incõſequentiæ arguere M. Thyrſo; Ita: Hæc ſunt contradictoria formalia *Prædeterminatio non exiſtit*. *Prædeterm. exiſtit*. Primam propoſitionem teſtatur ipſe demonſtrare: (hoc eſt evidenter convincere) Quomodò ergo poteſt iudicare ſecundam non eſſe improbabilem? Poteſt nè non eſſe improbabilis propoſitio aliqua, cuius formaliter contradictoria demonſtratur? Quomodò ergo ſtat pro veritate, & Sedi Apoſtolicæ obtemperat: Reſp. RR. Thyrſo in verbis illis non intendere, quod illud argumentum ita ex præmiſsis certis, & evidentibus inferat concluſionem, vt contradictoriũ ſcilicèt *Prædeterm. exiſtere* ſit erroneum evidenter, ſed tantùm illa inſcriptione voluit manifeſtare, illius argumenti vim, & efficaciam, eſſe ſpeciali attentione dignam: *Et hoc valdè abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi*, vt de aliqua propoſitione, quàm exiſtimavit S. Auguſt. ſcripſit S. Bonaventura: Et quod minus voluit intelligi conſtat, quia contrarium, (vt tenetur) ſæpè vocat probabile.

D. Bonavẽt. in 2. diſt. 33 q. 2. art. 3.

1234 In ſecunda concluſione; certiſsimum eſſe ſupponimus, gratiã ſufficientem eſſe diſtinctam à lege, & doctrina, illa enim eſt *divina per Ieſu-Chriſtum gratia*, ſine qua per *legis doctrinam* non poſſumus *iuſtificari coram Deo*; *Non enim ſolùm Doctorẽ, ſed adiutorem Deum* expoſcimus, vt poſsimus ſalutariter operari: Et ideò in P. Palanco, cuius perſonam laudibus ſemper extollo, duas propoſitiones notavi, vt pernitiem lectorum vitarem: 1. *Auguſt. ſupponere videtur poſſe in natura, & doctrina*: 2. *Gratia conſtituens poſſe non eſt formaliter diſtincta à gratia legis, & doctrinæ.*

Trid. ſeſſ. 6. Can. 1. Auguſt. de Spir. & Litera, cap. 6. Sup. à num. 1180. Palanco ibi. adductus.

1235 Sed meis argumentis diverſimodè occurrere intendit, in obſervatione, quàm præmittit, libro poſteà edito, quàm videre illa potuit. Ipſum audiamus primam propoſitionem exponentem: *Nec rectè infert me excidiſſe* affirmantem abſolutè, quod S. Auguſt. ſuppponere videtur poſſe ad opus ſalutare conſiſtere in natura, & doctrina: *Nam in primis hæc non eſt affirmatio abſoluta; ſed limitatiſsima, cum ſolùm dixerim: Id* videri, *non ita eſſe, & oppoſito in ſenſu immediatè expoſſuerim Auguſt. Valdè autem differunt* ſupponere videtur, & ſupponit: *Sicut valdè diſtinguntur*, negari Dei gratia videtur, & negatur Dei gratia: *Cùm enim illud primum dixiſſet Auguſt. pro caſu quo defenditur liberum arbitriũ, & exinde hoc ſecundùm ei imputaſſet Iulianus, Auguſt reſpondet*: Calumniaris, nec hoc à me dictum eſt, ſed videri hoc poſſe dictum eſt; *ex qua aſſertione de* videri *nullum excidium incurrit Auguſt Sic igitur non dixi Auguſtinum illud ſupponere, ſed hoc videri ex littera textus, quod & cuique legenti ita videbitur, & nullum inde excidium incurriſſe me puto; potiſsimè cum ibidem perſpicuè ſuppoſuerim: tàm ex mente Auguſt. quàm ex propria gratiam ex parte potentiæ à lege, & doctrina diſtinctam*, licèt nomine legis aliquando comprehenſam, *quia eadem* liberalitate, & gratia inſeparabiliter à Deo donatam, & ideò ab illa in eſſe gratię formaliter indiſtinctam; atque ità perſpicuè, vt *mirum videatur tantũ Doctorẽ meũ de hac re* ſenſum *in dubiũ revocare voluiſſe*. Hucuſq; Palãco

Palanco ibi obſervat. præmiſſa, lib. de Probabilitate.

1236 Sed de illa propoſitione P. Palãco, & de alijs in hac Sect. examinandis, aliquantulum dure loquutus ſum, & duriùs fortaſsè deberem: nam vbi agitur de fide divina, ceſſant omnia; quæ enim vltrà aras,

Chriſtiana non eſt amicitia;

Scio, valdè differre *ſupponere videtur, & ſupponit*; ſicut differunt *negare videtur*, & *negat*: Ergo, qui tibi ſolùm tribuit, *quod Auguſt. ſupponere videtur poſſe* ad opus ſalutare *conſiſtere in natura, & doctrina*, non calumniatur, ſed refert id ipsũ, quod *abſolutè* affirmaſti: puerile eſt, dicere illam non eſſe affirmationem abſolutam, ſed limitatiſsimam, quia dixiſti id *videri*, non ita eſſe; limitationem enim ipſam abſolutè affirmaſti; Et hoc in viro doctiſsimo miratus ſum; quod *Auguſt ſupponere videtur Hæreſim Pelagianam in libro* in quo eam ex profeſſo impugnat, & ipſius latebras pandit: Et magis miror, quod nunc addis, ſcilicèt, *cuicũque legenti, ita videbitur*: Cuicumque enim legenti videtur SS. Parentem ſupponere, *poſſe in natura, & doctrina*, ex mente Pelagij, vt Hæreſim ab ipſo in Synodo Paleſtina ficto corde damnatam, nè in illis Epiſcopalibus geſtis damnaretur; Nulli tamen legenti, (quem ſciam) videtur, nec forſitàn videbitur, quod Auguſt. *ſupponere videtur poſſe in natura, & doctrina* iuxtà propriam mentem, quod tu *vt veriùs* reſpondes: Si enim Auguſtinus ibi nos monet, *naturalẽ poſsibilitatem adiuvari Dei gratia confiteri à Pelagio, ſed per gratiam non velle aliud accipi, quàm legẽ, atque doctrinam, qua naturalis poſsibilitas adiuvetur*; ſi Pelagium increpat, quia non fatetur nos *adiuvari aliqua ſubminiſtratione virtutis*: Nõ *videbitur* certiſsimum cuicumque ibi legenti Auguſt. quod *poſſe operari in natura, & doctrina iam acceperant*; quod loquitur in ſenſu Hæretico Pelagij, quem ibi damnat, vt aliã Hęreſim Pelagij impugnet ſcilicèt: *Deum non adiuvare, vt velimus.*

*Palanco de Provid. q. 13. n. 27.*

*Auguſt. de Grat. Chriſ. cap. 6.*

*Auguſt de Grat. Chriſ. cap. 2.*

*Aug. ibi. c. 5.*

*Aug. ibi. eodem cap.*

1237 Ad aliam excuſationem veniamus, Auguſt. nomine *doctrinæ* intelligere doctrinam vt obligantẽ, & cum gratia ſibi debita ex parte potentiæ: Et iam ceſſat calumnia, *ſupponere videtur*, non *ſupponit* dixiſti, iam enim dicis *vt veriùs* Auguſt. ſupponere poſſe in *doctrina*, intelligendo nominæ *doctrinæ* veram gratiam: ¶ 2. *Cum Hæreticis nec nomina debemus habere communia, nè eorum errori favere videamur*, vt ex D. Thom. ſuprà diximus: Quomodò ergo Auguſt. ex propria mente edoceret *poſſe in doctrina* habendo nomẽ commune cum Pelagio, vt eius errori favere videretur? Specialiter cum in toto illo libro de Gratia Chriſti SS. Pater ſæpiùs accuſet fallaciæ Pelagium, quia volebat ſub generalitate *doctrinæ* veram per Chriſtum gratiam confundere; & dicemus Auguſt. ipſum crimen, quod accuſat in eodẽ libro incurrere: ¶ 3. Laudo Doctũ Recentiorẽ, quia aliquomodò ſeipſum corripit: priùs enim ſcripſit: *Gratia ex parte potentiæ, vt obliget lex ſivè doctrina ſemper intelligitur nomine legis, & in illa comprehenditur*; Poſtea ſcripſit: gratiam ex parte potentiæ *nomine legis aliquando cõprehenſam*: Priùs gratiam ſufficientẽ *ſemper* intelligi nomine legis affirmat; iam non dicit *ſemper*, ſed *aliquando*, vtrùmque falſum, ſed primum falſitatem omnem ſupperat; gratia enim ſufficiens eſt vera *divina gratia per Ieſu-Chriſtum*; Et Sacroſancta Synodus Tridentina expreſsè contraponit *legis doctrinam cum divina per Ieſu-Chriſtum gratia*: Quomodò ergo *ſemper* intelligitur nomine legis? In Auguſt. ſæpiſsimè legitur: *Aliud eſt lex, aliud eſt gratia*: Quomodò ſi *ſemper* gratia intelligitur nomine legis, & in illa comprehenditur? Falſum etiam eſt, quod Auguſtin. nomine *legis, & doctrinæ aliquando* intellexit gratiam veram ſufficientem, ſeù *virtutem*, & *vires* exhibentem; aſsigna quidem Auguſt. locum aliquem in quo iuxtà propriam mentem nomine *doctrinæ* intelligat veram gratiam ſufficientem?

*D. Th adductus, n. 114.*

*Palanco, q. 13. de Providẽt. n. 27. Palanco in obſervatione præmiſſa, lib. de Probabilit.*

*Trid. ſeſſ. 6. Can. 1.*

Sup. à num. 1160.

tem? Iam alibi ex professo adduxi loca Augustini, in quibus probavit *Gratiam Dei non esse in lege, atque doctrina, sicut Pelagiana perversitas desipit.* Quid aliud habet August. nisi quod, quia *dicerint nō habent virtutem vt credant.* Quod *credere est opus gratiæ, non doctrinæ*; quod *gratiam non dicamus esse doctrinam.*

August. de Grat. Christ. cap. 13.

Verùm est, quod *aliquando* August. vocavit gratiam *doctrinam* dū eam Deus *altiùs*, & *interiùs per se ipsum ministrat occultus*; hoc est, dū Deus *divino modo docet secundū gratiam, non secundùm legem, secundùm spiritum, non secundùm litteram*; sed per hanc gratiam *doctrinæ* expressè negat August. quod Deus donet posse, immò potiùs ex August. probavimus, hanc doctrinam esse connexam cum ipso agere: Ergo nomine *doctrinæ* nunquam intellexit Aug. gratiam sufficientem dantem posse.

Vide suprà n. 1161. & 2.

1238 Accedamus ad alias propositiones huius Docti Recentioris, quas in examen vocavi, & omninò falsas, dixi (nescio an amplius deberem, iudicent ij ad quos expectat,) *Dummodo tota gratia à PP. Societatis assignata constituat posse non assignatur gratia formaliter distincta à gratia legis, & doctrinæ. Omnis gratia constituens posse includitur in gratia legis, & doctrinæ illamque non excedit.* Adde aliam: *In ea gratia, quæ posse constituat salvari non potest gratia verè, & in sensu Theologico excedens gratiam legis, atque doctrinæ*: Nimis enim placere Hæreticis timeo; qui vniformitèr gratiam sufficientem Pelagianam vocant; David Paræus inquit, *gratia sufficiens est calidum Pelagianismi operculum*, Robertus Sarisburiensis, etiam Calvinista, ait: *Illud gratiæ adiutorium, quod dat posse est Pelagianum.* Jansenius hoc assumptum: *Gratia sufficiēs est Pelagianicum adiutorium, non Christi Salvatoris*, totis viribus evincere nititur; Pende has lineas: *Gratia sufficiens non est formaliter, seù in esse gratiæ distincta à gratia legis, & doctrinæ, nec eam verè in sensu Theologico excedit*: Hęc est maior tuis verbis expressa; sed gratia legis, & doctrinæ est Pelagianicum adiutorium, non verè, & in sensu Theologico gratia divina Christi Salvatoris; Hæc propositio est certissima: Ergo gratia sufficiens non est formaliter, seù in esse gratiæ distincta à Pelagianico adiutorio, nec est verè in sensu Theologico gratia divina Christi Salvatoris. ¶ Alitèr probo contradictorias illarum propositionum: Gratia *legis* est gratia Dei, vt *Legislatoris*, gratia *Doctrinæ*, est gratia Dei, vt Magistri, & Doctoris; Gratia sufficiens per *subministrationem virtutis adiuvans* ad salutariter operādum, est gratia Dei, vt *Adiutoris*; sed gratia Dei *Adiutoris* est formaliter in esse gratiæ distincta à gratia Dei, vt *Legislatoris*, & *Doctoris*, & eam verè in sensu Theologico excedit: Ergo gratia sufficiens est formaliter in esse gratiæ distincta à gratia legis, & doctrinæ, & eam verè in sensu Theologico excedit. ¶ Alitèr, Gratia sufficiens donat sufficientiā, virtutem, & potestatem salutariter operandi; vt est de fide: Gratia legis, & doctrinę non donat potestatē salutariter operandi: vt est etiam de fide; sed gratia donans potestatem salutariter operandi est formaliter in esse gratiæ distincta à gratia talem potestatem non donante, & eam in sensu Theologico verè excedit, vt videtur certum, cum posse ad salutariter operandum sit beneficium indebitum, & supernaturale: Ergo ¶ Accedit: Summos Pontifices summo connatu, damnavere in Jansenio, quod negavit gratiam actualem sufficientem, eamque declarasse necessariam ad veram libertatem à necessitate adversus Hetherodoxos nostri sæculi stabiliendam; Et quis audebit dicere: Tot SS. Pontificum Bullas

Sup n. 180. Palanco de Provid. q. 13. n. 23.

Palanco ibi. num. 28. Paræus lib. 1. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 2. pag. 45. Robertus Sarisbur. lib. de Grat. Christi, pag. 81. Iansenius, lib. 3. de Gratia Christi, cap. 1.

non edocere, nisi gratiam in esse gratiæ formaliter indistinctam à gratia Pelagiana legis, & doctrinæ? Nonnè ansam non præberet Jansenistis, calumniantibus gratiæ sufficientis defensores esse Pelagianos? Et quid deblaterarent, si audirent *gratiam sufficientem*, vt de fide divina repetitis Sedis Apostolicæ decretis declaratã *verè*, & *in sensu* Theologico *non excedere gratiam legis, & doctrinæ*? Et cum laudatus Author gratiam efficacem adstruat extrinsecam subiective salutariter operanti, tenetur ad hanc propositionem concedendam: *Dum homo salutariter operatur non habet intrinsecè receptam gratiam prævenientem in esse gratiæ distinctam à gratia legis, & doctrinæ*: quod indicare sufficiat.

*Palanco, q. 13. de Prov. num. 23.*

1239 Sed audiamus excusationes Docti Recentioris tàm inauditæ inter Theologos Hispanos propositionis: Sic arguit: Illa gratia non excedit legem, atque doctrinam, sed in illa includitur, quæ suppositа lege, atque doctrina, nunquam negatur à Deo, sed inseparabiliter eam commitatur, sed gratia constituens posse suppositа lege, atque doctrina nunquam à Deo negatur, sed inseparabiliter eam commitatur: Ergo: ¶ Cõf. 1. Quod ex aliqua suppositione debitum est, & nequit à Deo negari nõ est nova gratia formaliter in ratione gratiæ distincta ab illa suppositione, siquidem non est indebita facta illa suppositione, sed debita: Sed suppositа lege, atque doctrina ad credendum auxilium sufficiens, ita debitum est, vt à Deo negari non possit; Deus enim nullum obligare potest ad aliquid faciendum, nisi dando illi posse necessarium ad illud: vt est de fide, quia *Deus impossibilia non iubet*: Ergo suppositа lege, atque doctrina nõ est distincta gratia in ratione gratiæ ea, quæ posse constituit: ¶ Confirm. 2. Gratia legis, atque doctrinæ importat ipsam legem, vt obligantem ad sui adimpletionem; sed lex, vt obligans ad sui adimpletionem essentialiter importat gratiam constituentem posse adimplere legem: siquidem implicat aliquem esse obligatum ex vi alicuius legis, nisi habeat posse sufficiens ad eam implendam: Ergo gratia constituens posse non excedit gratiam legis, sed in lege vt obligante includitur, & importatur.

*Palanco ibi. num. 24.*

1240 Supponimus esse de fide, nullum esse *obligatum* inexcusabiliter à lege, nisi habeat sufficientiam ad opus præceptum. Supponimus esse de fide potestatem, & sufficientiã ad opus salutare non esse in nobis per arbitrium, & legis doctrinam, sed per divinam per Iesum-Christũ gratiam: Ex hijs verò principijs ignoramus qualiter inferatur hoc consequens: Ergo *divina gratia posse constituens non est formaliter distincta à gratia legis*: Solùm enim infertur hoc consequens: Ergo *legem obligare in actu secundo, seu inexcusabiliter includit gratiam formaliter distinctã à gratia legis*, eam quidem gratiam donantem sufficientiam, & vires potentiæ ad opus præceptum; quia legẽ *non præstare vires potentiæ, omnibus est compertum*, vt ait alibi ipse Palãco. Sit exemplum: Non potest lex de opere salutari *observari*, nisi adsit gratia donans opus salutare; vt est de fide: Exindè ineptè inferes; quod gratia donans *agere* non est formaliter distincta à gratia legis, sed solùm inferes; quod vt lex *observetur* exigitur gratia distincta à lege: Idem dici debet de lege, vt *obligante*.

*Palanco tract. 3. de Charitate, q. 11. n. 81.*

1241 Hinc inferes: Nullatenus conducere ad sciendum; An Pelagius admisserit gratiam sufficientem? Isti discursus; Ex eo, quod admisserit gratiam legis, vt *obligantis*: 1. Quia certum est in primo, & secundo statu sui erroris admisisse gratiam legis *obligantis*, & tamen omnes supponũt in hijs sui erroris statibus non agnoviſſe

visse gratiam sufficientem: Ergo non debet admiti tertius status, in quo gratiam sufficientem agnoscat, quia legem *obligantem* agnovit. ¶ 2. Pelagius agnovit legem *observatam*, & tamen est certum, quod nunquã agnovit gratiam donantem *velle*: Ergò ex eo, quod admisserit legem *obligãtem*, non potest colligi, quod admiserit gratiam donantem *posse*. Ratio est: quia Pelagius admisit legẽ Hæretice *observatam*, ideſt, absque opere salutari, quod esset Dei donum; ita, & admisit legem ad opus salutare Hęretice *obligantem*; licet enim supponeret cum Catholicis adversus Manichęos; quod lex non obligat, nisi adsit potestas, seù sufficientia ad opus salutare, tamen hanc *sufficientiam* Hæretice constituebat ex Deo *Creatore, Legislatore, aut Doctore*; Nunquam hanc sufficientiam agnovit ex Deo *per subministrationem virtutis adiutore*: vt sentio cum cõmuni sententia, Et si aliquando agnovit, est certum illud adiutorium non agnovisse in gratia legis, sed agnoscendo (licet ad faciliùs, & ex meritis) aliud adiutorium præter legẽ.

1242 Vnde resp *Supposita lege potest à Deo negari gratia sufficiens*. Vnde minores illę sunt falsæ: non tamen Deus ad impossibilia obligat; quia dum Deus supposita lege negat omnem gratiam sufficientem, lex nõ obligat in actu secundo, & inexcusabiliter, & non adimplere legem non est peccatum, sed pœna peccati: Ita communitèr Theologi, quos sequens videatur Illust. Godoy.

*Godoy, q. 23 de Prædest. disp. 70. n. 87.*

1243 Si tamen velis asserere, quod supposita lege nõ potest à Deo negari gratia sufficiens, quia sẽper supposita lege adest obligatio inexcusabilis, seù in actu secũdo eã adimplẽdi: Respondere debes cum Doct. Prado; quod adhùc gratia sufficiens est gratia verè in sensu Theologico distincta à gratia legis; quia præstat munus dandi virtutẽ ad salutariter operandum, quàm non exhibet lex; sicut in Decreto salvandi hominem claditur *visio* Beata, quoad rationẽ doni gratuiti, sed vt gratia distincta à Decreto, quia visio prestat munus possidẽdi Deum, quod nequit exhiberi à Decreto: Et similiter, Incarnatio Verbi Divini debita erat ex suppositione legis antiquæ, qua erat promissa, & tamen Incarnatio Verbi, & Lex Evangelica est gratia distincta à lege antiqua, & eam verè in sensu Theologico excedit, quia præstant munera, quæ à lege antiqua præstari non possunt.

*Prado, disp. 8. de Libero Arb. sect. 2 num. 32.*

1244 Audiamus iterùm excusantem se prælaudatum Recentiorẽ; *Aliud est* (asserit) gratia legis, & doctrinę: *Aliud* ipsa lex, & doctrina; *sicut aliud est* gratia habitus militaris, *aliud* ipse habitus militaris: *Vnde sicut verùm est, quod in gratia* habitus *includuntur privilegia annexa ab ipso habitu distincta. Ita in* gratia legis *includi potest gratia constituens posse distincta à lege; quia* gratia legis *importat alia annexa præter legem; quorum præcipuum* est auxilium dans posse:

*Palanco in Observ præmissa ad lib. de Probabil.*

1245 Sed si licitũ est ita asserta exponere, quid erit prohibitum asserere? Et 1. Dele has propositiones: *Illa gratia non excedit legem, & doctrinam, Gratia constituens posse non est gratia supra legem. Non igitur ea gratia, quæ requiritur ad posse est gratia supra legem*; quia non dixisti supra *gratiam legis*, sed suprà *legem*: ¶ 2. Per *gratiam legis* in Theologorum lexico intelligitur *lex*, quam Pelagius vocavit *gratiam*: Et per *illam gratiam nos esse sufficientes ad salutariter operandum, damnarunt* Concilia, & SS. Pontifices in Pelagium: Per gratiam *dantem posse* intelligitur in Theologorum lexico, gratia illa sufficiens exhibens potestatem salutariter operandi, quàm definierunt Concilia in Calvinum, & SS. Pontifices in Jansenium: Asseris,

*Palanco de Providẽt. q. 13. n. 23. 24 & n. 25.*

ris: *Gratia donans posse non est gratia formaliter distincta à gratia legis*: Insto: Ergo gratia quam vt sufficientem declaravit Ecclesia non est distincta à gratia, quam insufficientē declaravit Ecclesia; Negas conseq. quia per *gratiam legis*, non intelligis *legem*, quia *aliud est lex*; aliud *gratia legis*: per gratiam enim legis intelligis novo lexico gratiam divinā sufficientem per Christum ad posse adimplere legem de opere salutari, distinctam à lege, sed annexam legi, vt obliganti: Sit ita; Sed 1. si ita intelligis illam propositionem; Cùr illam tot medijs probas, quasi cum P. Societatis pugnans? Cùm solùm explices quid intelligis per *gratiam legis*; Docta Societas illam vltro admitet, licet novam explicationē illius vocis agnoscens. ¶ 2. Si in illo sensu intelligis *gratiā legis*, quid illa propositio conducit ad probandum Pelagium agnovisse veram gratiam sufficientem? Quid vt *more Scholastico* exigas, quàm maiorem gratiam, quā Pelagius admitebat, admitit Docta Societas? Quia dicere Pelagium per *gratiam legis*, intellexisse gratiam à lege distinctam, quia aliud est *lex*, aliud *gratia legis*, & ex eo, quod lex vt obligans habet annexam gratiam dantem sufficientiam; est inefficaciter omninò colligere, vt suprà probavimus, & ex eodem medio posset colligi illam gratiam sufficientē agnovisse, vt simpliciter exactā, quod iustè renuis cum omnibus Theologis. Ergo illa propositio *gratia constituens posse non est distincta à gratia legis*, vel sensum intolerabilem continet, vel est ita certa, vt sit inepta ad probandum assumptum, quod intendis.

*Palanco ibi. num. 19.*

*Sup. à num. 1241.*

*Palanco ibi.*

1246 Conclusio 3. erat Augustin. intendisse adiutorium voluntatis, & actionis prævium, & connexum: Et ad rationem nostram Doct. Prado admitit solutionem, ibi adductam, & ad eius impugnationē Resp. quod Pelagius solùm poterat *doctrinæ*, adiungere præscientiam chimęricam, quia assumeret pro conditione *doctrinam* insufficientem ad credendum: Illi verò assumunt pro conditione auxilium sufficiens, & ita possunt præsciētiam adiungere.

*Sup. à num. 1186. Ibi n. 1187. Prado ibi. disp. 8. sect. 1. n. 12.*

1247 Contra est: hoc obiectum, *fides fit per adiutorium doctrinæ* infert præscientiam fidei sub conditione doctrinæ, vnde obiectum chimęricum, & similiter præscientiam Hæretice Pelagius adstruebat: Sed inquiro, qua efficacia pugnavit Aug. assumendo pro medio *inconexionem* doctrinæ ad suadendum *doctrinam* non adiuvare ad velle? Qui excludit obiectum ab aliquo munere propter defectum alicuius prædicati non exprimit, quod illud prædicatum exigitur ad illud munus? Et si sufficit recursus ad connexionem præscientię medium Augustin. erit inefficax, quia nequit probare præscientiam illam esse chimæricam.

1248 In 4. conclu. Doct. Prado, non potest iudicare probabilem assertionem P. Gonet, & P. Contenson, qui asserunt, quod titulo infirmitatis erat exacta gratia efficax intrinsecè; quàm probabilem reputavi licèt falsam; quia assumit hoc principium: *Quidquid requiritur ex infirmitate est necessarium, vt præstans vires, & vt virtus exacta ex parte actus primi.* Ex quo infertur, quod si gratia intrinsecè efficax exigitur titulo infirmitatis esset exacta ad posse; quod suprà improbabile diximus.

*Prado ibi. à num. 82. Sup. à num. 1196. vsque ad 8.*

*Sup. à num. 1031.*

1249 Resp. Hoc principium verùm est, sed non evidenter verùm; quia etiam est subvenire infirmitati, quod indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur, vt quamvis infirma non deficiat. Vnde non facilè existimo non iudicare probabile, quod Theologi Doctissimi asserunt, dum ex Cōcil. PP. & vniformi aliorum Theologorum sensu non oppugnantur,

## §. III.

### *Solvitur Argumentum ex ratione Theologica à Ianſenio adverſus gratiam ſufficientem naturæ lapſæ deſumptum.*

1250 VLtimum Janſenianum argument. à ratione Theologica contra auxiliũ ſufficiens gratiæ in ſtatu lapſus, ita procedit: Non eſt vera gratia, ſed gratię monſtrum, quæ *nunquam ab initio lapſus humani, vſque ad iudicij diem, vllum in humana voluntate effectum habuit, aut habitura eſt.* Sed gratia ſufficiens ſine efficaci nunquam habuit, aut habitura eſt pro effectu conſenſum ſalutarem propter quem datur: ergo gratia ſufficiens vera gratia non eſt.

*Ianſ. lib. 3. de Gratia Chriſti, c. 3.*

1251 Confirm. 1. Nequit eſſe gratię donum, quod meliùs eſt non habere, quàm habere; vtpotè nullam vtilitatem afferens; ſed meliùs eſt nõ habere, quam habere auxilium ſufficiens; qui enim id ſolùm obtinet nõ meretur, & qui eo caret non peccat: ergo auxilium purè ſufficiens non eſt gratiæ donum: quo argumento convictus quidam Lovanienſis ſuſtinuit hanc propoſitionem: *Gratia ſufficiẽs ſtatui noſtro non tam vtilis, quàm pernitioſa eſt; ſic vt proinde meritò poſsimus petere, à gratia ſufficiente libera nos Domine.* Quam noviſsimè damnavit S. Alexander VIII.

*Propoſitio 5. damn. ab Alex. VIII 7. Decemb. ann. 1690.*

1252 Vrgentiùs oppones; ex Auguſt. *Vſque adeò, aliud eſt lex, aliud eſt gratia, vt lex non ſolùm nihil proſit, verùm etiam obſit niſi adiuvetur gratia*: ergo ſimiliter poſſet dici de gratia cõſtituẽte poſſe, quod non ſolùm non prodeſt, verùm etiam obeſt, niſi adiuvetur alia gratia. Probo conſeq. Ideò primùm dixit Aug. quia ex Apoſtolo, *vbi non eſt lex, nec prævaricatio, & concupiſcẽtiam neſciebam, niſi lex diceret non concupiſces*: Sed pariter verùm eſt, quod vbi non eſt gratia ſufficiens, ſeù conſtituens poſſe adimplere legem non eſt prævaricatio, nec peccatum: ergo pariter, &c.

*Aug. degratia Chriſti, cap. 8.*

*Apoſtol. ad Roman. 7.*

1253 Hoc argumentum valdè difficilè eſt, ſed facilè evidenter ſuadetur eſſe inefficax. Primo; quia equè ſuadet gratiam ſufficientem Adę innocentis non eſſe veram gratiam; quod negat Janſenius, & eſt Auguſt. oppoſitum aſſerenti, *Adam habuiſſe magnam Dei gratiam, licet diſparẽ* gratiæ prædeſtinatorum. Probo ſequelam medio argumenti: Meliùs eſſet Adæ adiutorium ſufficiens non habere, quia ſi id *non habuiſſet ſua culpa non cecidiſſet*, & id habendo peccavit, ſed nequit eſſe donum id, quod meliùs eſt non habere, quàm habere, cum nullam afferat vtilitatẽ: ergo. ¶ Alitèr: Angeli deſſertores habuerunt magnum gratiæ donum in adiutorio *ſine quo*, licet caruiſſent eo gratiæ dono quo *Sancti ampliùs adiuti ad beatitudinem pervenerunt*; & tamen ſine hoc ampliori adiutorio effectum perſeverantię, ad quem ordinatur adiutorium ſine quo, nõ obtinerent. Qualiter ergo eſt beneficiũ id, quod vtiliùs, & eligibiliùs eſt nõ accipere, quàm accipere in circunſtãtijs defectus amplioris adiutorij? Vt hanc inſtantiam Janſenius effugeret in Pelagij pelagum demerſus fuit, negando perſeverantiam Sanctorum Angelorum fuiſſe donum Dei; quaſi illud Apoſtoli: *Quid habes, quod non accepiſti, ſolùm hominibus, & non Angelis poſſet dici.*

*Aug. de Corrept. & Gratia, c. 11. Aug. ibi.*

*Apoſt. ep. 1. ad Corint. 4. S. Anſelm. de caſu Diaboli, cap. 1. & 2.*

2. Quia ſimili argumento probari poſſet creationem, & conſervationem in reprobis, non eſſe Dei dona, cum de eis poſſet dici, quod Chriſtus de Juda: *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*; Immò nec fides eſſet Dei donum in reprobis: *Quia meliùs eſſet eis, ſi viam veritatis* per fidem *non agnoviſſent.* ¶ Poſtremò; quia ſi eſſet recta argumenti illatio ſequeretur contra omnium fidelium ſen-

*Matt. 26.*

ſenſum, nunquam homines abuti donis Dei, quia cum illis abvtuntur meliùs, & eligibilius eſſet ea non obtinere, deſinerent igitur eſſe dona per abuſſum.

Vndè iuſtiſsima cenſura proſcripſit Alexander VIII. aſſerentes *gratiã ſufficientem ſtatui noſtro non tã vtilem, quàm pernitioſam eſſe*, neceſsè enim eſt vt incidant, vel in Pelagij errorem, vel in Lutheri, & Calvini Hæreſim; iuxtà enim Concilia, & PP. adverſus Pelagium; natura ſine vera Chriſti gratia non habet ſufficientiam ad actus ſalutares, ſeù conducentes ad vitam æternam: dumquè Deus hos actus iubet, & non implentur peccatur. Sed iuxtà Concil. & PP. adverſus Lutherum, & Calvinũ: *Deus impoſsibilia non iubet*; vndè nõ adimplendo non peccat, qui ſufficiẽtiam adimplendi non habet: ergo in peccante non adimplendo eſt vera Chriſti gratia præſtans ſufficientiã, & poteſtatem adimplendi, & ſalutariter operandi.

*Trident.*

1254 Argumento ergo difficili, ſed evidenter inefficaci. Reſpond. Gratiam ſufficientem coniungi cum conſenſu ſalutari libero in omnibus rectè operantibus; quod verò, dum deficit efficax non coniungatur cum conſenſu libero eſt ex malitia eligẽtis, non ex gratiæ defectu, & adhùc tunc coniungitur cum motione indeliberata, ſeù dilectione boni ſalutaris ad id deliberate proſequendum vehementèr alliciente: *Prævaricator enim ideò dicitur non obediſſe, quia nolit*; non quia Deus obedientiam non donat: *Non tamen eſt conſequẽs, vt fidelis quoque ob hoc devotus ſit, quia voluit*; ſed quia Deus obedientiam dedit; vt teſtatur S. Proſper. An verò etiam proveniat ex culpa ſufficienter adiuti, non ſolùm non obedire, ſed, & efficaciter non adiuvari? Infrà decidam.

*D. Proſper. Ep. ad Auguſt.*

*Infrà q. 6.*

1255 Ad 1. confirm. Reſpond. duplicem poſſe fieri comparationẽ, vel inter habere, & non habere donum: vel inter non habere donum, & id reijciendo, & contemnendo habere. In prima meliùs, & eligibiliùs eſt habere gratiam ſufficientem, quã nõ habere; quia meliùs eſt habere libertatem, & ſufficientiã ſalutariter operandi, vitamque æternam promerẽdi, quàm ea carere: In ſecunda autem comparatione, meliùs eſſet non habere, quàm abijciendo habere; vt de dono creationis in Iuda, & dono fidei in reprobis cõſtat ex verbis Chriſti ſuperiùs adductis; ſed ex hoc inpètè colliges eam gratiam donum non eſſe; ſed eſſe ita pravum illius abuſum, vt meliùs eſſet dono carere, quã abuti, nec is abuſus ita pravus eſſet, niſi eſſet contemptus veræ gratiæ Dei.

*Vide num.* 1253.

1256 Ad id, quod vrgentiùs opponitur, Doctus Recentior abſolutè affirmat poſſe dici de gratia cõſtituente poſſe, ſeù ſufficiente, quod plus obeſt, quàm prodeſt niſi adiuvetur alia gratia: Nec exindè admittet propoſitionem damnatã, quod *gratia ſufficiens non eſt tàm vtilis, quàm pernitioſa*. Quia ſicut non infertur ex ſententia Auguſt. aſſerentis, quod *lex niſi adiuvetur gratia plurimum obſit* legem non tàm eſſe vtilẽ, quàm pernitioſam; ſimiliter poſſet affirmari de gratia ſufficiente.

*P. Palanco de Provid. q. 13. ſect. 2. num. 25.*

1257 Sed non intelligo; quomodò non ſit magis pernitioſum, quã vtilè, quod plus obeſt, quã prodeſt? Quia quod prodeſt eſt vtilè; & quod obeſt eſt pernitioſum: Quomodò nõ erit beneficus, qui veram gratiã donat? & qui confert id, quod plus obeſt, quàm prodeſt, quomodò beneficus eſt? Non ergo ſtat gratiam ſufficientem veram gratiam eſſe, & plus obeſſe, quàm prodeſſe. ¶ Gratia eſt beneficium, & donum ſupra debitũ, materia orationis, & gratitudinis, gratiarum actionem expoſcens, ſed quod plus obeſt, quàm prodeſt bonum mihi non eſt, nec materia gratitu-

tudinis,& orationis, ſed deprecationis,& querelę,nec ex tali donatione quis expectaret ſeriam gratiarũ actionem: ergo,quod plus obeſt,quàm prodeſt vera gratia non eſt.

Auguſt. de Grat. Chriſt. cap.8. Denique efficaciſsimè redarguo; Auguſtin.hæc ſunt verba: *Vſquè adeo,aliud eſt lex, aliud eſt gratia, vt lex non ſolùm nihil proſit, verùm etiam plurimum obſit niſi adiuvetur gratia.* Ergo Auguſtin. ex eo, quod lex obeſt, niſi adiuvetur gratia,probat *aliud eſſe legẽ, aliud gratiam*, ſeù legem non eſſe gratiam: ergo, ſi gratia ſufficiens obeſt niſi adiuvetur alia gratia, aliud erit gratia ſufficiens,aliud gratia; & exindè vera gratia non erit; quod eſt hæreticum.

1258 Vnde reſpondeo, legem plurimum obeſſe niſi adiuvetur gratia,non quia non ſit ſancta, & bona; ſed quia *iubet magis, quàm iuvat, docet morbum eſſe non ſanat, immò ab ea potiùs quod non ſanatur augetur, vt attentiùs,& ſolicitiùs gratiæ medicina quæratur.* Vlteriùs: *Nemò poteſt legem implere per legem*, ac proinde *per legem gratia demonſtratur, vt lex per gratiam compleatur.* Auxilium ſufficiens morbum nõ auget, immò vires ad ſanitatem præſtat,& per id poſſumus legem implere: ergo non poſſumus de auxilio ſufficienti loqui, ſicut S. Auguſtinus de lege.

Aug. ibi. Aug. ibi.c. 9.

1259 Sed ſi inquiras; Cùr à lege ſancta morbus, dum gratia non ſanatur,augetur? Vt hanc difficultatem operoſius contererẽ conſului integrum Sanct. Auguſt librum de Spiritu,&Littera,vbi apprimè exponit, quod *littera legis occidit,& ſpiritus gratiæ vivificat*;pertractando Apoſt. Epiſtolam ad Romanos,ex eaquè id evidenter colligendo, dumque verſat hanc Apoſtoli ſententiam: *Occaſione accepta peccatum per mandatũ ſefellit me,& per illud occidit*, ita edocet: *Vbi Sanctus non adiuvat ſpiritus charitatem diffundens in cordibus noſtris, profectò illa lex, quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum.* Legem autem bonam prohibendo augere deſiderium malũ eleganti ſimili Sanctiſsimus Pater declarans,ait: *Sicut aquæ impetus ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cuius molẽ cum evicerit maiori cumulo præcipitatus violentius per prona provoluitur.* Experientia id confirmat,aiens: *Neſcio,quo enim modo hoc ipsũ, quod concupiſcitur, fit iucundius dum vetatur*: & ideò peccatum per mandatum fallit,& occidit: *Quia legis littera, ſi ſpiritus vivificans deſit, ſciri facit peccatum potiùs quàm caveri, & ideò magis augeri, quàm minui.* Quid ſimile evenit in gratia ſufficiẽte? Immò in omnibus diſpar; quia ea non *tantùm Doctorem, verùm etiam adiutorem Deum* habemus: *Non ſolũ oſtendit,quid faciendum ſit*,ſicut lex, *ſed adiuvat etiam vt fieri poſsit quod oſtenderit*,eius enim gratię *inſpirata ſuavitate per Spiritum Sanctum, non ſolùm,quod iubet agnoſcitur, ſed delectat*,licet indeliberate, *quod præcipit.*

Aug. ibi. Aug. ibi.c. 5. Aug. ibi.c. 6. Aug.ibi. c. 35. Aug. ibi.c. 29.

1260 Addo vlteriùs: Cùm Auguſt.dixit,quod lex plurimũ obeſt, niſi adiuvetur gratia,quod legis littera occidit,ſi ſpiritus vivificans deſit,loquitur de lege operum, ſeù *factorũ*,vt ait Apoſtolus;hæc eſt enim, quæ *auget inolitæ cõcupiſcẽtiæ morbum incentivo prohibitionis,& cumulo prævaricationis*;quæ etiam *minando imperat*:& qua *dicit Deus,fac, quod iubeo*; fuitque *digito Dei*, ſeù *Spiritu Sãcto in tabulis lapideis ſcripta*: Minimè verò loquitur, (vt ipſe Auguſt.à cap.13.ſe expoſuit diluciđans Apoſtoli expreſſa teſtimonia) de lege fidei,per *quã excluſa eſt gloriatio noſtra*: Ipſa enim eſt, quæ *credendo impetrat, quod lex minando imperat*: & qua *Deo dicitur dà, quod iubes*; eſtque *ſcripta digito Dei*, ſeù

Auguſt.ad Roman.3. Aug.ibi. c. 10. Aug. ibi.c. 13. Lucæ 11.

Apoſtol. ad Rom 7. Auguſt. de Spiritu, & Littera c.4.

Apoſtol.ad Roman.5. Auguſt.ibi cap.13.

*Spiritu Sancto in tabulis cordis carnalibus, per quem charitas*, ſeù plenitudo legis *diffunditur in cordibus noſtris*. Gratia autem ſufficiens ad legē fidei expectat, qua ſcimus *quo donante poſsimus, quod lex iubet obedienter facere*; quia per legem fidei dicit Dominus: *Sine me nihil poteſtis facere*. Et quod *lege in tabulis ſcripta ſorinſecus terret. Vivificante ſpiritu in cordibus ſcripto intrinſecus delectet.*

*Auguſt ibi Aug. ibi. c. 35.*

## ADDITIO.

1261 AD illas propoſitiones P. Palanco: *Gratia conſtituens poſſe plus obeſt quam prodeſt, niſi adiuvetur alia gratia .:. Sicuti Auguſt. dixit*, vt lex non ſolùm nihil prodeſt, verùm etiam obſit niſi adiuvetur gratia, *ita ſimiliter poſſet dici de gratia conſtituente poſſe, quod non ſolùm non prodeſt, verùm etiam obeſt, niſi* adiuvetur *alia gratia*: quas in examen adduxi, in obſervatione, quàm præmiſit lib. de Probabilitate meis argumentis Reſp. parat: Et 1. ait, loquendo de illa prop. ad Alex. VIII. proſcripta: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tàm vtilis, quàm pernitioſa eſt*, quod, *nec oculos, nec ad aures perveneratpropoſitio iſta damnata, dum prædicta dictabam: quod ſi perveniſſet, forsàn me, & Auguſt. dilucidius expoſuiſſem.* ¶ Sed huic ſatisfactioni, vel excuſationi potiùs, non poſſum acquieſcere (ait Doctor Prado) tùm; quia eandem poſſet prętendere Lovanienſis, qui eam tradidit, antequàm vidiſſet damnationem: immò antequàm iſta prodijſſet: & tamen ille tenetur talem aſſertionem in poſterum cavere: hæc ergo excuſatio, niſi aliæ adſint, ab eodem onere, non liberat P. Palanco: Tùm, quia per illam iſte non ſe ſatis diſcernit à ſenſu Lovanienſis damnato, vt eſt manifeſtum: non ergo debemus hac excuſatione eſſe contenti: Hucuſquè optimè Prado,

*Palanco vbi ſuprà, num. 1256.*

*Palanco in Obſerv. præmiſſa, lib. de Probabilit.*

*Prado de Libero Arbit. diſp. 8. ſect. 3. num. 48.*

1262 2. Ait: *Abſolutè* non aſſeruiſſe de gratia ſufficiente, *quod non ſolùm non prodeſt, verùm etiam obeſt, niſi adiuvetur alia gratia*. Sed ſolùm dixiſſe, quod id *poſſet dici*, ſeù *poterit dici*: ad quod non exigitur, quod in rigore litteræ verùm teneat, ſed ſat eſt ſi aliquali ſenſu cum veritate proferri poſsit. Nec item *abſolutè affirmavit poſſe dici* (vt ego imputo.) Sed quaſi conditionatè aut de futuro, quod *poſſet dici*, ſeù *poterit dici*. Nec adhuc id *abſolutè* protuliſſe, ſed *ita ſimiliter*, ac Auguſt. idem dixit de Lege Sancta Dei, ideſt in eodem ſenſu, & relative ad ipſum.

*Palanco ibi.*

*Sup. à num. 1256.*

1263 Hanc, *leviſſimam ſolutionem*, vocavit Prado: Tùm, quia illa propoſitio Auguſt. non ſolùm dici poteſt quaſi conditionatè, & de futuro, ſed *abſolutè* dici poteſt, & debet: Ergo ſi *pariter dici poterit* de gratia *ſufficiente*, quod Auguſt. dixit de *lege*: Cùr non poterit abſolutè, & de præſenti dici? ¶ Tùm; quomodò *poterit* dici *de futuro* de gratia ſufficiente, quod plus obeſt, quàm prodeſt; quid enim eſt, quod expectatur, vt dici poſsit? Quia poſt damnationem expectatio iam videtur interdicta, & nec de futuro poterit ſimilis propoſitio ſubſtineri. ¶ Tùm; quia ſi illa propoſitio non poteſt abſolutè affirmari, ſed *quaſi conditionatè*, aut de *futuro*: quid conducet ad inferendum has abſolutas, & de præſenti quas probare intendis: *Gratia requiſita ad poſſe, ſe ſola ſuperaddita legi non cedit in maius hominis beneficium. Non igitur ea gratia, quæ poſſe conſtituit eſt gratia ſupra legē.*

*Prado ibi.*

*Palanco ibi num. 25.*

1264 Vnde ad rationes noſtras, præmiſſa inſtātia, de qua infrà; Reſp. diſt. illam prop. *Qui donat id, quod plus obeſt, quam prodeſt non eſt beneficus*; (idem eſt, quod id, quod obeſt nō ſit materia orationis, nec gratiarū actionē expoſcēs,) & aſſerit eſſe verā de eo, quod *de ſe*, & *per ſe* ante culpā recipientis, plus obeſt, quā prodeſt;

ſecus

secus verò de eo, quod peraccidens, & culpa recipientis obest; & sic se habere lex, & auxiliũ sufficiens: Nec esse novum ait asserere de gratia, & beneficijs, quod obsint, & noceât ingratis: Quæ enim maior gratia Eucharistia? Et tamen *mors est malis*, Et SS. Theresia: *O! que à los que son desagradecidos, la grandeza de la merced les daña.* Cõmunitèrque de his proferimus: *El bien les haze mal*: Cum verò ingrati sint, qui auxilium sufficiens habent sine efficaci: Omnes intelligent, quod gratia sufficiens illis obsit: Nec est idem ita *obesse*, ac *perniciosum* esse; nam *perniciosum* significat vim de se, & in actu primo nocivam. ¶ Ad argum. quod efficacissimum vocavi, & ex Aug. desumpsi, conc. antec. & prima cõseq. negat secundam, quæ ineptè infertur, cum solùm legitimè deducatur ista: *Ergo si gratia sufficiens obest, nisi adiuvetur* alia *gratia, aliud erit gratia sufficiẽs, aliud illa alia gratia*, nimirùm gratia efficax. Sed hoc rogo est hæreticum? Quis tale dicat de dogmate Thomistico? Aut quo pacto hoc argumentũ efficacissimum dicitur?

*D. Theres. in 3 exclamat.*

*Sup. à num. 1257.*

1265 Tandem asserit, quod gratia sufficiẽs auget morbum, sicut lex, non quidem ex eodem, sed ex diverso capite: Lex quidem, *si spiritus vivificans desit* (Aug. ait) *sciri facit peccatum potiùs, quàm caveri, & ideò magis augeri, quàm minui*: Et ideò tollit excusationem *ignorantiæ*: Nõ enim peccans potest dicere: *Nescivi hoc esse peccatum*; quia lex arguit: *Id ego tibi prohibui*: Gratia autem sufficiens, si desit efficax, non cavet peccatum; sed tantum facit posse caveri, ac proindè magis augeri, quam minui; quia tollit excusationem *impotẽtiæ*; Non enim peccans potest dicere: *Non potui illud cavere*; nam gratia sufficiens arguit: *Ego tibi posse dedi*: Ergo lex, & gratia sufficiens *vtraque agravat culpam, & vtraque obest nè homo excusetur à culpa.*

1266 Audiamus iam instantiã, Aug. dixit: *Lex non solùm nihil prodest, verùm etiam obest, nisi adiuvetur gratia*: Nunc rogat; licebit nè dicere hanc prop. Aug. coincidere cum ista, aut eam inferre: *Lex statui nostro, nõ tàm vtilis, quàm perniciosa est, sic vt proindè meritò possimus petere, à lege Dei libera nos Domine*: Quis hanc horribilem blasphęmiam, vel illative imputet Aug? Ergo pariter ex eo, quod dixerit de gratia sufficiente, posse dici, *non solùm non prodest, verùm etiam obest, nisi adiuvetur alia gratia* in eodẽ sensu, ac id dixit August. de lege: ineptissimè colligetur, nec arguitive quidem incurrisse in prop. damnatam: *Gratia sufficiens nõ tàm vtilis, quàm perniciosa est, &c.* Conseq. patet. Nam illæ duæ propositiones de *lege*, in nihilo differunt ab his duabus de *gratia* sufficiente prolatis, equalemquè. omninò distantiã important. ¶ Addit: 1. Ego asserui; *non intelligo, quomodò non sit magis perniciosum, quam vtile, quod plus obest, quam prodest*? Sed id intellexit Aug. quia de lege intellexit qualiter *nox prodesset, sed obesset*, & procul fuit ab Aug. quod lex Dei *non esset vtilis, sed perniciosa.* ¶ Addit 2. Ego asserui, *quod* plus *obest, quam prodest non est materia orationis, nec gratiarum actionis, &c.* Et instat: *Lex Dei iuxtà Aug. plus obest, quàm prodest*, sed per te, quod plus obest, quã prodest non est bonum mihi, nec beneficiũ, nec materia orationis, nec grat. actionis; sed querelæ: Ergo inferre iam licebit imprudenter Davidem dixisse: *Bonum mihi lex oris tui* ineptè orasse: *Legem pone mihi Domine*; ineptè etiam pro lege gratias exhibuisse, nosque cum illo quotidiè ineptiemus, siquidem idipsum dicimus, petimus, & gratulamur quotidiè cum ipso: *Quis sanè hoc dicat*? Quid ergo dicemus?

*Sup. à num. 1257.*

1267 Dico cum Doct. Prado, quod *solutio hæc labitur in damna-*

*Prado ibi. num. 49.*

*tionem recto tramite*: fatetur enim gratiam ſufficientem ſine efficaci veriſsimè obeſſe, pluſquàm prodeſſe, quod intendunt illis vocibus, eſſe *perniciosam*, pluſquàm *vtilem*, qui eã vt *monſtrum gratiæ* reijciunt: Et 1. inſtantias eſſe ad rem nõ percipimus; De lege dixit Auguſt. quod *plus obeſt* quam *prodeſt*: non abſolutè, ſed cum hac conditione; *niſi adiuvetur gratia*: Vnde non debet colligi; ergo *lex Dei, &c.* quæ eſt blaſphæmia: Sed debet colligi: Ergo *lex niſi* adiuvetur gratia *non tàm vtilis, quàm pernicioſa eſt*. Eſt enim aliquid magis pernicioſum, quàm vtilè eo in ſenſu in quo plus obeſt, quàm prodeſt: hæc collectio eſt Auguſt. loquendo de lege Veteri, & eam edocuit Paulus Auguſtinum; Vide ipſum exponentem Paulum: legem datam *prævaricationis gratia*. Et integro volumine explicantem *litteram occidere*: Dixit cum eodem Apoſtolo *lex ſubintravit, vt abundaret delictum*. Vocavit legem cum Paulo *Pedagogum* moleſtiſsimum, & ſimilitudinem probavit, vbi etiam nuncupat legem *non abſolutionis adiutorium, ſed vinculũ criminis* Scripſit etiam Auguſt. facere bonum *nullus poteſt ſine ſpiritu gratiæ: quæ ſi deſit, ad hoc lex adeſt, vt reos faciat, & occidat*: Ergo lex *niſi adiuvetur gratia*, non tàm eſt vtilis, quàm pernicioſa, & id docuit ex Apoſt. Aug. dum ſcripſit *legem ſine gratia* plus obeſſe. Sed hæc dici non poſſunt de gratia ſufficiente, niſi cũ ingenti Janſeniſtarum gaudio: Perque patet ad id, quod 1. addit. Ad 2. quod lex factorum ſine gratia non fuit materia orationis, & gratitudinis in Davide, vt demonſtravit Aug. exponens Pſalm. per 32. conciones; *Vtinam dirigantur viæ*; ait Aug. *Vnde dirigi niſi gratia Dei? Alioqui legẽ Dei habebit, non vbi gratuletur, ſed vbi confundatur*: Et Pſalm. *Et de lege tua miſerere mei*. Aug. autem: *Qua lege niſi lege fidei? In lege itaque factorum eſt Dei iubentis iuſtitia, in lege autem fidei, ſubvenientis miſericordia*: Et dum *legem poni* expoſcit, ait Aug. *Gratia Dei nobis præcipnè commendatur, quando ſibi legem poni poſcit à Domino, &c.* *Auguſt. ibi Conc.* 11.

1268 Iam facilè eſt rationes noſtras inſtaurare: *Abuſus* gratiæ Dei *obeſt*, non gratia Dei adhùc ingratis: quia gratia, nec *formaliter*, nec *effective* nocumentum infert, Dona *naturæ* nocent ingratis *effective*: quia influunt in *abuſum*: Dona gratiæ per ſe avocant à malo, ex ſua natura, & proùt à Deo deſtinata ad bonum ſalutare; vnde valdè vtilia, & in commodum accipientis ſunt: Vide ſup. dicta. Nec Aug. dixit *legem obeſſe, niſi adiuvetur gratia*. Quia tollit excuſationem *ignorantiæ*; ſed propter rationes adductas: Nec gratia ſufficiẽs obeſſe poteſt; quia tollit excuſationem *impotentiæ*; alias obeſſet; quia eſt *ſubminiſtratio virtutis Spiritus S. præſtans vires ad ſalutariter operandum*: bonum enim, & optimum vnicuique eſt, poſſe vitare malum; quod ſi non vitet imputet ſibi: *Sup. à num.* 1253. *Sup. à num.* 1259.

Similiter arg. manet efficaciſsimum; quia id Aug. dixit de lege, vt probaret, non ſolùm legem eſſe gratiam diſtinctam ab adiutorio, ſed vt ſuaderet *legem non eſſe verè gratiã*: Ergo ſi idem poteſt dici de gratia ſufficiente non ſolùm erit diſtincta ab efficaci, ſed *vera divina* gratia non erit. ¶ Vnde Nota; Auguſt. dixiſſe *legem obeſſe, niſi adiuvetur gratia*, vt probet legem non eſſe veram gratiã; & cum conditio illa nũquam impleatur in ſent. huius Auth. & plurimum Theolog. quia lex habet ſemper annexam gratiam ſuff. illa propoſitio nunquam tranſit in abſolutam; Hic verò Author: aſſerit de grat. ſuff. quod plus obeſt, ſub cõditione, quod deficiat efficax, quæ conditio ſæpè verificatur: Et ex inde hæc conditionis ſæpè tranſit in abſolutam damnatam; Hęc coactus veritate ſcripſit;

SEC-

*Paul. ad Galat. 3.*
*Aug. ſerm. 11. de verb. Apoſt. c. 8. & 9.*
*Paul. 2. Cor. 3.*
*Auguſt. de Spir. & Lit.*
*Paul. ad Roman. 3.*
*Aug. ſerm. 13. de verb. Apoſtol. & Ep. 89. q. 3.*
*Apoſtol. ad Galat. 3.*
*Aug Epiſt. 144.*
*Aug. cap. 1 de Cor. & Grat.*
*Auguſt. in Pſalm. 118. Conc. 4.*
*Auguſt. ibi Conc. 10.*

## SECTIO SEPTIMA.

*Solvuntur argumenta, quæ intendũt auxilium identicè efficax in salutariter operante constituere potestatem agendi.*

1269 THomistæ superiùs relati conveniunt cum P. Societatis in hac Mai. *Gratia efficax in consentiente constituit posse agere.* Illi vt probent, gratiam prædeterm. cõstituere posse: isti vt statuant grat. efficacẽ non esse prędet. Vnde cogimur ad dissolvenda vtrorumque argumenta, quæ ad eam probandam adducunt.

*Sup. à num. 1249. & 50.*

1270 1. Obijcies ex P. Salmantic. Paræneſis in Scholis est: *Fustrà fieri per plura, quæ possunt fieri per pauciora*; Sed idem auxilium potest esse sufficiens, vt vires præstat, & efficax, quatenus ad agẽdum applicat, & determinat: ergo idem auxilium erit in consentiente sufficiens, & efficax, sed sufficiens constituit posse agere: ergo, & efficax. ¶ 2. Ex Alvarez: omne perfectũ alicuius generis eminenter continet quidquid perfectionis est in quolibet imperfecto eiusdẽ generis; sed auxilium efficax est perfectũ: ergo eminẽter continet quidquid perfectionis est in sufficiẽte; poterit igitur præstare vires voluntati, vt eminenter sufficiens; specialiter dum peccator subito perfectè ad Deum convertitur, absque dispositionibus tempore præcedẽtibus, vt non sit locus multiplicationi auxiliorum. ¶ Vltimo: Auxilium sufficiens defacto vires exhibet, & applicat ad actum indeliberatũ, vt omnes Thomistæ fatemur: ergo hæc duo munia poterit obire auxilium efficax, quod est perfectiùs, elevare, scilicèt, & applicare ad actum liberum.

*P. Salmant. disp. 7. dub. 6. n. 331.*

*Alvarez, disp. 73. de Auxil. n. 4.*

1271 Resp. Præter gratiã libertatẽ cõstituẽtem, esse necessariã gratiam, quæ sit determinatio causæ primæ; esseque gratias realiter distinctas iã fundavi, & hãc sentẽtiã docet Lemos.

*Sup. à num. 1051. vsquè ad 66. & à n. 358.*

*Lemos lib. 4. p. 1. n. 367. fol. 261.*

1272 Ad 2. Resp. Non omne perfectũ in aliquo genere posse exhibere effectũ, quẽ præstat minus perfectum; sicut charitas perfectior fide nequit munus fidei tribuere: vnde quando peccator subito ad Deum cõvertitur existit gratia sufficiẽs, simul cum efficaci, quæ supponit illã in signo rationis. Ad vltimum rectè Resp. Gonet, Quod licet auxiliũ sufficiẽs compleat potentiam, & ipsam applicet ad actum indeliberatũ; & ad hunc applicando exhibeat vires ad actum liberum; auxilium tamen efficax non posse simul duo illa munia obire respectu actus liberi; rationemque differentiæ esse; quia auxilium sufficiẽs est prima dispositio ordinis supernaturalis, & ideò nequit supponere potentiam completam; vnde cum alias omne auxilium Dei sit alicuius actus prædeterminatio ex illo Isaiæ: *Verbũ meum, quod egredietur de ore meo: nõ revertetur ad me vacuũ*: Illud auxiliũ & potẽtiam cõplet, & ad actus indeliberatos prædeterminat; auxilium verò efficax, cum sit secunda forma, seù dispositio supernaturalis debet potentiam completam, & elevatam supponere; sicut in dispositionibus naturalibus accidit. Ita etiã M. Ferre.

*Gonet disp. 4. de Voluntate Dei, in fine.*

*Isaiæ 55.*

*Ferre de Volunt. q. 6 s. 7.*

1273 Obi. 2. ex PP. Societatis: Nulla est gratia efficax mortua, seù quæ nõ consistat in actibus vitalibus qui à Cc. & PP. dicuntur, illuminatio, & inspiratio Spiritus S. Sed ij actus ad gratiam sufficientẽ expectant: Ergo. Mai. probãt. ex S. Aug. 1. Quatenus indicat his actibus Deũ facere vt velimus. 2. Quatenus nullam agnoscit gratiam mediam inter actus indeliberatos, & consensum liberum.

*Augustt. de Spiritu, & Littera, c. 34.*

1. prob. 1. quia Aug. ait: *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus*; & Cœlest. P. *Vt aliquid agant paternis inspirationibus suorũ ipse tangit corda servorũ*, & cũ S. Aug. sibi opponeret: *Si trahimur ad Christũ: ergo inviti credimus: ergo violẽtia adhibetur non*

*Cœlest. P. in Epist. 1. ad Episcop. Galliæ, c. 8.*

*Aug. tract. 26. in Ioan. post initium*

*non voluntas excitatur.* Ita Reſpond. *Nolite cogitare invitum trahi, trahitur animus, & amore*; Vnde ait: *Trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita.* Et alibi aſſerit SS. Pater: *Qui aguntur ab ſpiritu, amore agũtur.* Ex quibus ita inferes: Gratia efficax eſt, qua Deus agit vt velimus, qua præparatur à Domino voluntas, qua trahimur ad Chriſtum, & aguntur filij Dei; ſed *viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus; paternis inſpirationibus præparatur voluntas à Domino; amore trahimur, & amore agimur*: ergo gratia efficax in actibus indeliberatis ſuaſionis, inſpirationis, & amoris conſiſtit.

*Aug. ſerm. 13. de verb. Apoſt.*

1274 Huic tamen probationi omnes Thomiſtæ Reſp. concludere, quod non negant, fatentur enim Deũ agere, vt velimus *ſuaſionibus, paternis inſpirationibus* trahi ad Chriſtũ, & agi homines *amore*; quibus loquutionibus exponunt S. Auguſt. & SS. PP. excitantem gratiam; non dari autẽ vt vellimus, & trahamur ad Chriſtum aliam gratiam prævenientem adiuvantem, phyſicè moventem, & connexam non aſſerunt PP. dum illã aliam edocent; vnde abs re ſunt omnia teſtimonia, in quibus exprimitur gratia excitans in actibus indeliberatis, quàm vno ore Catholicè profitemur; ea, quæ excludant aliam phyſicè prædeterminantem, & prẽveniẽdo cõnexam, quàm nos defendimus, & illi diffitentur ad rem erunt, ex his verò nullũ ex adductis eſt; vnde nec expoſitione indigent. ¶ Explico aſſumptum 1. Gratiam legis, & doctrinę plurimis teſtimonijs ſacris fundavit Pelagius, vt videre eſt apud Auguſtin. in libro de Gratia Chriſti, & quid ad ea Auguſt? Probare quidem Deum ſuadere, docere, & præcipere vt bonum proſequamur, non verò excludere Deum etiam adiuvare per ſubminiſtrationem virtutis Spiritus S. vt declinemus à malo; quàm gratiam ex teſtimonijs Sacræ Paginæ poſitivè eam tradentibus Sanct. Pater demonſtravit: Pariter nos procedimus, non negamus gratiam excitantem, quia orthodoxi ſumus, dũ aliam etiam gratiam ad ſalutariter operandum deſideramus, vnde nec nos oppugnant teſtimonia, quæ excitantem gratiam edocent; vſque dũ quæras authoritates, quæ prędeterminantem excludant in tuto erimus. ¶ 2. Gratia præveniens excitans nõ ſolùm includit illuminationem intellectus, ſed inſpirationem etiam voluntatis; & tamen veritas hęc minimè impugnatur, ex teſtimonijs, in quibus ſępiùs Auguſt. ſolùm adſtruit neceſſariam illuminationem, aut ſolam inſpirationem, quia ex eo, quod vnã ex hijs gratijs exprimat perperam infertur, quod aliam excludat; ſimiliter dicimus ex eo, quod mentionẽ ſolùm faciat in aliquibus teſtimonijs gratiæ excitantis male infertur ipſum prædeterminantem negare.

*Vide ſuprà num. 1147.*

*Thyrſo, t. 4. fol. 37.*

1275 Sed inſtant: Auguſt. aſſerere: *Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis ſuis alicuius operis iuſtitiam aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant, non à ſe ipſis, ſed ab illo eſſe lucem, qua illuminantur tenebræ eorum, & ſuavitatẽ, qua det fructum ſuum terra eorum: Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendumque iuſtitiam, quid aliud deprecamur, quam vt apperiat, quod latebat, & ſuave faciat, quod non delectabat?* Ergo iuxtà Aug. gratia efficax cõſiſtit in illuſtratione, qua Deus apperit, quod latebat, & ſuave facit, quod non delectabat. Hæc autem illuſtratio, & victrix delectatio ad actum primum perficiendi iuſtitiam pertinent. ¶ Addo: *Cùm à Deo adiutorium deprecamur ad faciendam iuſtitiam nil aliud deprecamur, quã vt apperiat, quod latebat*, certa ſcien-

*S. Aug. lib. 2. de Peccat. meritis, cap. 19.*

tia,

tia, & *suave faciat, quod non delectabat*, victrici delectatione; ex Augustin. Sed si aliud adiutorium prædeterminans distinctum à scientia, & delectatione esset exactum ad faciẽdam iustitiam aliud deprecaremur Deum præter scientiam, & delectationem, id scilicèt adiutorium: ergo ex Augustin. nullum adiutorium est exactum ad faciendum iustitiã præter illuminationem, & delectationẽ.

Thyrso, vbi suprà. Ioann 6. D. Tho. ibi. lect. 5.

1276 Adducunt Div. Thomam exponentem verba illa Ioannis: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, dicendo: *Hominem Deus multipliciter trahit revelatione interna veritatis, persuasione, operatione miraculorum, blanditijs, & admirabili delectatione, & amore veritatis*. Ex quibus ita insurges: Si Pater traheret ad Christum per motionem physicam, & prædeterminãtem, dum Doct. Sanct. acuratè exponit modos, quibus Pater trahit, eum vt principaliorem, & præcipuum nõ prætermitteret: ergo eum modum trahendi non agnovit, dum non exposuit. Confirm. quia Doct. Sanct. air: *Hæc vocatio in prædestinatis est efficax, quia eiusmodi vocationi assentiunt*. Sed si vocatio efficax non cõsisteret vnicè in actibus moraliter moventibus falsum esset vocationẽ esse efficacem, quia prædestinatus ei consentit. Immò prędestinatus vocationi cõsentiret, quia vocatio erat efficax: ergo Sanct. Doct. vocationem efficacem vnicè constituit in actibus moventibus moraliter, & actum primum consentiendi constituentibus.

D. Tho. in c. 8. ep. ad Roman. lect. 6.

1277 Ex 2. principio, scilicèt Sanct. Augustin. non agnovisse gratiã mediantem inter actus indeliberatos actum primum constituentes, & ipsum consensum liberum, insurgunt, plurima transcribendo Sanct. Patres testimonia, in quibus exprimit nostrum esse velle, & Dei esse vocare: 1. ita ait: *Vt vellimus suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*; vt vellimus Dei esse asseruit non prędeterminando, sed *vocando*, & nostrum sequendo; non ergo agnovit gratiam mediam, vt vocati sequamur, seù quæ post vocationem præcedat consensum, quo vocationẽ sequimur. ¶ 2. Quia ita fatur S. Augustin. *Vocare hoc, vel illo modo solius Dei est, venire autem semper est in voluntate, vel sola si non venit, vel ad vita si venit*. Vbi inter Deum vocare, & venire nostrum, nil medians adstruit, immò satis, dum contraponit vocare, quod est Dei, cum venire, quod est in nostra voluntate, exprimit venire à nulla Dei gratia dependere à vocatione distincta, immo *verissimum est Dei miserentis esse, quod bene vellimus, quia nec velle possumus nisi vocemur*: Non ergo, quia post vocationem alia gratia, & nova misericordia velle determinet, cum potiùs sępissimè edoceat debere tribui nobis, non quod *vocati simus*; sed quod *vocati veniamus*; quia *vt acquiescamus salutari inspirationi nostræ potestatis est*; licet enim *nemo habeat in potestate quid ei veniat in mentem, consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est*.

S. Aug. de Spiritu, & Litt. c. 34.

Aug. Ep. ad Rom. c. 61.

Aug. lib. 83. q. 68. Augustin. de Spiritu, & Litt. c. 34.

D. Aug. q. 2. ad Simplicianum.

1278 Resp. neg. antec. & ad eius prob. nego Mai. ad cuius probat. ex 1. principio, iam sæpè ex Augustin. probavimus aliam gratiam agnovisse præter excitantem moraliter, & indifferentem; vnde cum irrisoriè eã vocant mortuam, seriò dicimus ipsam non esse actum, quo vivimus, sed esse spiritum Dei, quo *eius filij aguntur vt agant*, & vivant, quo Deus *adiuvat infirmitatem voluntatis nostræ indeclinabiliter, & insuperabiliter* agendo, vt non deficiat: & si mortuũ vocas, quod non est vita actualis nostra, mortui erunt habitus supernaturales gratiæ, & virtutum, sicut ergo illi exhibent posse vivere supernaturaliter, licet mortui, ita gratia efficax

licet mortua donat actualiter vivere; nonnè non adſtruunt communiter vtriuſque Scholæ Theologi qualitatem ſupernaturalem in peccatore virtutem conferentem ad actus ſupernaturales, quibus ſuſcitamur ad ſalutariter agendum: illa qualitas eſt mortua, vel viva? Si 1. ſit gratia mea, ſicut illa quam fateris: Si 2. ſi illa viva, licet non ſit actus vitalis, quia efficit, vt neceſſariò vivamus: & noſtra gratia viva erit, quia efficit vt libere vivamus. Hęc Tyronibus, nè horrore mortis prædeterminationem ex horreant.

1279 Vnde ad argum. rectè ibi reſpond. & ad replicam ſolutionis, dicimus, *Delectationem victricem*, quàm edocet Auguſt. vt Deus *ſuave faciat, quod non delectabat*, non eſſe ſolam motionem indeliberatam moraliter allicientem, ſed præter eam includere motionem gratię phyſicè determinantis; quia actus indeliberati ad actum liberum non ſufficiũt, niſi eis addatur vis, vt infallibiliter vincant, vt ex ipſo Auguſtino erudite confirmant PP. Salmantic. & Mag. Ioan. à Sanct. Thom. & ex ipſo Aug. contextu haud inefficaciter id colligo; ita enim continuò ait: *Quia, & hoc ab illo eſſe deprecandum, eius gratia didicimus, dũ anteà lateret: eius gratia dileximus dum anteà non delectaret, vt qui gloriatur, non in ſe, ſed in Domino glorietur: Extolli quippè in ſuperbiam, propriæ voluntatis eſt hominum, non operis Dei*; neque *enim ad hoc eos compellit, aut adiuvat Deus*. Ex quo 1. ita infero: Deprecamur delectationem victricem, vt qui *gloriatur non in ſe, ſed in Domino glorietur*. Sed ſi delectatio eſſet victrix à nobis determinative, & non eſſet à Deo, niſi effective poſsẽt Sancti non tantùm in Domino, ſed etiam in ſe ipſis gloriari de *ſuavitate, qua dat fructum ſuum terra eorũ*, ideſt de ipſa delectatione vt victrici; ergo ex Auguſt. victrix delectatio, ſeù effectrix eſt ex determinatione Dei per vim efficacem actui indeliberato ſuperadditam. 2. Auguſt. ait eſſe propriæ voluntatis noſtræ extolli in ſuperbiam, non operis Dei, quia ad hoc Deus nos *non compellit*: ergo ex Auguſt. ad opus Dei, licet propriæ voluntatis *compellit* Deus; ſed motio indeliberata non determinans ad ſummum poteſt vocari alliciens, non compellens, ſeù vim adhibens, nõ cogens, aut impellẽs: ergo Auguſtin. per delectationem victricem intelligit aliquam vim determinantem actui indeliberato ſuperadditam.

1280 Ad id, quod additur ex Div. Thom facilè Reſp. textum integre non adduci, vt notavit P. Palanco, quia Sanct. omnibus illis modis trahendi moraliter ad Chriſtum alium adiũxit per *interiorem inſtinctum impellentem, & mouentem cor hominis ad credendum*, vt iam ſuperiùs dixi. ¶ Difficiliùs ſanè eſt teſtimonium Angelicum ex Epiſtola ad Romanos deſumptum, id exponunt P. Salmanticenſ. & P. Palanco aſſerẽdo Sanctum aientem: *Vocationem eſſe efficacem in prædeſtinatis, quia ei aſſentiunt*, ſumere, ly, *quia* non in ſenſu cauſali, ſed illativo, quatenus ex conſenſu infertur vocationis efficacia ab eo non proveniens. Qualiter expoſuit Doctor Sanct. Origenẽ aientem: *Quia futurum eſt aliquid, ideò ſcitur à Deo*; ait enim: *Hoc intelligendum eſſe ſecundum cauſam conſequentiæ, non ſecundùm cauſam eſſendi*. Vel ly, *quia* dicere rationem oſtenſivam, ſeù probandi ab indicio, ſeù effectu, non rationem eſſendi, ſicut dum dicimus, *ibi eſt ignis, quia egreditur fumus*.

1281 Hanc ſolutionem illuſtro eleganti M. P. teſtimonio dum expẽdit verba illa Chriſti de Angelo deſſertore: *Et in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo*. Ita enim fatur: *Subiecit indicium quaſi quæſiſſemus;*

*Salmantic. de Grat. efficaci, folio 161.*

*M. Ioann. à S. Tho. in 1. 2. diſp. 23. fol. 556.*

*Auguſt. de Peccat. merit. cap. 19.*

*D. Thom. ſuper Ioan. 6. lect. 5.*

*Palanco de Provid. q. 10 fol. 189.*

*Sup. à num. 1138.*

*Salm. diſp. 7 dub. 4. fol. 121.*

*Palanco, q. 13. fol. 299.*

*D. Thom. q. 2. de Verit. artic. 14.*

*semus; vnde ostendatur, quod in veritate non steterit, atque ait, quia non est veritas in eo. Esset autem in eo, si in illa stetisset. Locutione autem dictum est minus vsitata. Sic enim videtur sonare, in veritate nō stetit, quia non est veritas in eo, tanquàm sit causa, vt in veritate non steterit, quod in eo veritas non sit, cum potiùs ea sit causa, vt in eo veritas non sit, quod in veritate nō stetit. Sed ista locutio est, & in Psalmo, vbi ait.* Ego clamavi quoniam exaudisti me Deus. *Cum dicendum videatur, exaudisti me Deus, quoniam clamavi. Sed cum dixisset, ego clamavi, tanquam ab eo quæreretur; vnde se clamasse monstraret ab effectu exauditionis Dei, clamoris sui ostendit affectum, tanquàm diceret, hic ostendo clamasse me, quoniam exaudisti me.*

Ioā. 8. v. 44. Aug. lib. 11. de Civit. Dei, c. 14.

1282 Sed instò, si ly, *quia* in Scriptura, & PP. sæpè exprimit indicium, aut effectum, & non causam, inefficaciter colligent Thomistæ, sciētiam Dei esse causam rerum ex vulgari PP. loquutione: *Res sunt futuræ, quia scitæ*: facilis enim erit solutio, ly, *quia* non causam, sed indiciū, seù effectum sæpè significare Alitèr. D. Thomas ait: Vocatio in prædestinatis est efficax, quia ei assentiunt: Similiter ait: res sunt futuræ, quia scitæ à Deo, sed 1. testimonium exponitur, ita vt ly, *quia* non significet causam, & rationem essendi, sed solùm rationem probandi: ergo, & 2. similiter exponi potest.

Respondeo dupliciter: 1. quod ly, *quia* dum significat rationem ostensivam, seù probandi debet exprimere indicium magis notum, seù manifestum, vt in exemplis scripturæ ab Augustin. adductis, & cum assensus in prædestinatis sit notior efficacia vocationis, congruentissimè dixit Sanctus, vocatio est efficax, *quia* ei assentiunt, rationem ostensivam, non causam efficaciæ exprimens; non potuit tamen in eodem sensu asserere, res esse futuras, quia sciuntur à Deo; non enim est notior nobis scientia Dei de existentia futuri, quàm futurum extiturum esse. ¶ 2. Quia loquutiones PP. ex quibus colligimus sciētiam visionis esse futurorū causam, sunt adversativæ; ait enim August. adductus à D. Thom. *Vniversas creaturas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideò novit Deus, sed ideò sunt, quia novit*: Similiter Div. Gregorius: *Quæcumque sunt non ideò ab æternitate videntur, quia sunt, sed ideò sunt, quia videntur*; & ineptè intelligerētur secundùm causam consequentiæ, quia eo in sensu æquè esset verùm negatum, quàm assertum; rectè enim infertur res sunt: ergo sciuntur à Deo, ac èconverso, sciuntur à Deo: ergo sunt. Loquutio Divi Thomæ, quam versamus, nō est adversativa, vnde congruè exponitur per causam consequentiæ, non enim Divus Thomas negavit hanc causalem; *assentiunt, quia efficaciter vocantur*, immò vt suprà vidimus, eā edocuit Sanct. August. negando illā; vocantur efficaciter, quia credunt, vbi affirmavit efficaciam vocationis esse causam, & rationem essendi consensus.

*Aug. apud Thom. 1. p. q. 14 art 8. D. Gregor. 2. Moraliū cap. 24.*

*Sup. à num. 1156.*

1283 Ad 2. probat. ex 2. principio vna voce Respond. Thomistę illa, & alia testimonia, quæ laboriosè congerunt P. Societatis, solùm suadere id, quod Sanctum est, *nostrum* esse *sequere* vocationem Dei, *venire vocatos, acquiescere salutari inspirationi*, cum sit *nostræ potestatis, & propriæ voluntatis consentire vocationi Dei*; hęc enim sub dominio electivo, & determinativo nostro sunt, vt adversum Calvinum, & Jansenium divina fide credimus: vt tamen excludatur gratia determinans voluntatem, vt consentiat vocationi, non sufficit ostendere, consentire esse in nostro immediato dominio, necesse est simul probare non esse sub dominio immediato determina-

tivo Dei, vſque dum excluſiva hæc probetur in tuto ſumus, & Sanct. Auguſt. teſtimonia poſitivam ſolum edocent; vnde ſententiam noſtram nec leviſsimè attingũt. Explico hoc: *Conſentire* vocationi Dei eſt meritũ noſtrum, vnde eſt in noſtra poteſtate, & propriæ voluntatis, ideò nobis præcipitur, & obſequioſi ſumus Deo vocationibus ſuis conſentiendo, & Paternis inſpirationibus acquieſcendo; Nulli enim prȩcipitur niſi quod in poteſtate habet, & nemo obſequitur niſi dum confert, quod in ſuo obtinet dominio: Cùm verò *tanta ſit erga omnes homines bonitas Dei, vt eorum vellit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona*, ipſum conſentire vocationi eſt Dei donum, *quid enim habemus, quod non accepimus*, ideòque deprecamur Deum: *Da quod iubes*: Et vt Eccleſ. orat: *Fac nos amare, quod præcipis.* Donum verò debet eſſe in poteſtate, & dominio immediatè determinativo donantis, ſicut meritum eſt ſub dominio determinativo obſequentis; ſicut enim nemo eſt obſequioſus niſi ex ijs, quæ in ſua poteſtate obtinet, ita nemo eſt beneficus niſi ex ijs, quæ in poteſtate ſua habet: Conſentire igitur vocationi, & eſt in dominio determinativo noſtro, vt Aug. ait in teſtimonijs obiectis; ſed ſimul eſt in dominio determinativo Dei, quod Auguſt. non negat, vnde Deus prævenire debet *conſentire* per gratiam determinantem, & exinde à vocatione diſtinctam.

*Trid. Seſſ. 6. cap. 10.*

*Apoſt. 1. ad Corinth. 4.*
*Auguſt. de Peccat. meritis, lib. 2. cap. 3.*
*Eccleſ. in Orat. Dom. 13. poſt Pentec.*

1284 Inſtabis: M.P. contraponit, vocare, & vocatos eſſe, quod Dei eſſe affirmat; cum venire vocatos, inſpirationi acquieſcere, & vocationi conſentire, quod voluntatis noſtrę proprium eſſe teſtatur: ergo, quia venire vocatos, acquieſcere, & conſentire inſpirationi eſt ex noſtra determinatione, non Dei. ¶ Sed cùr meliùs non dicitur eſſe ex determinatione Dei, & noſtra? Contraponere enim Auguſt. hominem *vocari*, cũ vocatum *venire*, vt illud ſit Dei, hoc noſtrum; eſt, quia vocatio eſt ex ſolius Dei determinatione, venire verò eſt ex determinatione Dei, ſed nõ ſolius Dei, ſed etiam ex determinatione noſtra. Vno verbo: *Vocari*, ita eſt ex determinatione Dei, vt excludat noſtram, & ideò Sanctus dixit: *Vocare hoc, vel illo modo ſolius Dei eſt: venire, acquieſcere, & conſentire* ex determinatione noſtra eſt, ſed nõ ita vt excludat determinationẽ Dei, & ideò Sanctus non hæc ita tribuit noſtræ poteſtati, vt apponat excluſivam *ſolùm* eſſe voluntatis: immò potiùs dixit: *Venire ſemper eſt in volũtate, vel ſola, ſi non venit, vel adiuta, ſi venit.* Pende quęſo; quanta cura Auguſtin. ponit excluſivam *ſolius*, dum vocari nos Deo tribuit; & ſimiliter ponit excluſivam *ſola*, dum non venire nobis tribuit, eam non apponit dum venire nobis tribuit, immò ait *adiuta ſi venit*: Cùr? Niſi quia vocari ex ſola Dei determinatione eſt, non venire ex ſola noſtra, venire autem ex determinatione Dei adiuvãtis, & noſtra. Hanc veritatem illuſtro eleganti Sanct. Auguſt. doctrina, dum exponit hęc ſacra teſtimonia: Cùm ad Moyſem Deus dicit: *Ego aperiam os tuũ, & inſtruam te*; & Davidem hoc modo Deus loquitur: *Aperi os, & adimplebo illud*; ita enim fatur Sanct. Pater: *In ſententia illa vbi dicitur*, aperi os, & adimplebo illud: *Quaſi vnum videtur ad hominẽ pertinere, alterum ad Deum. In hac autem vbi dicitur*, ego aperiam os tuũ, & inſtruam te: *Vtrùmque ad Dominum: quare hoc? Niſi, quia in vno iſtorum cooperatur homini facienti, alterum ſolus facit. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: Nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Non ſolùm ſuadeo ex eleganti præiacto Aug. teſtimonio, argumẽta ex ſententijs Aug. deſumpta eſſe ineffi-cacia à paritate; quia ſicut in teſti-

*Aug. vbi ſup n. 1277*

*Exod 4.*
*Pſalm. 80.*

*Aug. lib 2. cõt. 2. Epiſt. Pelagian. c. 8. in fine.*

mo-

monijs sacris *instruere* nos semper tribuitur Deo, *& aperire os nostrum* aliquando Deo, aliquando nobis, quia instruere est solius Dei; & aperire Dei, & nostri, quia ipse facit, vt nos faciamus, ita in August. sententijs *vocare* semper tribuitur Deo, *venire*, seù consentire, aliquando Deo, aliquando nobis, quia *vocari* nos est solius determinationis Dei, *venire*, *& consentire* est determinationis Dei, & nostrę, quia Deus determinat, vt determinemur: Sed etiam à priori, quia *facere* in testimonio Augustin. non sumitur pro efficere vtcumque, sed pro efficere determinando; vndè in terminis Sanct. nos edocuit ipsum exponere. Assumptum probo; 1. August. ait instruere nos *Deus solus facit*, sed hęc sententia falsa est si *facere* sumitur pro efficere; solùm est vera, si sumitur pro determinare: ergo ita accipitur in August. Prob. Min. Deus nos instruit imbuendo doctrinis, moritijs, & illustrationibus; & ita dixit Moysi, *instruam te, quæ debes loqui*: Sed notitiæ, & illustrationes, licet sint à Deo in nobis sine nobis eligentibus, & determinantibus, non sunt sine nobis efficientibus, cum sint actus vitales nostri, vt est indubium: ergo non *solus Deus facit* instructionem nostram, si facere sumitur pro efficere. 2. Si inquiro, Cùr Deus solus facit instructionem nostram, & non solus facit apertionem oris nostri? Ibi respond. *Quia quamvis nisi adiuvante Deo os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere nostro implet autem illud Dominus sine opere nostro.* Sed non implet Dominus os sine opere nostro *effectivè*, sed solùm sine opere nostro *determinativè*, & electivè: ergo Deum solùm instruere, & non solùm aperire, est apud Augustin. ipsũ solùm determinare instructionem, & non solùm determinare apertionem, sed *cooperando homini facienti*, seù determinanti, cooperando quidem per simultatem temporis, non naturæ, nec enim est determinatio, quæ non præcedat causalitate determinatum, & ideo statim cooperationem exposuit Sanct. per *facere Deum, vt faciat homo.* Credere enim, & operari *vtrùmque nostrum est propter arbitrium voluntatis: Vtrùmque tamẽ datum est à Deo per spiritum fidei, & charitatis.*

*Exod. 4.*

*Aug. ibi.*

*Aug. ibi.*

*August. de Prædest. SS. cap. 3.*

1285 Tertio opponunt. Gratia efficax præstat vires voluntati ad consentiendum libere: ergo actum primum, seù potentiam consentiẽdi constituit, & cum gratia prædeterminans non possit constituere actũ primum libere consentiendi, gratia efficax in prædetermin. non consistet. Antecedens prob. 1. Thyrso: gratia efficax intelligitur in Concilijs nomine gratię adiuvantis; sed gratia adiuvans dat vires naturæ imbecilli, & infirmę ad elicienda opera salutaria: ergo gratia efficax vires exhibet: vnde alter Recentior cõtra Thomistas esse concluſum, Tridentinum non intellexisse nomine gratię adiuvantis prædeterminationem, nimiè confidenter existimavit, ita debilẽ medio, gratia adiuvans dat posse, ait enim Concilium, & *Deus adiuvat vt possis*; sed prædetermin. iuxtà nos nõ est, vt possimus, sed applicat posse, quod supponit: ergo gratia adiuvans Concilij, quę est indubiè efficax, non est prędeterminatio.

*Thyrso t. 4. fol. 95.*

2. Gratia efficax est causa physica salutaris nostri consensus; ipsa enim est per nos (ait Recentior quidam) illa *vis effectrix nostræ voluntatis* ex August. ipsa est per nos *vires illæ efficacissimæ*, quę iuxtà ipsum August. dant nobis, non solùm *ipsum posse*, sed actum: ipsa est per nos *illud posse*, quod contra Pelagium contendebat August. ipsa est per nos in absentia habituum tota virtus agendi in ordine superno; sed hæc omnia manifestè significant vires physicè causativas: ergo. Alia huius Recen-

tioris prætermitto, quia iam diù ſunt plenè ſoluta, & difficiliùs obiecta.

1286 Idem aſſumptum vrgentius probo: Adiutorium *quo* prædeſtinati perſeverant eſt gratia efficax, ſed adiutorium *quo* poſſe conſtituit, & vires exhibet voluntati ad perſeverandum: ergo. Mai. nota, & prob. Min. 1. quia vt refert Sanct. Hylarius ex mente Auguſtin. *Sanctis per gratiam prædeſtinatis* tale adiutorium datur, *vt eis perſeverantia donetur, non ſolùm vt ſine illo dono perſeverãtes eſſe non poſsint, verùm etiam, vt per hoc donum non niſi perſeverantes ſint*: ergo non ſolùm adiutorium *quo* eſt per quod prædeſtinati non niſi perſeverantes ſunt, ſed etiam eſt *ſine quo perſeverantes eſſe non poſſunt*; ergo ad poſſe perſeverare exigitur. ¶ 2. Adiutorium *quo* eſt quo *ſubventũ eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt indeclinabiliter, & inſeparabiliter agatur*. Sed id cuius ope infirmitati ſubvenitur vires exhibet, ſolũ enim conferendo virtutem adiutoriũ ſubvenit, ſuccurrit, aut in ſubſidium venit: ergo. 3. Auguſt. ait: *Tantũ quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum*, ideſt Sanctorum, *vt ideò poſſint, quia ſic volunt, ideò ſic velint, quia Deus operatur vt velint*: Ergo ideò poſſunt, quia Deus operatur vt velint; ſed adiutorio *quo* Deus operatur vt velint; ergo quia adiuti eo adiutorio poſſunt; vnde adiutorium *quo* poſſe conſtituet.

*Hylar. Ep. ad Auguſt.*

*Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 12.*

*Aug. ibi.*

1287 Reſpondeo: Nomen adiuvantis gratiæ non eſſe ita proprium gratię efficacis, vt non applicetur ſæpè gratiæ ſufficienti, quæ vocatur adiutorium *ſine quo*, quale fuit in Adamo ad perſeverandum, nec intuli ex Concilijs, & PP. gratiam efficacem prædetermin. quia tradunt adiuvantem gratiam, ſed quia eam edocent ab excitante diſtinctam, qualiter eſt prædetermin. quia non adiuvat, vt poſsimus, quod eſt munus gratię excitantis, ſed adiuvat, vt agamus: Vnde ad medium ex Tridẽtino deſumptum dicimus, quod dum ait, *adiuvat, vt poſsis*: Loquitur de adiutorio *ſine quo*, ſeù ſufficienti, non de adiutorio, *quo* diſtincto à gratia excitante, vnde nec de prędeterminatione: Aſſumptum conſtat. 1. quia Concilium intẽdit *Deum impoſsibilia non iubere, quia iubendo monet, & facere, quod poſſumus, & petere, quod non poſſumus* facere, *& adiuvat, vt poſsimus* facere; ſed Deum adiuvare ſufficienter ad præcepta convincit Deum impoſsibilia nõ iuvere; ergo. ¶ 2. Quia Concilium ſupponit, quod dum petimus, quod nõ poſſumus, Deus adiuvat, vt poſsimus; ſed petitioni non ſemper adiungitur adiutorium efficax, ſecus ſufficiens: ergo. ¶ Etſi Concilium loqueretur de gratia adiuvante ſub munere diſtincto ab excitatione difficiliùs ſalvaretur loquutio illa, Deus *Adiuvat, vt poſsis* in oppoſita ſententia adſtruente munus adiuvandi ſupponens poſſe à munere excitandi, & concomitans actum, quàm in noſtra aſſerente munus adiuvandi ſupponere poſſe, & prævenire actum.

Ad 2. Reſp. quod *Dicitur vna res eſſe cauſa actionis alterius in quãtum movet eam ad agendum. In quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis activa, ſed applicatio virtutis ad agendum ſicut homo eſt cauſa inciſsionis cultelli ex hoc ipſo, quod aplicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipſum.* Hoc modo aſſerimus cum noſtro Doctore Sancto gratiam efficacem eſſe cauſam, & *effectricem* conſenſus ſalutaris; quin ſit exacta ex parte actus primi, ſed pura applicatio ad actum ſecundum: *Quidquid* enim (iterùm Sanct. ait) *applicat virtutem activam ad agendum dicitur eſſe cauſa illius actionis*: Alia, quæ ſuper adduntur in ea probatione falſa ſunt; quia nec per nos gratia efficax eſt id *poſſe* adverſum Pelagium à S. Auguſt. demonſtratũ, nec

*Trident. 11. D. Tho. q. 3. de Potent. art. 2. in corpore. S. Tho. 3. cõt. Gent. c. 67.*

nec tota virtus agendi in absentia habituum.

1288 Ad 3. probat. neg. Min. Quia Deus subvenit prædestinatis, vt perseverent duplici adiutorio, scilicèt, *sine quo* vnum, & aliud *quo*, illo, vt perseverare possint; isto, vt perseverantes sint; duplicem enim gratiã, & misericordiam agnovit S. Augustinus vt bona opera faciamus, quia *Homines* sufficienter *vocatos, vt boni aliquid operentur, Dei adminiculis indigere* probat; *quia sic* Apost. *intelligi voluit, quod Moises dixerat,* Misereor, cuius miserebor, & misericordiã præstabo, cui misericors fuero: *Vt primam misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari, quæ sola* (pende verbum) *ad rectè viuendum non sufficit, si deserat, qui vocavit; ideòque additum est,* & misericordiam præstabo, &c. *Vt à Deo accipi manifestum sit, & ipsa misericordiæ opera.* ¶ Ad 1. igitur probationem Min. Respond eo Augustinum non asseruisse, Sanctis: *Non tale adiutoriũ perseverantiæ dari* sine quo *per liberum arbitrium perseverare non possint*; sed quod non *solùm adsit sine quo perseverare non possumus, verùm etiam tantum, ac tale sit, vt velimus,* & ideò insistit, *quod nunc Sanctis non tantum* (non igitur excludit illius adiutorij existentiam, sed solitudinẽ) *tale adiutorium perseverantiæ datur* id est, sine quo *per liberum arbitriũ perseverare non possent*, sed *tale vt eis perseverantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam, vt per hoc donum nõ nisi perseverantes sint.* Vnde vt vides non negat Sanctis adiutorium sine quo, sed id *tantum* donari, & licet de adiutorio *quo* etiam affirmat esse sine quo perseverantes esse non possint est, quia sine illo perseverantia esse non potest, non quia sine illo potestas perseverandi non sit, alias sicut si *Angelis, & primo homini defuisset* adiutorium sine quo *non sua culpa cecidissent*, ita si Sanctis nunc defuisset adiutorium *quo* non sua culpa cecidissent.

*Augustin. de Prædest. & Grat. c. 10.*

*Exod. 33.*

*Augustin. de Correpț. & Grat. c. 11.*

*Augustin. de Correpț. & Grat. c. 12.*

*Aug. ibi. c. 11.*

1289 Ad 2. probationem Min. Resp. adiutorio *quo* esse subventum infirmitati voluntatis humanæ non vt possit perseverare, sed vt *non deficiat, nec aduersitate vincatur*, itaque succurrit non virtutem, aut vires conferendo, sed *inuictissimè* velle donando; & si est difficilè adiutorium *quo* subvenire infirmitati, si supponit vires, & prævenit perseverantiam, difficiliùs erit, si est perseverantia ipsa, vt communitèr Aduersarij existimant. ¶ Ad 3. prob. Resp. Augustinum non posse ita ineptè intelligi vt dicat *Sanctos ideò posse* velle, quia *sic volunt*; sensus enim est, ideò posse facere, & perseverare, quia Spiritu Sancto ita accenduntur *vt sic velint*, ideest, volitione ita intensa, & forti, vt possint superare difficultates perseverandi, quia Sanct. Augustinus ita rationem suæ sententiæ continuò tradidit: *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua: nec Deus in eis operaretur, vt vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent*; (Pende rationem) *quia deficientes, nec vellent, aut non ita vellent, vt possent*: ergo Sanctus exigit Deum operari velle non vt possint velle, sed vt ita vellint, vt inter tantas tentationes non succumbant, nec deficiãt: Eandemque distinctionem voluntatis bonæ *parvæ*, & *invalidæ* à voluntate *magna*, & *robusta*, qua possumus implere mandata, sæpiùs edocuit Augustinus in libro de Gratia, & Libero Arbitrio.

*Augustin. ibi cap. 12.*

*Augustin. de Grat. c. 17. & 15. & q. 4.*

## ADDITIO.

1290 VT omnia Argumenta ex Concil. & PP. desumpta ad probandum *gratiam efficacem cõstituere posse in consentiente* solvantur:

tur necessè est inspicere, quæ superiùs diffusè tractavimus. Vbi textũ difficilem S. Augustin. aientis: *Deum facere, vt faciamus præbendo vires efficaciſsimas voluntati* expoluimus: Vide etiam suprà scripta, vbi media, quibus solutionem nostram impugnat Doct. Prado dissolvimus: ¶ Prænoneo tamen, vt ad textus difficiles gravi eruditione solutionem communem illustres, advertas, quæ suprà fundavimus ex SS. Augustin. & Thoma: *Adiutoriorum genera esse duo*: alia *sunt sine quibus illud, ad quod adiuvant effici non potest*, sicut *sine Dei gratia nemò rectè vivit*. Quod adiutorium vocavit D. Thom. *necessariũ simpliciter*. *Alia sunt adiutoria, quibus sic adiuvamur, vt etiã si desint, possit alio modo fieri, propter quod ea requirimus*, quod vocavit D. Thom. adiutorium *necessarium non simpliciter, sed tantum secundum quid*.

*Disp. 2. per tot. quæst. 3*

*Aug. lib. 1. de Lib. Arbit. cap. 16.*

*Sup. à num. 472. vsquè ad 77.*

*Sup. à num. 1274.*

*Prado de Libero Arbit. disp. 7. sect. 6 à n. 87.*

*Sup. à num. 1146. vsq. ad 54.*

*Sup. à num. 487.*

1291 Hinc intelligimus verba Scripturæ, Conc. & PP. quæ licet de gratia efficaci loquantur, asserunt, quod nemò sine illa potest, sed nõ ex eo, quod gratia *efficax* sit exacta ad *posse*, sed quia est necessaria simpliciter ad *velle*, & *agere*. Seù quia est tale adiutorium ad salutariter *velle*, vt *sine illo illud, ad quod adiuvat effici non potest*: Sic de gratia efficaci intelligitur illud Christi: *Nemò potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; quia vt ait Augustin. *Trahitur homo miris modis, vt velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolẽtes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant*: Similiter de gratia efficaci loquitur Christus, cum ibidem addit; *nemò potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*, hoc est, interprete Augustino: *Nisi donum acceperit à Patre, quo credat in Christũ*: Sic etiam loquuntur Concilia, Arausicanum docet: *Misericordiam Dei conferri divinitus, vt credámus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus*, & definit: *Adiutorium Dei etiam Sanctis semper est implorandum, vt ad bonum finẽ pervenire, vel in bono* possint *opere perdurare*. Similiter Tridentinum anathema intorquet in eos, *qui dixerint sine præveniente Spiritus S. adiutorio* (quo nomine designavit efficacẽ gratiam) *hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere* posse, *sicut oportet*. In hoc verò modò loquendi S. Scripturæ, quem declarant Concilia, & SS. Patres sequuntur: Vnde Augustin. ait: *Dominus aperit os ita iubendo, vt nemò possit, nisi ipse id faciat adiuvando*. Non intendunt gratiam efficacem esse exactam ad *posse*, sed esse adiutorium simpliciter exactum ad *velle*, & *agere*, vt suprà scripsi, & nunc probo.

*Toann. 6.*

*Aug. lib. 1. ad Bonif. c. 19.*

*Toann. 6.*

*Augustin. de Prædest. SS. cap. 8.*

*Conc. Arausic. 2. c. 6.*

*Conc. Arausic. 2. c. 10.*

*Trid. Sess. 6. Can. 3.*

*Aug. lib. 2. ad Bonif. c. 9.*

1292 Supponendo vt *certè manifestum* ex Augustin. *ita Pelagium voluisse nos adiuvari gratia Spiritus Sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed vt* faciliùs *resistamus*: Vnde damnavit in Pelagio Tridentinum: *Divinã gratiam dari, vt* faciliùs *homo iustè vivere, ac vitam æternam promereri, possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrùmque, sed egrè tamen, & difficulter possit*:: Vnde cum asseritur gratiam efficacẽ ita esse exactum, vt sine illa non possimus, non est, quia exacta ad *posse*, sed quia non solùm ad *faciliùs*, sed simpliciter est exacta ad agere.

*Sup. à num. 495.*

*Trid. Sess. 6. Can. 2.*

1293 Audiamus Augustin. *Ac per hoc*, inquit, *gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, (ecce gratiam efficacem) *sic confiteatur*, (Pelagium alloquitur) *qui vult veracitèr confiteri, vt omninò nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque iustitiam, fieri posse non dubitet*: En rationem: *non quomodo iste, qui, cum dicit propter-*

*Augustin. de Grat. Christi cap. 26.*

*ea*

*tereà dari gratiam*, vt quod à Deo præcipitur faciliùs impleatur, *quid de illa sentiat satis ostēdit, scilicet, quod etiam sine illa, etsi minus facilè, fieri tamen, quod diuinitus præcipitur potest.* Vnde sine efficaci gratia fieri nō posse, quod præcipitur, est quia non exigitur solùm vt *faciliùs* impleatur.

1294 2. Quia efficacem gratiam exposuit M. P. per doctrinam, dum quidem Deus docet, non secundùm *litteram*, sed secundùm *spiritum*, non per *legem*, sed per *gratiam*: Et docet, vt exoravat David dicens: *Doce me facere voluntatem tuam*: & interprete Aug. *doce, vt faciam, non tantummodo vt sciam*: Sic etiam oravit: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam* doce *me, quia mandatis tuis credidi*: & Augustē exponit. Doce me suavitatem, *inspirando charitatem*, doce me disciplinam, *donando pacientiam*, doce me scientiam, *illuminando intelligentiam*: quoniā mandatis tuis credidi: *Te illa credidi mandasse, qui Deus est, & homini donas vnde facias eum facere, quod mandas*: Deum verò docere, seù sciētiam dare, & nos discere, *ita sibi connexa sunt, vt alterum sine altero esse non possit, nemò enim docetur nisi discat, & nemò discit nisi doceatur: Et ideò si discipulus capax non sit eorum, quæ à Doctore dicuntur, non potest doctor dicere, ego eum docui, sed ipse non didicit: dicere autem potest, ego ei dixi, quod dicendum fuit, sed ille non didicit, quia non percepit, non intellexit. Nam profectò, & ille didicisset, si iste docuisset.* Et ideò postquàm David dixit: *In corde meo abscondi eloquia tua*; adiunxit: *Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.* Quia (Augustē ait) *eas vult faciendo discere*; Et orat: *Da etiam benedictionem gratiæ, vt faciendo discam, quod intimando iussisti*; seù *nihil aliud intelligitur poscere, nisi adiutorium gratiæ, vt quod iam novit sermone, discat, & opere.* Inquiro ergo hic *diuinus docendi modus* ita *connexus* cum *faciendo discere, vt alterum sine altero esse non* possit est exactum ad *posse* facere? Minimè iuxtà Augustē mentem, vnum sine altero esse *non potest* propter connexionē; non quia exactum ad *posse*: Audiamus Augustē docentem, & rationem, & sententiam: *Non est autem consequens, vt qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit, sed omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit.* Nulla ergo gratia connexa cum venire, seù facere est exacta ad posse, aliàs esset consequens, vt qui potest facere, faciat.

*Psalm. 142. Aug. in Ps. 118 Cōc. 17*

*Psalm. 118.*

*Augustē. ibi*

*Psalm. 118.*

*Augustē. in Psalm. 118. Conc. 5.*

*Augustē de Grat Christ. cap. 14.*

1295 In hoc sensu intelligi plurima Sacræ Scripturę testimonia probavi suprà; Et similiter intelligi D. Thom. ex ipso convictum suprà fuit: In hoc etiam sensu loquitur S. Fulgētius; dum ait: *Deus, qui voluntatem præparat ipse donat. Quam si Deus per suam gratiam homini non dederit, nunquàm potest homo in Deum velle credere, quia ipsam voluntatem gratia non invenit, sed operatur in homine.* Et alibi: *Quæcumque nobis* Deus *facienda donat, sicut habere nō* possumus, *nisi nobis ipse largiatur; sic facere non* possumus, *nisi ipse in nobis, quæ largitus est operetur*: En vbi asserit sine gratia efficaci nos velle non posse, quia Deum operari, & donare exigitur, vt velimus. ¶ Accedit S. Prosper. asserens de merito nostro: *Quod non potest nisi cooperante spiritu Dei fieri.* Cùm verò, vt ait Aug. *Non enim cooperator est Deus, si nihil cooperamini*: Nisi spiritu cooperante non *possumus*, quia exactus est ad agere, non quia sine illo non sit verùm posse.

*Sup. à num. 1139. D. Th. sup. à n. 1143. vsque ad 5. D. Fulgent. lib. de Inc. et Gratia.*

*S. Fulg. lib. 1. ad Monim. c. 14.*

*S. Prosper. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 12. Augustē. de verb. Apost. serm. 13.*

1296 Hinc apparet, quid sentiendum sit de illa propositione: *Defuit Petro tentato gratia, sine qua nihil poterat.* Pro qua quæritur Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus, quod à Censoribus in discrimen ad-

*Antonius Arnaldus in dissertat. Theolog.*

du-

duceretur: hancque propositionem tribuit SS. Chrisostomo, & August; Sed in D. Chrisost. ita lego: *Quid dicis Petre? dicenti*, Non potest: *Te posse dicis? Experientia cognosces nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina: Vnde constat hunc* casum *Iesum pro ipsius vtilitate permisisse. Nã cum assertioni suæ fervore quoddam non staret Petrus, non quidem impulit ad negandum, sed desertum reliquit, vt suam ipse intelligeret imbecillitatem.·. Et considera casus magnitudinem.·. Neque enim frigiditate, sed superni auxilij derelictu cõtigit.·.* Alibi etiam ita eleganter fatur: *Et vt agnoscas, quod non tantum ex negligentia venerat illa* negatio, *quantum ex eo, quod eum derelinquerat Deus volens eum erudire, vt cognosceret humanæ naturæ modum, & non esse contradicendum Magistri sermonibus, sed sciret, quia sine Deo nihil* potest *fieri*: & *quia* nisi Dominus ędificaverit domum, in vanum laborant *ædificantes eam*: In M. verò Parente Aug. diligenter lecto, hęc invenio, *Quod homo sine Dei gratia possit timor B. Petri Apostoli evidenter ostendit. Per solùm enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adiutorio, promiserat se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum? Et ideò B. Petrum paululùm dominus subdeseruit, vt in illo totum humanum genus posset agnoscere* nihil *se sine Dei gratia prævalere.·.* Sed has SS. PP. propositiones asserimus esse Catholicas adversus Pelagium; quia solùm docent sine gratia Dei operante, & donante in nobis velle, nihil boni possumus, quatenus non solùm ad *faciliùs*, sed simpliciter requiritur ad *velle*: Cuius superni auxilij derelictu velle deficit, & prævalere non possumus; Et intelligendo per gratiam donantem, & operantem gratiam pręvenientẽ, & connexam; est propositio vera, & immunis ab omni censura, si verò propositio faciat sensum, quod sine gratia donante, & operante velle nõ possumus, quia dum hæc gratia deficit non est libertas à necessitate, nec vera potestas rectè operandi, seù nõ cadendi: Coincidit cum errore Jansenij sæpiùs impugnato, & omninò alieno à mente SS PP. *Quis enim nõ clamet iniquum esse eum damnare* peccati, *cui non fuit potestas iussa complere?*

*D. Chrisost. hom. 72. in c. 13. Ioann.*

*D. Chrisost. hom 31. in Epist. Pauli ad Hæbr. ex cap. 12.*

*D. August. serm 124. de Tempore.*

*Aug. lib. vn. advers. Fortunat.*

1297 Sæpiùs diximus, iuxtà M. Par. Aug. gratiam efficacem præstare *posse, quod volumus* facere; vnde exigitur ad posse facere, non quia tribuit *posse velle*, sed quia ita tribuit *velle*, vt sufficiat ad facere; vnde cum deficit gratia efficax ad velle deficit *posse* proximè, & immediatè *facere*, sed adest vera libertas, & imputatur ad culpã *nõ facere*, dũ quis tenetur, quia adest *posse expedite* mediatum ad *facere*, iuxtà principium certum suprà stabilitum; loca August. in lib. de Grat. & Lib. Arbit. in quibus edocuit distinctionem voluntatis bonæ, *parvæ*, & *invalidæ*, à voluntate *magna*, & *robusta*, qua possumus implere mandata, iam indicavimus: Alia addiciam: 1. dum Aug. ait: *Ad nonnulla superanda, vel quæ male cupiũtur, vel* quæ *male metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus est volũtatis.* ¶ 2. Dum elegantèr scribit: *Volo, vt velis; sed non sufficit, vt velis; adiuvandus es, vt plenè velis, & impleas, quod velis.* ¶ 3. Dum de eo, qui continentiam à Deo poscit, *quàm nemò potest habere, nisi Deus det*, Ita loquitur: *Vtiquè tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere spiritu sapientiæ, qui sufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ*: Dum ergo August. ait, quod adiutorio *quo*, seù gratia efficaci ideò *possunt*, *quia sic volunt*: non est, quia dat *posse* distinctum ab ipso *velle*, sed quia dat *velle magnum*, quo possumus facere.

*Sup. à num. 474. & n. 1289.*

*Sup. à num. 182.*

*Aug adductus, num. 1289.*

*Aug. lib. 2. de pec. merit. & remis cap. 5.*

*Aug serm. 3. de verb.*

*Apost. c. 10.*

*Aug. Epis. 143 ad Iulian.*

SEC-

## SECTIO OCTAVA.

*Dissolvuntur argumenta, quæ prædeterm constituentem posse agere non officere libertati, contendunt.*

*Sup. à num. 1099. et 70*

1298 PRæiacti assumpti plura afferunt fundamenta à ratione, & exemplis Authores superiùs relati, cum tamen plura subverterem dum munivi, principium posse constituens connexum, & à libertate in essendo independens, libertatem extinguere, & ad actum antecedenter necessitare, nè actum agam, ibi intacta brevitèr examinabo.

*Sup. à num. 207.*

*Salmantic. disput. 7. de grat. dub. 6. num. 331.*

Oppon. 1. P. Salmantic. dum Deus confert vires ad actum, & ad ipsum prædeterminat duplici auxilio libertatem non lædit; ergo nec dum hæc munia obijt idem auxilium. Antec. supponimus, & Conseq. prob. Quia quid ad libertatem interest, quod ea munera vnico, aut duplici auxilio præstentur? Specialiter cum id vnicum auxilium exhiberet id ipsum, quod nunc duplex. ¶ Confirm. prædetermin. actum primum constituens illæsam servaret indifferentiam iudicij, & proximam potentiam nõ operandi, seù peccandi, quàm ex se habet voluntas, sed prædeterm. operationis coniuncta cum potestate proxima non operandi coniungitur cum libertate operandi; ergo.

Vrgentiùs oppono: prædeterm. actus, licet intellecta ex parte actus primi, cum nullo constitutivo potestatis proximę non agendi pugnat: ergo, nec cum libertate agendi. Probo Antec. 1. Quia assigna constitutivum potestatis proximæ non agendi, cum quo pugnet? ¶ 2. Prædetermin. actus solùm potest pugnare cum prædeterm. ad oppositum actui, seù ad carentiam actus, sed prædeterminatio ad carentiam actus, nõ est exacta, vt ad eam sit potestas, sicut prædetermin. actus non est exacta vt sit potestas ad actum, licet eãm aliquãdo constituere possit; ergo prædeterm. actus non pugnat cum constitutivo necessariò potestatis ad carẽtiam; licet pugnet cum aliquo per quod ea potestas constitui possit; ergo coëxistet prædeterm. actus licet intellecta in signo potestatis ad actũ, cum potestate proxima ad carentiã, licet potestati ad carentiam constitutę per prædeterm. carentiæ coëxistere non possit. ¶ 3. Prædeterm. existens post potestatem actus, eoque in signo intellecta non intelligitur auferens potestatem proximam ad carentiam; ergo nec intellecta in signo actus primi, prob. Conseq. A, solùm excludit B, quia cum eo opponitur; vnde si A cum B opponitur pro quocumque signo intelligas A, intelliges excludere B; & si A non opponitur cum B, in nullo signo intelliges B, excluſum ex eo, quod in illo intelligas A; ergo voluntarium est ponere prędeterm. intellectam in vno signo excludere in eo potestatem ad oppositum, & eam non excludere intellectam in alio signo.

1299 Respondeo: Conc. Ant. neg. Conseq. & instо: Deus libertatem actus naturalis extingueret, si eadem entitate virtutem exhiberet, & ad eum determinaret; voluntas enim libera non esset, si identicè esset determinata ad vnum extremum; & tamen dum duplici entitate, virtutẽ exhibet, & determinat actum naturalem, eius libertatem non lędit; ergo similiter in libertate actus salutaris ¶ Et ratio est; quia libertas exigit sufficientiam physicè indifferentem, sicut, & indifferentiam physicè sufficientem; & si auxilium, quod est sufficientia est identicè prædeterm. nequit sufficientia esse identicè indifferens, quando verò sufficientiæ coniungitur cum auxilio alio prædeterm. principium sua sufficientia est physicè indifferens, & exinde liberũ; quia indifferentia in sufficientia non

auſertur per determinationem adiũctam ſufficientiæ; ſicut indifferentia ſufficientiæ ad conſenſum non impeditur, quia coniungatur cum conſenſu, & eſſet chimæra, ſi eſſet identicè conſenſus.

Ad 1. confirm. neg. Mai. & pro nunc non decido; An indifferentia iudicij ſufficiat ad poteſtatem proximam non operandi? Solùm enim aſſero, *Dominium per quod eſt in poteſtate voluntatis velle, vel non velle, excludere determinationem virtutis ad vnum*; & ſolùm cogor ad dicendũ determinationem, quæ ſit identicè virtus, vel auferre indifferentiam iudicij, vel hanc indifferentiam ſolam inſufficientem eſſe, licet exactam ad dominium electivum voluntatis; ſicut dicitur de vnione hypoſtatica, vt ſe ſola pugnet cum poteſtate proxima peccandi. ¶ Nec intelligo eſſe in voluntate poteſtatem proximam nõ operandi, dum non operatio excluditur per ipſam poteſtatem operandi, quia principium excludens non actionem ex eo, quod poſsit agere, per poſſe agere neceſsitatur ſimpliciter ad agendum, ſolùm enim principium poteſt excludere non actionem, vel quia applicatur ad agendũ, vel quia impotens non agere, vnde ſi excludit non agere, antequàm applicetur ad agendum, non habet poteſtatem proximam non agendi.

*D. Thom. 1. contr. Gent. cap. 68.*

Ad id, quod vrgentiùs opponitur, neg. Antec. Quia cum poteſtate proxima non agendi poteſt pugnare, quod identicè conſtituat actum primum operandi, licet eam poteſtatem non agendi minimè oppugnet, dum non conſtituat actum primum agendi, vt patet in ipſa actione, quæ ſi identicè conſtitueret actum primum agendi libertatem labefactaret, & poteſtatem non agendi excluderet; quam non tollit, ſi actui primo agendi phyſicè adæquatè conſtituto adveniat; ſimiliter dicimus de prædeterm. Vnde ad 1. Antec. probation. Reſpondeo, inquirendo, quod conſtitutivum poteſtatis proximæ non agendi toleret actio, ſi identicè conſtitueret actum primum agendi? Quia id ipſum toleret prædeterm. quæ eſſet identicè actus primus agendi. ¶ Vel alitèr; ſi actio ex ſe non pugnans cum poteſtate proxima non agendi, cum ea pugnaret ſi eſſet identicè poteſtas ad agendum, Cùr idem nõ eſt aſſeverandum de eius prædeterminatione? Eam igitur poteſtatem, vt expeditam ad non agendum tolleret; quia ad id ex parte actus primi eam impediret, nequit, enim in actu primo eſſe poteſtas expedita ad duo, ſi in ipſo actu primo eſt identicè metaphyſica repugnantia vnius ex illis duobus.

Ad 2. & 3. Prob. Antec. ſimul reſpondeo, quod prædeterm. actus idẽticè conſtituens poteſtatem agendi excluderet ſufficiẽtiam non agendi, eo ipſo, quod in ſigno actus primi excluderet non actionem, & eius prædeterm. Sicut dicitur de actione ſi actum primum conſtitueret: & ratio eſt vna, quia nequit eſſe ſufficientia indifferens ad agendum, & non agendum, dum ipſa ſufficientia agendi non actionem excludit: non igitur prędeterm. actus aliud excluderet præter non actum, & prædeterm. eius; libertatem tamen auferret, quia id excluderet, dum non debet excludi, vt libertas ſit. ¶ Si dicas prędeterm. actus non formaliter conſtituere poteſtatem agendi, ſed ſolùm idẽticè, vnde illæſam manere libertatẽ, quia in ſigno actus primi non intelligitur excluſa non actio, ſi ſolùm intelliguntur formalia eius conſtitutiva. ¶ Reſp. Poteſtatem agendi identicè conſtitutam per prædeterm. poſſe ab ea prędſcindere, ſed hoc ad libertatem non ſufficere, quia de conceptu Dominij electivi liberi eſt indifferentia realis, & phyſica, non tantum logica, & præciſiva, & nequit eſſe indifferentia phyſica ad duo idẽticè

ticè importans metaphysicam, & physicam exclusionem vnius ex illis.

1300 Oppones 2. Licet libertas consensus constitueretur per prætermin. scientia consensus liberi, sub hypothesi libertatis non esset scientia conditionata simpliciter necessaria; ergo ex eo, quod repugnet scientia consensus liberi sub hypotesi libertatis simpliciter necessaria, ineffi- caciter intuli, non posse prædeterm. constituere libertatem. Prob. Antec. vt scientia conditionata sit simpliciter necessaria non sufficit hypothesim esse connexam cum conditionato, dummodo à tali connexione formaliter præscindat; sed licet hypothesis libertatis constitutę per prædeterm. esset connexa cum consensu libero ab ea connexione formaliter prę-scinderet; ergo. Min. constat; quia in sententia contraria duæ formalitates distinguntur in prędeterm. quarum vna constituat libertatem, & nõ explicet connexionem cum consensu; altera autem exprimat connexionem, & non constitutionem libertatis. Prob. Mai. istæ conditionales sunt contingentes: *Si Petrus operatur erga Deum, amabit*: *Si Petrus amat Deum, amabit naturali amore*. Sed in hijs conditionalibus hypothesis est identicè connexa cum conditionato, & ab ea connexione formaliter prę-scindit; ergo.

*Sup. à num. 304.*

1301 Resp. neg. Ant. & ad eius probation. dist. Mai. vt conditionalis non sit necessaria sufficit hypothesim formaliter præscindere à connexione cum conditionato, vt non sit necessaria *logice*, conced. Mai. vt non sit necessaria *physice*, neg. Mai. Quia vt sit physicè necessaria conditionalis parum conducit præcisio logica conditionis à connexione cum conditionato, si physicè, & identicè est conditio connexa cum conditionato: Illæ conditionales, de quibus in argumento, assumentes pro hypothesi rationem aliquam generi-cam, & pro conditionato determinatam speciem sunt conditionales cõtingẽtes logice respectu nostri intellectus, non contingentes physicè, nec respectu intellectus divini, cuius scientia contingens est comprehensiva conditionis; vnde cum scientia divina consensus liberi sub hypothesi libertatis debeat esse physicè contingẽs, exinde intuli repugnare libertatem constitutam per prædeterm. & vt argumentum convincatur inefficax sufficiat indicare, probare ęquè scientiã contingentem consensus sub hypothesi libertatis, licet libertas identificaretur cum consensu, dummodo hęc identitas non exprimeretur formaliter ex parte hypothesis; quod est evidenter falsum.

## SECTIO NONA.

*Substernuntur argumenta connantia prædeterm. constituere actum primum ex eo, quod intrinsicè inhæreat voluntati, præveniendo actum secundum.*

1302 ASsumptum ita probat P. Palanco: Actus voluntatis immediatè antecedens eius actum secundum comparatur tanquàm actus primus ad actum secundum; sed prædeterm. inhęrens voluntati constituit voluntatem in actu immediatè antecedenti ad secundum; ergo constituit illam in actu primo proximo ad secundum; ergo se tenet ex parte actus primi proximi, illumque constituit. ¶ Explicatur; prædeter. actuat formaliter voluntatem pro priori naturæ ad actum liberum ipsius voluntatis; ergo est formaliter actus prior secundo, & constituit voluntatem in actu immediatè priori ante secundum; sed ex terminis actus immediatus ante secundum est primus: ante secundum enim non antecedit nisi primũ; ergo hæc prædeter. min. constituit voluntatem formaliter in actu primo.

*Palanco de Prov. q. 15. sect. 2.*

Si verò dicas prædeterm. non eſſe actum primum, nec ſecundum, ſed actualem applicationem primi ad ſecundum. ¶ Contra inſurgit. Actus applicativus eſt formaliter actuativus, quia eſt intrinſecus voluntati, & formaliter eam informat; ergo quāvis applicet eſt actus primo actuans voluntatem, quàm actus ſecundus: ſi enim ipſa applicatio actuat voluntatem pro priori ad actum ſecundum; Cùr ipſe actus applicativus non erit formaliter actus primus, ſeù prior ſecundo? Alitèr; hæc applicatio applicat actum primum ſecundo, inter quos actus mediat aliquis actus formalis ipſius voluntatis, ſcilicèt applicatio ipſa; ſed actus primus inter quem, & ſecundum mediat alter actus non eſt actus primus proximus, & immediatus, ſed ſolùm mediatus; ergo hæc applicatio ſolùm applicat actum primum mediatum; ſed applicare actum primum mediatum non obſtat, vt hæc applicatio conſtituat actum primum proximum, & immediatum; ergo applicatio, quæ ſit actus voluntatis, conſtituit actum primum proximum. ¶ Alitèr: actus primus operandi vnitur operationi media qualitate prædeterm. ſed actus vnitus ſecundo medio alio actu non eſt actus primus proximus, & immediatus; tùm, quia actus primus immediatus immediatè vnitur ſecundo; tùm, quia actus immediatus eſſendi nullo actu intermedio vnitur exiſtentiæ, ſeù actui ſecundo eſſendi; ergo hæc applicatio non eſt actus primi proximi, & immediati.

1303 Hoc argumentum licet ingeniosè formatum facilè diſſolvitur, ſi præ oculis duo habes: 1. Eſſe hæc duo valdè diverſa: *Aprius actuat ſubiectum, quam B.* Et *A eſt actus primus ad B.* Non enim per actū primum intelligimus, actum prius actuantem, ſed actum virtutem, ſeù ſufficientiam exhibentem ad actum ſecundum; prius actuat intellectum intellectio, quam verbum, ſeù ſpecies expreſſa; non tamen dicemus intellectionem eſſe actum primum reſpectu qualitatis verbi: in ſententia cōmuni actionem tranſeuntem paſſo inhærentem docente; prius inhęret ligno calefactio, quam calor, quin exinde calefactio ſit actus primus ad calorem, licet ſit actus prior calore. ¶ 2. Nota in voluntate noſtra duplicē diſtinguendam eſſe formalitatem, & principij ſe moventis, & principij moti: eſt potens ſe movere, & etiam potens moveri: ſolus enim Deus eſt movens immobile; voluntas vt potens ſe movere eſt potentia activa, vt potens moveri explicat munus potentiæ paſſivæ, quia operatur dum ſe movet, non autem operatur, vt ſit mota; cum in tantum ſit mota, in quantum recipit motionem à movēte immobili, cui ſubijcitur, & ſubordinatur: *In operatione enim, quaDeus operatur movendo naturam, non operatur natura,* ad eam enim paſſivè comparatur. *D. Thom. q. 3. de Pot. art. 7. ad 3.*

1304 His monutiunculis facilè eſt argumento in forma ſatisfacere: fateor prędeterminationem conſtituere voluntatem in actu, ipſamque actuare formaliter, vt potentiam paſſivam; nego verò conſtituere voluntatem in actu, ſeù eam actuare, vt formaliter operativam; vnde ſolùm cōſtituit voluntatem in actu *motam*; quia motio correſpondet voluntati formaliter, vt *mobili*, minimè verò reddit volūtatem *agentem*, aut *activam*; quia iſtæ denominationes proveniunt ab actu intrinſeco voluntati vt *operativæ*; eſt enim voluntas movens ab alio motum in ipſa habens principium ſui motus, cum licèt ſeipſam moveat ſit ab alio mota, vt ait Doctor Sanctus: vnde motio, qua à movente movetur, nec eſt principiū motus, quod in ſe habebat, nec eſt actio, quàm à ſe habet, ſed eſt forma à movente impreſſa, vt principium motus ſe moveat, ſed eſt ad actus ſalu- *D. Thom. q. 24. de Verit. art. 1. ad 3.*

Apostol. ad Roman. 8.

lutares *Spiritus, quo aguntur filij Dei*, non quo agunt, aut possunt agere, sed *quo aguntur, vt agant*: per quod patet ad explicationem.

D. Thom. q. 3. de Potent. artic. 2. in corpore.

1305 Ad impugnationem verò illius, quod inter arguendum opponitur, fatemur prædeterminationem esse *applicationem virtutis ad agendum*, & exinde esse actum applicativum precedentem actionem, & priorem actione; diffitemur autem esse actum primum agendi, non enim intelligitur per actum primum agendi actus actione prior, sed actus qui sit virtus activa, vel qui eam expeditã, & sufficientem cõstituat, vt superiùs tradidi. ¶ Ad id, quod alitèr opponitur respondetur, verùm esse applicationem mediare inter actum primũ agendi, & ipsam actionem: cum applicet, vt coniungat actum primum

D. Tho. ibi.

actioni; *nam virtus inferior non coniungitur effectui nisi per virtutem superioris*, hoc tamen non obstare, vt actus primus, quem applicat, sit actus proximus, & immediatus agendi. Immediatus quidẽ immediatione *virtutis* licèt non immediatione *actualitatis*; quia licèt inter eum actũ primum, & actionem mediet actus applicationis, non mediat actus, qui sit virtus ad agendum: sicut Thomistæ asserunt intellectum immediatè efficere visionem beatam immediatione potentiæ, non virtutis; quia inter intellectum, & visionem mediat lumen, quod est virtus, & non est potẽtia. ¶ Vel si mavis dic, actum primũ, quem prædeterminatio applicat, esse actum immediatum, & proximum respectu actionis, licèt inter ipsum, & actionem mediet actus applicativus; quia hìc actus est voluntatis, vt agibilis, vt sic loquar, non vt activę, & agentis, & ideò S. Thomas dixit (si est illius opusculum id) quod *Deus inclinando arbitrium ad hoc, vel ad illud, non propriè dicitur influere, sed magis movere ad actum.* Vnde nullus actus mediat inter actum primum, &

D. Thom. Opusc. 9. q. 38.

actionem, qui sit proprius voluntatis vt activę; actus igitur iste applicat actum primum proximum, quem nõ constituit, sed supponit. ¶ Alia quæ possunt opponi prætermitto, quia supra operosè satis dissoluta.

Sup. à num. 464. Sup. à num. 471.

1306 Ex dictis colligo, rectè me olim præmonuisse ad cognoscendum, quod ex adiutorijs constituat potestatem actus, aut non? Hanc esse rectam consequentiam: *Adiutoriũ A est sine quo non fit actus, & non est quo fit: ergo constituit posse*: hanc verò esse malam consequentiam, *adiutorium A est quo fit actus, & sine quo non fit; ergo non constituit posse*: Quia instatur in adiutorio necessitate; v.g. visionis Dei ad amorem eius beatificum, quod constituit posse, & est adiutorium *quo* fit actus, & sine *quo* non fit.

Palanco, q. 16. n. 97. folio 381.

1307 Nec valet si opponas cum Palanco, qui hanc secundam consequentiam reputat rectam; nullum adiutorium necessitans esse propriè quo fit actus, quia per adiutorium *quo* intellexit Augustinus productionem activam actus, quia solùm propriè est id quo fit res ipsum fieri rei: ¶ Non inquam obest; quia per adiutorium *quo* fit res, non intellexit Augustinus ipsum fieri rei, sed adiutorium connexum cum re: 1. Quia adiutorium *quo* expossuit Sanctus exemplo beatitudinis, *quæ cum data homini fuerit continuò fit beatus*, vt ex hoc inferat esse adiutorium quo *fit propter quod datur*: ergo ex connexione infert, quod sit adiutorium quo. 2. Quia alimenta non esse adiutorium *quo fit vt vivamus*, convincit Sanctus, non ex eo, quod non sint ipsum fieri vitæ, sed quia *nec cum affuerint alimenta eis fit, vt vivat, qui mori noluerit*; vel quia alimenta non consequenter faciunt vt homo vivat: ergo per adiutorium quo ad vitam intellexit Augustinus adiutorium, quod cum affuerit, fit vt vivamus, & quod consequenter facit vt homo vivat,

Augustin. de Corrept. & Grat. c. 12.

non

non ipſum fieri vitæ. 3. Quia vt probet nunc Sanctis prædeſtinatis dari adiutorium *quo* ad perſeverandum, ait: *Nunc eis dari donum per quod nō niſi perſeverantes ſint*: ergo ex S. P. omne adiutorium connexum, licèt non eſſet fieri perſeverantiæ, eſſet adiutorium *quo*.

## SECTIO DECIMA.

*Diſſolvitur capitale argumentum Societatis intendens prædeterminationem exactam ad conſenſum ſalutarem conſtituere* poſſe, *quia dum abeſt nulla adeſt poteſtas expedita conſentiendi.*

1308 INter plurima hoc grande certamen, inter Theologica princeps, invium, & abſtruſum exibentia, non minorem obtinet locum; quod ſæpiùs eodem in luto hæremus, non enim eſt obiectio vna obiective cum ſit, quę ſedecies ad minus non inculcetur; vt autem dilucidè obſcura materia pro virili procedamus, obſerva: libertatem conſtitui per ſimultatem poteſtatum ad extrema oppoſita, quorum quodlibet ſuam prædeterminationem expoſcit; vnde quatuor propoſitiones defendere cogimur, dum libertatem prędeterminatione non lędi, ſuſtinemus: 1. *Prædeterminatus ad conſenſum poteſt diſſentire.* 2. *Prædeterminatus ad diſſenſum poteſt conſentire.* 3. *Imprædeterminatus ad conſenſum poteſt conſentire.* 4. *Imprædeterminatus ad diſſenſum poteſt diſſentire.* Similitèr, dum cum ſcientia divina inimpedibili conſenſus, eiuſque prædiffinitione efficaci divina inimpedibili libertatē conſentientis defendemus, & cum præcepto divino inimpedibili in eſſendo, & obligando, libertatem actus præcepti voluntatis impeccabilis, ſuſtinemus, in qualibet ex his materijs ſimiles quatuor propoſitiones defendere cogimur; & cū vno ex principio iam vna, iam altera ex illis impugnatur, ex eo variando terminos, obiectione invariata, in qualibet materia quatuor argumenta conſtruuntur, non ſolùmque difficultate pręmimur, verùm etiam moleſta repetitione cōfundimur. ¶ Vndè exiſtimo, omnia tella, quibus docta Societas evertere, & proſternere connatur concordiam prædeterminationis cum libertate, vnicè deſumi ex duobus capitalibus principijs, in quibus totum controverſiæ momentum ſitum eſt: 1. *Dum alicui deficit exactum ad terminum à ſe incōparabile, non habet poteſtatem proximam obtinendi terminum.* 2. *Dum alicui adeſt connexum cum termino à ſe omninò inimpedibile* (id eſt quoad exiſtentiam, & efficaciam) *non habet poteſtatem proximam impedidi terminum.* Ita vniverſaliter refero Societatis principia, vt in primo ly, *exactum incomparabile*, & in ſecundo ly, *connexum inimpedibile* præſcindat à prædeterminatione, ſcientia, & prędefinitione, divinis, & à prę-cepto impeccabilis, & in vtroque ly, *terminus* prędcindat à conſenſu prędeterminato, à Deo præſcito, vel prędefinito, & voluntati impeccabili præcepto: Ad hanc Sectionem ſpectant omnia argumēta primo in principio innixa, ad quæſtionem vltimam omnia, quæ ex ſecūdo principio vim accipiunt; vnde ex ingenti argumentorum molle, quàm adverſarij extruunt, nullum prætermittam, ſolùm monens, quod vt eaſdem obiectivè difficultates variando terminos in alijs materijs infringas, obſerves, quas in hac Sectione exhibeam reſponſiones.

### §. I.

*Proponuntur Argumenta, quæ intendunt imprædeterm. ad conſenſum non poſſe conſentire.*

1309 PRimo: Ita igitur ex primo principio inſurgunt; in prę-

dę-

determinatus ad consensum non potest consentire: ergo prædeterminatio potestatem consentiendi constituit, aut ad eam exigitur: Prob. Ant. argumentis ingeniosi P. Antonij Perez à Recentioribus transcriptis: potentia, quæ neque habet, neque potest, seù non sufficit habere priùs, neque habet, neque sufficit habere posteriùs: v. g. Qui non habet, neque potest habere pecunias, non potest eas donare; qui non habet, neque potest habere medium sanitatis, neque eam potest consequi: & in summa, qui neque habet, neque potest habere medium, neque habet, neque potest habere finem pendentem essentialiter à tali medio: sic omnes artifices, & consultantes tunc existimant se posse sufficienter aliquem finem, dum non prevident, quod necessè sit priùs fieri, & non possunt efficere; si verò id sit statim à consultatione desistunt, vt ex Arist. & D. Thoma colligitur; sed imprædeterminatus ad consensum, neque habet, neque potest habere aliquid priùs consensu, & à quo consensus essentialiter pendet, scilicèt prædeterminationem ad ipsum; ergo imprædeterminatus ad consensum nō est potens consentire.

*Ant. Perez disp. vltim. de Provid. sect. 1.*

*Arist lib. 7 metaph. c. 7. D. Th. ibi in Comment.*

*Ant. Perez ibi. Rivadeneyra vbi infrà. Tyrso, tom. 4. disp. 4. sect. 39.*

1310 Præiactum discursum non suum, sed August esse supponunt; ita enim Sanct. Pater objcit Pelagianis: *Non sumus idonei cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: ergo non sumus idonei credere à nobis, quasi ex nobis*: Antec. est Apostoli: Ad Conseq. tamen probādam hoc principium August. assumpsit, quod proponit Societas, ita enim ait: *Quis non videt prius esse cogitare, quàm credere, nemò enim credit, nisi prius cogitaverit esse credendum*: vel vt infrà subdit, *credere sine cogitatione non possumus*. Ergo supponit August. hoc principium, qui non est sufficiens ex se ad aliquid priùs credere, non est ex se sufficiens ad credere, quod est posteriùs; sed id principiū æquè nos oppugnat; quia priùs est prædeterminari, quàm consentire, nemò enim consentit, nisi priùs prædeterminetur, cum consentire sine prędeterminatione non possimus; sed imprædeterminatus non habet sufficientiam, vt prædeterminetur; ergo nec vt consentiat.

*August. de Prædest. SS. cap. 2.*

1311 Vrget 1. Consensus vt existens ex prædeterminatione, non est in potestate imprædeterminati ad consensum; sed consensum existere modo possibili est existere ex prædeterminatione; quia cōsensum existere, & non ex prædeterminatione est chimęra: ergo consensum existere modò possibili non est in potestate imprædeterminati ad consensum: Min. supponitur: Prob. Mai. Vt actus faciendus cum modo aliquo sit in nostra potestate necessè est modum ipsum non excedere potentiam nostram; & ideò D. Thom. vt probet iudicare libere non excedere potentiā nostram, id ostendit, quia nec iudicare excedit potentiam iudicativam: nec libertas iudicij excedit potentiā liberam; sed modus prædeterminationis non est in potestate, immò excedit potentiam imprędeterminati; ergo non est in potestate imprædeterminati consentire ex prędeterminatione.

*D. Thom. q. 24. de verit. art. 4. in corpore.*

1312 2. Qui necessariò caret aliqua forma necessariò, & sine libertate caret coniunctione huius formæ cum aliquo effectu posteriori; quid enim evidentiùs? Sed imprædeterminatus caret necessariò, & sine libertate prędeterminatione: ergo caret necessariò, & sine libertate coniunctione prædeterminationis cum consensu: sed habere consensum iuxtà nos est habere coniunctionem consensus cum prædeterminatione: ergo imprędeterminatus caret necessariò, & sine libertate consensu, & exinde non est liber ad consensum, neque eum habet in potestate.

1313 3. Qui est necessitatus ad

im-

imprædeterminationem, nullam poteſt habere actionem liberam, & ab ea ſeparatam, ſicut, qui neceſſariò patitur metum, neque poteſt ſe liberare à metu nullã poteſt habere actionẽ ſeparatam, & liberam à metu, ideſt, cum metu non coniunctam, ſic homo neceſsitatus ad exiſtendum in carcere non poteſt habere vllam actionem in platea, & eadem eſt de omnibus ratio nulla exceptione facta, quia hæc ſunt evidentia ſecundum communem hominum conceptionẽ; ſed homo imprędeterminatus eſt neceſsitatus ad imprędeterminationẽ: ergo nullam poteſt habere actionem ſeparatam ab imprædeterminatione: ergo vel non poteſt habere conſenſum, vel poteſt habere ipſum cũ imprædeterminatione coniunctum.

1314 4. Ex P. Ribadeneyra: non minus vt homo ſe convertat prærequiritur prędeterminari à Deo ad converſionem, quàm vt Deus convertat hominem prærequiritur Deũ prędeterminare hominem ad eandẽ converſionem; ſed ſi Deus non ſolũ non prædeterminaret hominem ad converſionem; ſed neque pro ſuo divino arbitrio prędeterminare poſſet, non haberet facultatem liberam, vt hominem converteret, quia ſic deficeret Deo medium vnicè prærequiſitum ad convertendum, facultaſque libera ad dandam exiſtentiam ei medio: ergo ſi homo non ſolùm non ſit prædeterminatus, ſed neque habeat poteſtatem liberam, vt eam prædeterminationem acquirat, non habebit facultatem liberam, vt ſe convertat; quia deficiunt homini ſimul medium prærequiſitum neceſſariò ad eam converſionem, & poteſtas libera ad præſtandum exiſtentiam ei medio.

*Ribadeney. diſp 20. de Scient. c. 5.*

1315 5. Ex eodem; qui non habet poteſtatem liberam ad ponendũ conſenſum, vt eſſentialiter eſt, non habet veram poteſtatem ad ponendũ conſenſum, ſic qui non poteſt ponere hominem, vt animal rationale, non poteſt ponere hominem, quia homo eſt eſſentialiter animal rationale; ſed imprædeterminatus nequit ponere conſenſum, vt eſſentialiter eſt: ergo. Prob. Min. Conſenſus eſſentialiter eſt coëxiſtens prędeterminationi; ſed imprædeterminatus non poteſt ponere conſenſum coëxiſtentem prædeterminationi, cum ea careat ſimulque poteſtate adquiſitiva ipſius, ſicut ego non habeo facultatem liberam ad ponendas meas actiones, vt coëxiſtentes cum converſione Turcæ, quia mihi deficit talis converſio, ſimulque poteſtas acquiſitiva ipſius: ergo.

*Ribaden. de actib. hum. diſp. 14. c. 1.*

1316 Vrgetur ex ipſo 6. Qui eſt in periculo mortis adeò gravi, vt neque penes eius arbitrium ſit ab eo periculo exire, neque id cum perſeverantia vitæ coniungere, non habet facultatem, vt perſeveret in vivis: ergo qui eſt in periculo non conſentiendi, adeò gravi, vt neque penes eius arbitrium ſit ab eo periculo exire neque illud coniungere cum conſenſu non habet facultatem liberam, vt conſentiat; ſed imprædeterminatus eſt in periculo gravi non conſentiendi nempè cum carẽtia prærequiſiti ad cõſenſum, ita vt non ſit penes eius arbitrium ab eo periculo exire, cum non ſit in eius arbitrio prædeterminari, neque id periculum cum conſenſu coniungere, cum nulla poteſtate coniungibilia ſint conſenſus, & carentia prærequiſiti eſſentialis ad ipſum: ergo imprædeterminatus non habet facultatem liberam, vt conſentiat.

*Ribadeney, vbi ſuprà.*

1317 Vrgetur 7. ex P. Herrera; pone caſum in quo Petrus imperet actum A, & Deus pro ſuo dominio non prædeterminet actum A, in hoc caſu Petrus non poteſt abſolutè, & ſimpliciter ponere actum imperatũ, & tamen ſolùm illi deeſſet prædeterminatio ad actum A; ergo ex defectu prędeterminationis deficit poteſtas, &

*Herrera de Prædeſt. q. 6. ſect. 4.*

& ita prædeterminatio erit exacta ad posse: cętera patent, & Prob. Mai. qui vult efficacitèr exequi aliquid, & tamen non exequitur, non potest illud exequi; sed in hoc casu Petrus vult efficacitèr actum A: ergo dum non exequitur, non est quia nō vult, sed quia non potest. ¶ Confirmat ex Augusti. *Hoc est in potestate, quod cū volumus facimus*: ergo quod cū volumus non facimus non est in potestate; Augusti. enim iterùm ait: *Non enim possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus facimus*, at in casu prædicti imperij, & negatione prędeterminationis ad actum imperatum, Petrus non exequitur actum A, quē vult: ergo quia non potest. ¶ Addo; in præiacta hypothesi, suppositā obligatione præcepti actus imperati, sequi eius omissionem esse, & non esse peccatum, esset enim peccatum; quia qui potest tenetur, & non facit, peccat; sed Petrus non faceret actum imperatum, ad quem obligaretur, & posset, quia solùm ei deficeret prædeterminatio ad posse non exacta: ergo omittendo actum imperatum præceptum, peccaret; aliàs non peccaret, quia peccatum voluntarium est malum; ita vt quod non est voluntarium non sit peccatum, vt est principium sanctū, sed omissio actus imperati præcepti non esset voluntaria, immò esset cōtra imperium voluntatis, & efficaciter ex se moventis ad actum: ergo talis omissio peccatum non esset: cōnanti enim quatenus est ex se ad aliquid, si illud non obtineat, non imputatur ei non obtinere.

*Aug. lib. 1. Retract. c. 102.*

*Aug lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 3.*

1318 Vrgetur 8. Ex P. Avendaño: perinde est homini non esse proximè possibilem actum, ac homini nō esse proximè possibile aliquid ex eis sine quibus nequit existere actus; sed inprædeterminato impotenti habere prædeterminationem actus, non est proximè possibile aliquid, ex eis, sine quibus nequit existere actus: ergo inprædeterminato non est proximè possibilis actus, & exinde non est proximè potens ad actum: Prob. Mai. 1. Quia si definiatur, quid sit homini non esse proximè possibilem actum, non potest vlla alia assignari definitio, nisi ea, vel alia equivalens, nempè est perinde, *Ac non esse homini proximè possibile aliquid ex eis, sine quibus nequit existere actus*, sicut è cōtra, si petatur, quid sit actum esse proximè possibilem, nō poterit alia assignari, nisi ista, aut alia equivalens, *est perinde, ac nihil agenti deficere ab ipso inconsequibilè ex eis omnibus, sine quibus nequit existere actus.* ¶ 2. Quia deficiente luce sæpiùs non est proximè possibilis visio; adstante specie, & deficiente eius excitatione, vt in somno, non est homini proximè possibilis cognitio; deficiente cognitione non est homini proximè possibilis volitio; deficiente applicatione cibi non est proximè possibile comedere pauperi; sic deficiente medio inassequibili exacto non est proximè possibilis consequutio finis, nō alia ratione, nisi quia in his omnibus exēplis: *Deficit agēti aliquid inconsequibile ab eo ex eis, sine quibus nequit existere terminus*: ergo hoc principium est vniversaliter verùm. ¶ Alitèr; inquirendo an sit vera ista propositio: *Actus est proximè impossibilis agenti eo ipso, quod nec habeat, nec ipsi possibile sit habere aliquod prærequisitum ex eis, sine quibus nequit existere actus*? Si affirmes? Ergo inprædeterminato est proximè impossibilis consensus; cum nec habeat, nec ipsi possibile sit habere prædeterminationem, sine qua nequit existere consensus: si neges? Assigna in quo consistit verè terminum esse proximè impossibilem agenti? Quod profectò nunquam poteris.

*Avendaño, disp. 17. c. 2. sect. 4. & alibi pluries.*

## §. II.

*Proponuntur Argum. ſuadentia in inprædeterminato ad cõſensũ nõ eſſe auxilium* ſufficiens, *Deum præcipere* impoſsibilia: *Eſſe inutilem* exhortationem *vt conſentiat, & iniuſtam* increpationem *de non conſenſu.*

1319 EX alijs principijs noſtram concluſionem oppugnat Societas, cum nos connatur ad graviſsima inconvenientia adducere: 1. enim inſurgit, quia in inprædeterminato non poteſt eſſe auxilium ſufficiens ad conſenſum: ergo nec vera libertas, ſeù poteſtas conſentiendi. Prob. Antec. Qui non habet auxiliũ, quod ſufficiat ad conſenſum, non habet auxilium ſufficiens; quomodo enim erit auxilium ſufficiens, quod non ſufficit; ſed in prædeterminatus non habet auxilium, quod ſufficiat ad conſenſum, cum vltrà id, quod habet aliud requiratur, quod non obtinet, nempè prędeterminatio, & nemò habet, quod ſufficit, dum ei deficit aliquid, quod exigitur: ergo. Vno verbo. Exempla, rationes, & formæ, quibus intendunt in inprædeterminato non eſſe veram *poteſtatem* conſenſus, eiſdem probant in ipſo nõ eſſe *ſufficientiam*, ſeù auxilium ſufficiens vt conſentiat.

1320 2. Inconveniens eſt, ex noſtra ſententia ſequi *Deum præcipere impoſsibilia.* Quod eſt Calvinianum dogma, dum in prædeterminato prędipit conſenſum, quia Deus homini illi non prędipit, vt poſsit, ſed vt actu obſervet prędeptum; vel ergo præcipit, vt obſervet cum prædeterminatione, qua neceſſariò, & abſque ſui libertate caret, vel vt obſervet ſine illa? Et vtrùmque eſſet homini illi impoſsibile, ſi phyſica prædeterminatio eſt neceſſaria: iniuſtuſque eſſet Deus, ſi in prædeterminatum dãnaret, quia in circunſtantijs in prædeterminationis, conſenſum non prędiſtitit, aliàs eum damnaret, quia chimæram non fecit: Vno verbo. Omnes arguendi formæ iam adductæ, vt probent conſenſum non eſſe terminũ verę *poteſtatis* in inprædeterminatis, eiſdem ſimiliter probant, in eiſdem non poſſe eſſe terminum *præcepti* vere obligantis.

*Tyrſo, diſp. 17. ſect. 11.*

1321 3. Inconveniens, quod inferunt ex noſtra ſententia eſt; inutilẽ eſſe exhortationem, vt cõſentiamus, & ſalutariter operemur; fruſtrà enim exhortaretur Apoſtolus Corinthios: *Nè in vacuum gratiam Dei reciperent*: Si enim neceſſaria eſſet nova gratia prædeterminans (ait Reverẽd. Tyrſo) non deberent exhortari ad operandum cum gratia accepta, ſed potiùs à Deo poſtulare deberent, vt eis donaret gratiam prędeterminantem, ſine qua impoſsibile erat Corinthijs gratię receptę conſenſum adiũgere, fruſtrà etiam Deus *pulſaret ad oſtium* cordis, *vt ſi quis apperuerit intret*, & ſpectaret, vt peccator aperiret cor, ſi exigeret, vltrà pulſationem, prædeterminationis clavem, & Deus eam pro ſuo libito negaret. Vno verbo: Omnia argumenta adducta, vt probent conſenſum non eſſe terminum veræ *poteſtatis* in inprædeterminato, iterùm vrgent, vt probent conſenſum in ipſo non poſſe eſſe terminum prudentis *exhortationis.*

*Paulus ad Corinth. 6.*

*Tyrſo vbi ſuprà.*

*Apocalypſi 3.*

1322 Vltimum denique inconveniens, quod ex noſtra ſentẽtia colligere intendunt eſt, eſſe iniuſtam increpationem non conſentientis, & pravè operantis, ſi ad conſenſum eſt neceſſaria prædeterminatio; iniuſta enim eſt increpatio, cui adhiberi poteſt iuſta reſponſio; exprobanti autẽ non conſentientem, quænam reſponſio rationabilior poteſt adhiberi; quã hæc: non habebam, quod omninò prærequiritur ad conſenſum, neque penes meum arbitrium erat illud acquirere? Et quidem, qui de hac reſpon-

ponsione non se putaret satisfactum iure optimo reputaretur stultus. Similitèr dum Deus conquæritur de populo suo, quod cum *expectaret, vt facere vvas* bonorum operum *fecit labruscas* peccatorum, si enim vinea populi Israel pręter culturam gratiæ sufficientis exigeret culturam prædeterminationis, quam Deus denegavit, posset ei respondere; Cùr expectas fructum? Cur me reprehēdis? Si scis pro tuo libito mihi deficere culturam, sine qua nulla vnquam vinea fructum tullit, essentialiterque prærequisitam ad fructificandum; quem discursum non esse Societatis, sed M.P. August. illoque dignum asserit P. Ortega, dum refert ex August. de Corrept. & Grat. cap. 11. & q. 68. ex octoginta tribus hæc formalia verba: *Si ad aliquod opus sit necessarium aliquod gratiæ donum, & illud ita denegetur homini, vt Deus neque illud det, neque sit paratus dare quidquid homo faciat, aut connetur, non potest homini imputari ad culpam, quod tale opus non faciat.*

Isaias 1.

Ortega controv. 3. de Decreto, disput. 1. q. 7. Certam. 11. fol. 536.

## §. III.

### *Quibusdam suppositis vis Argumenti infrigitur.*

1323 VT magnam huius argumēti difficultatem conterā; præmoneo 1. totam difficultatem sistere in exponendo, qualiter voluntas imprædeterminata ad consensum obtineat eum in sua potestate proxima, facultate expedita, & dominio electivo, si nec habet, nec potest acquirere prærequisitum, vt cōsentiat; si enim hæc facultas consentiendi in voluntate imprædeterminata salvatur facilè erit Deum posse præcipere, & obligare ad consensum, quia Deus potest obligare, vt faciamus id, quod expedite possumus: similiter posset Deus expectare cōsensum, exhortare ad consentiendum, & increpare non cōsentientem; Cùr enim non exhortaretur ad consensum eum obtinentem in sua electione? Et Cùr non iustè quęreretur, & increparet non consentientem, si in suo electivo dominio erat consentire? Si ergo difficultas sisiit in affirmanda potestate electiva consentiendi in imprędeterminato; Cùr in præcepto iterùm vrgetur, in auxilio sufficienti, in vtilitate exhortationis, iustitiaque correctionis, vt nova difficultas inculcatur? Argumentum enim ita nervosum non eget inutili repetitione, vt torqueat.

1324 Prędmoneo 2. Me non trascribere innumera Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. testimonia, quæ adversarij congerunt, vt præiactum fūdamentum muniant, & exhornent, quia solùm convincunt id, quod Sanctum est, nempè in potestate, & dominio electivo peccatoris, seù non adiuti efficacitèr, esse rectè operari, eique adesse auxilium verè sufficiens ad operandum, & ideò Deum iustè præcipere rectas operationes, pie exhortari, vt in præceptis suis ambulent, corripere, conquæri, & damnare eos, qui vias suas malas faciunt, quæ omnia vt Orthodoxi adversus Etherodoxos firmissimè credimus; quod controvertitur est; qualiter fit in nostro electivo dominio in prędceptis Domini ambulare, cum nec obtinemus, nec possumus acquirere prærequisitum ad præcepti observationem? Quod dubium illis authoritatibus non deciditur.

1325 Prędmoneo 3. Nos nō pugnare cum lumine rationis, licèt absolutè non concedamus hoc principiū: *Qui nec actu habet, nec in sua potestate prærequisitum ad consensum nō habet in sua potestate consentire*, licèt vt per se notum tradatur à Patre Suarez, & vt tale ab AA. adversę opinionis magnificetur, quod vrgentissimè prob. Non solùm Dominicani; sed etiam doctissimæ Societatis filij in-

Suarez lib. 5. de Grat. cap. 23.

cunctanter negant id principiũ, poſitivè affirmantes eſſe in volũtate poteſtatem expeditam ad diſſenſum, licèt nec actu habeat, nec in ſua poteſtate prærequiſitum, vt diſſentiat; ſed audacia eſt exiſtimare Societatis doctos filios negare principium per ſe notum, & evidens: ergo non eſt tale principium id. Min. ex terminis nota; ad maioris probationem duos plenisſimos teſtes adduco R. Tyrſo, & P. Avendaño id referentes: ſuppoſito ergo non pugnare Thomiſtas negando tale principium, nec cum lumine fidei (quod abſit) nec cum Patribus, nec lumine rationis; videamus, quid verò conformius.

*Tyrſo, tom. 2. diſp. 6. ſect. 7. Avendaño, diſp. 7. c. 3. ſect. 1.*

1326 Et 1. ad infringendam argumenti vim occurrit illud ſibi obieciſſe S. Auguſtinum in lib. de Corrept. & Grat. ad ſedandas diſſenſiones occaſione divinę gratiæ ad bona opera neceſſariæ inter Monachos Adrumetinos ortas; ab Auguſtino ſcripto. Nonnulli enim ex illis Monaſterium Valentini turbantes, dicebant: *Præcipiant tantùm nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt, & vt faciamus orent pro nobis, nõ autem nos corripiant, & arguant ſi non fecerimus.* ¶ Cui quærellæ reſpondet Auguſtinus: *Immò omnia fiant, quoniam DD. Eccleſiarum Apoſtoli omnia faciebant, & præcipiebant, quæ fierẽt, & corripiebant ſi non fierẽt, & orabant, vt fierent.* Quod probat exemplo Pauli, qui præcipiebat, vt haberetur charitas; corripiebat, quia non habebatur charitas, & orabat, vt abũdaret charitas; vnde concludit: *Homo in præceptione, cognoſce quid debeas habere: in correptione, cognoſce tuo te vitio non habere; in oratione, cognoſce vnde accipias, quod vis habere.* ¶ Sed adverſarij non quieſcunt, immò potiùs vrgent argumẽtum impugnando illa Auguſtini verba: *In correctione cognoſce tuo te vitio non habere*; hoc modo: *Quomodò meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo niſi detur non eſt omninò alius; vnde tale, ac tantùm munus habeatur? Rectè autem corriperet, ſi eam mea culpa non haberem, hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare, vel ſumere ipſe, nec facerem, vel ſi dante illo, accipere noluiſſem. Cum ergo, & ipſa voluntas à Domino præparetur* per gratiam; *Cùr me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potiùs ipſum rogas, vt in me operetur, & velle?*

*Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 3.*

*Apoſt. 1. Corinth. 16. 2. Corinth. 6 1. Theſſal. 3.*

*Auguſt. ibi cap. 4.*

*Auguſt. ibi cap. 5.*

1327 Non eſt argumentum nobis obiectum id ipſum, quod Auguſtinus in libro illo de Corrept. & Gratia potentiſsimè debellavit? Arguẽs fatebatur iuſtam eſſe correptionem dum vitio, aut culpa propria non habetur charitas, vel quia poſſum facere; & non facio Deum eam donare, vel quia Deo donante accipere nollo: ſolùm impugnabat iuſtitiam correptionis ex gratia prępparante volũtatem, quam, nec poſſem ſumere, nec mea culpa non haberem, quia Deo donante accipere nolim. En Argumentum ſæpiùs inculcatum: *Cùr ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſſamur? Quid facimus, qui non accepimus? Charitatem inquiũt, non accepimus, quid itaque corripimur, quaſi nos eam nobis dare poſsimus, & noſtro arbitrio dare nolimus?* ¶ Et in Adamo vbi vrgentiùs argumentum præmit ita conciſſe à Sancto Patre proponitur: *Porrò ſi propterea Adamus non habuit perſeverantiã; quia non accepit, quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit?*

*Aug. ibi c. 5. in fine.*

1328 Vt hoc argumentum ſua gravi difficultate horrorem doctrinę Thomiſticæ non inducat Doctiſsimi AA. ex noſtris totis viribus intendũt ſimili argumento cruciari opinionẽ Patrum Societatis, id retorquendo in vocatione, ſeu gratia congrua, aut prævia efficaci; ita vt eadem ſit difficultas qualiter poſsit conſentire incongruè vocatus, aut adiutus auxilio præ-

prævisso inefficaci? Et exinde Cùr obligatur præcepto? Quomodò exoratur vt consentiat? Qua iustitia corripitur non consentiens, & qualiter auxilium sufficiens obtinet? Ac dum inquiritur, qualiter imprædeterminatus possit consentire? Cùm nõ minus sit exactum consentientem prædeterminari in nostra sententia; ac consentientem congruè vocari, seù auxilio prævisso efficaci præveniri in sua.

1329 Meo tamen iudicio operam perdunt, quia parum erit ista retorsio, nostramque sententiã haud levi fundamento iniustè expoliant. Vtrùmque brevitèr, sed efficacitèr probo: Primum; quia supposita libertate constituta per auxilium sufficiens (tunc enim solùm obligatio, exhortatio, & correptio locum obtinent) est in potestate, & dominio voluntatis congruè vocari adiungẽdo vocationi consensum; reddereque similiter id auxilium prævissum efficax: cum scientiam efficaciæ auxilij, vnicè creaturæ liberã Societas edoceat; ergo nil adstruit in gratia præveniente exactũ ad consensum, quod voluntas semel libera actu non obtineat, vel in sua potestate habeat: ergo hoc principium, quod assumunt, qui *actu non habet, vel potest habere exactum ad consensum non potest consentire*, in sua gratia cõgrua, aut prævissa efficaci instantiam non patitur, non enim admittunt rectam correptionem nisi quatenus correptus omnia exacta ad consensum possit sumere, sibi dare, & non faciat, vel Deo dante, & offerente accipere nolit: fateor, quod in suis principijs potest retorqueri argumentum in prædefinitione illa efficaci intentiva consensus, quàm edocent, cogendo ipsos, vt requisitam fateantur, & tunc cassus, deficiente prædiffinitione erit voluntas potens consentire, quin actu habeat, neque in sua potestate prædiffinitionem soli Deo liberam, quàm instantiam iam alibi traditam nunc prætermitto non enim mihi subit quidpiam addendum. ¶ *Sup. à num.* 411.

Iam probo secundum; si præiacto difficili argumento æquè prœmitur sententia Societatis, ac nostra, ex eo, quod oppugnet Augustini sententiã non possumus colligere nostram opinionem esse potiùs Augustini, quàm suam; in cassumque scriberet eruditus Dominicanus, *quàm grandis consolatio opinioni Thomistarum nullis se argumentis pulsari, quibus impetita non fuerit Augustini sententia. Quam deploranda desolatio, & quàm parum tuta eorum sors, qui non alia in Thomisticam sententiam tela vibrant, quàm quæ in Augustini aduersarij olim sui iaculati sunt. Nè eadem est Aug. & Thomistarum thesis, si eadem contra vtramque militent argumenta?* Fateamur igitur hoc argumentum vnicè vim obtinere, adversus nostrã, & Augustì sententiam, cuius semitam insequendo dicamus ad argumẽtum cum ipso. *Contenson, lib. 2. disser. 4. cap. 2.*

1330 *Ad hæc respondemus*, sed siste paululùm Sanctissim. Pater, priùs enim inquiram, intendis non nè esse iustam correptionem, dum non adest libertas ad vitandum malum, de cuius commissione est correptio, & similiter dum abest libertas ad faciendum bonum, de cuius omissionis vitio est increpatio? Absit hæc amentia à Sanctissimo Ecclesiæ, & gratiæ Doctore asserente, *quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere?* Similiterque edocente, *iniquum esse eum damnare cui non fuit potestas iussa complere.* *Aug. ibi, c. 5.* *Aug. lib. vnic. contra Mani. c. 10*

1331 Vlteriùs inquiro: intendisnè probare iustam correptionem licèt, qui corripitur; quia *Charitas nõ habetur* non habeat in potestate Deũ ei donare salutare charitatis donum? Vel solùm intendis iustam esse correptionem, dum charitas non habetur, quia correptus habet in potesta-

te

te eam sibi dare, vel sumere, & non facit, aut quia cum Deus sit paratus eam dare ipse non vult accipere? Si primum: ergo Sanctus expressè intendit inefficax esse argumẽtum nobis obiectum: falsumque esse principium hoc: *Solùm iustè corripitur non consentiens dum actu habet, aut in sua potestate omnia exacta ad consensum*: quia cum consensus sit Dei donum, Deum eum donare exigitur vt sit. Si dicas secundum: contra: ergo August frustrà asserit: *Ad hæc respondemus* cum potiùs det arguenti manus expressè affirmanti: *Rectè autem corriperer si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem: vel si dante illo accipere noluissem.* Vno enim verbo discordias Monasterij Valentini sedaret, asserendo dum nõ adest libertas nõ est iusta correptio: *Quis non clamet?* Dum verò adest, si nolis precepta servare corripiendus es, quia potes tibi dare, aut sumere, & non facis: & Deo dante accipere non vis.

1332 Hinc præoccupata iam est solutio P. Ribadeneyra, post alios, asserentis, diversissimum esse argumentum, quod Augustino Monachi obiciebant ab eo, quod Societas Thomistis opponit, illud enim contendebat non esse reprehensione dignos nõ consentientes ex eo, quod impossibile sit bonum consensum habere nisi donatum à Deo; Societas verò cõtendit non esse repræhensione dignos non consentientes ex eo, quod impossibile sit consensum habere nisi prædeterminatum à Deo; proculdubiò enim fas est ex diversis medijs Hæreticis, & Catholicis idem absurdum arguere. *Ribad. disp. 20. de Sciẽt. cap. 3.*

1333 Supposito enim inferre absurdum iniustæ correptionis non consentientis, ex hoc antecedenti: *Consensus debet esse donatus* à Deo esse Hæreticum delyrium; inferre verò idem absurdum, ex hoc antecedenti, *consensus est prædeterminatus à Deo*: esse argumentum Doctæ Societatis, vt tamen suadeam de mente Augustini esse, consensum esse prædeterminatum à Deo, intendo argumentum Augustino oppositum, quod Sanctus mirificè debel vit; solùm inferre absurdum iniustæ correptionis ex eo, quod consensus prædeterminetur à Deo, non ex eo, quod purè à Deo donetur; vnde ita disputo: Certissimum est solùm esse iustam correptionem non consentientis pro casu libertatis, ad consentiendum, nec de hoc inter Monachos, & Augustinum cõtroversia aliqua fingi potest: suppositа tamen libertate consentiẽdi consensum purè donari à Deo, nil aliud est, quàm Deum efficere consensum ex vnica determinatione cõsentientis, sed arguens non negabat iustam increpationem non consentientis, dum in sua potestate, & electione haberet Deum donare, seù efficere consensum, cum potiùs fateretur: *Rectè corripi si posset sibi dare, vel sumere, & non faceret, vel si Deo dante accipere nolluisset*: Ergo non negat arguens iustam increpationem libere non consentientis ex eo, quod consensus exigeret donari à Deo si non consentiens haberet in potestate determinare Deum, vt efficiendo donaret, sed quia esset exactum Deum donare ex determinatione soli Deo libera, quod idem est, ac consensum à Deo prædeterminari. ¶ Quare August. non annuit quærelæ arguentis inquientis: *Charitatem non accepimus, quid corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nollimus?* Facilè enim convinceret ex ipso ipsum, si non existimaret suppositа libertate charitatem donari à Deo, non vtcumque, sed ex Dei previa immediata determinatione, asserẽdo, dum vos *corripimus, quia charitatem nõ accepistis* est, quia *vos eam vobis dare potestis, & vestro arbitrio dare nolitis*. Quo in casu, & vos fatemini iustã esse correptionẽ. *Aug. ibi. c. 5. in fine.*

2. Vt

1334 2. Vt argumenti vires infringam memoriæ commenda cõciſſam, præcioſam tamen ſententiam ab Auguſt. edoctam, dum ſatisfacit quęrelis Maſsilienſium per Sanctos PP. Hylarium, & Proſperum ei indicatis, quarum vna erat, *nemiuem poſſe correptionis ſtimulis excitari*, per hæc aurea verba, *cavendum eſt, nè dum timemus tepeſcat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.* Et vt videas quàm iuſtè præcaveat Aug. nè extinguatur oratio, & nè accendatur elatio, dum timemus, quod tepeſcit hortatio: ob oculos conciſſe opponam ingentem huius materiæ difficultatem, quæ vtramque probabilem ſemitam præmit.

*Auguſt. de Dono perſeuer. c. 15. Aug. ibi, c. 16.*

1335 Finge Hetherodoxum libertatis veræ oſſorem ita callidè diſputantem: non habet homo in ſua poteſtate, & electivo dominio habere conſenſum: ergo nec conſentire, & exinde non erit liber ad conſentiendum. Prob. Antec. non eſt in poteſtate hominis accipere à Deo conſenſum: ergo nec habere: patet cõſeq. quia: *Quid habet homo, quod non accepit*, cum enim conſenſus ſit eſſentialiter donum Dei, habere conſenſum eſt ipſum habere donatum, & à Deo acceptum: Prob. Antec. non eſt in poteſtate, & electione hominis Deum ei donare conſenſum, quia Deus proùt vult ſua dona confert, *vbi vult ſpirat*: dona ex ſua natura ſunt donanti libera, & ideò donantẽ ſupplices ea exoramus, quia ex electione eius, & determinatione provenit ea donare: ergo nec in poteſtate, & electione hominis eſt accipere à Deo conſenſum. Prob. conſeq. quia quid aliud eſt hominem accipere à Deo donum, quàm Deum id donum homini donare.

*Apoſtol. 1. ad Corinth.*

1336 Huic argutię difficili reſpondet noſtra Angelica Schola; ex vnica ſua determinatione Deum donare conſenſum, ſed ex determinatione hac prævia Dei nos accipere, & obtinere conſenſum ex determinatione noſtra, quia hoc ipſum donat Deus; nos ex noſtra electione accipere id ipſum, quod ſua gratuita miſſeratione donat: *Quia eſt ita miſſericors, vt dona ſua faciat merita noſtra.*

*Trid. Seſſ. 6.*

1337 Sed inſtat docta Societas non eſſe *relictum in manu conſilij noſtri*, ad quod *voluerimus manum porrigere*; v.g. ad ſervanda Dei mandata, ſi eſt ex determinatione immediata Dei id nos accipere, & obtinere, quomodò enim erit in noſtra poteſtate habere, quod Deus vnicè ex ſua electione donat, ſi eſt priùs ipſum donare, quàm nos habere? Quid corripimur non habentes charitatem licèt liberi ſimus: *Si nos eam nobis dare non poſſumus? Tepeſcit hortatio*: vt habeamus, quod non accepimus, ſi habere eſt accipere id, quod in alteriùs electione eſt donare. Nos tamen fugiendo, vt Orthodoxi hæc abſurda, quæ pro inconvenienti opponuntur, noſtram probabiliter defendimus ſententiam.

*Eccleſiaſt. 15.*

1338 Vnde Societas alia via reſpondet argumento præiacto, aſſerendo Deum nobis ex ſua electione donare libertatem per veram ſufficientem interiorem gratiam, qua nos vocat, pulſat, illuminat, & inſpiratione Sancti Spiritus præveniendo vires ſubminiſtrat ad ſalutariter operandum: ſemel verò hac libertate à Deo donata eſſe vnicè in electione, & determinatione voluntatis noſtrę, vocationi annuere, pulſationi apperire, & inſpirationem recipere, ſimulque Deum efficere, & donare cõſenſum, quem mihi ſinceriſsimè offert in collatione gratiæ ſufficientis, quàm vnicè ex mea determinatione poſsũ reddere efficacem, & cum dono ſalutaris conſenſus coniungere.

1339 Inſtat tamen Angelica Schola hanc ſolutionem: Specialiter duo inconvenientia opponendo: primum, quod *accenditur elatio*, ſi Deus

non

non determinat immediatè conſenſum, ſeù poſtquàm determinavit hãc ſeù illam ſufficientem gratiam: ſecundum, quod *extinguitur oratio*, ſi ſuppoſita libertate non determinat Deus conſenſum, vt donum ſuum, quæ inconvenientia vitare ſatagit Orthodoxa Societas, dum ſuam tuetur ſemitam.

*Sup. à num. 297. & à n. 336. vſq. ad 45. Aug. Ep. 107.*

Ipſa tamen ponderavimus, vt difficultas nobis obiecta minuatur, & viciſsim de eadem licentia, qua opponunt, quod ex noſtra ſententia ſequitur, quod *tepeſcit hortatio*, redarguamus in adverſam, 1. quod *accenditur elatio*; 2. quod *extinguitur oratio*: 1. inconveniens diffuſè proſequutus ſum, vbi videndum: Vnde, *liberum ita defenditur, vt humilitate ſolidetur, non elatione præcipitetur arbitrium, & qui gloriatur non in homine, vel quolibet alio, vel ſe ipſo, ſed in Domino glorietur*: 2. Inconveniens alibi etiam proſequutus ſum, vbi videatur; vnde bona opera *non iuberentur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret, nec oraretur, ſi ſola ſufficeret.*

*Sup. à num. 431. vſq. ad 50. & à n. 483. vſq. ad 512. Auguſt. de Perfect. Iuſtitiæ, reſp. 16.*

## §. IV.

### *Dominium liberum omnia comprincipia ſubijcere præter Deum cui ſubijcitur.*

1340 VLtimo noto, & pro aſſerto ſtatuo, nè certa, & inconcuſſa cum incertis commiſceamus; de conceptu libertatis noſtræ eſſe omnia comprincipia creata eſſe ei ſubordinata, & ſubiecta in concurrendo ad exercitium ſibi liberum. ¶ Minimè verò eſſe de conceptu libertatis noſtræ ſubordinare ſibi Deum in cõcurrendo. ¶ Cùm potiùs ſit de eſſentia libertatis noſtræ adhùc plenè cõſtitutæ eſſe Deo in concurrendo ſubordinatam: Tres partes habet aſſertum.

1. Scilicèt eſſe de conceptu libertatis noſtræ omnia comprincipia creata eſſe ei ſubiecta, & ſubordinata in concurrendo ad exercitium ſibi liberum, eſt principium ſanctum: id enim docent SS. PP. dum excellentiam, & dignitatem libertatis noſtrę, & dominij prędicant; Niſſenus ait: *Eſt in nobis libertas, quæ nulla neceſſitatis lege tenetur, nullius in natura dominatus iugo ſubiecta, quæ iudicio certo, & liberrimo, quod vult eligit, virtus ſuæ ſpontis nullius imperio mancipata*: Agentis nempè creati, quia hæc ſubiectio neceſsitatem naturalem induceret dominio noſtro libero planè contrariam. ¶ Hinc vt oſſores libertatis damnati fuerunt voluntates hominum aſtris ſubijciẽtes, quos diffuſè refutat S. Thomas, quia *non nos* (Auguſtinus fatur) *de Sole, & Luna actionum noſtrarum evẽta conijcimus, nè in vitæ humanæ periculoſiſsimis tempeſtatibus tanquàm in ſcopulos miſeræ ſervitutis illiſi, naufragemus.* ¶ Hinc etiam fuerunt damnati Manichęi, vt liberi arbitrij deſtructores, quia homines ſubijciebant animæ malæ, vel bonæ, quos evidenter convincit Auguſtinus ſæpiſsimè. ¶ *Ideòque nihil poſſunt impiorum valere blaſphemiæ*, (Auguſt. ait) *qui volentes excuſare facinora ſua nolluntꝰ tribuere culpæ ſuæ, quod peccant, itaque fatum inveniũt, quod accuſent, aut Diabolum, cui non conſentire in noſtra poteſtate eſſe voluit, qui nos fecit.* Diabolus igitur, & omnis infernalis caterva dominium non habent in volũtate noſtra, vt ex profeſſo probavit D. Thom. *Non enim Diabolus cogendo, ſed ſuadendo nocet* (ait Auguſtinus) *nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit; nos Diabolũ nõ adiuvemus, & vincimus*: Vt enim alibi docuit ipſe Mag Parens: *Sathanas aſtutiam ſuadendi habet, poteſtatem cogendi non habet.* ¶ Nec concupiſcentia imperium habet in electiones noſtras; ſub nobis enim eſt appetitus noſter, & nos dominamus eum; licet enim per originale peccatum ſentiamus legem in membris pugnãtem legi mentis, non verò eam ſubijciens

*Niſſenus lib. de Opific. hominis.*

*D. Thom. 3. cont. Gent. à c. 87. vſque ad 90. Auguſt. de Ritibus Eccleſiæ, c. 7.*

*Auguſt. in Pſalm. 7. ſub finem.*

*D. Thom. q. 3. de Malo art. 3. Auguſt. lib. 50. Homil. 12. Auguſt. in Pſalm. 91.*

cientem, aut dominantem, tentatur enim quis (non autem dominatur) à concupiscentia illectus, ipsa autem non semper, sed cum conceperit parit peccatum; voluntas ergo nostra dominatrix est, omnia illi parent, ipsa autem nullius imperium sequitur.

1341 Secundam asserti partem, nempè, non esse de conceptu libertatis nostrę subordinare sibi Deum in concurrendo ad exercitium sibi liberum. Probo. Deus non subijcitur, aut subordinatur nobis in concurrendo ad exercitia libera nobis: ergo prædicta subordinatio non est de conceptu libertatis nostræ. Probo Anteced. 1. *Deus non subijcit nobis suam Omnipotentiam*, vt declaravit Innocent. XI. ergo Deus non subijcitur voluntati nostrę in ordine ad concurrendũ cum illa. ¶ Dices Innocent. damnare omnipotentiam esse nobis subiectam in *essendo*; non in *concurrendo*. ¶ Cõtra Innocentium illam subiectionem damnat, vt erroneam, non vt hęreticã, & subiectio omnipotentiæ in essendo, vt hæretica proscriberetur. ¶ Tùm, quia Innocentius damnavit subiectionem omnipotentiæ ab aliquibus AA. assertam; sed nullus subiecit, aut subordinavit nobis omnipotentiam in essendo, sed solùm in concurrendo: ergo.

*Innoc. XI. Decret. 23. Novembris, anno 1679.*

Secundo: inferiùs subijcitur superiori, non è contra; sed Deus semper concurrit ad exercitia nostra, vt causa suprema, prima, & infinita, voluntas nostra, vt secunda, inferior, & creata: ergo non concurrit subordinando sibi Deum. ¶ D. Hieronymus aiebat, *quæ enim alia maior potest esse temeritas, quam Dei sibi, non dicã similitudinem, sed æqualitatem vindicare*: maior certè erit Dei non sibi dicam æqualitatem, sed superioritatem vindicare, subordinando, & subijciendo sibi Deum in concurrendo ad exercitia nobis libera. ¶ Ecclesia orat Deum, *à quo bona cuncta procedunt, vt cogitemus, quæ recta sunt, eo inspirante, & eo gubernante eadẽ faciamus*: si Deus nos exaudit, & eo gubernante recta faciamus, non ea facimus subordinato, & subiecto nobis Deo.

*D. Hieron. Epistol. ad Cteſiphontẽ.*

*Eccleſia Domin. 5. poſt Paſcha.*

1342 Hæc sufficiant in re iam certa, quia licèt P. Avendaño, vt cõmune Societatis placitum defendat, libertatem nostram, non solùm constitui per carentiam subordinationis sui ad Deum, sed etiam per subordinationem Dei ad se; iam PP. Societatis attemperarunt voces, dicendo, Deum non subordinare, aut subijcere nobis suam Omnipotentiam, sed eam nobis attemperare, restat tamen eis explicare, in quo consistat, agens aliquod, & comprincipium esse forliter in efficiendo alteri subordinatum, aut subiectum, præter hoc, quod est, pro nutu, & determinatione alteriùs efficere, aut non efficere?

*Avend. disp. 17. de human. lib. c. 2. sect. 14.*

1343 Tertiam asserti partem; esse, quidem, libertatem nostrã plenè constitutam subordinatam Deo in concurrendo ad exercitia nobis libera. Probo 1. voluntas *tantò est liberior, quãtò divinæ misericordiæ, gratiæque subiectior*: Non igitur est oppositum libertati nostrę subordinari, & subijci Deo, eiusque divinæ gratiæ, & misericordiæ. ¶ 2. Libertas nostra constituitur per potestatẽ dominativam in sua exercitia, secundã, & dependentem, non supremam, & independentem, sed potestas, licet dominativa, secunda, & dependens, potest immò, & debet subordinari potestati Domini supremi, & indepẽdentis; ergo. ¶ 3. Potestas activa secunda est subordinata in *agendo* primæ potestati activæ: ergo potestas dominativa secunda est subordinata in *eligendo* potestati primæ dominativæ; ei quidem, quæ adest, *Regi Regum, & Domino Dominantium*.

*Aug. Epist. 89. ad Hylarium.*

1344 Sanct. Thomas versans illa Apostoli verba: *Non est volentis*, &c. ait: *Non excluditur liberum voluntatis arbitrium, quasi homo non*

*D. Thom. 3. cont. Gent. Apostol. ad Rom. 9.*

*ſit Dominus ſuorum actuum interiorum, & exteriorum, ſed oſtenditur Deo eſſe ſubiectum*: ergo ex D. Thoma arbitrium, quo Domini ſumus Deo ſubiectum eſt; non igitur, Domini ſumus per excluſionem prioris Domini, & poteſtatis Dei, ſed ſub illa: *Nunquid Deo ſubiecta erit anima mea?* Ait Propheta: Certè quidem: *Ab ipſo enim ſalutare meum*; ex eo quidem, *vt ſit in omnibus primatum tenens*, vt aiebat Apoſtolus; in exercicijs, ergo, liberis nobis non ſubiectionem, aut ſubordinationem, ſed primatum obtinebit; quia *Dominus vniverſorum ipſe eſt*: Dominus igitur Dominij liberi noſtri, & actuũ eius.

*Pſalm. 61. Apoſt. ad Coloſſ. 1.*

*Eſther 13.*

1345 Ideòque D. Thom. vt probet ſolùm Deum cognoſcere cogitationes cordis, inquit: *Quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubiecta eſt, & ipſe ſolus in eã operari poteſt*: Immò, & docuit Chriſtum ſubijci ordinationibus Patris, quia omnis creatura Deo ſervit, ex illo ſapientiæ *creatura tibi factori deſerviens*, quare filius Dei dicitur *formam ſervi accipiens*: Chriſtus eſt ſervus ſubiectus ordinationibus Patris, & voluntas noſtra ſemel libera, ita eſt Domina, vt non ſit Dei ſerva, & Deo ſubiecta?

*D. Tho. 1. p. q. 58. art. 4. D. Thom. 3. p. q. 20. art. 1.*

*Sapient. 16. Apoſtol. ad Philip. 2.*

## §. V.

### *Solvuntur Argum. quæ intendunt inprædeterm. ad conſenſum non poſſe conſentire.*

1346 His prælibatis, reſpondeamus, varijs arguendi formis à num. 1309. propoſitis: negando inprædeterminatum non poſſe conſentire; ad eius probationem hoc principio innixã: *Potentia, quæ neque habet, nec ſufficit habere priùs non ſufficit habere poſteriùs*. Reſp. vt iam olim Ferrarienſis, ſufficientia *independente* ab alia cauſa priori; concedo: ſufficientia, aut poteſtate *dependente* ab alia priori cauſa, nego: vnde, quod voluntas non habet in poteſtate prædeterminari, non probat non habere ſufficientiam, & poteſtatem conſentiendi, ſed eam poteſtatem eſſe Deo ſubiectam, & ab eo dependentem ad conſentiendum; nec enim cauſa inferior exigit habere in poteſtate cauſationẽ ſuperioris cauſę; non ergo in poteſtate voluntatis non eſſe prædeterminationem infert in eius poteſtate non eſſe cõſenſum; ſed poteſtatem conſenſus eſſe ſubordinatam Deo: Alitèr enim *accenderetur elatio*, dum quis in ſeipſo, & nõ in Domino poſſet gloriari de conſenſu vnicè à ſua electione, ſuppoſita libertate dependente; & *extingueretur oratio*, dum quis fallacitèr, & ſtultè ſuppoſita libertate oraret Deũ conſenſum. ¶ Nec ad rem ſunt, omnia ea exempla, quæ adducuntur in quibus impotens ad id, quod requiritur ad terminum, dicitur non habere terminum in poteſtate; ſi enim ea requiſita ſunt influxus ſuperioris cauſæ, licèt non habeam requiſitum in poteſtate, habeo in poteſtate terminum poteſtate ſubiecta cauſæ ſuperiori; ſecus verò, ſi ſint requiſita ab eo influxu diſtincta, quia mea poteſtas, & dominium debet eſſe cõpletum, & expeditum ex parte cauſæ ſecundæ, & non eſt tale, ſi aliquod exactum deficit ex parte talis cauſæ, & in eius ordine. Et ſi inquiro: Cùr mea poteſtas libera exigit ſubordinare, & ſubijcere omnia comprincipia creata exercitij ſui, & non exigit ſubijcere, & ſubordinare Deum? Rationem exhibes; quia dominium meũ nulli præter Deum ſubiectum eſt; ita aſſero: omnia requiſita ad actum, cuius dominus ſum, meo dominio ſubeſſe; influxum Dei meo dominio nõ ſubeſſe, ſi enim hìc influxus, licèt exactus, meo dominio ſubeſſet, ſubijcerem Deum, eſſetque in operãdo ſubordinatus, ſicut omnia alia mea comprincipia; non enim *deſtruitur volũtas, quæ alteriùs ope indiget*, vt dicebant Pelagiani apud Hieronymum, & *vt ſui iactitabant per ſyllogiſmorũ ſpineta decurrens*, ſic diſputabat Pelag.

*Ferrar. 3. cont. Gent. c. 29. ff. ad omnia.*

*S. Hieron. ad Cteſiphontẽ, propè med.*

lag. *Aut vtor semel potestate, quæ mihi data est, vt liberum servetur arbitrium; aut si alteriùs ope indigeo libertas arbitrij in me destruitur.* Libertas ergo non destruitur, licèt alteri subiecta, alteriùs ope indigeat.

1347 Nec argumentum Aug. quo inferebat non esse in potestate nostra credere, quia non est in potestate nostra credenda cogitare; simile est, pro disparitate enim multa tradidimus suprà, nunc addo ex præiacto principio: *Cogitare* dum non adest, non potest voluntas libere eligere *credere*, quia *nemò habet in potestate, quid ei veniat in mentem*; & cum principio semel libero omnia comprincipia sui supposiți debeant esse subiecta in efficiendo; si non adesset cogitare nõ posset voluntas vti cogitatione, vt eligeret, aut imperaret credere cogitata; principio tamẽ libero non subijcitur Deus, nec eius influxus; vnde licet non adsit *prædeterminatio*, quæ est in potestate Dei, habet in potestate *credere*, dum enim est libera potest in *credere*, si adest cogitare, licet deficiat prædeterminari.

*Sup. à num. 464. & 5. & n. 515. & 16.*

1348 Ad id, quod vrgetur primo, nu. 1311. resp. cõsensum existere modo possibili, seù ex *prædeterminatione* esse in potestate inprædeterminati, non autem est in eius potestate *consensum esse ex prædeterminatione*, quæ *sit in eius potestate*, quia hoc non esset consensum esse modo possibili, sed chimęrico; pro cuius intelligentia noto; hæc esse valdè diversa: *Consensus prædeterminatus est in mea potestate, ac in mea potestate sunt consensus, & prædeterminatio.* 1. est verùm, quia sub meo dominio libero est consensus possibilis, vt existens modo possibili, qualis solùm est prędeterminatus; 2. est falsum, quia nequit in mea potestate esse id, quod subijcit meam potestatẽ superiori dominio, & cum per prędeterminationem subijciatur mea potestas Deo, nequit prædeterminatio esse in mea potestate; motio enim moventis non est in dominio moti licet moventis; cuius veritatis innegabilia sunt exempla, peccatum, vt existens cum permissionis modo, seù vt permissum est mihi liberũ, & in mea potestate non sunt peccatum & eius permissio; Deũ enim permittere peccatum est in potestate Dei, non mea; idem in peccato à Deo scito, est enim in meo dominio, quin subijciatur meæ potestati scientia divina peccati. ¶ Et vt exemplum evidentius subijciam, non negant contrarij Deũ posse prædeterminare consensum necessitando antecedenter ad eum; vnde consensus prędeterminatus esset *effectivè*, & necessariò à voluntate; quia voluntas vt principium vitale effectivum concurrit ad suos actus necessarios; & tamen prędeterminatio non esset *effectivè* à volũtate, sed à Deo voluntatem necessitante; ita nos componimus consensum prædeterminatum esse *libere* à voluntate, & prędeterminationem non esse *libere* à voluntate, sed à Deo eam determinante: sicut enim dum Deus necessitaret voluntatem ad consensum, voluntas efficeret *necessariò* consensum cum modo necessitatis, & non efficeret necessariò modum necessitatis; ita dum Deus determinat voluntatem, vt consentiat, *libere* efficit consensum, sub determinationis modo, sed non efficit *libere* modum determinationis. Aliter: dum adest libertas est in nostra potestate cõsensus sub modo libertatis, & non est in nostra potestate libertatis modus; alias libertas consensus esset nobis libera, & exinde, & libertatis carentia, & ita libere possemus consentire non libere, quod est chimæra; ergo potest esse in potestate inprædeterminati consensus sub modo prædeterminationis quin sit in eius potestate prædeterminationis modus.

Dicimus enim vniformitèr om-

nes; non eſſe in meo dominio modũ actus, licèt actus ſolùm ſit poſsibilis, vt exiſtens ſub illo modo, non inferre non eſſe in meo dominio actum, ſed non eſſe in eo independenter ab alia poteſtate, ſub qua ſit modus ille actus: Noſter enim ſanctus expreſsè ſibi oppoſuit argumentum hoc, quod nobis ſæpiùs inculcãt, vſque ad nauſeam, vt enim probaretur *Deum non operari in voluntate operante* adverſus ſe has præmiſſas aſſumit: *Voluntas eſt domina ſui actus*, en maiorem, *hoc autem non eſſet ſi agere non poſſet, niſi Deo in ipſa operante*; en minorem, quàm ita probat, *cum voluntas noſtra non ſit domina diuinæ operationis*: huic argumento reſpondet Sanctus, conc. Mai. & neg. Min. ad cuius probationem ait rectè componi voluntatem eſſe dominam ſui actus, & non eſſe dominam diuinę operationis, licèt voluntas agere non poſſit, niſi Deo in ipſa operante, his verbis: *Dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ, ſed quia cauſa prima, non ita agit in voluntate, vt eam de neceſsitate ad vnum determinet, ſicut determinat naturã, & ideò determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis*; in quo autem ſtet non de neceſsitate determinare voluntatem, ſicut determinat naturam, immediatè anteà expoſſuit: *Voluntati enim dedit dominium ſui actus, vt non eſſet obligata ad alteram partem cõtradictionis, quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per ſuam formam ſit determinata ad vnum.*

*D. Tho. q. 3. de Creat. art. 7. ad 13*

1349 Ad id, quod vrgetur 2. num. 1312. reſp coniunctionem prædeterminationis cum conſenſu, duo importare, prædeterminationem nẽpè, & conſenſum; vnde cum carentia prædeterminationis non ſit inprædeterminato libera, & ei ſit libera carentia conſenſus, carentiam coniunctionis prædeterminationis cum conſenſu dicimus eſſe liberam inprędeterminato inadæquatè, proùt importat carentiam cõſenſus, & inadæquatè non eſſe liberam proùt importat carentiam prædeterminationis, quod explico in contradictorio carẽtiæ huius coniunctionis, coniunctione nempè prædeterminationis cum conſenſu, in ſententia cõtraria, in qua Deus prædeterminaret neceſsitando ad conſenſum, coniunctio prædeterminationis cum conſenſu erit mihi *voluntaria*, aut non? Omnes certè dicent inadæquatè eſſe mihi voluntariam proùt includit ea coniunctio conſenſum, & inadęquatè eſſe involuntariam proùt importat prędeterminationem: idem ergo aſſero de hac coniunctione eſſe inadæquatè mihi *liberam*, & inadæquatè non liberam, idemque de carentia huius coniunctionis, vnde illa Mai. diſtinguitur; qui caret neceſſariò forma aliqua caret neceſſariò *coniunctione* illius formæ cum effectu poſteriori; coniunctione inadęquatè ſumpta pro vna parte illius, concedo; coniũctione adæquatè ſumpta, quo ad vtramque partem, neg. quia ſine libertate caret prædeterminatione, ad cuius acquiſitionem non habet ſufficientiam virtutis; libere autem conſenſu caret, ad quem ſufficientiam activæ virtutis habet.

1350 Ad id, quod vrgetur 3. à num. 1313. reſp. neg. Mai. aliud enim eſt inprædeterminatum nõ poſſe habere actionem *ſeparando* inprędeterminationem; aliud non poſſe habere actionem *ſeparatam* ab inprædeterminatione. 1. Eſt verùm; quia non habet dominium, vt ab inprędeterm. ſeparetur. 2. Eſt falſum, quia habet in ſuo dominio conſenſum ab inprædeterminatione eſſentialiter ſeparatum, ſicut cum ſua prædeterminatione eſſentialiter cõnexum; ſicut enim prædeterminatus ad conſenſum habet poteſtatem ad diſſenſum *diviſum* à prędeterminatione, quin habeat po-

potestatem ad *dividendum* dissensum à prædeterminatione, vt diffusè inferiùs exponam; ita (cum idem sit casus) debet dici de inprædeterminato ad consensum, quod habet potestatẽ ad consensum *divissum*, & *separatum* ab inprædeterminatione, sed non ad *separandam*, aut *dividendam* inprædeterminationem; quia sicut prædeterminatio consensus non potest auferri per dissensum, ita inprædeterminatio non potest tolli per consensum.

*Infrà q. 6.*

Ad id, quod vrgetur 4. ex P. Ribadeneyra, nu. 1314. Resp. neg. Cõseq. & disparitas in nostris principijs clara est, quia potestas Dei ad convertendum hominem exigit Deum posse prædeterminare hominem, non præcisè; quia vt homo se convertat prærequiritur prędeterminari à Deo; sed quia potestas Dei, vt indepẽdens, & nulli subordinata habet in potestate omnia media exacta, vt convertat hominem; potestas verò hominis, vt se convertat est potestas secunda, dependens, & subordinata; vnde non exigit in potestate habere prædeterminari, vt enim sæpiùs diximus, quod illa media, quibus conversio potest fieri libere non sit in potestate volũtatis creatæ ponere, vel non ponere; non solùm non est contra rationem libertatis creatæ, & participatæ, sed est de intrinseca ratione illius, & cõtrarium destrueret libertatem causæ secundę, eamque constitueret primã; quia medium quo determinatur ad operandum ponitur à 1. causa, servata, non læsa indifferentia potestatis causę secundę. Hanc solutionem paulò aliter tradidit Magister Ferre huic argument.

*Ferre de Prædest. q. 8. sect. 9.*

1351 Ad id, quod vrgetur 5. num. 1315. Resp. neg. Min. ad cuius prob. neg. Min. quia posse ponere cõsensum: coëxistentem prædeterminationi non est posse ponere prædeterminationem, sicut posse ponere consensum coexistentem Deo nõ est posse ponere Deum, sed ad summum est posse ponere consensum posita prædeterminatione, & voluntas libera dum est inprædeterminata est actu potens ponere consensum coexistentem prædeterminationi, quia potest ponere consensum posita prędeterminatione à Deo; non quia prędeterminationem poni sit necessariũ, vt consensus poni possit, quasi exigatur ad posse, sed ad potestatis terminum, vt multis exemplis alibi iã exposui, nec de requisito prædeterminationis potest fieri paritas ad alia requisita; sicut fit in argumẽto, quia ego non possum ponere meas actiones, vt coexistentes cum conversione Turcæ, quia mihi deficit talis cõversio, & potestas acquisitiva ipsius. ¶ Non inquam valet, quia mea potestas libera nulli subordinatur nisi Deo, vnde possum habere potestatẽ liberam ad consensum coexistentem prędeterminationi, quin eam obtineam, nec potestatem acquisitivam illius, per hoc, quod sit potestas subordinata Deo prædeterminanti: non autem potest voluntas libera esse ad suum consensum, vt coexistentẽ conversioni Turcæ, quia alias esset libertati Turcæ subiecta. ¶ Nota tamen, consensum *coexistentem* prędeterminationi, me dixisse posse poni ab inprædeterminato, non verò *coexistentiam* consensus cum prędeterminatione, non enim est idem ponere consensum coexistentem, & ponere consensum, & coexistentiam, sicut diversa sunt: *Voluntatem posse ponere peccatum permissum*, ac *posse ponere peccatum*, & *permissionem*. ¶ 1. Enim est verùm, 2. Non ita: voluntas enim licèt inprædeterminata potest ponere *consensum prædeterminatum*: Vnde, & coexistentem prædeterminationi; non autem potest ponere *consensum*, & *prædeterminationem*; vnde nec coexistentiam consensus cum prędeterminatione; loquendo igitur de ea *coexistentia* dicen-

cẽdum eſt in recto dicere *conſenſum*, & *prædeterminationem*, & à voluntate poſſe inadæquatè poni ea parte, qua importat *conſenſum*, non verò adęquatè, nec inadæquatè ea parte, qua importat *prædeterminationem*.

1352 Ad id, quod vrgetur 6. num. 1316. Reſp. vt ſuprà, quod quãdo voluntas eſt libera, omnia agentia creata ſunt ſuo dominio ſubiecta, vnde non habet in ſua libertate perſeverare in vivis, ſi non habet in ſua libertate vitare mortis periculum; non ſic eſt de periculo non conſentiendi, quod conſiſtat in inprædeterminatione, quia hæc eſt carentia influxus ſuperioris cauſæ, cui voluntas adhùc libera eſt immediatè ſubiecta in conſentiendo.

1353 Argumenti 7. obiecti nu. 1317. meminerunt Mag. Carraſco, & P. Palanco, ſed iam olim illud clarè diſſolvit M. Lezana, neg. Mai. ad cuius prob. eſt dicẽdum, quod, qui *vult efficacitèr exequi, & non exequitur, non poteſt*: eſt verùm in providentia regulari, in qua dum Deus influit in volitionem imperantem influxu prę-

*Carraſco de Volunt. dub. 6. n. 525.*
*Palanco de Prov. q. 17. ſect. 7.*
*Lezana in 1. p. diſp. 7. dub. Appẽd 114.*

vio, & applicativo, ſimiliter influit in potentiam executivam imperio voluntatis ſubiectam; in providentia verò irregulari, & poſsibili, in qua poſito influxu in volitionem imperantem Deus nõ applicaret potentiã executivam, non exequi hominem, nec eſſe, quia ipſe non vult, nec quia non poteſt, ſed quia non vult Deus. ¶ Ad confirmationem ex Auguſtin. deſumptam aiente *eſſe in poteſtate, quod cum volumus facimus*. Reſp. intelligi in hac providentia connaturali, in qua dum aliquid eſt in poteſtate volentes exequimur; non in providentia miraculoſa, dum Deus impedit executionem adhùc poſita applicatione ad imperium. ¶ Ad id, quod additur, dicendum eſt in prędicta hypotheſi poſito præcepto actus imperati eius omiſsionem non eſſe peccatum, quia voluntaria non eſſet, immò eſſet contra imperium, & connatum voluntatis; & ad id, quod opponitur, quod *qui poteſt, tenetur, & non facit peccat*, ſolùm eſt abſolutè verùm in hac providentia, in alia verò poſſibili debet intelligi de eo, qui *volũtariè non facit*; ſicut in ſententia negante puram omiſsionem liberam, ſi Deus negaret prædeterminationem ad omnem actum poſitivum voluntatis, omiſsio actus præcepti nõ eſſet tunc libera, aut voluntaria, nec peccatum; idem eſſet in noſtro caſu. ¶ Si autem opponas: non exequi eſt peccatum, quando ſolùm adeſt neceſsitas conſequens, non antecedens non exequendi, ſed in hoc caſu ſolũ adeſt neceſsitas conſequens non exequendi; talis enim neceſsitas eſt carentia prædeterminationis, dum adeſt poteſtas antecedens executionis: ergo non exequi peccatum eſſet in hoc caſu. ¶ Vno verbo: diſt. Mai. non exequi eſt peccatum, dum adeſt neſsitas purè conſequens non exequẽdi contra inclinationem actualẽ voluntatis, neg. ſi non ſit contra inclinationem voluntatis, conc. neceſsitas autem conſequens non exequutionis eſſet in caſu dicto contra inclinationem actualem voluntatis; vnde impediret, quod non exequi eſſet peccatum.

1354 Ad id, quod vrgetur 8. num. 1318. ex P. Avendaño vnicè ſiſtens in hoc principio: *Perinde eſt actum non eſſe homini proximè poſsibilem, ac homini non eſſe proximè poſsibilè aliquid ex eis, ſine quibus nequit exiſtere actus*, quod conſequenter ſtatuens dictus AA. ad ſua principia, ait *actum eſſe homini proximè poſsibilem perinde eſſe, ac hominem non ſubordinari Deo in eliciendo actum*, & quod maius eſt *Deum ipſi homini ſubordinari*: nos autem, qui omnia ſubijcimus voluntatis liberæ dominio, pręter Deum ipſum nulli ſubijcibilem, non in hoc conceptu poſſumus indiſcriminatim cõſtituere *actũ*

*eſſe*

*esse proximè possibilem*; sed dicimus actum esse proximè possibilem principio alicui, vt *primo*, & *independēti*, esse, esse ei proximè possibilia omnia ea, sine quibus nequit existere actus; actum esse proximè possibilem alicui principio, vt *secūdo*, *subordinato*, & *dependenti*, est esse in eius potestate omnia ea, sine quibus nequit existe actus, præter influxum superioris causæ subordinantis; & è contra actū non esse proximè possibilem principio, *vt primo*, est non esse in potestate principij omnia, quæ requiruntur ex parte principij primi, vt existat actus; & non esse proximè possibilē, vt principio *secundo*, est non esse ei possibilia omnia requisita ex parte causæ secundę, vt existat actus: vnde non esse in potestate inprædeterminati prędeterminationem, quę requiritur ad actum ex parte Dei, vt eius influxus, probat non esse in eius potestate actum, vt prima, & independente; non verò excludit esse in potestate inprædeterminati actum, vt in principio secundo, & subordinato alteri, vt primo: per quæ patet ad exempla, quæ procedunt de requisitis ex parte causæ secundæ, & est assignatus conceptus vi, cuius aliquid est impossibilè principio, vt secūdo, quando nempè, nec habet, nec potest habere aliquod prędrequisitum ex parte causę secundę, vt existat.

## §. VI.

### *Solvuntur Argum. quæ intendunt inprædeterm. ad consensum, non habere auxilium sufficiens, obligari ad impossibilia; inutiliter exhortari, & iniustè corripi.*

1355 AD inconvenientia, quæ ex nostra sententia inferunt respond. ad primum intendēs nos ad absurdum cogere negandi auxilium sufficiens, neg. id sequi, & ad probat. num. 1319. inductam omnes Thomistæ resp. neg. illam maiorem: *Qui non habet auxilium, quod sufficiat ad consensum, non habet auxiliū sufficiens*; nomine enim auxilij sufficientis non intelligimus auxilium, quod sufficiat sine nova gratia, vt consensus existat; sed auxilium, quod præstat sufficientiam virtutis ad cōsensum; licèt ergo alia auxilians motio detur, in qua *non intelligatur collatio virtutis, sed applicatio virtutis*, non auffert à primo auxilio, quod sit sufficiens per modum virtutis; nullū enim aliud per modum virtutis exigit: licet aliud expoſcat per modum applicationis. ¶ Vel alijs terminis; alio auxilio indiget, quod exhibeat consensus possibilitatem, neg. quod prę stet consensus futuritionem, concedo, & qualiter pugnavit cum eo, quod vnum auxilium sufficientiam, & possibilitatem donet, quod aliud exigatur, vt futuritionem tribuat? Et ratio est, quia auxilium, quod est efficax non requiritur, vt potestas, sed vt applicatio, quæ ex se supponit virtutem, & sufficientiam completam, applicatio enim virtutis insufficientis insufficiēs esset, vt actus existeret. *D. Thom. q. 3. de Potēt. art. 2.*

1356 Hanc doctrinam illustrant nostri Thomistæ multipliciter 1. ex P. Augustino, 2. ex Angelico Thoma, 3. ratione, & exemplis. ¶ Ex S. Patre Augustē. eam illustrat M. Lemos; quia videtur idem argumentum, ita in nos magnificatum sibi opposuisse; cum enim certum apud Augustē. sit nomine adiutorij *sine quo* intelligi adiutorium sufficiens, & nomine adiutorij, *quo* efficax, & quod Deus Adamo donavit adiutorium *sine quo* ad perseverandum: & Sanctis nunc prædestinatis adiutorium *quo*, vt perseverent; ita ait comparando hæc adiutoria: *Nunquid, quia erunt bona novissima potiora, atque meliora, ideò fuerunt illa prima, vel nulla, vel parva?* Id est, quia bona data Sāctis sunt potiora, & meliora, data Adamo fuerūt *nulla*, aut *parva*, seù insufficientia? Et defendit Sanctus, quod priùs dixerat scilicèt: *Adamum habuisse mag-* *Lemos, lib 4. p. 2. trat. 3. cap. 5.* *Augustē. de Corrept. & Grat. c. 12.* *Augustē. ibi cap. 11.*

*magnam Dei gratiam*; licèt *sit potẽtior in secundo Adamo gratia, quæ est in primo Adam*: Hæc ergo Adami gratia *magna* erat, *parva* nõ erat, nec insufficiens; licèt gratia prædestinatis donata, *maior*, & potentior sit; rationem tradidit Sanctus; quia gratia sufficiens, seù adiutorium sine quo Adami erat tale, *vt posset habere iustitiam, & permanere, si velit, quia erat adiutorium per quod posset, & sine quo nõ posset permanere*; gratia prædestinatorum *plus potest, quæ etiam sit, vt homo velit*, maior est, *quia per id donum non nisi perseverãtes sunt*: idem nos dicimus; adiutorium sufficiens magnum donum gratiæ, non parvum, aut nullum; licet adiutorium efficax maius, & potentius exactum sit vt homo velit, & perseveret; quia per primum habet posse perseverare, & velle, & sine eo perseverare non posset.

1357 Ex nostro Doctore Sancto eadẽ doctrina explicatur 1. quia Sanctus ait: *Contingit aliquid esse causam sufficientem alteriùs, & tamen non ex necessitate sequitur effectus propter aliquod impedimentum superveniens*: Ergo stat iuxtà Sanctũ causam esse sufficientem, & quod vt effectus sequatur indigeat ab alia non impediri: Cùr ergo non stabit esse sufficientem, & quod vlteriùs indigeat, vt effectus sequatur ab alia moveri? Stabit ergo, quod voluntas verè sufficiens causa constituatur per auxilium, quod vocatur sufficiens, & quod vlteriùs indigeat, vt consensus sequatur efficacitèr à Deo moveri. ¶ 2. Ita alibi Sanctus scribit: *Voluntas sufficienter se movet in suo ordine*, sicut *agens proximum*; *vnde indiget moveri ab alio sicut à primo moventi*. Ergo sufficientiam in ordine inferiori agentis secundi, & proximi coniunxit Doctor S. cum indigentia motionis primi moventis. 3. D. Thom. ita asserit: *Nunc per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & vlteriùs eis datur, quod perseverant. Ad differentiam hominis in primo statu, qui accepit donum, per quod perseverare posset: non autem accepit, quod perseveraret*: Ex qua doctrina ita probatur: *Homini iusto præcepta Dei nõ sunt impossibilia, nec deest gratia, qua possibilia fiant*: Vnde homo iustus per gratiam habitualem, & auxilia ei gratiæ debita habet potestatem, & sufficientiam ad perseverandum: sed *Vlteriùs* exigunt iusti eis dari, quod perseverent, quia est perseverantia speciale donum Dei, vt ait Tridentinum, & ex D. Thom. *Multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia*: Ergo stat sufficientia virtutis ad perseverandum cum indigentia alteriùs doni, quo perseveretur. Videatur Caiet. in articuli expositione, quia sicut ibi componit hæc duo in iustificato: *Homo habet donum gratiæ*, quo *potest perseverare, & homo non potest ex sola ea gratia perseverare*; ita componi debent; *homo* sufficienter adiutus habet donũ gratiæ, quo possit consentire, & non potest ex sola ea gratia consentire.

1358 Vltimo hoc persuadetur exemplis: 1. in intellectu instructo habitu, & specie intelligibili, qui habet sufficientiam virtutis proximæ ad considerandum, & tamẽ, vt actualiter consideret indiget motione, & applicatione voluntatis, cui vt dominatrici subijcitur in exercitio suorum actuum; Cùr ergo non poterit voluntas habere sufficientiam virtutis ad consentiẽdum, & vt actualiter consentiat indigere Dei motione, cui vt supremo Domino subijciatur in exercitio suorum actuum? ¶ Alio exemplo illustrat eandem veritatem M. Gonet. Deus enim ratione suæ Omnipotentiæ est perfectè, complete, & sufficienter potens ad creandos alios mundos; cum hæc sufficientissima potestas sit perfectio necessaria ipsius Dei, & tamen certum est, quod hæc

*D. Thom q. 25. art. 1. ad 3.*

*Trid. sess. 6. Can. 22.*

*Caiet. ibi.*

*D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 3. ad 3.*

*D. Thom. 1. 2. q. 109. artic. 10. ad 3.*

*Gonet disp. 4. de Volũt. art. 4. 11.*

hęc potestas non potest exerceri defectu decreti Omnipotentiam applicantis ad alios mundos creandum, quod Deus non potest nunc habere de novo, alias mutabilis foret, ita voluntas per auxilium sufficiens est complete, & perfecte potens ex parte actus primi, licet indigeat motione Dei applicantis, vt exerceatur. ¶ Alia obscurior difficultas, quæ hic occurrit, quomodò scilicèt, de volũtate imprædeterminata, & sufficienter adiuta est verùm, quod *consentiret si vellet*, & sua culpa caret cõsensu, si non sua culpa caret auxilio efficaci; in quæstione sexta resolvitur. *Infrà q. 6.*

1359 Ad 2. inconveniens num. 1320. deductum ex nostra sententia; Deũ scilicèt *præcipere impossibilia*, dum inprędeterminato præcipit cõsensum: Resp. inprædeterminatum habere sufficientiam, & proximam, seù expeditam potestatem consentiendi, quia hęc potestas minimè exigit prædeterminationem; non ergo ei præcipitur, nisi quod est ei proximè possibilè dum consensus præcipitur; Donum enim efficax gratiæ non est, vt præceptum possit adimpleri, sed vt adimpleatur: Ad impugnationem; dicimus Deum inprędeterminato non præcipere, vt ponat cõsensum, *sine* prędeterminatione, aut sine speciali gratuito dono Dei distincto à libertate adimplendi, seù consentiendi, quia sic præciperet terminum chimæricum, consensum quidem sine illo speciali Dei dono, præcipit igitur, quod ponat consensum cum prædeterminatione, seù posito eo speciali dono Dei, eo quidem *posito* non *id ponendo*; quia sicut est chimęra cõsensum poni sine dono speciali Dei, ita est chimæra voluntatem id donũ ponere, quia id donum ex pura gratuita Dei misericordia confertur; sicut dum homo peccat ponit peccatũ permissum, ideſt cum permissione, quia peccatum non permissum à Deo chimęra est; cum permissione quidẽ posita à Deo, non eam ponendo, quia peccans non permittit peccatum. ¶ Nugas tamen illas, non potest esse consensus sine prædeterminatione, ergo sine prædeterminatione nõ potest esse consensus; ita vtly *sine* aliquando appellet suprà potestatem, aliquando suprà consensum, non placet rescribere, nec in argumentis sophisticis iterum immorari: videantur, quæ alibi fusè diximus. *Sup. à num. 394. vsquè ad 9.*

1360 Ad 3. inconveniens desumptum ex inutilitate exhortationis nè in *vacuũ gratiam Dei recipiamus*: & allatum, num. 1321. Respondet M. Ferre illam exhortationem Apostoli intelligi de gratia efficaci, quia licèt cum ea non possimus dissensum coniungere, possumus tamen elicere dissensum oppositum consensui ad quem gratia inclinat. ¶ Sed falsum iudico exhortationem Apostoli intelligi de efficaci gratia; hortatur enim Corinthios, nè gratiam in vacuum recipiant, vt enim ait Div. Bernardus: *Paulus studiosissimè cavebat, & cavendum docebat malum vacuitatis gratiæ, quæ vacua in ipso non fuit*: quæ exhortatio esset fatua, si de gratia efficaci procederet, esset enim, ac dicere: Hortamur vos nè faciatis chimæram, quę enim maior chimæra, quàm gratiam intrinsicè infrustrabilem: seù cum termino connexam in vacuum recipere; nec hoc probat lædi libertatem consentiendi cum efficaci gratia, sed solùm cõvincit non esse libertatem evacuandi efficacem gratiam. Quis enim prudenter exhortaretur nè frustraremus efficacia Dei decreta? Certè idem est, ac exhortari nè hyrcocervum formemus; & Cùr? Quia hęc decreta sunt infrustrabilia, & licèt cum decretum est de consensu libero sit consentiendi libertas, non verò est libertas frustrandi decretum, ergo idem debet dici de efficaci gratia, dum intrinsicè efficax constituitur. *Ferre de Voluntate, q. 5. sess. 18.* *D. Bernard. serm. 54. in Cantic.*

Vnde dicendum, quod dum Apo-

ſtolus hortatur, nè *in vacuum gratiã Dei recipiamus*; aut dum *contemplatur, nè quis deſit gratia Dei*, loquitur de gratia Dei ſufficiente, excitãte, & pulſante, cui cum deſis, Spiritui Sancto reſiſtis, divitias bonitatis Dei contemnis; non autem de gratia efficaci, qua Deus facit, vt faciamus: omnes enim, quos docet per huius gratiæ ſpiritum veniunt ad Chriſtũ; loquitur de ea prima miſericordia, de qua ait: *Miſereor, cuius miſerebor*, quia hæc *ſola ad rectè vivendum non ſufficit, ſi deſerat, qui vocavit*, non de ea ſecunda miſericordia, de qua dicit: *Miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero. Effectus* enim huius *miſericordiæ Dei non poteſt eſſe in hominis poteſtate*, teſtante Auguſtino, *vt fruſtrà ille miſereatur, ſi homo nolit*, ſi *enim Deus miſeretur: ergo iam volumus; ad eandem quippè miſericordiam pertinet, vt veniant; Deus enim eſt, qui operatur in nobis velle*; nec quia eſt neceſſaria hęc nova Dei gratia, & miſericordia, vt non abijciamus gratiam, ſequitur, vt cõtendit Tyrſo, quod non debent exhortari homines ad operandum cum ea gratia, ſed potiùs à Deo poſtulare gratiam prædeterminantem; vtrũque enim eſt faciendum, non enim *tepeſcit hortatio*; quia non *extinguitur oratio*; dum exhortamur nè in vacuum recipiamus gratiam, libertatis noſtræ admonemur ad conſentiendum, aut *diſentiendum Deo excitanti, atque vocanti*, ſed dum reſpondemus orando, vt *donis eius fideliter vtamur* Dei nos vlteriori gratia prævenīri cõfitemur; ſi enim oramus Deum, vt *donet, quod iubet*; Cùr non expoſcemus, vt donet, quod monet?

*Ad Corint. 6.* *Ad Hæbr. 13.* *Auguſt. de Prædeſt. & Grat. c. 10.* *Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2.* *D. Proſp. in Ep. ad Demetriadem.* *Sup. à num. 436.*

1361 Vltimum inconveniens, quod ex noſtra ſententia colligunt numero 1322. ex iuſta increpatione non conſentientis, dum Deus ei negavit determinationem exactam ad conſenſum, quàm non poteſt compa-

rare; eſt, quod opponebant Auguſtino Monachi illi, de quibus ſupra meminimus, & ſuperfluum iudicamus aliquid ſuperaddere, præter hęc Auguſtini verba: *Nec gratia prohibet correptionẽ, nec correptio negat gratiam, & ideò ſic eſt præcipienda iuſtitia, vt à Deo gratia, qua id, quod præcipitur, fiat, fideli oratione poſcatur, & hoc vtrùmque ita faciendum eſt, vt neque iuſta correptio negligatur*; longe ergo eſt à mente Auguſtini hoc argumẽtum, quod ex verbis Auguſtini expræſsis gloriatur ēi uiſſe P. Ortega; ſed quęrat priùs in Auguſtino ſentẽtiam minuſculis litteris exaratam, non ſolùm in locis quos citat, ſed in tàm vaſtis M. Parentis operibus; & poſteà meam tradam expoſitionem, ſecurè tamen affirmo me eã nunquam exhibiturum, Nec excuſatio illa iuſta eſt, vt iuſtitia correptionis oppugnetur, ita enim aiebat Auguſtinus, *excuſabunt ſe, qui nollunt rectè, & fideliter vivere, dicentes: Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam, vnde benè viveremus, non recepimus*? Hancque excuſationem ſibi obijci Apoſtolum *ex eorum voce, qui nollunt accipere*, quod dixerat: *Cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat*, vt dicãt, *quid adhùc* conqueritur? *Nam voluntati eius, quis reſiſtit*? Hoc eſt enim dicere: *Quid de nobis fit quærela, quod Deum offendamus male vivendo, cum illius voluntati nemò poſsit reſiſtere, qui nos obdurabit miſericordiam non præſtando.* Convincit tamen ſuo mirabili ingenio Auguſt. hanc excuſationem iniuſtam eſſe, *nam ſi excuſatio illa iuſta eſſet non inde iam gratia, ſed iuſtitia liberaret, ſi autẽ gratia eſt, qua liberantur, profectò, hæc excuſatio iuſta non eſt, tunc enim vera gratia eſt, qua homo liberatur, ſi non ſecundum debitum iuſtitiæ retribuitur*: Vnde nos non piget cũ Apoſtolo dicere ad convincendum excuſationis iniuſtitiam: *O homo tu, quis*

*Sup. à num. 1326. vſquè ad 33.* *Auguſt. de Corrept. & Grat. in fine* *Vide ſuperiùs dicta, à num. 502. & 4.* *Aug. epiſt. 105. & ad Sixtum.* *Ad Rom. 9.* *Aug ibi.* *Aug. ibi.*

es,

*es, qui respondeas Deo?* Multa in hac Sectione diffusè diximus, fateor, sed *de his loquimur, de quibus, & quod nimium est, non est satis.*

## ADDITIO.

1362 PLurima ingeniosè excogitata addiderunt Docti Recentiores ad impugnandum doctrinas, & solutiones nostras, sed addere aliqua opportet ad veritatem stabiliendam, vt mens M. Parent. August. percipiatur.

Ad ea, quæ scripsimus argumẽtum iustę correptionis, quod nobis opponitur esse idem cum eo, quod Adrumentini oppossuerunt August. dissolutum in lib. de Correpт. & Gratia: 1. vult ediscere à sic Respondente Doct. Prado: Prematur nè efficacitèr D. Aug. sententia per argumenta ab Hæreticis vibrata, & ista habeãt vim, vt illam oppugnẽt? An fuerint, & semper futura sint inania iacula nullius efficaciæ, & vis, quę nihil eius sententiam feriant? Si 1. non sinè absurdo tantum pondus efficacię defertur argumentis Hæreticorum contra Catholicam sententiam: & si nos eãdem solutionem adhibemus, ac Aug. cum nostra probabilitatis metas non excedat necessè est fateri solutionẽ D. Aug fuisse incertissimam, & purè probabilem: Si 2. cum huius argumenti difficultatem fatear, tùm vocando *magnam difficultatem*, tùm appellando *difficultatem gravem*: hoc argumentum non fuit idẽ, quod oppugnavit August. sententiam: quomodò enim argumenta, quæ contra sententiam D. August. sunt inania, si eadem sunt contra Thomisticã, quæ est eadem cum August. sententia, habent *vim magnamque, & gravem difficultatẽ? In hæc inconvenientia trahit immoderatum studium confundẽdi sententiam prædeterm. cum sacris D. August. dogmatibus.*

*Prado de Libero Arbit. disp. 6. sect. 5. à n. 70.*

Audiant, precor, (aiunt Doct. Prado, & P. Ramirez:) eruditione, elegantia, & virtute clarissimum virum Emin. D. Card. Sfrondatum, sic differentem: *Primo enim quæro: an in Sancto Augustino hanc qualitatem prædeterminantem aliquando repererint, aut non repererint? Si repererunt; locum aliquem Augustini ostendant: at nunquam ostenderunt, nunquam ostendent. Si verò nunquam repererunt: quæ rogo fiducia est in explicanda natura gratiæ, scire aliquid meliùs velle; quàm sciverit Augustinus? Aut velle quærere, & invenire, quod tanto studio, tanto ingenio, tantaque oratione nunquam Augustinus invenit?* Et post aliqua: *Secundo: qualitas illa prædeterminans tot difficultatibus implicatur, vt faciliùs Nodum Gordium, quàm illas exsolvas; vt passim apud Theologos videre est. Sicque Ænigma prædestinationis alio Ænigmatè, non tàm explicant, quàm obscurẽt. Ænigma enim Ænigmati additum, sicut obscurum obscuro additum, non facit rem clariorem; sed magis obscuram facit, vt taceam alia mille, quæ nec à doctissimis quidem hactenus intellecta sunt, & nec forsàn ab eorum Authoribus.* Hæc Sfrondatus: Cuius verba maiorem ingerunt consolationem Doct. Prado, quàm possint, vel levissimam desolationem ingerere, quæ dicit Contenson.

*Prado ibi. Ramirez, disput. 5. de Prædest. c. 3. num. 163. Sfrondatus in Nodo prædest. dissoluto, p. 1. sect. 4. n. qui incipit: Resp. nec nobis.*

1363 Sed hæc levia sunt: Non est *immoderatum studium* asserere *Sciẽtiam Mediam* esse Augustin. sententiam; Nec hoc asserere est confundere sententiam *Mediæ Scientiæ* cum Sacris Aug. dogmatibus: studiũ trahendi Aug. ad suam sententiam in PP. Societatis iustè laudatur, & extollitur: & studium trahendi Aug. ad nostram sententiam, vt *immoderatum* vituperatur, & detestatur? Cùr asserere *prædeterm.* esse de mente Aug. erit confundere prædeterm. sententiam cum Aug. Sacris dogmatibus: si asserere *Scientiam Mediam* esse de mente August. non est confundere

Scientiæ Mediæ ſententiam cum Auguſt. Sacris dogmatibus? Omnes, ſivè hanc, vel illam ſententiam defendamus, tenemur dicere, noſtram ſentẽtiam eſſe de mente Auguſt. quia in natura gratiæ exponenda nullus præſumit ſcire, quod non ſcivit Auguſt. nec invenire, quod tanto ſtudio, tanto ingenio, tantaque oratione, nunquàm Auguſt. invenit. Sed nullus, ſivè huius, ſivè illius ſententiæ ſuam ſententiam audebit confundere cum Sacris Aug. dogmatibus; quia licèt aſſerat eſſe Aug. ſententiã eſt prohibitum aſſerere eſſe ex illis Aug. ſententijs, quas vt clariſsimè deductas ex divinis Scripturis Eccleſia, vt Sacra dogmata ex Aug. tranſcripſit.

1364 Sed mihi, nec leviſsimã deſolationem ingerit Card. Sfrondatũ prædeterm. in Aug. non inveniſſe: licèt enim ſit vir eloquio nitidus, cultura præſtans, iudicio acer, argumẽtatione nervoſus, purpura, & Religione nimium commendabilis, in opere, quod inſcripſit: *Nodus prædeſt. &c.* in opinando, & ſuffragio ferendo hercle non ſolidis fuit Theologiæ principijs innixus: Et pace Religioſiſsimi Authoris, non contentiosè, dico ipſum, nec leviter delibaſſe Aug. mentem: plurima omninò à mente Aug. & Theologorum aliena, iam ſuperiùs diſcuſsi: nunc inter alia multa duo indicabo nè ſub melle elo quentiæ amara aſſerta guſtentur: Alicubi loquendo de illo Teſt. Apoſt. *Non ex operibus, ſed ex vocante, &c:* quo ſæpiſsimè vtitur M. Pater ad electionem gratiæ confirmandam; hæc ſcripſit: *Obſerva hunc Apoſt. locum, vnum ex illis eſſe, de quibus S. Petrus ſcribit:* Sicut, & chariſsimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam vobis ſcripſit; ſicut, & in omnibus Epiſtolis, in quibus quędam ſunt difficilia intellectu, quę indocti, & inſtabiles depravant: *Et planè his maximè Pauli verbis Lutherus, & Calvinus ad errores ſuos muniendos abuſi ſunt... Quæ igitur Paulus de Gentium vocatione proſequitur, vera quidem ſunt, ſed* difficilia intellectu, *& ideò obſcura, non ergo probationi idonea:* Non ergo probationi idoneũ eſt Apoſt. teſtim. quo Aug. de Pelagianis triumphavit? Dum D. Petrus aſſerit in Ep. Pauli eſſe quædam *difficilia intellectu*, ea non expreſsit, nullum ergo Apoſt. teſtimoniũ erit probationi idoneum, poterit enim quilibet dicere de quolibet alio teſtim. Pauli fuiſſe loquutum D. Petrum, cũ aſſeruit eſſe in Paulo, *quædam difficilia intellectu*, & ideò aſſerere eſſe obſcurum, & nõ probationi idoneũ: quod Calvinus, & Lutherus depravent teſtimonium Apoſt. quid obeſt, vt ſit probationi idoneum? Dum D. Petrus aſſeruit, quod *indocti, & inſtabiles depravant* teſtim. Pauli; addidit, *ſicut, & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem:* ſi ergo ex eo Teſtimonia Pauli, quę indocti depravant, *non ſunt probationi idonea*, nec *cæterarum ſcripturarum* teſtimonia erũt probationi idonea: Quid abſurdiùs? Quæ ergo erit in Thomiſtis deſolatio, ex eo, quod Eloquentiſsimus Author non invenerit in Auguſt. prædeterm. ſi non invenit eſſe *probationi idoneum* teſtim. Apoſt. ex quo aſſerunt Auguſt. prædeterm. intulliſſe? ¶ Alibi loquendo de parvulis ſine Baptiſmo decedentibus, ait: *Licèt Deus ad cœleſtem gloriam non eos admiſerit, alio tamen, multoque maiori beneficio affeciſſe... Id verò beneficium fuit, quod fato præmaturo abreptos innocentiæ ſuæ perſonalis ſecuros reddidit... Quid ergo conqueri de Deo poſſunt, aut quid ipſis mali fecit, ſi non quidem Cœlo, ſed alio beneficio donavit, quod multò præſtantiùs Cœlo eſt... Ergo nulla* (parvulis ſine Baptiſmo decedentibus) *dolendi, nulla conquærendi, ſed magna laudandi grateſque agendi cauſa eſt...* Hæc Sfrondatus: Cũ hæc lego *fervet animus, verba cohibere nõ poſſum,*

*D. Petrus ibi.*

*Sfrondat. in Nodo prædeſt. part. 1. fol. 120.*

*Sup. à num. 620. vſque ad 649. & à n. 734. vſque ad 749. Apoſtol. ad Rom. 9. & 11.*

*Card. Sfrondat. in Nodo prædeſt. & c p. 1. pagin. 70. D. Pet. Ep. 2. cap. 3.*

*possum*, sentẽ tiam *prodidisse, superasse est*. Pelagius, qui negavit sordidam labem, quàm trahimus primęva ab origine secundam quandam felicitatem parvulis sacra Baptismatis vnda non renatis, statuit, quia aiebat *parvulo non baptizato polliceri regnum Dei non possum, contra Domini sententiam apertam*, locum tamen illius felicitatis, non solùm August. irrisit, sed ipse Pelagius se nescire ingenuè fassus est, celebri illo dicto, *sine Baptismo parvuli morientes, quò non eãt, scio; quò eant, nescio*; Et Emin. Author, qui fatetur primi scelus exitiale parentis, contractam prima ab origine culpam, quàm lustrales tantum aquæ, sive sanguis pro Christo effusus abluunt, pueris non regeneratis felicitatem maiorem ipso regno Cęlorum pollicetur? Solùm, his prætermissis docto aliorum iudicio, insisto, nullam desolationem ingerere verba Sfrondati, immò nescio si admiratione dignum sit consolationem afferre Doctori Prado: qui consolatur Matres, vt nullo angore afficiantur, licèt videant filios absque Baptismo vitæ cędere, quia potiori ęterna beatitudine bono perfruũtur; immò, qui *filij iræ natura* sunt, & Baptismatis vnda nõ regenerati in filios adoptionis, lethari deberi, asserit, & de hoc gratias Deo agere, quia maiori *beneficio* ipsa possessione Dei donantur: Qui ita nimiè consolatur, ingentem consolationem Docto Theologo ingerere non debet.

*Pelag. apud Aug. serm. 14. de verb. Apost.*

*Pelag. apud Aug. lib de Pecca. orig. cap. 21.*

1365 Ad Argum. nobis obiectũ de eo, quod argumenta adversus Aug. sententiam non debent exagerari, quasi *magnam*, & *gravem* difficultatem adhibentia; Resp. vt difficillima August. ea agnovisse, & SS. Prosper, & Hylarius, nec potuit August difficultatem commendare exageratiùs, vt iam alibi evidenter notũ fecimus: ¶ Nostrum autem argumentũ; Cùr, scilicèt, Aug. non dat arguenti manus, si fuit in opinione Societatis, cũ in illa, & arguens fatebatur correptionis iustitiam; Resp. Prado: D. August. noluisse Resp. quod ideò corripiuntur non diligentes, quia eam *dilectionem possunt sibi sumere, & non faciunt, vel Deo dante accipere noluerunt*: nè præberet ocasionem, vt Hæretici intelligerent se in viribus naturæ sufficientiam agnoscere ad dilectionem comparandam; sed in hoc stare *deceptionem* (mei) *arguẽtis*; quod Monachi libertatem, quã *probare*, & *tenere, volebant* esse purè naturalem, & non requirentem auxiliũ gratiæ supernaturalis; August. tamen *contentus non erat libertate, quàm ipsi non negabant*, sed necessitatem gratiæ supernaturalis vlteriùs requirebat: Et cum ista libertatem componebat, quod impugnabant Adrumentini.

*Sup. à num. 799. vsque ad 805. & ãn 832. vsque ad 859.*

*Prado ibi. à num. 98. vsque ad 102.*

Et instat: Quia August. non potuit dicere non diligentes non posse acquirere donum dilectionis, de quo procedebat argumentum, nam eo ipso, quod dilectio sit præcepta est libera, ergo determinabilis ab arbitrio: ideoque August. ait: *Si autem dixerimus huiusmodi voluntatem nõ esse nisi donum Dei, metuendum est, nè infideles, non immeritò, sed iustè excusari videantur, ideò non credidisse: quod dare illis Deus istam noluit voluntatem*: Vnde teneor Respondere, si verissimum est, quod Monachi illi eligere poterant dilectionẽ; Cùr S. Doctor hoc non respondit apertè? Cùr non dixit, quod eam possent sibi sumere, vel sibi dare? Nostraque solutione nostri argumenti solutionem paravimus.

*August. de Spir. & Littera, cap. 33.*

1366 Sed non miror *deceptum* me existimasse arguendo, qui sua solutione manifestum facit non legisse August. nec assumptum librorum, de Gratia, & Libero Arbitrio, & de Correptione, & Gratia, quo turbati fuerint Monachi Adrumenti, quæ fuerit dissensio ad quam sedandam eruditissimos illos libros M. P. scripsit, qui-

quibus errores Maſsilienſium in Gallia nondum natos refutavit; Caſus fuit; cum Epiſtola D. Auguſt. ad Sixtum Presbyterum, poſteà Summum Pontificem, per Florum Monachum Adrumentum fuiſſet tranſmiſſa, Monachi inſignis Cœnobij, cuius Valẽtinus præfecturam gerebat: curioſiùs legere cęperunt, non omnes tamen germanam eiuſdem intelligentiam aſſecuti ſunt, ſed in varios, & ab Auguſt. mente alienos ſenſus diſtraxerunt: Vnde graviora in Cœnobio diſsidia emerſere: Valentinus re cognita miſsit ad Auguſt. Creſconium, & Fęlicem, *iuvenes*, (ſic eos Auguſt. vocat,) nullas tamen ad Auguſt. litteras deferendas eiſdem tradidit: Quæ verò Creſconius, & Fœlix Auguſt. narraverint S. Pater ſcripſit: *Retulerunt*, inquit, *Monaſterium veſtrum nonnulla diſſenſione turbatum, eo quod quidam in vobis ſic gratiam prædicent*, (Non ergo negabant auxilium gratiæ,) *vt negent hominis eſſe liberum arbitrium* (quomodo ergo dicitur, quod libertatem non *negabãt*?) *& quod eſt gravius, dicant, quod in die iudicij non ſit vel redditurus Deus* vnicuique ſecundũ opera eius. *Etiam hoc tamen indicaverunt, quod plures veſtrum nõ ita ſentiant, ſed liberum arbitrium adiuvari fateantur, per Dei gratiam, vt recta ſapiamus, atque faciamus*: Per illos Auguſt. Valentino, & fratribus non *reſcripſit*, *ſed ſcripſit* librum de Gratia, & Libero Arbitrio: *Nullas enim* (Auguſt. ait) *ad nos veſtræ charitatis litteras attulerunt, tamẽ ſuſcepimus eos, quoniam ſimplicitas eorum ſatis indicabat, nihil illos nobis potuiſſe confingere*: Vnde Auguſt. hactenus invectus contra divinę gratiæ hoſtes, pro libero arbitrio ad inſtruendos Adrumentinos pugnandũ eſſe cognovit; vnde in illo ex arcanis Sacrarum Litterarum liberum arbitrium probari oſtendit, vbi hominibus à Deo precepta imponuntur, divinam tamen gratiam, ex meritis non dari, & ad divina mandata exequenda eſſe neceſſariam: Vnde Aug. incipit librum aſſerendo: *Quoniam ſunt quidam, qui ſic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur negari exiſtiment liberum arbitrium: hinc aliquid ſcribere ad veſtram charitatem Valentine frater, & cæteri, qui ſimul Deo ſervitis, compellente mutua charitate curavi. Nuntiatũ eſt enim mihi de vobis fratres, ab aliquibus, qui in veſtra congregatione ſunt*, (Creſconium, & Felicẽ deſignat) *& ad nos inde venerunt, per quos, & iſta direximus, quod de hac re diſſenſiones in vobis ſint*: Quomodò ergo non me *deceptum* exiſtimaret, qui ait Adrumentinos *libertatem probare, & tenere voluiſſe*?

Auguſt. autem poſt librum ſcriptum, & Epiſtolam datam ijs tanquàm *citiùs redituris, aliquanto diutiùs tenuit, vt inſtructiores redirent adverſus novos Hæreticos Pelagianos*; deditque eis aliam Epiſtolam; Addiditque Epiſtolas Synodi Cartaginẽſis, & Milevitanæ, & quinque Epiſcoporum ad Innocentium Papam, & *quæ iſte ad tria iſta reſcripſit*: *Item, quod Papæ Zozimo de Aphricano Concilio ſcriptum eſt, eiuſque reſcriptum ad totius Orbis Epiſcopos miſſum*: Et quod *plenario Concilio totius Aphricæ contra ipſum errorem conſtitutum* fuit; hæc omnia miſsit; librum B. Martyris Cypriani legit eis, & non *miſit, quia dixerunt etiam illic eſſe*: Epiſtolam Auguſt. ad Sixtum, quam fratres illi *ſecum attulerunt* legit cũ eis, & edocuit *adverſus eoſdem Pelagianos eſſe conſcriptam*.

Verùm vbi illi cum tot ſcriptis Adrumetum advenere, novo errori locus datus eſt, cum *quidam* legiſſet omnia opera bona eſſe dona Dei, *dixit neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo vt faciat tantummodo orandum*: Valentinus

*Epiſt. 105. Auguſt.*

*Aug. Ep. 46. ad Valẽtinum.*

*Auguſt. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 1.*

*Aug. Ep. 47. ad Valẽtinum.*

*Aug. lib. 2 Retract. c. 67.*

nus per litteras novum dogma Aug. renunciavit, in quibus gratias agit de libro, & Ecclesiasticis litteris ad se transmissis, novaque dissidia ex libri lectione intimat per Florum, cuius alloquendi se cupidum August. asserens: *Si quid de vobis mereor, veniat ad me frater Florus*, significaverat: fortè, quia August. scripsit: *Melius autem facitis, quod multum rogo, si ipsum à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non pravemini: Aut enim nõ intelligit librum meũ*, (Epistolam scilicèt ad Sixtum) *aut fortè ipse non intelligitur, quãdo difficillimam quæstionem, & paucis intelligibilem solvere, atque enodare conatur*: Et Florus ob missam Aug. Epistolam dissidiorum author publicabatur: Iniustè tamen, immò, & à Sirmondo tanquam *pravæ interpretationis Author* fugillatur: Cùm expressè asserat August. Florum corrigendum non esse, sed potiùs illi, qui eum non intelligebant; ita asserit: *Hanc fidem, quæ sine dubiò vera, & Prophetica, & Apostolica fides est, etiam in fratre nostro Floro inveniſſe me gaudeo: Unde hi potiùs corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse iam existimo, qui eum non intelligebant.*

Valent. Augustin. Ep. 216.

Aug. Ep. 47. Augustin. Valentino. Epist. 46.

Sirmondus Hæresi prædestinatian. cap. 1.

August. de Corrept. & Grat. c. 1.

August autem *lectis litteris* Valentini: vt ab Adrumetinis omnẽ errorum caliginem expelleret, composuit librũ de Correptione, & Gratia, quem *plenum divinæ authoritatis* S. Prosper vocat: & de quo vellem, quod Aug. de illo de Gratia, & Lib. Arb. scripsit: *Repetite assiduè librum istum, & si intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem non intelligitis orate, vt intelligatis, dabit enim vobis Dominus intellectum.* Et alibi: *Verùmtamen semel lectum nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergo eum fructuosissimum habere vultis, nõ vos pigeat relegendo habere notissimam, vt diligentissimè sciatis, quibus, & qualibus quæstionibus solvendis, atque sanandis non ibi humana, sed divina occurrat authoritas, à qua recedere non debemus, si volumus pervenire, quo tendimus.*

S. Prosp. Ep. ad August.

August. de Grat. & Libero Arbit. cap. 24.

August. de Corrept. & Grat. c. 1.

1367 Vnde Resp. Aug. rectè licet proponendo dixisse, quod si *voluntas bona non esset nisi donum Dei* iustè excusaretur non credens, quia illam Deus dare noluit; si enim non esset *nisi donum*, solùm esset in electione Dei donantis, vnde nec nobis præciperetur, nec corrigeremur dum non crederemus; Est tamen *donum Dei*, & opus nostrum, vnde est in electione nostra; vnde nobis præcipitur, corripimur, quia *nostro vitio non habemus*, & oramus vt à Deo *donum* accipiamus, vt cognoscamus vnde accipiamus, quod habere volumus.

1368 Nostrã solutionẽ asserimus August. tradidisse in toto illo libro, quia erat mens August. quod voluntas *à Deo præparatur per gratiam in ipsa operantem velle*; *gratiæ enim Dei sumus subiecti*; vnde probavit, quod *gratia non prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam*; per potestatem exequendi præcepta datur correptioni locus, cum adhùc oremus Deum, vt accipiamus opus præceptum vt donum suum, clarissimè gratia testificatur; ita responsum præbuit Aug. si tamen Aug. sentiret, quod adversarij docent, nec argumẽtum esset, nec solutione indigeret; si enim solùm agnosceret gratiam indifferentem, sequentem voluntatis nutum, vt quo illa vellet illam inflecteret, & à qua suum sortiretur effectum, & efficaciam; daret arguenti manus, & Adrumetinum ex ipsius confessione convinceret, quia tamen præter gratiam potestatis agnovit gratiam dantem opus præceptum, necessè fuit Aug. ad iustitiam correptionis adversus Adrumetinum Monachum probandam, ad alias doctrinas recurrere divina authoritate cõprobatas.

August. de Corrept. & Grat. c. 5. August. de Grat. & Libero Arbit. cap. 12.

ADDI-

ADDITIO.

1369 S.P.Ramirez: poſtquàm exclamationes aliquas cõtra noſtram, & communem ſententiam attulit, & me vt *declamatorem ſilere* iubet, intendit probare mentem M. Parentis omninò alienam eſſe à Thomiſtarum iudicio; nec argumentum obiectum ex eodem medio, quamvis idem abſurdum intendens, proceſsiſſe, ſibi *pluſquàm probabile*, *nè dicat evidens, eſſe.*

*Ramirez, diſp. 5. de Prædeſt. c. 3 à n. 160.*

Omitto exclamationes, quibus facilè eſſet reſpondere, quia vt ipſe ait *apud doctos potiùs riſum, quàm æſtimationem ſolent conciliare*; Neſcio tamen cur declamatorem me vocet: *Quod enim eadem eſt Auguſt. & Thomiſtarum theſis, quia eadem contra vtramque militant argumenta*, non declamando, ſed aſſerendo dixi, iterùmque dico, non vt mihi evidens, quia nec audeo, ſed vt mihi evidens, quod opoſitum non ſit evidens, & vt mihi verùm, & ex aſsidua repetitione librorum Auguſt. probabiliùs.

1370 Motiva aſſertionis legenti cõmitit, & expendit. 1. Auguſt. ſolùm intendit probare iuſtam reprehẽſionem in omiſsione præceptorum, & quod charitas, & obedientia ſit donũ Dei, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens*: Quod extra rem eſſet niſi Aug. deſcenderet ad modum particularẽ donãdi per prędeterminationẽ ſupponentem auxiliũ ſufficiens; Ergo Argumentum Adrumetini Monachi non proceſsit ex eodem medio, ac argumentum Societatis, licet idem abſurdum intendens: ¶ Conf. quia Auguſt. non recurrit ad vitandum inconveniens ad poteſtatem expeditã per auxilium ſufficiens, dum deficit Deum per prædeterm. donare; vt facimus Thomiſtæ, ad iuſtam correptionem defendendam; Ergo quia argument. non procedebat contra gratiam prædeterm. ſed ex eo, quod obedientia eſſet à Deo donata.

*Ram. ibi. n. 166.*

1371 2. Ad ſolutionem argumenti contra prędet. nequit recurri ad hoc, quod inobediens habuit, & accepit id pro cuius defectu prętenditur iniuſta correptio; ſed Aug. ſolvit argumentum ſibi obiectum; qua nolens corripi habuit, & accepit id propter cuius non acceptionem reprehenſionem iniuſtam promulgabat: Ergo argum. gratiam prædet. non impugnabat: Prob. Min. ex ipſo Aug. qui præmittendo, quod corripiẽdi ſunt, quia corripi nolunt, procedit ad reſpondendum per hęc verba: *Nec attendunt, ſi nondum regenerati ſunt, primam eſſe cauſam, cur obiurgati, quod ſint inobedientes Deos ſibi debeant diſplicere, quia fecit Deus hominem rectũ ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deũ.* Et poſt aliqua quibus oſtendit correptionem pravitatis originalis non eſſe iniuſtam, ſubdit immediatè: *Si autem iam regeneratus, & iuſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei, ſuo in malum libero amiſsit arbitrio: An adhùc, & iſte nolens corripi poteſt dicere: quid ego feci, qui non accepi, quem conſtat accepiſſe, & ſua culpa, quod acceperat amiſsiſſe?* Ergo Aug. tàm in *non regenerato*, quàm *in regenerato* demonſtrat accepiſſe, id per cuius defectum corriguntur.

*Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 6.*

1372 3. Probat ex lib. de Gratia, & Libero Arbitrio directo etiam ad Valentinum ad extirpandas diſſenſiones Monachorum: ex quo, omiſſo quod Aug. ſolùm agnovit gratiam conſtituentem poſſe, quia de hoc ſæpiùs diximus: Sic 1. arguit: Gratia neceſſaria ad ſubiectionem liberi arbitrij eſt gratia qua deficiente ſine titulo, & cauſa iuberetur; ait enim Aug. *Homo ergo gratia iuvatur, nè ſine cauſa voluntati eius iubeatur*: Sed licet deficiat gratia prædeterm.

*Auguſt. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 4.*

non

non ſine cauſa homini iubetur; vt patet. Ergo Aug. non agnovit prædeterm. gratiam. ¶ 2. Gratia quam agnovit Auguſt. eſt, quę omni, cui iubetur, ſemper adeſt; dum enim conciliat dictum Ezechielis: *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum*: Cum alio eiuſdem Prophetæ dicto: *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum, & facite omnia mãdata mea.* Ita ſcribit: *Memineris ipſum dicere*: Facite vobis cor novũ, & ſpiritum novum: *qui dicit* dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo vobis: *Quomodò ergo, quod dicit*, facite vobis: *hoc dicit* dabo vobis? *Quare iubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt; niſi quia dat, quod iubet, & adiubat, vt faciat, cui iubet? Semper eſt autem in nobis voluntas libera; ſed non ſemper eſt bona*: Attende; ſemper Deus ex mente Auguſt: *Dat, quod iubet, & adiuvat, vt faciat, cui iubet*: Sed non ſemper Deus prædeterminat, vt faciat, cui iubet, vt conſtat in omni, qui cum iubeatur, non adimplet præceptum: Ergo gratia, qua Deus adiuvat iuxtà Aug. non eſt prædeterm.

Ezech. c. 11.

Ezech. c. 18.

Auguſt. de Grat. & Libero Arbit. cap. 15.

1373 *Videas iam rogo*, (ait P. Ramirez) *ex labore ſuſcepto indagandæ mentis* M. P. Aug. an argumentũ ipſi obiectum de iniuſta increpatione, *ſit idem, quod nos obijcimus Thomiſtis, & an ex eodem capite in* lib. de Correpț. & Grat. *Illud ſumpſerit reſpondendum?* Quod vt clariùs fiat, ait, ex Paulo Leonardo, quod ſicut vaticinari, aut edere miracula non eſt opus noſtræ libertatis, quia non eſt poteſtatis noſtræ naturalis; ita quidquid à gratia pendebat putabãt non eſſe opus arbitrij, & exinde inferebant iniuſtam increpationem illius, qui non operabatur rectè; Vndè hunc errorem impugnavit Aug. ſalva ſemper veritate illius principij Societatis: *Quod qui nec actu, nec virtute habet neceſſaria ad actum, impotens eſt ad illum.*

Ramirez ibi. n. 174.

Paul. Leon. in reſp. ad Expoſtul. cont. Scient. Med. p. 2. ſect. 6.

1374 Sed his non obſtantibus inſiſto in eo, quod argumẽtum, quod Auguſt. ſolvit in lib. de Correpț. & Grat. eſt idem, quod Docta Societas nobis opponit, non ſolùm quia intulit idem inconveniens, ſed etiam ex eodem medio:. Et vt ab hoc vltimo incipiam omninò falſum eſt Monachum illum, quem impugnavit in illo libro Aug. ſenſiſſe, opus præceptum à gratia pendens eſſe ſicut *vaticinari, aut edere miracula*; vnde non eſſe reprehenſione dignum omittentem opus: Hoc dixit Paulus Leonardus de Pelagio, de illo Monacho nullus id dixit, potiùs erat in ſententia extreme Pelagio oppoſita; nec eſt authoritas vnde id conſtet potiùs oppoſitum colligitur; aſſerebat enim: *Præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus.* Et infrà: *Præcipe mihi quid faciam*: & ridiculum eſſet dicere *præcipe mihi vaticinari, aut miracula edere*: Aſſumptum probemus, obiecta conterendo.

Paul. Leon. ibi.

Auguſt. de Correpț. & Grat. cap. 3. & 4.

2375 Ad 1. fatemur Auguſt. intendere iuſtam eſſe correptionẽ nolentis facere præcepta, licèt charitas, & opus præceptum ſit *donum Dei*: Monachus enim ille dicebat: *Si non fecero non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt vt det, quod non dedit.* Sed dicimus: Omnes, Aug. Patres, & Monachi, per opus præceptũ *eſſe donum Dei* intellexiſſe eſſe ex *determinatione Dei donantis*, quia vt rectè ait M. Bolibar; Deum donare bonum opus, quatenus illud efficiat ex determinatione creaturæ, & non ſecundùm Dei *propoſitum, & conſilium voluntatis ſuæ* in mentem illorum non venit; vndè idem erat inferre iniuſtitiam correptionis ex eo, quod opus præceptum eſſet *Dei donum*, ac eam colligere ex eo, quod eſſet ex determinatione Dei donantis, ſeù ex eodem medio, quo nos impugnat Docta Societas, Aſſumptum ſuperiùs probavimus, quia ſi opus præceptum *eſſet Dei donum* ſolùm

Aug. ibi. Bolibar, de Grat. Dei, dub. 6. ſ. 5. num. 62. & dub. 10. ſ. 2. num. 17.

*Supr. num.* 1326. & 7. & 1330. *vsq. ad* 3.

lùm in eo sensu, in quo probabilitèr salvat hanc veritatem Catholicam Docta Societas, & arguens, cui Aug. respondet fatebatur expresse iustitiã correptionis nollentis facere præcepta: Ergo Augustꝰ. & in eum obijciens in suppositione, quod opus præceptum esset ex Dei donantis determinatione, ille defendebat iustitiam correptionis, & iste impugnabat: Sed Addo: 1. donum esse debet ex donantis determinatione, vt suprà diximus: Ergo per opera præcepta esse *Dei dona* esse ex electione Dei donata intellexerunt. ¶ 2. Quia in hac intelligentia Arguentem ex sententia Augustꝰ: processisse ad negandam iustitiam correptionis in non observãte præcepta, constat ex Epist. Aug. ad Sixtum, ex cuius prava intelligẽtia Monachorum dissensiones ortæ sunt: & ex libro de Gratia, & Libero Arbit. quem priùs Augustꝰ. scripsit ad eas sedandas.

*Supr. num.* 343.

1376 Ex illa Epistola suadetur: 1. Cùm postquàm probavit gratuitũ donum Dei fidem; ait: *Cùr autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vidẽt,* altitudo est divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, *cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem non est iniquitas, dum* cuius vult miseretur, & quẽ vult obdurat: *neque enim propterea sunt ista iniusta, quia occulta*: Et certè si cum duo audiunt verbum veritatis, vident miracula, solùm arbitrium determinat *credere*, & non gratia, quia gratia solùm donat, seù efficit *credere* ex arbitrij determinatione: cur ille credat, ille non credat, fisteret ratio, quia ille *vult*, iste *non vult*, nec esset inscrutabilè, nec quia cuius vult Deus miseretur, & quem vult obdurat, *non impertiendo malitiam, sed non impertiendo, misericordiam* licet enim causa proxima, *Cur ille credat, ille non credat* ex arbitrio desumatur ab Augustꝰ. aliquando, cum *voluntas à Domino præparetur*, causa vltima est, quia *cuius vult miseretur, & quẽ vult obdurat*; & ideò ininvestigabilè, quia *viæ eius vniversæ sunt misericordia, & veritas*: quod solùm esse potest si gratuita misericordia determinat arbitrium, quia si arbitriũ determinat gratiam vltimo per *velle*, & *nolle* solvitur, cur ille credat, & ille non credat. ¶ 2. Dum probat *adiutorium Spiritus Sancti sic expressum esse, vt ipse facere dicatur, quod vt faciamus facit.* Ideò dicitur: Spiritum *orare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; quia orare nos facit: Et *spiritũ in nobis loqui*; accepimus enim spiritũ adoptionis, *in quo clamamus*: *Abbà Pater*: & ipse spiritus clamans, dicitur, quia *misit Deus spiritum in corda nostra clamantem*: *Abbà Pater*. Ergò spiritus gratiæ est in quo oramus, & dicitur, orans est, in quo clamamus, & dicitur clamans, quia est, *quo efficitur, vt clamemus*; Et si spiritus gratiæ, non est determinans arbitrium, sed indifferens, & arbitrio subiectus, non ille, *vt faciamus facit*; sed nos facimus, vt ille faciat; non est *quo efficitur, vt* nos *clamemus*; sed nos efficimus *spiritum clamantem*: licèt enim spiritus tribuat nobis, posse facere, & clamare, nos tribuimus spiritui esse facientem, & clamantem.

*Aug. adductus, num.* 1132. & 1163. & 4. & *n.* 700.

*Roman.* 8. *Matth.*

*Roman.* 8. *Galat.* 4.

1377 Ex libro de Gratia, & Libero Arbitrio assumptum probatur. 1. Quia Augustꝰ. versans illa Apostoli verba: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt nè quis glorietur Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, vt in illis ambulemus.* Ita fatur: *Audi, & intellige* non ex operibus *dictum, tãquàm tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tanquã his, in quibus te Deus finxit, ideſt, formavit, & creavit. Hoc enim ait*, Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, *non illa creatione, qua homines facti sumus, sed eã,*

*Apostol. ad Ephes.* 2.

*Augustꝰ. de Grat. & Libero Arbit. cap.* 8.

de

de qua ille dicebat, qui vtiquè iam homo erat. Cor mundũ crea in me Deus: *Fingimur ergo, id est formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, vt in illis ambulemus*: Nos Deus per *gratiam præparat* in operibus bonis, quia in eis per gratiam *fingimur, formamur, & creamur*; Ergo gratia præparans bona opera est ea fingens, formans, & creans; Ergo non indiferẽs, & ex nostra determinatione bona opera eficiens: Prob. conseq. Quia gratia ex præsupposita determinatione fingens bona opera nequit dici *creans*, & cum in operibus bonis *ambulemus*, vt ait D. Thom. *quia ad illa per liberum arbitrium cooperamur*; si gratia ex cooperatione arbitrij esset præparans creando, & formando esset formans, & præparans, *quia* in operibus bonis ambulamus, non *vt in illis ambulemus*: Hanc sententiam *gratia in nobis determinat opera bona*: his verbis expressam in Augustin. non invenio, quia hoc verbo *determinat*, non vtitur Aug. nec loquendo de gratia, nec de arbitrio; sed per illam intelligimus, quod Aug. ab Apostolo edoctus hijs verbis expressit: *Gratia in nobis fingit, format, & creat bona opera; vt in illis per arbitrium ambulemus.*

*Psalm. 50.*

*D. Thom. in Exp. cap. 2. ad Ephes. lect. 3.*

1378 2. Quia postquàm probavit Apostolo *sine vlla dubitatione cõtradicere*, qui dicunt legem esse Dei gratiam, procedit ad convincendum *naturam* non esse gratiam, quàm cõmendat Apostolus: *Hanc enim naturam etiam cum impijs, & infidelibus certum est nobis esse communem, gratia verò per fidem Iesu-Christi eorum tantummodò est quorum est ipsa fides*: Ergo ex Apost. non intendit Aug. gratiam indifferentem, seù *communem* fidelibus, & *infidelibus*, sed gratiam determinantem, & connexã, quæ sit *eorum tantummodò quorum est ipsa fides*. Prosequitur Sanctus; quod sicut volentibus in lege iustificari verissime dicit Apostolus: *Si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est*. Sic, & his, qui gratiam putãt esse naturam verissimè dicitur: *Si ex natura iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Iam hic enim erat lex, & non iustificabat, iam hic erat, & natura, & non iustificabat, ideò Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur; & natura per illũ repararetur.* Simile argumentum formari potest adversus gratiam indifferentem connexam necessariò cum lege, iam erat ibi gratia sufficiens, & non iustificabat; Ergo non poterat homo iustificari solùm per gratiam sufficientem, sed etiam per aliam gratiam, quæ dum adsit, lex impleatur, & natura reparetur: Vndè rectè animadvertit Emin. Noris, quod Apostoli ratiocinatio eandem vim habet adversus gratiam sufficientem, si vlteriùs ad iustitiam non exigitur alia gratia efficax: si per gratiam sufficientem connexam cum lege iustitia; *Ergo gratis Christus mortuus est.*

*August. de Grat. & Libero Arbit. c. 11. et 12. Aug. ibi. c. 13.*

*Apostol. ad Galatas 2.*

*Noris in Vindicijs, f. 6.*

1379 Ad 2. probationem est omninò falsum, quod Aug. solvit argumentum iniustitiæ correptionis, quia nolens corripi habuit, & accepit id per cuius non acceptionem reprehẽsionem iniustam promulgabat: Verũ enim est, quod Aug. obloquentibus; iniuste corripi, qui non faciunt, quod præceptum est, quia obedientię munus non acceperunt, nec illud sibi dare potuerunt. Respondere, quod si *non* sunt *regenerati* carent gratia in pœnam peccati primi hominis, quem Deus fecit rectum: Nec obest, quod illa pravitas communis sit omnibus, quia vt subdit: *Immò corripiatur, & in singulis, quod est omniũ. Non enim propterea à cuiusquam non est, quod ab ea nullus immunis est ... corripiatur ergo origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* Si verò sunt *regenerati*, non possunt dicere *non accepimus, quia acceptam gratiam Dei suo in malum*

*August. de Corrept. & Grat. c. 6.*

*libero amiſſerunt arbitrio*: Sed P. Ramirez fortè non legit inſtantiam, quã Aug. ſibi immediatè contra hanc ſolutionem oppoſuit, quia *nolens corripi poteſt adhùc dicere*: Quid ego feci, qui non accepi: *Accepi enim fidẽ, quæ per dilectionem operatur, ſed in illa vſquè in finem perſeverantiam nõ accepi*: Quærant ergo in Auguſt huius inſtantiæ ſolutionem, quia *nolens corripi habuit, & accepit* perſeverantiã *per cuius non acceptionem reprehenſionem iniuſtam promulgabant*: nil à mente Aug. magis alienum legatur ab illo cap. 6. vſquè ad 9. & nemò talem ſolutionem ſuſpicabitur: Capitum Synopſim adducam: vt reſpondeat præmitit fatendum eſſe perſeverantiam in bono eſſe magnum Dei donũ; nam pro ea rogavit, dum pro Petro *rogavit* Dominus vt non *deficeret fides eius*: & ſi ab *homine homini eſſet, à Deo poſcẽda non eſſet*. Quod & alijs Scripturę teſtimonijs, & egregio Cypriani loco confirmat.

*P. Ram. ibi.*

*Lucæ 22.*

1380 Capite ſeptimo reſpondet inſtantiæ *iuſtè corripiendos, qui cum benè viverent non perſeverarunt*, licèt perſeverantia ſit Dei donum, *ex bona quippè in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt*. Nec ſe excuſabunt dicentes, *quare corripimur, perſeverantiam non accepimus*? Hac enim excuſatione, nec à damnatione ſe liberabunt, ſi in mala vita perſeverãt; Ratio: *Iuſtior videtur excuſatio dicẽtium, non accepimus* audientiam, *quã dicentium non accepimus* perſeverantiam, *quoniam poteſt dici homini in eo, quod audieras, & tenueras, in eo* perſeverares *ſi velles*: *nullo modò autem dici poteſt, id quod non audieras* crederes, *ſi velles*. Et tamen à damnatione, quæ facta eſt per Adam non ſe liberabunt, qui poterunt dicere non accepimus audientiã Evangelij Chriſti, cum fides ex auditu ſit; *quantò minùs ſe liberabunt, qui dicturi ſunt* perſeverantiam *non accepimus*; quod totũ illuſtrat expoſitione illius Apoſtoli teſtimonij *quis te diſcernit*? Ab illa perditionis maſſa, quę facta eſt per primum Adam: & confirmat doctrina gratuitæ Sanctorum electionis.

1381 Capite octavo doctrinam de gratuita electione applicat perſeverantiæ, & reſpondet inſtantiæ præfatæ recurrendo ad Dei iudicia; ſic incipit: *Hìc ſi à me quæratur, cùr eis Deus perſeverantiam non dederit, qui eam qua Chriſtiane viverent dilectionem dedit: me ignorare reſpondeo. Nõ enim arrogantèr, ſed agnoſcens modulum meum; audio dicentem Apoſtolum*: O homo! tu, quis es, qui reſpõdeas *Deo*? Id confirmat exemplis iudiciorum Dei in bonis naturalibus, & ſupernaturalibus, in quibus, *cùr ille accipiat, ille non accipiat penetrare nõ poſſumus*. Evidenti tandem argumento caput concludit: *Sicut ergo* (ait) *coguntur fateri donum Dei eſſe, vt finiat homo vitam iſtam, antequàm ex bono mutetur in malum, Cùr autem alijs donetur, alijs non donetur, ignorant: ita donum Dei eſſe in bono perſeverantiam fateantur nobiſcum, & cùr alijs detur, alijs non detur, dignentur ignorare nobiſcum.*

*Rom. 9.*

1382 Capite nono oſtendit ſolùm ſecundùm propoſitum vocatos, & prædeſtinatos vſquè in finem perſeverare, varijs teſtimonijs demonſtrans gratuitæ electionis infallibilẽ certitudinem; Et ex ijs, initio capitis decimi, redit ad debellandum argumentum: *Nemò ergo dicat, non eſſe corripiendum, qui exhorbitat de vita iuſta, ſed ei reditum, & perſeverantiam à Domino tantum eſſe poſcendã: nemò prudens, & fidelis hoc dicat*. Inſpice rationem: *Si enim ſecundùm propoſitum vocatus eſt iſte, proculdubiò illi etiam, quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Vtrùm autem ſic ſit vocatus, quoniam, qui corripit neſcit, faciat ipſe cum charitate, quod ſcit, eſſe faciendum, ſcit enim talem corripiendum facturo Deo, aut ad miſericordiam, aut ad iudicium. Miſericor-*

*diam*

*diam quidem, si à massa perditionis ille, qui corripitur gratiæ largitate discretus est, & nõ est inter vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præparavit Deus in gloriam. Iudicium verò, si in illis est damnatus, in his nõ est prædestinatus.* Hæc lectore indigent: Augustinus igitur obiectionem, & eius instantias contrivit, modo omninò diverso, ac Docta Societas: Sed omninò eodem ac Angelica Schola; corripiendos esse, qui malè operantur, quia sua voluntate libera peccãt; & qui *exhorbitant à via iusta*, quia *ex bona in malam vitam sua voluntate mutati sunt*, quia licèt donum perseverantiæ non accipiant, non ideò *iustam* habent *excusationem*, quia in *eo, quod tenuerant perseverarent si vellent*, & eo dono iusto Dei iudicio carent, quia non sunt *gratiæ largitate à massa perditionis discreti*. Ergo ex Aug. iustè corripitur non perseverãs, licèt perseverantiam non acceperit.

1383 Et ideò eodem in capite proponit non *contemnẽdam quæstionem*, quid *de ipso primo homine sentiẽdum* sit, & summa difficultatis est: *Quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit?* In quo ergo stat, quod *exoriatur* hæc *quæstio solvenda*, & iam non sit soluta in hijs, qui peccant non perseverando, & perseverantiam non accipiunt? Iam exponit Sanctissimus Doctor, quia cum reddisset rationem non accipere non perseverantes perseverãtiæ donum, quia *non sunt discreti à massa perditionis gratiæ largitate*. In primo homine non erat quæstio soluta, sed remanet solvenda: *Neque enim dici potest* (de Adamo, sicut dictum fuit de alijs, non perseverãtibus) *ideò non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate: Nondum quippè erat in genere humano perditionis massa antequàm peccasset, ex quo tracta est origo vitiata*: Et Respondet SS. Pater: quod Adamus *bonitate Conditoris accepit* magnam Dei gratiam, seù *adiutorium, sine quo non* posset perseverare, & per quod perseverare potuit, & exinde sua culpa non perseveravit: *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei prædestinatis per gratiam Dei, non tantum* (pende verbum *non tantum*) *tale adiutoriũ perseverantiæ datur*, ideſt sine quo non, seù sufficiens, *sed tale vt eis perseverantia ipsa donetur*, ideſt quo, & efficax; *non solum vt sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiã, vt per hoc donum non nisi perseverantes sint*, de quibus adiutorijs multa diximus: Argumentum ergo iniustitiam correptionis intendens solvitur à Thomistis, sicut nos edocuit Augustinus.

*Aug. c. 12.*

*Suprà num. 1189. vsquè ad 228.*

1384 Ad 3. medium ex libro de Gratia, & Libero Arbit. desumptum; Resp ad 1. Quid velit Augusſt. cum asseruit, *homo ergo gratia iuvatur, nè sine causa voluntati eius iubeatur*, necesse est exponere; per gratiam iuvantem intelligit prædeterm. quia *victoria, qua peccatum vincitur nihil aliud est, quã donũ Dei in isto certamine* concupiscentiæ *adiuvantis liberum arbitrium*; & ideò ait Sanctus, quod non *sufficit vigilare* admonenti arbitrium; sed exigitur *orare vt Deus adiuvet nè intretur in tentationem*: *Quid verò evidentiùs, quàm Dei gratia ostẽditur, vbi quod oratur, accipitur?* Sed per ly *sine causa iubeatur*; non intelligit Augusſt. quod non adest titulus, aut obligatio præcepti, sed quod *præceptum non prodest, nisi gratia succurrente fiat, quod præcipitur*, hoc enim assumptum intendit Aug. probare, quia *nisi gratia adiuverit nihil lex erit, nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, & maiores vires accipit lege prohibente, nisi adiuvet spiritus gratię*. Hoc enim ait, Sanctus Pater, docuisse Apostolum, cum dixit: *Virtus verò peccati lex.*

*Augusſt. de Grat. & Libero Arb. cap. 4. Matth. 26.*

*1. Cor. 15.*

1385 2. Medium ex eodem libro desumptum,

desumptum, intendens semper Deum ex mente Augusti. *Donare, quod iubet, & adiuvare vt faciat, cui iubet*: & Mag. Parentem: *Nullam agnovisse gratiam nisi eam*, quæ *omni, cui iubetur semper adest*. Est ita falsum, quã quod maximè: Deus enim, quod *iubet donat*, si quod *iubet* habemus, quid enim boni *habemus, quod non accepimus*, vt non *gloriemur, quasi non acceperimus*: Donat quod iubet, dum *facit vt faciamus, & in præceptis eius ambulamus*, si tamen licèt iubeat non facimus, & in præceptis eius non ambulamus, non donat, quod iubet: Ergo semper, quod facimus, quod iubet, donat, quod iubet, quia omne bonum desursum est. Sed non semper donat, quod iubet, quia non semper licet iubeat, quod iubet facimus: & ideò orabat Augustinus: *Domine, dona, quod iubes, & iube, quod vis*: quæ oratio in vanũ esset, si semper donaret Deus, quod iubet: Donat Deus, quod iubet, dum *in nobis operatur velle, & perficere*, & hoc non operatur semper, quod iubet, sed semper, quod volumus, & operamur quod iubet: Et ideò asserit Augustinus. *Cur ergo dictum est*, (ab Apostolo Ioanne) diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est: *Nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, vt quæreret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quæreret, vnde, quod iubebatur impleret.* Non ergo præceptum semper trahit secum Deum donare quod præcipit, sed admonet arbitrium, vt Dei donũ quærat, quo impleat, quod iubetur. ¶ Nec video, cur inferat P. Ramirez, quod Deus semper donat, quod iubet licet enim Aug. asserat, *semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* Hoc impertinenter se habet, vt Deus semper donet quod iubet, potiùs enim oppositum colligitur, ex ratione ab Augustino adducta: *Aut enim* (ait) *à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala; aut à peccato libera est quando seruit iustitiæ, & tunc est bona: Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ voluntatis.* Tunc ergo Deus donat quod iubet, quando per gratiam fit vt sit homo bonæ voluntatis, liber à peccato, & serviens iustitiæ, non quando, licèt adsit præceptum voluntas à iustitia libera, seruit peccato.

*Augustin. de Dono Perseuer. c. 20. & in Confessionibus. Philip. 2.*

*Augustin. de Lib. Arbit. cap. 18.*

*Augustin. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 15.*

1386 Difficiliùs est, quod additur in secunda parte; An, scilicèt, *semper, quod Deus iubet adiuvet vt faciat, cui iubet*: adiutorio quidem non efficaci, & *quo*, sed adiutorio sufficienti, seù *sine quo non*, sed quia hoc ad argumentum contra prædeterm. gratiam non conducit, & alibi diximus, quid sit certum, & quid inter Theologos controversum: nunc omittimus.

*Suprà num. 1240, vsque ad 3.*

## ADDITIO.

1387 DOctor Prado; quia supposuimus id principium negare, quo inittitur Docta Societas, non esse contra lumen rationis, non enim est principium per se notum; asserit: *Existimo tale principium nõ ita esse per se notum, vt procedant evidenter contra lumen rationis negantes illud sub ea vniversalitate, quam intendimus, sed solùm, quod ita sit conforme rationis lumini, vt ad illud suadendum nihil ipso clariùs appareat.* Sed si ita clarum est illud principium vt nil ipso clariùs, quomodo tanta invenit, quę diceret ad illud suadendum: lego enim in Augustino de se ipso: *Valeat aliquid ad se ipsam persuadendam ipsa evidentia, nam nusquã sic non invenio quid dicam, quam vbi res, de qua dicitur manifestior est, quam omne quod dicitur.* Sed vt videas, quam varia sunt adhùc Doctorum hominum iudicia audias precor Sap. Bolibar Salmantinum Primarium aientem: *Securiùs,*

*Prado de Lib. Arbit. disp. 6. sect. 4.*

*Suprà num. 1325.*

*Augustin. de Peccat. Meritis, & remissione, lib. 1. cap. 35.*

Bolibar de Gratia Dei, lib. 6. s. vlt. num. 42. D. Hieron. Ep. ad Thesiphontem.

*& firmius servatur liberum arbitrium indigens ope, & auxilio Dei ad benè operandum: sic enim omnia,* quæ in suo ribulo habet ad fontem refert, *vt verbis Hieronymi vtar; & ratio mihi videtur evidens; liberum enim arbitrium, sic sufficiens, vt alio non indigeat, non creatura, sed Deus est, de quo solùm verificatur nullo indigere:* Iudicat enim, quod sufficientia libertatis nostræ nõ exposcit *actu vel in potestate habere omnia exacta ad actum,* quia alias *per liberum arbitrium non homines propriæ voluntatis, sed Dei potentiæ factos se esse iactarent, qui nullius ope indigerent;* Neque enim *frustrà est potestas, quã implere non possum, nisi* Deus *semper adiuverit*: Nec *destruitur voluntas, quæ alteriùs ope indiget.* In *potestate* enim nostra *habetur, quod nutu* Dei *donantis accipitur.*

Hieron. ibi.

1388 Ego autem non audeo evidens dicere, quod video à viris doctis contradici, quis enim non timeat asserere evidenter verum, quod Doctissimis Magistris videtur non solũ falsum, sed evidenter falsum? Relictis ergo evidentijs, assero principiũ Societatis esse falsum; quia *ilat voluntatem plene, & perfectè liberam, nec actu, nec in potestate habere omnia exacta ad actum.* Ratio, quia adhùc libera habet Dominum, & influxum Domini nequit in potestate habere: *An ita sunt liberi,* (Aug. ait) *vt nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit:* Sine me nihil potestis facere; *Et* si vos filius liberaverit, tunc verè liberi *eritis.* Postquàm enim plene liberi sumus ad credẽdum per gratiam Dei excitantem, conferentẽ virtutẽ ad credere adhùc nova gratia Dei indigemus; quod assumptum probavi, ex eo, *quod orat Ecclesia vt credant contradicentes gratiæ excitanti;* Ex quo antecedenti per rectã consequentiam colligi, quod ad credere prævenit Deus per gratiam distinctam à libertate, & excitante gratia; quia Augustinus intulit Deum prævenire credere per gratiam à doctrina distinctam, ex hoc antecedenti: *Orat Ecclesia Deum, vt credãt contradicentes doctrinæ;* quod argumentum ibi videatur; Inspiciamus nunc, quod inditium de illo Authores contrarij fecerunt; quod ad hanc quęst. remisimus.

Augusti. de Spir. & Lit. cap. 30.

Ioan. 15.

Suprà num. 450.

Aug. Ep. 107. ad Vitalem.

Suprà num. 513. Ramirez, disput. 5. de Prædest. c. 3. n. 239.

1389 1. Ait P. Ramirez: hanc specialitatem arguendi in *limine offendere*: Sed si offensivum est argumentum ipsum retracto; modestiam enim disputandi perturbare ardore inquisitionis detestor; Sed mihi certum omninò est minimè offendere præiactum arguendi modum; Eo enim vtũtur communitèr Doctissimi, & Modestissimi Scriptores Societatis, Si argumentum enim Augustini adversus Pelagium: *Non sumus sufficientes ex nobis cogitare, ergo nec credere:* est efficax, etiam debet esse efficax argumentum Societatis adversus Thomistas: *Non sumus sufficientes prædeterminari, ergo nec credere:* Nullus ex Thomistis dixit argumentum esse in *limine offensivum,* sed esse ingeniosum, & vi illius obligamur ad suadendum rectam fuisse argumenti Augustini consequentiã adversus Pelagium, & non esse rectã consequentiam Societatis adversus Thomistas; sępiùs vidi disputare ita, ad probandum contritionem non effici à gratia iustificante: Hęc Cõseq. August. adversus Pelagium est recta: *Misericordiam fuit consecutus Paulus vt fidelis esset, Ergo non quia fidelis erat.* Ergo hæc Conseq. erit recta; *conterimur vt iustificemur, Ergo non, quia iustificamur.* Nec audivi argumentum in limine offendere: Simili modo disputo: Hæc Consequẽtia Aug. adversus Pelagium est recta, *Orat Ecclesia Deum vt credant contradicentes* doctrinæ; *Ergo Deus prævenit credere per gratiam à doctrina distinctam;* Ergo hæc Conseq. erit recta: *Orat Ecclesia Deum vt*

Suprà num. 464.

*cre-*

*credant resistentes Spiritui Sancto, gratiæ excitanti, & constituenti libertatem ad credendum; Ergo Deus prævenit credere per gratiam distinctam à gratia excitãte*: Nescio enim, Cùr repellatur vt offensivum argumentum hoc? & Adversarij coacti sunt ad suadẽdum August. consequẽtiam esse rectam, secus nostram, & fundamentum desideramus.

1390 Audiamus Doct. Prado; ita ait: *In hac impugnatione frustrà fortasse que non sine magno inconvenienti laboratur in confundenda gratia doctrinæ Pelagiana, cum gratia Catholica divinæ illuminationis supernaturalis*; & tandem concludit: *Parcat ergo precor ponderationibus per doctus R. qui satis scit, & fatetur pluries voluntatem à Domino præparari per gratiam potestatis, fatetur que, & probat doctè, vt solet, gratiã istam nunquam fuisse admissam à Pelagio, caveatque demum confundere gratiam legis, & doctrinæ à Pelagio admissam, cum gratia supernaturalis illustrationis tam commendata à SS. PP. & Concilijs.*

Prado de Libero Arbit. disp. 6. sect. 8. n. 129.

Prado ibi. num. 132.

1391 Absit à me contentio, & exagitantis styli libido, vt enim rectè scribit S. Ivo Episcopus Carnutẽsis, *qui in aliqua disceptatione in aliquem convitiosa verba protulerit, ab omnibus duritèr arguatur*. Et præfatus est clarissimus vir Laurentius ad S. August. *Mentis nostræ oculus ad contemplanda divina infirmus, ex cõtentione fit etiam turbulentus*. Forsitàn sensa mea non satis declaravi: Vndè dicam Doct. Prado, quod S. August. Hieronymo, *potiùs culpanda est negligentia mea, quia hoc*, quędam sensui necessaria verba: *Non addidi, quàm obiurgatio tua*; Scio legẽ non esse divinam per Christum gratiam: Synodus enim secunda Carthaginensis damnat hunc articulum: *Lex, quia illam Deus dedit hominibus in adiutorium, spectat ad Christi gratiam*; vt constat ex August. & Innocentium Romanum Pontificem Synodum illam aprobasse: Sæpiùs probavi legem non esse divinam gratiã, & auxilium supernaturalis illuminationis, & inspirationis esse formaliter in esse gratiæ à lege distinctum; Sed quo fundamento dicitur me cõfundere doctrinam legis, cum gratia excitante? Quia assero ex medio ex quo alicubi probavit Aug. voluntatem non præparari à Deo, vt credat solùm per *doctrinam*, pariter probari non præparari à Deo solùm per *gratiam excitantẽ*? Quis hoc crederet nisi legeret? Ergo si ex prædicato *viventis* probarem hominem non esse lapidem, & similiter arborem nõ esse lapidem, confunderem hominẽ cum arbore? Augustinus probavit per *naturam* non esse iustitiam, quia colligitur ex eo medio; *Ergo Christus gratis mortuus est*, quo probavit Apostolus per *legem* non esse iustitiam; Dicet nè aliquis, quod Aug. non sine magno inconvenienti confundit *legem, cum naturâ*? Absit. Ergo inferre, quod ex medio, quo August. probavit per solam *doctrinam* non prẹparari volũtatem, equè probari non præparari per solam *gratiã excitantem*, minimè erit confundere *doctrinam*, cum *gratia excitante*.

S. Ivo Ep. 83

Laurent. ad Aug. Ep. 174.

1392 Audiamus iam solutionem Doct. Prado: Ait plures syllogismos formari posse ex August. ad probandum ex oratione gratiam distinctam à doctrina, qui non possunt contorquæri ad probandum gratiam distinctam à sufficiente. Primum sic format: *Ecclesia rectè orat pro ea gratia ad credendum infidelibus obtinenda, per quam voluntas corrigatur, doctrinæ consentiatur, & natura sanetur; sed per gratiam Pelagianam doctrinæ prædicatæ; nec voluntas corrigitur, nec doctrinæ consentitur, nec natura sanatur: ergo Ecclesia rectè orat pro alia gratia distincta à gratia Pelagiana doctrinæ prædicatæ, obtinenda infidelibus ad credẽdum.*

Epist. 90. et 91. apud August.

Supra num. 1180. & à n. 1234. usque ad 45.

August. de Natur. & Gratia, c. 2.

Apost. ad Galat. 2.

Quod

Quod si syllogismus propositus sibi non sufficiat, accipiat alium ex ipso suo textu suprà relato: *Ecclesia rectè orat ad obtinendam fidem pro infidelibus, vt hi accipiant eam gratiam, cuius adiutorio indigent, & sine quo voluntas illorum non sufficit ad credendum; sed adhùc post prædicatam, & auditam ab illis doctrinã Evangelij; egent adiutorio divinæ gratiæ, sine quo voluntas infidelium non est sufficiens ad credendum*: ergo *rectè orat, & petit pro illis Ecclesia aliam gratiam, etiam post prædicatam, & auditam doctrinam Evangelij.*

*Suprà num. 450.*

1393 Contra tamen est. 1. Quod isti syllogismi Pelagium non cõvincerent: *Nulla enim est probatio* (ait D. Thomas) *cum similiter dubitatur de præmissa, & de conclusione, & præmissa non est magis nota, quàm conclusio peccatur, licèt non contra vim* illativam *argumenti*, *cõtra* probationem *argumenti*. *Nam probatio debet esse per magis manifesta.* Quod hic non observatur, nam eque dubitatur de minoribus, ac de conclusione in ijs syllogismis, nec sunt magis notæ, quàm conclusio, vt probatio sit per magis manifesta.

*D. Thomæ tract. de Fallacijs, cap. 25.*

2. Cum argumentum proponerem ita scripsi: *Cave tamen, vt plenius me edoceas, non probare veritatem Catholicam gratiæ prævenientis distinctæ à doctrina alijs medijs, quæ esse fateor, & agnosco, sed illo ex Sãcto Augustino deprompto*: Orat Ecclesia Deum vt velint contradicentes doctrinæ; *nè argumentum SS. Parentis reddatur inefficax.* Non ergo desiderabã syllogismos probãtes veritatem Catholicam gratię à doctrina distinctæ, sed quia argumentatio August erat enthimema, seù *syllogismus detruncatus*, vt ait D. Tho. & cui deficit vna propositio, quærebam propositionem, vi cuius fieret syllogismus perfectus; & similiter non fieret syllogismus perfectus, argumentatio nostra: *Orat Ecclesia vt velint contradicentes gratiæ excitãti*: Ergo *Deus prævenit velle per gratiam distinctam ab excitante.*

*Sup. n. 450.*

*Div. Thom. Posteriorum Analyticorum, lib. 1. lect. 1.*

1394 P. Ramirez aliter Resp. ita ait: *Hæc ratio prolixè satis ab Authore extensa nullius roboris apparet ad intentum, detecta æquivocatione, qua laborat, per confusionem harum propositionum*: Ecclesia non solum orat, vt infidelibus nota fiant per doctrinam Dei eloquia; sed etiã vt credant: *Et* Ecclesia supposita doctrina, orat, vt infideles credant: *quæ sunt valdè diversæ*: *Et similiter ista* Ecclesia non solùm orat, vt infidelibus donetur libertas credendi per gratiam sufficientem: Sed etiam vt credant: *Est valdè diversa ab ista*: Ecclesia supposita libertate credendi per gratiam, orat, vt infideles *credãt*: primas propositiones inutiles, asserit, ad probandam necessitatem distinctæ gratiæ; nec argumentum Augustini adversus Pelagium sic procedebat: *Ecclesia non solùm orat, vt infidelibus nota fiant Dei eloquia per doctrinam, sed etiam vt credant: Ergo necessaria est gratia distincta à doctrina*: esset enim planè inefficax; quia *orare* dum adest donum nõ probat necessitatem alteriùs doni, sed eiusdem non præsupositi ad orationem.

*Ramirez de Prædestin. disp. 5. cap. 5. n. 233.*

Propterea vt argumentum esset efficax, procedebat ex illa secũda propositione: *Ecclesia supposita doctrina, orat, vt infideles credant*: Ergo gratia distincta à doctrina est necessaria ad credendum. Patet Cõsequentia: *Cùm frustrà oremus Deũ id, quod cum oramus*, in potestate *habemus*. Sed ex hoc argumento non est consequentia ad orationem, qua petit Ecclesia, *non solùm vt infidelibus concedatur libertas credendi, sed ipsum credere*; quia hæc oratio non tendit, vt supposita libertate donetur credere, sed tendit vt Deus talẽ libertatem conferat, quàm prævi-

det coniungendam cum actu credendi.

*Augustl. Evodio, Ep. 101.*

1395 O quàm verè dixit Augustinus! *Laborant homines in discendo, & brevia non valent intelligere*, prolixa *non amant legere. Laborant itidem in docēdo, qui & pauca tardis, & multa pigris frustrà ingerunt.* Illa ratio mea *prolixè* satis fuit extensa: Sed *de rebus ita magnis, vt in eis & magni laborent, quæ sunt tàm difficilia*, vt diffulsè *scripta vix perduci possint ad intellectum. Hùc accedit, quia non tu* (Primarius Theologię Doctissimus,) *& tales tantummodò cogitandi estis lecturi esse, quod scribimus, sed vtique & illi, qui minus accuto, minusque exercitato ingenio præditi.*

1396 Ad rem ergo: 1. Falsum est, Augustl. & PP. ex illo anteced. *Ecclesia non solùm orat, vt infidelibus nota fiant per doctrinam Dei eloquia, sed etiam vt credant*; non intulisse ad *credere* gratiam prævenientem à doctrina distinctum: Et exinde, vt fateris, similiter colligitur gratia pręveniens distincta à libertate, & gratia excitante: Cùm *Ecclesia non solùm oret, vt infidelibus donetur libertas credendi, sed etiam vt credāt*: Probo assumptum: illam Consequentiam ab Augustl. scilicèt fuisse vsurpatam; licèt sufficeret, nullum ad illam cogitationem fundamentum ex Augustl. adducere: Sed 1. audias precor Augustl. vt meam equivocationem ostēdas per confusionem propositionū; Ita ait referens Pelagianorum sensum circa illud Apostoli: *Deus in nobis operatur, & velle. Operatur quippè* Deus, *dicis, quantum in ipso est vt velimus, cum nobis nota fiunt eius eloquia. Sed si eis acquiescere nolumus, nos vt operatio eius nihil in nobis prosit efficimus.* Instat Augustl. *Quæ si dicis profectò nostris orationibus contradicis: Dic ergo apertissimè* (consequentiam apertissimam vocat) *nos pro ijs, quibus Evangelium*

*Aug. Ep. 107. in initio.*

*prædicamus, non debere orare, vt credant, sed eis tantummodò prædicare*; Ergo Augustl. hanc Consequentiam iudicat rectam: *Deus solùm operatur velle, cum nobis nota fiunt eius eloquia*; Ergo *solùm orare debemus, vt nota fiant Dei eloquia; non vt credant.* Ergo debet iudicare rectam consequentiam à contradictorio consequentis, ad contradictorium antecedentis; quàm *planè inefficacem* vocas. ¶ 2. Quia tantam vim in hac consequentia agnovit Augustl. vt iterùm eam per hęc verba vrgeat: *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, proculdubiò prædicare sufficeret, nec opus esset orare, vt Deus ad fidem suam infidelium corda converteret.* Est nè aliquid expressiùs, vt hæc Consequentia sit recta apud Augustl? Fortè, quod inferiùs ait, vt probet *gratiam Dei non esse naturam liberi arbitrij, cum qua nascimur, nec esse doctrinam, quæ prædicatur*, per hæc verba: *Non enim hoc oramus pro infidelibus, vt fiat eorum natura, ideſt, vt homines sint, aut vt doctrina eis prædicetur, sed oramus vt doctrinæ consentiatur, natura sanetur*: Nil clariùs, vt constet Augustl. illam Cōsequentiam iudicasse rectam.

*Aug. ibi.*

1397 2. Solutionem impugno: admitto argumentum Augustl. adversus Pelagianos procedere ex hac propositione: *Ecclesia suppositā doctrina orat vt infideles credant*; Et inquiro: Quod *Ecclesia oret, vt credant contradicentes doctrinæ*, probat *Ecclesiam suppositā doctrina orare, vt infideles credant*, vel non probat? Si 2. vt quid Aug. in hac oratione energiam sui argumenti inculcat, cum ait: *Inaniter pro eis, vt doctrinæ, cui adversantur credēdo consentiant Deo fundimus preces.* Et infrà: *Et plerūque pro eis oramus, qui cum legant, vel audiant nolunt credere.* Cùm solùm probetur gratia distincta à doctri-

*Aug. ibi.*

ctrina ex eo, quod ſuppoſita doctrina orat Eccleſia, vt infideles credãt: Si 1. Ergo ex eo, quod Eccleſia oret, vt credant contradicentes gratię excitanti, & libertati ad credendum; etiam infertur, quod *Eccleſia ſuppoſita libertate credendi orat vt infideles credant*. Et exinde etiam, vt fateris, colligetur gratia præveniens credere diſtincta à libertate, & gratia excitante: quod autem Eccleſia oret vt credant infideles *privative, ſeù cõtradicentes libertati, & gratiæ excitanti*, manifeſtum videtur, ſpecialiter cum oret, vt credant, qui *nolunt* credere; Et ideò ait Aug. *Scimus pro eis, qui nolunt credere, nos qui iã credimus recta fide agere, cum Deum oramus vt velint*: & de ijs, qui non habent libertatem credendi non dicitur, quod *nolunt* credere, ſed quod non poſſunt: Nulla ergo aſsignatur diſparitas, vt ex hoc Aug. medio; *Eccleſia orat, vt credant contradicentes doctrinæ*, probetur gratia prę venieus credere diſtincta à doctrina; & pariter ex hoc medio, *Eccleſia orat, vt credant, contradicentes libertati, & gratiæ excitanti*, non probetur gratia præveniens credere diſtincta à libertate, & gratia excitante: Si tandẽ recurris orari pro gratia excitante prævia efficaci, iam ſuprà manet paritas inſtaurata, vbi videatur.

*Aug. ibi.*

*Suprà num. 447.*

ADDITIO.

*Suprà num. 1353.*

1398 SOlutionem, quàm dedi iuxtà M. Lezana, & poſt ipſum tradiderunt M. Carraſco, & P. Palanco argumento ex M. Herrera deſumpto impugnant Recentiores docti: P. Ramirez, ita ait: *Miror viro docto, & ingenioſo apparuiſſe clariſsimam ſolutionem, quæ vix ſubſtineri poteſt, niſi captivando intellectum in obſequium Authoris: claritatem inveſtigemus.*

*M. Lezan. Carraſco, & Palanco ibi adducti.*

*P. Herrera ibi.*

*P. Ramirez diſput. 5. de Prædeſt. c. 3 n. 157.*

Ex illa deducitur, quod in providentia irregulari eſt falſum: *Qui vult efficaciter, quantum in ſe eſt extremum aliquod, & illud non facit, non poteſt*: & exinde erit verùm in ea providentia *iure eſſe punibilem, quia volendo efficaciter facere, non facit*, dictumquè Auguſtini: *Nõ enim poſſum aliud ſentire, eſſe in poteſtate noſtra, niſi, quod cum volumus, facimus*, quod abſolutiſsimè prolatum eſt, eſſe abſque fundamento vllo in verbis M. Parentis reſtringendum, & quaſi per contradictorium explicandum: *Poſſum ſentire, aliud eſſe in poteſtate noſtra, quàm id, quod cum volumus facimus*. Quæ omnia, ſi clara ſunt, & non potiùs obſcuriſsima, & ferè contra rationis lumen, neſcio quid erit obſcurum, & rationis principijs violentum. ¶ Addit: quod videtur ſe implicare in terminis ſolutio, dum inquit; illud principium: *Qui vult efficaciter exequi, & non exequitur, non poteſt*: eſſe verùm in providentia *regulari*: oſtendit ſic: Implicat eſſe verùm in providentia *regulari*, id, quod ſi verificetur, impedit providentiam *regularem*; ſed *velle efficaciter exequi, & non exequi*, ſemper impedit providentiam *regularem*; quia in providentia *regulari* ſemper, quod Deus applicat ad *velle* applicat ad executionem, ſeù actum potentiæ ſubiectę voluntatis imperio; vt fatemur: Ergo in providentia *regulari* non poteſt eſſe verũ *velle efficaciter exequi, & non exequi*, eſſe *nõ poſſe*. Hucuſq; P. Ramirez.

*Aug. lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 3.*

1399 Doctor Prado; quia diximus ſuppoſito imperio voluntatis omiſsionem actus imperati non eſſe peccatum, licèt actus imperati eſſet prę ceptum; quia talis omiſsio nõ eſſet voluntaria, cum eſſet contra inclinationẽ actualem voluntatis: vocans ſolutionem difficilimam, eam impugnat: 1. Quia tunc caſus exiſteret libertas in actu primo adæquatè ad actum imperatum; cum defectus prædeterm. ad actum imperatum nõ ſit libertatis defectus: Sed libertas in actu primo adæquatè ſumpta eſt

*Prado, diſp. 6. de Libero Arb. ſect. 3. à num. 45.*

*Suprà num. 1353.*

neceſsitas metaphyſica diſiunctiva alicuius exercitij liberi inſeparabilis etiam divinitus ab vtroque ſimul; vt ſuprà diximus: Ergo implicat in illo caſu exiſtere omiſsionem actus imperati, & non exiſtere libere, quia libertas exiſteret ſine aliquo exercitio libero. ¶ 2. Quia ſequeretur in illo caſu voluntatem omitere neceſſitate ſufficiente ad repellendam culpam, quin præcedat antecedenter neceſsitata: Vnde hæc illatio erit nulla *voluntas libera ad benè agendum, & non agendum, & nulla neceſsitate antecedente obſtricta ad non agendum, non agit. Ergo non agit libere, libertate ſufficiente ad culpam.* Et inefficacitèr probaretur ab Anſelmo libertas noſtrarum actionum ex eo, quod ad illas nulla præcederet antecedens neceſsitas; Immò aperiretur via, vt quis hæreticè defenderet actiones noſtras neceſſarias in actu ſecundo, licèt ex parte actus primi nulla præcederet neceſsitas.

*Suprà num. 172.*

1400 Sed hæc facilia ſunt licèt difficilima vocentur: Suppono caſum in quo argumentum procedit, ſcilicèt, quod Petro imperanti efficacitèr actum Deus miraculosè deneget prædeterm. actus: Vel poſſe procedere de actu ipſius voluntatis; v.g. *de conſenſu*, vel de actu alteriùs potentiæ exequutivæ imperio volũtatis ſubiectæ; v.g. motus progreſſivi: An in illo caſu ſit dicendum Petrum poſſe *conſentire*, vel *ambulare*? Ego dico, quod Petrus poſſet; Vos negatis; quilibet ſuum aſſertum vocat *clariſsimum*, videamus quid veriùs: In ſecundo verò caſu loquar nõ in primo, licèt enim ad id, quod controvertitur vna ſit difficultas, tamen admittere ſuppoſitionem in primo caſu eſt valdè difficilè: Nec video, quomodo in illo vt poſsibili arguat Doctor Prado abſque inconſequentia: Clariſsimè probo: Ipſum velle *diſſentire* eſt diſſentire, idem enim dicitur ſub alijs terminis, vt aſſerit vt certum Doct. Prado. Ergo idem eſt velle *conſentire*, ac conſentire: Quę erit, vel apparens diſparitas? Quomodo ergo ſupponit caſum, in quo Petrus velit efficacitèr conſentire, & non conſentiat: ſi velle conſentire, & *conſentire* ſunt idem ſub alijs terminis.

*Prado, diſp. 6. ſect. 3. n. 44.*

*Prado diſp. 7. ſect. 6. n. 94.*

1401 Suppono 2. Nullam potentiam creatam, quęcumque ſit, eſſe connexam eſſentialiter cum actu, imò talem potentiam eſſe implicatoriam in veriori ſententia, eo quod ſic debet eſſe potens ad operandum, vt ſubdatur Dei dominio in operando, etiam ex ſuppoſitione exiſtentiæ, vt ait M. Bolibar: & ideò aſſerunt Thomiſtæ cum Ill. Godoy, quod prædeterm. nequit conſtituere poteſtatẽ, licèt titulo libertatis non repugnaret, quia illa poteſtas eſſet eſſentialiter connexa, cum actu ſecundo, & exinde implicatoria: Dicimus ergo, quod *poſſe* expeditum creatum, adhùc coniunctum cum *velle*, non habet connexionem eſſentialem, cum *agere* diſtincto ab ipſo velle: Vndè eſſe miraculosè poſsibilè, quod ſit in nobis *poteſtas* ad agere adæquatè ex parte actus primi expedita, & quod *velimus quantum in nobis eſt* agere, & non agamus: Quæ enim eſt contradictio manifeſta, vt id denegemus Omnipotentiæ Dei?

*Bolibar, de Meri. Chriſti, dub. 2. ſ. 5. n. 32.*

1402 Vnde ad P. Ramirez Reſp. *non agere* tunc caſus non eſſe iure punibile, ſicut, & inferiùs probabo non eſſe peccatũ, licèt agere ſit præceptum: Nec exponimus Auguſtin. ſententiam: *Nõ enim ſentimus, aliud eſſe in noſtra poteſtate, niſi quod cum volumus, facimus*; ſed dicimus eſſe veram ſecluſo miraculo, & de potẽtia ordinaria; aliud eſſe dicendum de potentia abſoluta; ſicut hæc propoſitio eſt abſolutè vera: *Cauſa neceſſaria eſt, quæ dum poteſt operatur*, & tamen per miraculum ſtat, cauſam neceſſariam poſſe, & non operari: vt patet in igne Babylonico, qui *non te-*

*tigit*

Danielis, c. 3. tigit omninò tres SS. pueros, *neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit*: Nec Deus abstulit igni potestatem, & virtutem, sed vstionem; & ideò Nabuco-Donosor vidit *solutos*, quos *misit in medio ignis compeditos*, quia vt ait Glossa: *Sapiens ignis vincula combusit, corpora servavit*; & dixit D. Thomas: *Gratia Dei mirabilis: ardent vincula, incombusta manent corpora*: non ergo abstulit igni virtutem, sed per suspensionem concursus impedivit corporum vstionem; sicut ergo in causa necessaria *posse* non habet conexionem essentialem cum operatione: In causa contingenti *posse*, & *velle* non conectuntur essentialiter cum operatione: Inclinatio enim elicita voluntatis potestati coniuncta nequit habere maiorem connexionem cum operatione, quàm habet potestas causę necessariæ per determinationem innatam suæ virtutis. ¶ Ad id, quod addit vt solutio se implicet in terminis Resp. esse verissimum in providentia regulari; *quod qui vult efficacitèr exequi, & non exequitur non potest*: Et concessa Mai. neg. Min. omninò enim falsum est, quod *velle efficacitèr exequi, & non exequi*, semper impedit providentiam regularẽ, eam enim solùm impedit, quando *velle* coniungitur cum *posse*; stat autem velle efficacitèr exequi, & non exequi, cum dest *posse* in providentia regulari; vt enim Augustinus ait: *Quid prodest, si quod non possumus, volumus, aut si quod possumus, nolumus?* Supponit ergo stare velle cum non posse, & tunc velle non prodest vt exequamur; Ergo velle exequi, & non exequi non destruit providentiam regularem, si *volumus quod nõ possumus*; Ergo non implicat in terminis solutio nostra, quatenus asserit esse verùm in providentia regulari: *Quod qui vult efficacitèr exequi, & non exequitur, non potest.*

Glossa, ibi. D. Thom. in Expos. c. 3. Danielis. Augustinus, de Correpț. & Grat. c. 15.

1403 Ad 1. Quod opponit Doct. Prado R. concessa Mai. dist. Min. Est necessitas metaphysica alicuius exercitij liberi *eliciti* à voluntate, concedo *imperati* à voluntate, nego; Ratio; quia vt *non velle* sit liberum sufficit, quod coexistat sue libertati, seù potestati ad *velle*, secus est, vt sit liberum in actu secundo *non agere*, quia non sufficit, quod coexistat libertati, seù potestati ad agere: Solũ enim ab actu interno voluntatis potest participare voluntarietatem, & libertatem actio externa; & ab omissione interiori omissio externa; Casu ergo, in quo *non agere* coniungitur cum *velle agere*: non agere non habet vnde sit voluntarium, & exinde, nec liberum, non enim est ex determinatione elicita voluntatis, nec formali, nec interpretativa, sed potiùs contra determinationem interiorem voluntatis. ¶ Ad 2. Quod vt *non agere* sit peccatum, non sufficit, quod voluntas sit libera ad agere, & sit præceptum actus; sed vlteriùs exigitur, quod *non agere sit voluntariũ*, vel formaliter, vel *interpretativè*, iuxtà commune illud dictum: *Peccatum in tantùm est peccatum, in quãtum est voluntarium*; ideòque declaratum est *ad definitionẽ peccati pertinere voluntarium*; quod vt lumine rationis notum asseruit Augustinus cum ergo suppositа libertate, & præcepto *actus*, stet *non agere*, quod non sit voluntarium, quia non-volitum, nec formaliter, nec interpretativè, immò, & positivè involuntarium, quia coniunctum cum *velle efficacitèr* (quantum est ex parte voluntatis) *agere*: stante libertate, & præcepto actus potest *non agere*, non esse peccatum: Nec tunc dicitur *non agere* necessarium, quia ad illud nulla precedit necessitas antecedens, sed erit *contingens non liberum*, quia involuntarium; libertas enim in actibus *elicitis* à voluntate, rectè ab Anselmo probatur per defectum necessitatis antecedentis, in actibus à

Prop. 40. in Baium, damnata. Augustinus supra n. 73. et 81.

vo-

voluntate *imperatis*, vt probetur libertas, non sufficit defectus necessitatis antecedentis, sed vlteriùs exigitur, quod habeāt *voluntarietatem*; quia vbi non est voluntarium, nō est liberum: Inspice precor, quomodo hæc doctrina est *difficilima*; ita vt sit necessè *captivare intellectum* ad eam defensandam.

## SECTIO VNDECIMA.

*Disolvuntur Argumenta, quæ intendunt de conceptu agentis liberi esse non determinari ab alio, & exinde prædeterminationem adhùc non constituentem potestatem agendi pugnare cum libertate actus.*

COmmunis est Societatis doctrina, quod si prædeterminatio esset exacta ad agendum, licèt non constitueret potestatem agēdi libertas actus esset chimæra, esset enim, & deficeret, esset enim, quia salvaretur indifferentia potestatis, si prædeterminatio potestas non esset, & simul deficeret, quia de conceptu agentis liberi est, non solùm se determinare, sed non determinari ab alio ad sua exercitia libera, cuius asserti fundamenta disolvere in hac Sectione intendimus.

F. Iunius, s. 9. cap. 5.

1404 Ita enim obijciunt: de cō. ceptu agentis liberi est non determinari ab alio ad sua exercitia libera: ergo si voluntas prædeterminaretur à Deo ad actum salutarem, licèt prædeterminatio non constitueret potestatem, nec voluntas esset libera, nec actus salutaris esset liber; Antecedēs 1. probant ab authoritate: 2. à ratione: ab authoritate 1. adducunt S. Clementem Papam asserentem *nihil est, quod audientes fidem ad credendum determinet, nisi arbitrium eorum*: nihil determinat ad credendum nisi arbitrium; ergo nec Deus gratia sua determinat ad credendum. ¶ 2. Anselmus dicit: *Sola voluntas determinat ibi, quid teneat, nec aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur electio sola voluntatis*; ergo Deus non determinat, aliàs sola voluntas non determinaret. ¶ 3. Justinus Martyr ait: *Non Deus, vt boni, vel mali simus, sed arbitrium nostrum causa est.* Et S. Damascenus inquit: *Id, quod à nobis* (id est libere) *futurum est à Deo causam non habet*, sed non negant Deum esse causam *per se* bonitatis actualis nostræ; aliàs doctrina PP. esset erronea, quod dicere non licèt; ergo solùm negant Deum esse causam nostrorum actuum *determinativè*.

S. Clem. Ep. 13.

S. Anselm. de Concord. cap. 1.

Iustin. M. q. 8. ad Orthodoxos.

S. Damasc. Dialog. adverſ. Manich.

1405 4. Adducunt D. Thom. cū ait: *Ipsa potentia voluntatis, quantū in se est, indifferens est ad plura*, sed *quod determinatè exeat in hunc actū, vel in illum non est ab alio determinātè, sed ab ipsa voluntate.* Vbi expressè negat voluntatem indifferentem, & liberam ab alio determinati, non ergo determinatur à Deo. ¶ Similiter dominium sui actus, quod habet homo liber exposuit Doct. Sanctus, per hæc verba: *Hoc* Dominium *est in homine secundùm illam potentiam, quæ ad plura se habet, neque ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa.* Ergo Dominium voluntatis excludit alteriùs determinationem ex Div. Thom.

Herrera de Prædest. q. 5. sect. 2. Avendaño, disp. 6. c. 1. & alij.

D. Thom. in 2. distinct. 39 q. 1. art. 1.

D. Tho. ibi, art. 2. in corpore.

### §. I.

*Proponuntur Argumenta à ratione.*

1406 ARgumenta à ratione efficaciori forma, quàm alij, proposuit Complutensis Doctor P. Ribadeneyra. Primò: Causa libera determinat se ad sua exercitia, sed causam liberam se determinare excludit prædeterminationem ab alio; ergo implicat causa libera ab alio prædeterminata. In minori stat difficultas; eam prob. causa non se determinat, cum ante suam determinationē præ-

Ribaden. de Act. Hum. disp. 15. c. 2.

sup-

ſupponitur ab alio determinata; nam de ratione determinationis ad cõſenſum eſt immediatè ſubſequi poſt indifferentiam, vt exiſtat conſenſus, vel diſenſus; ergo. Prob. ant. 1. Poſtquàm Deus produxit calorem ſuaptè natura determinatum ad callefaciendum manet locus, vt determinet calorem ad actionem in individuo, non quoad ſpeciem, quo nihil frequẽtiùs in philoſophia: at huius tota ratio eſt, quia Deus invenit naturam caloris iã determinatam ad agendum in ſpecie callefaciendi, indifferentem verò ad callefaciendum hac, vel illa ſingulari actione; ergo determinatio prædeterminati implicatoria eſt.

1407 2. Quia vt commune eſt in tractatu de Peccatis: qui poſt determinationem omittendi v. g. ſacrum præceptum, ſe determinat ad ſtudium incompoſsibile cum auditione ſacri, per id non ſe determinat ad omiſsionem ſacri, proindequè ſtudium non inficitur omiſsionis malitia; ergo, quia determinatio non eſt prædeterminati, ſed indifferentis.

1408 3. Præſuppoſita ante conſenſum prædeterminatione ipſius moraliter infallibili non manet locus, vt voluntas ſe determinet ad cõſenſum libere *moraliter*: ergo ſuppoſita ante conſenſum prædeterminatione ipſius phyſica non manet locus, vt voluntas ſe determinet ad conſenſum libere *phyſice*: Antec. liquet in omnibus exemplis, in quibus præcedit determinatio moraliter infallibilis; & conſequentia conſtat à paritate.

1409 4. A priori: qui ante ſuum beneplacitum determinatur ad conſenſum non habet liberum arbitrium circa vſum diſſentiendi; ſed ſe determinare libere ad conſenſum importat liberum arbitrium circa vſum diſſentiendi; ergo inter ſe pugnant ante ſuũ beneplacitum determinari ad cõſentiendum, & ſe determinare libere ad conſenſum. Prob. Mai. Arbitrium liberum ad diſſentiendum dicit facultatem expeditam ad diſſenſum; ergo facultatem non impeditam ad diſſenſum ante beneplacitum Domini; ſed qui ante ſuum beneplacitum determinatur ad conſenſum impeditur ante ſuum beneplacitum quominùs diſſentiat, cum determinari ad vnũ exercitium ſit impediri ab oppoſito; ergo qui ante ſuum beneplacitum determinatur ad conſenſum non habet liberum arbitrium, ſeù dominium circa vſum diſſentiendi.

1410 5. Et vltimo: munus ſe determinandi proprium agentis liberi in nullo alio conſiſtere poteſt, quàm in hoc, quod imprædeterminatum ab alio, & propoſitis ab intellectu rationibus invitantibus ad conſenſum, & diſſenſum, conſenſus electione ponat conſenſum præ diſſenſu, potens converſim diſſenſus electione ponere diſſenſum præ conſenſu; ſed in hoc conceptu, cauſa libera ex munere ſe determinandi excludit prædeterminari ab alio; ergo prædeterminationẽ excludit cauſa libera. Prob. Mai. 1. Quia aſsigna, in quo ſtet ſpecialis modus ſe determinandi propriùs cauſæ liberæ? ¶ 2. Quia munus iſtud ſe determinandi non conſiſtit præcisè in ſe reducendo de potentia ad actum; hoc enim eſt commune cauſis neceſſarijs; nec in eo, quod eſt reduci ad exercẽdas operationes per modum libertatis, non per modum naturæ; quia vel ratio operandi per modum libertatis importat cauſam operantem determinare ſe ipſam potiori ratione, quã id importet ratio operandi per modum naturæ, vel non? Si 1. reſtat explicandum, in quo ſtet ly *ſe determinare cauſam*, quod ſplendet in vno modo operandi præ alio. ¶ Si 2. Ergo diſcrimen harum cauſarum non eſt ex eo petendum, quod cauſa libera, à ſe agatur, moveatur, & determinetur; cauſa autem neceſſaria non à ſe, ſed ab alio: id quod eſt contra D. Thom. & omnes Theologos. ¶ Non denique conſiſtit munus ſe determinandi

in

in eo, quod facultas valens diverſis modis ſe exercere, propoſitis rationibus invitantibus ad vtramque partē ſe exerceat vno modo præ alio; quia intellectus determinatur à voluntate, & non à ſe ad aſſenſum opinativum obſcurum, & tamen intellectus potēs eſt ad aſſenſum, & diſſenſum, & rationibus ad aſſentiendum, & diſſentiendum invitatur: ergo munus ſe determinandi in nullo alio conſiſtit, quàm in hoc, quod eſt à nullo prædeterminari, & propoſitis rationibus invitantibus ad vtrùmque vnica ſua electione ponere vnum præ alio.

## §. II.

### *Proponuntur argumenta P. Palanco adverſus prædet. intrinſecam.*

1411 HOc arguendi genus validum, & efficax reputat P. Palanco adverſus prædeterminationem intrinſecam conſiſtentem in *qualitate*, ſecus autem contra prædeterminationem extrinſecam conſiſtētem in *actione* Dei.

*Palanco, q. 15. de Provid. ſect. 1.*

Ex quo ita obijcies; voluntas per prędeterminationem intrinſecam eſt formaliter prædeterminata: Tùm quia cum ſit forma, ſeù accidens inhærens voluntati debet ei exhibere ſuum effectum formalem, & effectus formalis prædeterminationis eſt reddere ſubiectum ſuum prædeterminatum. Tùm, quia prędeterminatio reddit voluntatem formaliter prędmotā, & applicatam, quia eſt præmotio, & applicatio, & formaliter communicatur voluntati; cum ergo, ſit prædeterminatio, reddet voluntatem formaliter prædeterminatam; ſed quod eſt prædeterminatum formaliter nequit, vt indifferens comparari ad ſequentem determinationem; ergo per determinationem ſequentem nequit prædeterminatum iterùm determinari.

1412 Si verò dicas, Aliud eſſe prędeterminationem *formalitèr* cōmunicari voluntati; aliud communicari, vt determinationem *formalem* voluntatis: 1. Eſſe verùm: 2. Eſſe falſum; quia prædeterminatio ſolùm communicatur *formalitèr* voluntati, vt determinatio *cauſalis*, & illativa conſenſus, qui eſt eius determinatio formalis.

1413 Contra inſtat, quia voluntas per prædeterminationem formalitèr conſtituitur determinata, licèt determinatione cauſali, & illativa conſenſus; ſed hoc ſuffi cit, vt voluntas pro poſteriori non poſsit ſe determinare: ergo tenet aſſumptum. Prob. Min. 1. Quando volūtas neceſſitata eſt ad conſenſum, determinatio neceſsitans eſt tantum illativa conſenſus, & non formalitèr conſenſus ipſe, & tamen nequit voluntas poſt eam determinationem ſe determinare, ergo ſufficit determinatio illativa conſenſus formalitèr exiſtens in voluntate, vt voluntas poſt illam non poſsit ſe determinare.

1414 2. Per determinationem liberam aliqua indifferentia immediatè, & formalitèr determinatur, ſed poſt prædeterminationem nulla eſt indifferentia, quæ formalitèr, & immediatè determinetur; ergo poſt eā repugnabit determinatio libera: Probo Min. Omnis indifferentia immediatè libere determinabilis eſt indifferentia paſsiva, & potentialis, ſed hæc non eſt poſt prædeterminationē: Tùm; quia hanc indifferentiam paſsivam aufert prædeterminatio: Tùm; quia in ſigno poſt prædeterminationem ſolùm poteſt intelligi indifferētia formalis negativa, ſumpta pro nō determinatione formali conſenſus in illo ſigno, quę indifferentia non eſt libere determinabilis, hanc enim indifferentiam habet quæcumque cauſa neceſſaria pro priori immediato ad eius actum, cum nulla cauſa neceſſaria habeat indifferentiam libere determinabilem: ergo poſt prædeter-

mia

minationem nulla potest assignari indifferentia, quæ sit immediatè libere determinabilis.

Vt vires præiacti argmenti infringam pro asserto statuo.

§. III.

*De conceptu agentis liberi est se movere, & determinare, essequè suorum actuum Dominum*; exindequè *à nullo agente creato determinari*: non autem *excludit determinari à Deo ad sua exercitia libera.*

1415 PRimam asserti partem, vt inconcussam, & principiũ Sanctum admittunt omnes Theologi, eorumque Princeps D. Thom. eam sæpiùs edocuit, 1. dum ait: *Quæ rationem habent se ipsa movent ad finẽ, quia habent dominium suorum actuũ per liberum arbitrium.* ¶ 2. Dum inquirit *Vtrùm voluntas moveat se ipsam?* Et in corpore probat, quod *voluntas per hoc, quod vult finem, movet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem*: in argumento autem, sed contra; hæc habet verba: *Voluntas est domina sui actus, & in ipsa est velle, & non velle; quod non esset, si non haberet in potestate movere se ipsam ad volendum Ergo ipsa movet se ipsam.* ¶ 3. Dum ita fatur: *Homo per hoc, quod habet liberum arbitrium suorum actuum est Dominus*; alibique supponit: *quod secundum hoc dicitur aliquid esse liberi arbitrij, quod est Dominus suorum operum.* Sæpiùsquè vsque ad nauseam eandem veritatem edocet Sanctus Doctor.

*D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 2. in corp.*

*D. Th. ibi. q. 9. art. 3.*

*D. Th. 1. cõt. Gent. c. 88.*

*D. Thom. q. 23. de verit. art. 1.*

1416 Consentiunt Sancti Patres dum varijs expressionibus docent arbitrium liberum esse Dominium sui iuris, & potestatis, sibi vt Domino, in manuque consilij sui dimissum, vt videre est apud S. Gregorium Nissenũ. Sæpissimè eãdem veritatem tradit S. Augustinus cum enim ait: *Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est*; & cum dominium liberum exponit per id, quod in potestate habemus, vt cum volumus facimus; cuius veritatis plurima testimonia alibi expendimus. ¶ In cassum ergo laborat P. Henao, post alios, plurima testimonia SS. PP. recensendo, vt probet, arbitrium liberum à se agi, moveri, & determinari; hoc enim vltrò, vt principium Sanctũ fatemur; difficultas sistit; An rectè conciliari possint Deum voluntatem liberam determinare, & ipsam se determinare? Nos affirmamus: Aduersarij negant; sed ad hoc non est facilè tanta congerere PP. testimonia.

*D. Tho. in 2. dist. 25. q. 1. artic. 1. & dist. 28. q. 1. art. 1. & de malo, q. 3. art. 3. ad 5. Nissen. vbi sup. n. 1340*

*S. Augustin. sup. à n. 78. P. Henao, sect. 59.*

1417 Secundam asserti partem, voluntatem, quidem, iure libertatis excludere omne agens extrinsecum creatum à quo determinetur, apud omnes Theologos in dubiam; probo 1. Quia hoc exprimunt Testimonia SS. Patrum in principio huius sectionis inducta. ¶ 2. Quia vt iam probauimus de conceptu agentis liberi est nulli agenti creato extrinseco subijci; ergo, & à nullo determinari; omne enim principium subijcitur ei, à quo in efficiendo determinatur. ¶ 3. Nullum agens creatum extrinsecum potest esse causa motuum ipsius voluntatis; vt sæpè docet D. Thom qualiter ergo poterit voluntatem determinare, vt se moueat agens impotens causare motum voluntatis?

*Suprà num. 1340.*

*D. Th. 3. cõt. c. 88. 1. p. q. 83. art. 1. et q. 105. ar. 4.*

1418 Iam tertiam asserti partẽ, in qua dissidium sistit fundemus; nec ad propositum immediatè spectãt rationes suadentes de conceptu agentis secũdi esse determinari à primo; quas vide alibi à me indicatas; sed quærẽda sunt media probantia agens liberũ non excludere determinari à Deo ex eo, quod determinet se. ¶ Et primo; si est duplex *efficiens* eandem actionem, vnum primum, & aliud secũdũ, quid obstabit, quod sit duplex *determinans* eandem actionem, vnum primum, & aliud secundùm? ¶ Secundo, agens liberum est, quod se determinat; ergo primum liberum primo

*Sup. à num. 301. & n. 343. vsquè ad 304. & ãn 451. & à n. 983. vsquè ad 991.*

ſe determinat, & ſecundùm liberum ſecũdo ſe determinat; reſtrictio enim, quæ cadit in diffinitum, debet etiam cadere in definitionem.

1419 Hucuſquè noſtri Thomiſtæ, qui authoritate D. Thomæ idem confirmant; inter plurima autem teſtimonia, quæ expendunt ſpecialiùs eſt id, in quo hæc habet verba: *Cùm dicitur aliquid movere ſe ipſum ponitur idem eſſe movens, & motum, cum autem dicitur, quod aliquid movetur ab altero, ponitur aliud eſſe movens, & aliud motum. Manifeſtum eſt autem, quod cum aliquid movet alterùm non ex hoc ipſo, quia eſt movens, ponitur, quod eſt primum movens. Vndè non excluditur quin ab altero moveatur, & ab altero habeat ſimilitèr hoc ipſum, quod movet; ſimilitèr cum aliquid movet ſe ipſum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipſum, quia ſe ipſum movet, & ſic non repugnat libertati, quia Deus eſt cauſa actus liberi.*

D. Tho. q. 3. de malo art. 2, ad 4.

In qua ſolutione expreſsè compoſuit Doctor Sanctus, quæ incompoſsibilia iudicant obijcientes, quia in littera D. Thomæ movere ſe, ſumitur per eodem, ac ſe determinare, vt ſupponit etiam P. Avendaño, conſtatque ex argumento, quod ſolvit; dubitandi enim ratio ſumebatur ex eo, quod *liberum eſt, quod ſe ipſum movet ad agendum*, eſſet verò hoc principium omninò falſum ſi *ſe movere* non ſumeretur pro eodem, ac *ſe determinare*; Nec ſolveret D. Thom. argumentum, dicendo Deum movere arbitrium, & ipſum ſe movere; quia non ſe movet, vt *primum* movens, ſi non ſupponeret Deum determinando movere: quis enim dubitaret arbitrium ſe determinare minimè pugnare, cum indifferentèr moveri ab alio? Vndè dum D. Thom. opponit adverſus arbitrium, quod movetur ab obiecto, vel à Dæmone ſervat arbitrium illęſum; quia motiones illæ ſunt indifferentes; cum verò opponit adverſus arbitrium motionem Dei, non ad indifferentiam motionis, ſed ad ſubordinationem arbitrij noſtri, vt ſecũdi moventis recurrit; quod vt obſerves velim.

P. Avend. diſp. 6. c. 1. ſect. 5.

Ratio autem Div. Thomæ ita ad formam reducitur: ſtat, quod B, moveat C, & quod moveatur, & determinetur ab A; ergo ſtabit, quod B, moveat ſe ipſum, & quod determinetur ab A; Antec. ſupponit D. Thom. vt manifeſtum, & probat Conſeq. quia ideò ſtat B, movere C, & moveri ab A; quia ſtat B, movere C, & non eſſe primum movens, & exinde poſſe moveri ab A, vt moveat C; ſed ſimilitèr licèt B, moveat ſe ipſum non ponitur, quod ſit primum movens; ergo ſtabit, quod B ſe moveat, & determinetur ab alio, vt ſe moveat: hic eſt diſcurſus D. Thomæ in littera manifeſtus, ex quo ſubinfert non repugnare Dominio libertatis Deum eſſe cauſam determinativam actus liberi.

1420 Non ſolùm D. Thom. ſed M. P. Auguſtinus argumentum Adverſariorum ſibi oppoſuit verſando illa Apoſtoli verba: *Qui ſpiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei*, cum ita obijcit: *Ergo agimur nõ agimus*, & reſpondet: *Immò, & agis, & ageris; & tunc benè ageris ſi à bono agaris*; agimur enim vt agamus; *ſpiritus enim, qui nos agit agentibus eſt adiutor*: ergo determinamur, vt determinemus, ſpiritus enim, qui nos determinat libere ſe determinantibus eſt adiutor; quod omninò verùm eſt, licèt *vix intelligibilè*, vt Auguſt. monuit.

Aug. ſerm. 13. de verb. Apoſtoli. Auguſt. de Geſtis Pelagij, cap. 3.

1421 Addo ex D. Thoma: *Non poſſet vitari quin* voluntas noſtra *eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod priùs agens non reduceretur, ſicut in cauſam*: ergo non poſſet vitari quin voluntas eſſet primum determinans, ſi eius actio in aliquod priùs determinans non reduceretur, ſicut in cauſam: ſi ergo ſtat voluntatem determinare, & non eſſe primum determinans, aliàs nullum eſſet inconve-

D. Thom. in 2. diſt. 37. q. 2.

niens,

niens, quod esset primum agens; ergo, & stabit voluntatem determinare, & quod eius actio in aliquod priùs determinans reducatur.

1422 Assumptum verò probo ex M.P. Augustino 1. refutante Pelagianos, qui asserebant libertatem esse ex Deo, & opus bonum esse solùm ex nobis; per hęc verba: *Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhùc potest esse bona, vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, meliùs est id, quod à nobis, quã quod ab illo est.* ¶ Similitèr eodem principio confundit Pelagianos delirantes, scientiam esse ex Deo, & charitatem esse ex nobis; dum ita fatur: *Nec audiunt Apostolum dicentem*: scientia inflat, charitas edificat: *Quid est ineptiùs, quàm confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat, & ex nobis esse charitatem, quæ facit, quod scientia inflare non possit? Quid est insanius, quàm putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est Charitate, & ex hominibus charitatem, quæ supereminet scientiæ?* Paritèr ergo oppono; si ex Deo determinante est libertas; seù auxilium sufficiens (quo possumus vti benè, vel malè) constitutum per scientiam, seù Spiritus Sãcti illuminationem, & ex nobis vnicè determinantibus est voluntas bona, quæ supereminet scientiæ, *meliùs est id, quob à nobis* determinantibus, *quàm à Deo* determinante *est.*

*Augus. lib. 2. de Peccat. meritis, c. 18.*

*Augusł. de Grat. & Libero. Arbit. cap. 19.*

1423 Secundo; ex S. Augustin. *Magis habet Deus in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas*: Ergo homo, & Deus simul habent in potestate voluntates hominum, immò, & magis Deus; quid est hominẽ habere in potestate voluntatẽ suam, nisi habere dominium electivum, & determinativum eiusdem voluntatis? Ergo, & Deus habebit dominiũ determinativum eiusdem voluntatis, si eam magis in potestate habet; dum ergo inquiris; qualitèr homo se determinat, si eum determinat Deus? Ita inquisitionis fit retorsio; qualitèr homo habet in potestate voluntatem suam, si eam in potestate habet Deus?

*Augusł. de Correpł. & Grat. c. 14.*

1424 Vltimo probo assumptum ex S. August. asserente: *Nec ideò auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia dicit Deus*: Ego indurabo cor Pharaonis; *non enim propterea ipse Pharao nõ induravit cor suum, nam, & hoc de illo legitur, dicente Scriptura*, & ingravavit Pharao cor suum, in isto tempore, & noluit dimittere populum: *Ac per hoc, & Deus induravit per iustum iudicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium.* Ex quo ita discurro: Pharao se indutavit per liberum *arbitrium*, licèt Deus induraret ipsum per iustum *iudiciũ*; ergo, & potest homo se determinare per liberum arbitrium, licèt Deus determinet ipsum per indebitã gratiam: Probo Conseq. 1. Si stat Deum *indurare* hominem negando gratiã, & hominem se indurare libere negãdo consensum; Cùr non stabit Deum *determinare* hominem conferendo gratiam, & hominem se determinare prętando consensum? ¶ 2. Quia si non potest esse determinatio priùs à Deo determinati, quia determinatio debet esse indifferentis; non potest esse induratio priùs indurati, quia induratio debet esse blandi, & molis.

*S. Aug. de Grat & Libero Arb. c. 23.*

*Exodi 8.*

1425 Denique ex Scriptura Sacra colligitur assumptum, & argumẽtum esse inefficax; primo, quia *Deus reliquit hominem in manu consilij sui*, vt ad *quod voluerit porrigat manum*; vbi reliqui hominem in manu sua est fuisse illi concessam facultatẽ se determinandi; similitèr Scriptura ait: *Cor regis in manu Domini*, & *quocumque voluerit flectet illud.* Corquè regis esse in manu Domini est Dominum habere potentiam id determinandi; cor ad quod voluerit potest manum porrigere; & Deus ad quod voluerit potest illud flectere, sicut ergo conciliantur, cor regis esse in manu sua, & in manu Domini, ita

*Eccles. 15.*

*Proverb. 22.*

concordant cor regis se determinare, & determinari à Domino.

1426 Secundo est locus elegans (ait M. Lorca) cum sponsus induxit suasionibus sponsam, vt apperiret ianuam, ita vocans eam: *Apperi mihi sponsa mea*, & illa renuit vsque dũ *Dilectus misit manum suam per foramen*, ostij quidem, vt apperiret, & tunc appertum est; sed nè soli sponso tribueretur actio; ait sponsa *surrexi, vt apperirem dilecto meo*; quasi dicat: tunc ego surrexi, & apperui, cum ipse priùs misit manum, & apperuit, sicut ergo sponsa libere apperuit, licèt sponsus priùs apperuisset, ita libere se determinavit, licet sponsus post suasiones per manus tactum, seù impulsum physicum priùs determinavisset, si enim stat apperire appertũ; Cùr non determinare determinatũ?

*Lorca de Grat. disp. 21. Cantic. 5.*

## §. IV.

### *Solvuntur Argumenta ab authoritate.*

1427 DEbellato iam argumenti principio ex Scriptura, ex SS. Augustino, & Thoma, & à ratione: facilè id solves neg. Ant. quia licèt arbitrium excludat determinari à quocumque agente creato, determinari à Deo exposcit: ad eius probationes ex authoritate SS. Clementis, & Anselmi depromptas, quia ille ait: *Nihil determinare ad credẽdum, nisi arbitrium*; & iste scripsit, *sola voluntas determinat, quid teneat.* Respondeo; exclusivas illas, *nihil nisi arbitrium*, & *sola voluntas*, non excludere Deum, sed agentia distincta à Deo, quia PP. solùm intendebant à nulla creatura arbitrium determinari.

1428 Quod, vt explicem adduco testimonia, in quibus PP. exprimunt *solam* gratiam efficere conversionem, S. enim Prosper, ita canit:

*Percurrat Apostolus Orbem*
*Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet:*
*Vt tamen his studijs auditor promoveatur,*
*Non Doctor, neque Discipulus, sed gratia sola efficit.*

*S. Prosper, cap. 14. de Ingratis.*

S. August. etiam scripsit; *vt Paulus tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola* Ecclesia etiam Hispaniæ in oratione, quàm præmittebat Concilijs Toletanis exorabat Spiritum Sanctum: *Esto solus, & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum.* Si ergo ita obijceretur: gratia *sola* efficit conversionem; ergo non arbitrium: omnes Orthodoxi resp. Neg. Consequentiam, quia dum PP. asserunt gratiam *solam* efficere non intendunt excludere arbitrium, sed merita nostra, quæ præveniant gratiam; similitèr dum nobis opponitur: PP. asserunt *solùm arbitrium determinat*, ergo non gratia; neg Conseq. Quia dum PP. asserunt solùm arbitrium determinare non intendunt excludere gratiam; sed *passiones* determinare arbitrium.

*August. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 5.*

1429 Legito Anselmum, & constabit hanc esse eius mentem, intẽdit enim Sanctus; quod *dum quis in corde habet, vt retineat veritatem; accedit que alius, qui nisi mentiatur minatur mortem; licèt necessè sit, aut vitam, aut rectitudinem relinquere: nulla tamen necessitas determinat, quàm servet, aut desserat*; & statim subdit: *Sola voluntas determinat ibi, quid teneat, nec aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis.* ¶ Mira est, ex præiacto contextu, hæc consequentia, *sola voluntas determinat*; ergo non Deus: sicut si ex ipso textu, ita opponerem; *sola operatur electio voluntatis*; Ergò non Deus; solùm enim ex Anselmo infertur, quod Sanctum est; vim quidem necessitatis amittendi vitam, nisi desserat veritatem, non determinare, nec operari, vt veritatem ser-

vet,

vet, aut deferat, quod, & alibi explicuit ipse S. Doctor.

*D. Anselm. in Dialogo de Lib. Arbitrio.*

*1. Ad Corinth. c. 2.*

1430 Addo, quod in his locutionibus exclusivis non comprehenditur Deus, nisi exprimatur, D. Paulus ait: *Quæ sunt hominis, nemò novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Et tamen nullus cordatus inferet Deum non cognoscere, quæ sunt hominis; quia prędictus loquendi modus, solùm excludit vim cognoscitivam creatam, non Dei.

1431 Testimonium D. Justini ab omnibus exponi debet; ait enim: *Non esse Deum causam, vt boni simus:* adversarij dicunt, debere intelligi: Deum non esse causam *determinantem*; nos autem non minori licentia dicimus, iuxtà S. Justinum, Deum nõ esse causam *necessitantem.*

1432 Ad authoritatem Damasceni resp. Sensum non esse *non habere à Deo causam* determinativè, *quod à nobis futurum est, sed à libera nostra voluntate*; si quod à nobis futurum est, bonum est; sed à Deo causam non habere malum, quod nobis futurum est; quod clarè constat, quia probare intendit, quod per hæc verba docuit: *Multa porrò prænoscit* Deus, *quæ ipsi minimè grata sunt, nec propterea tamen ipse horum causa est*; solùm igitur, ex Damasceno à Deo causam non habet, quod nobis futurum est, si Deo gratum non est.

Damascenumque exposuit Div. Thom. cum eum sibi oppositum dicentem: *Omnia quidem prægnoscit Deus, sed non omnia prædeterminat,* per hæc verba: *Damascenus vocat prædeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt determinatæ ad vnum*; vel vt alibi dixit: *Id, quod docet* Damascenus, *exponendum est vt intelligatur ea, quæ sunt in nobis, à divinæ determinationi non esse subiecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Si autem Doctor Sanctus non defenderet prædeterminationẽ electionis humanæ Damascenum minimè exponeret, sed eius verba vltrò sine interpretatione admitteret; vt notabit Gonet: & opportunè prænonuit M. Ferrara, quod sicut substantiæ intellectuales, & liberæ, licèt sint providentes, & ordinantes, sunt à Deo provisæ, & ordinatæ, ita esse à Deo determinatas, licèt sint se determinantes.

*D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 1.*

*D. Th. 3 cõt. Gent. c. 90.*

*Gonet, disp. 8. de Prov. s. 5.*

*Ferrera 3. contr Gent. cap. 90.*

1433 Ad authoritatem D. Tho. triplicem solutionem tradit M. Gonet. Verior autem mihi videtur asserens, quod cum S. Doct. inquit volũtatem indifferentem à se ipsa, *& non ab alio determinante* exerceri, non excludere Deum; sed omnia alia agentia creata, quę expositio fundatur in alijs D. Thomę testimonijs, in quibus exprimit nullum agens, præter Deum, determinare voluntatem: specialiter cum differentiâ voluntatis nostræ à divina fundat; quia divina se ipsam determinat, creata verõ; quia causa contingens, etiam ab exteriori principio determinatur, per hæc verba: *Causa, quæ de se est contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina determinat se ipsam ad volitum, ad quod habitudinem non habet necessariam*; dum ergo a volũtate, excludit aliud determinans D. Thom. est præter exteriùs principiũ, quod sit Deus; cum *voluntas moveatur à Deo solo, sicut ab exteriori principio*; cui doctrinæ consentit Subtilis Doctor, ita scribens: *Contra naturã voluntatis, est determinari à causa inferiori, quia hoc ipso non esset superior, non est autem contra naturam eius determinari à causa superiori.*

*Gonet vbi sup. 345.*

*D. Tho. 1. p. q. 19. art. 3. ad 5.*

*D. Tho. 1. 2. q. 9. art. 6.*

*Scotus in 4. dist. 49. q. 6.*

Sed hęc solutio prę omnibus displicet P. Herrera, vt magis adversa D. Thom. nam ibidem asserit à causa naturali progredi effectum, & ab ea non determinari, sed ab eo, qui ei contulit determinationem ad vnum; ergo cum velit S. Thom. discernere causam liberam à naturali,

*Herrera de Prædest. q. 5. sect. 2.*

&

& aſſerat voluntatem liberam à nullo determinari, etiam excludit determinationem cauſæ primæ, quàm habet cauſa naturalis. Diſcurſumquè conſtare exiſtimat, quia poſt ea verba, *quod enim voluntas determinatè exeat in hunc actum, vel illum non eſt ab alio determinante.* Ita ſtatim ſubijcit Sanctus; *ſed in naturalibus actus progreditur ab agente*; ſed tamen determinatio ad hunc actum non eſt ab agente, ſed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum *determinatum eſt*: Ergo negat voluntati determinationem cauſæ primę per contrapoſitionem ad cauſam naturalem.

1434 Sed potiùs in his verbis, quę immediatè ſubiungit D. Thom. nititur expoſitio noſtra; quia in cauſis naturalibus, quas opponit voluntati, actus eſt ab agente, ſed determinatio à principio, licèt creato, qui naturam contulit; vndè eſt frequens apud D. Thom. determinationem ad motus gravium, & levium eis ineſſe à generante, quia tribuens formam dat conſequentia ad formam, & *inclinatio conſequens formam* agentis naturalis *eſt determinata ad vnum*; & ideò dixit Sanctus per *naturam agẽs naturale determinatum eſſe*, quia determinatur effectivè à generante naturam; & ſecus eſt in voluntate; quia eius inclinatio non ſequitur formam naturalem determinatam; ſed *apprehenſam, ſeù intellectam*, quæ eſt vniverſalis: vndè cum eius determinatio à nullo agente creato eſſe poſsit dixit D. Thom. eſſe in poteſtate ſoliùs voluntatis per excluſionem cuiuslibet creati agentis.

*D. Thom. q. 6. de malo.*

*D. Tho. ibi.*

1435 Ad 2. teſtimonium, in quo Sanctus ait voluntatem non determinari, *niſi ex ſe ipſa*: eodem modo, Reſp. Quia cauſa prima non eſt in numero earum cauſarum, quæ excludi poſſunt; & ideò cũ S. diceret *hominem* bona poſſe facere *per ſe*; monuit ita vt ly *per ſe non excludat divinam cauſalitatem*; ſimiliter cum dicitur voluntatem determinari *ex ſe* debet intelligi, ita vt ly *ex ſe* non excludat divinam determinationem.

*D. Tho. in 2. diſt. 28. q. 1. art. 1.*

## §. V.

### *Solvuntur argumenta à ratione.*

1436 AD argumenta à ratione, reſp. conc. mai. diſting. min. *Cauſam liberam ſe determinare excludit prædeterminationem ab alio* prętęr Deum, concedo: *ab alio*, quod ſit Deus, nego: ad eius probat. quatenus huic diſtinctioni obſtare poteſt, nego Antec. ad cuius primam probationem, Reſp. Deum non determinare calorem ad ſpeciem calefaciendi, quia invenit eum determinatum determinatione *formali*, & per *modum virtutis*, non determinatione purè *cauſali* per *modum applicationis*; voluntas autem poſtquàm eſt prædeterminata poteſt ſe determinare; quia eam prædeterminari nõ eſt virtutem voluntatis eſſe in ſe determinatam; ſed potiùs virtutem in ſe indifferentem applicari, vt ſe determinet.

1437 Ad 2. Reſp. determinatum ad omittendum ſacrum non vlteriùs determinare omiſsionem ſe determinando ad ſtudium, quia ſupponit determinationem *formalem* omiſsionis, & vnius determinationis formalis non eſt altera determinatio formalis; determinatio verò *cauſalis* non pugnat, immò connectitur cum poſteriori determinatione formali.

1438 Ad 3. prob. fateor antec. Quia omnis determinatio infallibilis *moraliter* eſt moralis neceſsitas, & ideò aufert à voluntate facultatem ſe determinandi moraliter; omnis autem determinatio infallibilis *phyſicè* non eſt phyſica, & vera antecedens neceſsitas, & exinde, nec tollens à voluntate facultatem ſe determinandi phyſicè. ¶ Sed inſtat arguens; inter determinationem phyſicam, &

mo-

moralem nulla poteſt aſsignari diverſitas, vt determinatio *moralis* ſit moralis neceſsitas, & determinatio *phyſica* non ſit neceſsitas, nec phyſica, nec moralis; ſolùm enim differūt, quia determinatio *phyſica* eſt magis connexa cum actu, quàm *moralis*, quę diverſitas omninò eſt impertinens, vt determinatio minus connexa ſit vera neceſsitas, cum libertate morali pugnans, & determinatio magis connexa nullam neceſsitatem inducat cum libertate pugnantē. ¶ Reſpondeo: Determinationem libertatem à volūtate aufferre, aut non: minimè provenire à pura connexione cum determinato actu voluntatis, nil enim magis connexum cum actu, quā actus ipſe, qui non minuit, ſed perficit voluntatis libertatem. Sed ſumi ex natura determinationis, & ex *indifferentia*, cum qua pugnat: determinatio enim pugnans cum indifferentia *obiectiva* iudicij, vel cum *activa* virtutis eſt inimica libertatis; quia vtraque hæc indifferentia eſt libertati eſſentialis, & ſi aliqua ex eis minuitur, & penitus nō extinguitur, libertas minuitur: determinatio verò cum neutra ex his indifferentijs pugnans, ſed ſolùm cum *ſuſpenſiva* voluntatis non infert libertatis decrementum; quia hæc indifferentia non eſt libertatis eſſentia, ſed imperfectio. Hinc iam diſparitas liquet: omnis determinatio infallibilis *moraliter* indifferētiam obiectivam iudicij maximè minuit; vt conſtat in exēplo determinationis moralis Adverſarijs familiari, qua pijſsimus, & ditiſsimus filius conſtringatur, vt auxilietur patri, quem fame tabeſcentem, etiam animam agere videt; vbi non tàm imminuta, quàm omninò moraliter extincta apparet indifferētia iudicij, ita vt omiſsio auxiliandi ex iudicio proponente reddatur moraliter impoſsibilis; determinatio autem *phyſica*, quæ eſt purè applicativa virtutis prę ſuppoſitæ, ſolùm indifferentiam *ſuſpenſivam* tollit; vnde nullam inducit neceſsitatem, qua decrementum ſuſcipiat libertas.

1439 Ad 4. prob. nego Mai. quia determinari à Deo ante ſuum beneplacitum voluntatem non aufert; ſed Deo ſubijcit eius dominium; ad eius prob. conc. ant. diſt. illud cōſequens; ergo *facultatem dicit non impeditam ad diſſenſum ante beneplacitum Domini*, non impeditam ex conſtitutivis ſuæ facultatis; concedo: non impeditam ad diſſenſum ex applicatione ad exercitium ſuæ facultatis, nego. ¶ Explicatur: non omne impedimentum diſſenſus reddit facultatē diſſentiendi impeditam, ſeù non expeditam; alias voluntas ex ſe cōſentiens amitteret facultatem expeditā diſſentiendi, & poteſtas expedita ad vtrùm libet, quæ eſt libertatis eſſentia, non poſſet eſſe ſine indifferentia ſuſpenſionis, quæ eſt libertatis imperfectio; nec, quod voluntas à ſe ſola determinetur ad conſenſum, vel à Deo, poteſt eſſe diſparitas, vt in vno, & non in alio caſu adſit facultas expedita diſſenſus; ſolùm enim poteſt conducere, vt ex Dei determinatione, vel ex ſola ſua amittat facultatē eam expeditam; quia ſi cum illa pugnat impedimentum ab eo, à quo ponitur, & modo, quo ponitur auferetur poteſtas expedita; vndè ſolum id impedimentum diſſenſus opponitur facultati expeditę diſſentiendi, quod reddit diſſenſum *impoſsibilem*, & diſſentiendi virtutem aufert, impedimentum verò diſſenſus reddens ipſum *non futurum*, & virtutem diſſentiendi non minuens, cum facultate expedita diſſentiendi non pugnat, & tale impedimentum diſſenſus eſt prædeterminatio conſenſus.

1440 Ad 5. & vltimam probat; nego Mai. & ad eius prob. inquirentes, in quo ſtat ſpecialis modus ſe determinandi proprius cauſę liberæ? Reſp. id munus non vnicè ſtare in eo, quod principium activè indifferens re-

reducatur ad actum; hoc enim commune eſt principio neceſſario; ſed vlteriùs exigit, quod propoſitis rationibus invitantibus ad vnum, & aliud ex ſuo dominio electivo acceptet, & eligat vnum præ alio. ¶ Sed inquires; quid eſt ex ſuo dominio electivo acceptare vnum præ alio, niſi excludere determinationem ab alio? Non enim alia ratione intellectus in opinativis non eligit, niſi quia à voluntate determinatur ad aſſenſum præ diſſenſu. ¶ Reſp. ex ſuo dominio acceptare vnum præ alio non excludere determinationem ab alio, vt primo, & increato domino, ſed ab alio agente creato, agentis enim liberi nullum eſt movens effectivè præter Deum; ſola tamen voluntas, non intellectus habet formaliter dominium electivum; quia illa movet quoad exercitium cæteras potentias, eius determinationi in contingentibus ſubiectas.

## §. VI.

### *Argumenta Patris Palanco ſolvuntur.*

1441 AD argumentum P. Palanco rectè reſp. num. 1412. prædeterminationem communicari formaliter voluntati, vt determinationem *cauſalem*, non *formalem* ipſius: determinatio enim formalis voluntatis, vt proximè indifferentis ad conſenſum, vel diſſenſum eſt ipſe cõſenſus: forma autem, quæ eſt applicatio, motio, ſeù determinatio conſenſus, eſt applicatio ad determinationem formalem, & exinde erit formaliter determinatio illative, & applicative, non verò ipſamet forma indifferentiam conſentiendi determinans; ſicut in communi ſententia ſubijciente calefactionem ignis in ligno; ipſa non eſt determinatio formalis indifferentiæ ligni vt ſit, aut non ſit calidum, quia hæc indifferentia determinatur formaliter per calorem; licèt calefactio, vt productio caloris per connexionem cum eo ſit determinatio indifferentiæ ligni, vialiter, connexivè, & applicativè, & ita vt eſſe talem determinationem non *formaliter*; ſed *applicative* (vt æquivocationem terminorum vites) calefactioni conveniat formaliter.

1442 Ad huius ſolut. impugnationem Reſp. neg. Min. ad cuius 1. probationem neg. paritatem: cauſa enim neceſſaria non ideò eſt impotẽs ſe determinare, quia ante ſuam operationem habet determinationem illativam illius; ſed quia hæc determinatio ineſt ei per modum *formæ permanentis, & virtutis*; forma enim ex ſua virtute determinata ad operãdum non eligit operari præ non operari: determinatio autem ex Deo exiſtens in cauſa libera, non eſt per modum formæ permanentis, & virtutis, ſed per modum *motionis applicantis, & ſubijcientis*, vndè dominio electivo non obeſt, licèt ſubiectum, & ſubordinatum Deo reddat.

1443 Ad 2. prob. illius min. Reſp. neg. min. ad cuius prob. nego etiam min. Quia poſt prædeterminationem eſt indifferentia paſsiva, & potentialis determinabilis per conſenſum, quæ non ſit indifferentia purè negativa ſumpta pro nõ determinatione formali conſenſus. ¶ Pro cuius intelligentia nota in cauſa *ſe movente mota* eſſe duplicem indifferentiam, vnam *purè paſsivam* ad *motionem* moventis à quo movetur; aliam *activam, & paſsivam* ad *motum*, quo ſe movet: prima potentialitas determinatur per motionem à movente cauſatam; non enim motum eſt in potentia, & indifferẽs vt ab alio moveatur, dum iam ſuſcipit ab alio motionem; ſecunda autem potentialis in cauſa *ſe movente mota* determinatur à motu eius, vſque enim dum ſe moveat eſt in potentia vt ſe moveat, licèt intelligatur mota. Nec ex eo,

quod

quod ablata prima indifferentia auferatur secunda, inferas, vtramquè ab eadē forma determinari, potiùs colliges, formas eas indifferentias auferentes esse connexas, sicut in prædicto exēplo potētialitatis ligni ad calefactionem, & calorem, manifestè cōspicitur. Ideò dixit S.D. *Licèt agēs in quantum agens non recipiat aliquid, in quantum agit motum ab alio aliquid recipit.*

D.Th.q.1.2 q.51.art.2. ad 1.

Vndè ita redarguo, sicut determinatio est actus indifferentis, vt indifferentis; motus est actus entis in potentia secundùm quod in potētia; sed in movente moto supposita motione moventis remanet potentialitas, cuius sit actus motus, quo se movet; ergo & in determinante determinato, posita determinatione determinantis, poterit manere indifferentia, cuius sit actus determinatio, qua se determinet: Consule D. Thomam.

1444 Hincquè inferes contra prædictum Authorem, quod si cum dominio libertatis creatæ non pugnat prædeterminatio Dei *extrinseca*, nec *intrinseca*; vnam enim, & non aliam libertatem extinguere nullum fundamentum habet in SS. Patribus, & ideò Theologi illi, qui concedentes prædeterminationem *extrinsecā*, reijciunt *intrinsecam*, non est quia eam existimant libertati inimicā; sed superfluam; & ratio est primo. Quia vt iam vidimus præter indifferentiā, quàm aufert prædeterminatio intrinseca est alia, quàm voluntas auferat se determinando. ¶ Secundo: quia nulla est disparitas; Cùr prædeterminatio *intrinseca* constitueret potestatem, si semel *extrinseca* exacta, & inacquiribilis potestatem non constituit? Dicere enim omnia constitutiva potestatis debere esse intrinseca agenti libero; æquivocationem patitur; libertas enim dicit *potestatem expeditam*, & licèt extrinsecum non possit constituere posse per modum *virtutis*, potest ipsum posse *expeditū* reddere, vt patet in præsentia ligni,

D.Tho. 1.p. q.83.art. 1. ad 3. & q. 104. art. 4. ad 2. & 1.2.q.9.art.4 ad 1.

quę licèt non conferat igni potentiā, seù virtutem calefaciendi non est ignis expedite potens ad comburendū lignum distans, aliàs id combureret, cum sit causa necessaria.

Palanco q. 16.s.6.

Nec solves difficultatis nodum dicendo, præsentiam extrinsecā passi non constituere potestatem ignis expeditam, quoad eius propriam *actionem*, combustionem quidem, quia hanc combustionem intrinsecè exercet ignis adhùc passo distante; licèt præsentia extrinseca exacta sit ad effectum extrinsecum, seù *passionem* subsequutam ex parte ligni. ¶ Non, inquam, solves: Primo, quia est contra communem sensum dicere, ignem Romæ existentem de facto elicere combustionem stupæ, existentis Cōpluti, & tot nunc esse actiones mei combustivas, quot ignes in toto Orbe existunt. ¶ Secundo: quia licèt adversus communem sententiam cōcedatur actionem, & passionem realiter distingui; actio autem, & passio inconnexæ non sunt; qualitèr ergo erit nunc actio ignis, quæ sit combustio ligni, si nunc deficit passio in ligno distante cum ea actione saltem connexa? Certè hic philosophandi modus est admodum singularis.

## ADDITIO.

1445 MVlta ingeniosè excogitarunt Recentiores ad instauranda argumenta in hac sectione soluta, quæ procedunt *ab authoritate, & ratione*, vt suadeant prædetermin. pugnare cum indifferentia, & dominio electivo libertatis creatæ modoquè operandi proprio liberorum.

1446 Doctor Prado incipiens à D. Aug. 1. assumptum probat. quia SS. Pater asserit: *Si eadem tentatione ambo tententur: & vnus consentiat: & alter idem, qui fuerat perseveret, quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere: vnde nisi propria voluntate?*

Prado de Libero Arbit. disp. 4. sect. 2. num. 4. Aug. lib. 12. de Civit. Dei, cap. 6.

1447 2. Quia loquens de Pharaone, & Nabuco-Donosore, ait:

Aug lib de Prædeſt. & Grat. c. 15.

*Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quod vnus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei miſericordioſiſsimam veritatem pugnavit arbitrio?* Nihil aliud huius diſcriminis eſſe determinationẽ agnovit Auguſt. niſi ipſum velle, vel nolle liberi arbitrij: Noſquè remittit ad Emin. Sfrondatum elegantiſsimè diſſerentem ſuper hos textus. ¶ 3. Opponit Auguſt. brevitèr docentem: *Illi, quia voluerunt, crediderũt; illi, quia noluerunt, non crediderunt,* vt denotet poſt gratiæ ſufficientiam, in ſolùm velle, aut nolle revocandũ eſſe credere, vel non credere libere. ¶ 4 Quia SS Doctor, licèt concedat hanc propoſitionem vt veram: *Qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò non dum reſurrexiſtis; quia non dum vos adiutorium gratiæ miſerantis inflexit*, quia per illam exprimitur gratiæ neceſsitas; tamen admonet: *Quamvis hæc vera ſint, non tamen iſto modò dicenda eſſe, audientibus multis*: nè quis ſuſpicari poſſet, quod per gratiam determinamur ad reſurrectionem. ¶ Addit P. Ramirez apud S. Doctorem inveniri, *quod quamvis multi vno modo vocati ſint, quia non omnes vno modo affecti ſunt; illi ſoli ſequuntur vocationem, qui illi capiendæ reperiuntur idonei*; quod maximè diſtat à gratia prædeterm. Quia ſi talis gratia eſſet de mẽte Auguſt. fruſtrà in multis vno modo vocatis pro diverſitate ſequendi vocationem recurreret ad diverſitatem idoneitatis ex parte ipſorum, cũ omnes ſint ex ſe ęquè idonei ad gratiam prædeterm.

Sfrondat. in Nodo Prædeſt. p. 1. fol. 135.

Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 6.

Auguſt. de Bono Perſeveran. c. 22.

P. Ramirez diſp. 5. cap. 1 num 26.

D. Auguſt. lib 1. ad Simplician. q. 2.

1448 Sed non convincunt hæc teſtimonia, ſingula expendamus, & potiùs ex Aug roborabitur ſententia noſtra: Ad 1. ſimul, & 3. in quibus eadem doctrina continetur: fatemur cũ Auguſt. quod cum *amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo, ambobus pariter inſtitit occulta tentatio. Vnus ei cedat alter idem, qui fuerat perſeveret, vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere*: Similiter fatemur cum Auguſt. quod cum *multi audiunt verbum veritatis; ſed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo iſti credere: nolunt autem illi.* Sed dum ad hæc Reſpondemus verba Aug. vſurpamus: *Quis hoc ignoret? Quis hoc neget?* Quia *credere, vel non credere*, ſimiliterque tentationi cedere, vel reſiſtere *eſt in arbitrio voluntatis humanæ*; Sed quo fundamento dicitur in *ſolam* arbitrij determinationem ſuppoſita ſufficiẽtia gratię, *in qua nobis data eſt poſsibilitas habendi fidem*, revocandum eſſe credere, vel non credere libere? Cùm oppoſitum ibi expreſsè fundet Auguſt. immediatè enim ait: *Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, diſcernendũ eſt vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio*: Ecce vnde incipit determinatio *fidei, quæ in voluntate eſt*, quia voluntas credentis prę-paratur à Domino, voluntas non credentis, & cędentis tentationi nõ præparatur à Domino: primùm venit de ſua miſericordia; ſecundùm de ſuo iudicio: *Miſericordia igitur, & iudicium in ipſis volũtatibus facta ſunt: Electio quippè iſta gratiæ, non vtique meritorum*, & exinde neque arbitrij: *Vniverſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Inveſtigabiles ſunt autẽ viæ eius. Inveſtigabiles igitur ſunt, & miſericordia, qua gratis liberat*, determinans velle credere, *& veritas qua iuſtè iudicat*, in eos, qui *excęcati ſunt*, & credere noluerunt. Sed de ijs plura ſuprà diximus, quia ſicut diſcretio fidelis eſt à gratia, & Deus per gratiam diſcernit, ita, & fidem determinat.

Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 6.

Aug. ibi. c. 5.

Sup. à num. 286. vſquè ad 320.

Aug. lib. 12. de Civit. Dei, cap. 6.

1449 Sed redeamus ad textum de Civit. Dei, in quo Auguſt non expreſsit *electionem gratiæ*: ſed cauſa fuit, quia aſſumptum Auguſt erat, quod *malæ voluntatis cauſa efficiẽs*, ſe

*si quæratur nihil invenitur*: Vndè *propriam voluntatem malam* in eo, qui *consensit tentanti, atque suadenti, quæ res fecerit, nihil occurrit.* Vnde concludit: *Nemò ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio.* Velle autem invenire causas efficientes defectionum *tale est, ac si quisquã velit videre tenebras, vel audire silentium. Nemò ergo* (accutè concludit M. Pater) *ex me scire quærat, quod me nescire scio, nisi fortè vt nescire dicat, quod scire non posse sciendum est.* Vt quid igitur ad hoc assumptũ *electionis gratiæ* in non consentiente mentionem faceret, cum per eam nõ posse effici malam voluntatem indubium est? *In huiusmodi verbis gratia Dei commemorata non est, de qua tũc non agebatur.*

August. ibi cap. 7.

1450 Ex illo tamen libro probatur Augustinum docuisse nostram sententiam, & primo sic ait: *In Dei voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas adiuvat, malas iudicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit potestatẽ, quibusdam non tribuit: Corpora igitur magis subiacent voluntatibus, sed omnia maximè Dei voluntati subdita sunt. Cui etiam voluntates omnes subijciuntur, quia non habent potestatẽ, nisi quam ille concedit. Causa itaquè rerũ, quæ facit, nec fit, Deus est. Aliæ verò causæ, & faciunt, & fiunt; sicut sunt omnes creati spiritus, & maximè rationales. Corporales autem causæ, quæ magis fiunt, quàm faciunt, nõ sunt inter causas efficientes annumerandæ, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum volũtates*: vt videas in hoc testimonio esse apartè nostram doctrinam; observa. 1. intentum Aug. esse conciliare *præscientiã Dei cum libera hominis voluntate cõtra Ciceronis definitionem...* 2. Quod in phrasi Aug. summam potestatem voluntatis Dei *quibusdam tribuere potestatem, & quibusdam nõ tribuere* esse, quibusdam tribuere libertatem, & quibusdam non tribuere, id enim in potestate habemus, cuius Domini sumus: 3. Quod Aug. tres distinguit causas: *Corpora*, quæ subiacent voluntatibus spirituum, licèt *maximè Dei voluntati subdita*: *Spiritum voluntates*, quæ *omnes*, nè excipias liberas, Deo subijciuntur, quia potestatem, seù libertatem ex Deo habent. Et *Deum*, qui sicut est *omnium naturarum creator, ita omnium potestatum dator*: 4. Corporales causas non esse *inter efficientes*, ideſt liberas, seù potestatem habentes *annumerandas*, quia *magis fiunt, quàm faciunt*, hoc est determinantur, & nõ se determinant, *quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates.* Vndè iudicat causam subditam determinationi agentis creati non esse liberam, seù ex illis, quibus Deus *tribuit potestatem*; Spiritus verò rationales potestatem, seù libertatem habere, licèt Deo subiectam, à quo datam, vndè *faciunt*, & *fiunt*, quia se determinant ex sua potestate, quàm habent, & determinantur à Deo, cui subijciuntur: Deus autem est *summæ potestatis, quia facit, nec fit.* Id est determinat se, & nõ est subiectus potestati à qua determinetur: Hæc est Augustini doctrina, & sententia nostra: Pergit Augustinus. & ex subiectione voluntatis liberæ, ita intulit: *Quapropter, & voluntates nostræ tantùm valent, quantùm eas Deus valere voluit, atque præscivit.* Non insisto nunc priùs posuisse *voluit*, posteriùs *præscivit*, vt significaret præscientiam posteriorem esse voluntate; sed solùm, quod si à Deo non determinantur, quomodò tantùm valent, quantùm valere Deus vult? Tãdem concludit SS. Pater, ex sententia immediata: *Quapropter, si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, fatum esse infirmioris potentioris voluntatem, qui*

Aug. lib. 5. de Civit. Dei cap. 9.

Aug. sup. à num. 78.

*cum habet in poteſtate.* Sententia fuit Auguſt. *Non multum de verbi cõtroverſia laborandum, atque certandum eſt cum eis, qui* fatum *tribuunt Dei ſummi voluntati, & poteſtati*: Sed ſolùm inquiro, quomodò voluntas Dei potentioris eſt fatum infirmioris voluntatis noſtræ, licèt eam in poteſtate habeat, ſi eam non determinat, & ab infirmiori concurſus potentioris determinatur?

*Aug. ibi. cap. 8.*

1451 2. Dum ita ait: *Omnipotenti Deo ſummo, ac ſummè bono Creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adiutori, ac remuneratori, malarum autem relictori, & damnatori, vtrarumquè ordinatori: non defuit vtiquè conſilium, quo certum numerum civium ſua ſapientia prædeſtinatum etiam ex damnato genere humano ſuæ civitatis impleret: non eos iam meritis, quandoquidem vniverſa maſſa tanquàm inviciata radice damnata eſt, ſed* gratia diſcernens, *& liberatis non ſolùm de ſe ipſis, verùmetiam de non liberatis, quid eis largiatur, oſtendens.* Ratio ergo diſcriminis in liberatione ex largitate provenit Dei liberantis per gratiam diſcernentem.

*Aug. ibi. lib. 14. c. 26*

1452 Ad 2. teſtim. prę terquàm quod liber illæ de prędeſtinat. & gra- Auguſtini non eſt, quia gravis authoris admittitur, & in illa præclara cõparatione Nabucho-Donoſoris cum Pharaone cohęret cum Auguſtini doctrina; pro quo loco Cardin. Sfrondati adduco P. Franciſcum Macedo, licèt fortuna diſsimilem, in Auguſtini mente inveſtiganda fœliciorem: ipſum tranſcribo, & integrum Aug. textum; ait M. P: *Vndè Nabucho-Donoſor pœnitentiam meruit fructuoſam. Nonnè poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum, quod perdiderat, rurſus accepit? Pharao ipſis flagellis durior eſt effectus, & periit?* Author quivis ex Scientia Media reſpondebit, hoc adſcribendum eſſe bono vſui voluntatis vnius, & malo vſui voluntatis alteriùs, & ſe expediet à quęſtione, quia vnus meruit, alter non meruit. Alitèr reſpondet Author libri de Prædeſtinatione, & Gratia: *Hic mihi rationem reddat, qui divinum conſilium nimiũ altum ſapienti corde diiudicat; Cùr medicamentum vnius Medici confectum, alijs ad interitum, alijs valuerit ad ſalutem? Niſi quia Chriſtus bonus odor, alijs eſt odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem? Quantùm ad naturàm ambo homines erãt, quantùm ad dignitatem ambo Reges, quantum ad cauſam, ambo captivum populum poſſidentes, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti.* Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Deum pugnavit arbitrio? *Hic quicumque reſpondet: Illi vt mutaretur adfuiſſe divinum, huic, vt indurare-tur, defuiſſe præſidium, & hoc contẽdit iniuſtum, propter quod rerum ipſarum fines, Dei voluntate conſtituẽs dixit Apoſtolus*, cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, *dicente Domino*: Sine me nihil poteſtis facere, *intelligat illa omnia, vel adiuvante Domino perfici, vel deſerente permitti, vt noverit tamen nolente Domino nihil prorſus admitti.* Quid manifeſtiùs contra Scientiam Mediam, quid invictiùs? Non eſt tamen hìc Author Auguſtinus, ſed eſt tamen ſenſu Auguſtinianus, & in eo loquitur *Auguſtinus.* Hucuſquè P. Macedo. Potuit ergo videri Emin. Sfrondato diſcriminis inter Nabucho-Donoſorem, & Pharaonem nil aliud eſſe determinationem niſi velle, & nolle liberi arbitrij, quia non legit Nabucho, vt mutaretur adfuiſſe divinum præſidium, & defuiſſe Pharaoni, vt induraretur.

*P. Macedo, Collat. 11. Differẽt. 1. circa Scient. Mediam. Daniel 4. Exod. 14.*

*Roman. 9.*

*Ioann. 15.*

1453 Addo: Auguſtinianum illius libri Authorem ſupponere in Pharaone gratiam ſufficientem; ita enim ait: *An fortè, ſi piè de Deo, ſicut ex-*

*Auguſt. de Prædeſt. & Grat. c. 14.*

*expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens iustum meritumquè supplicium miraculorũ verbera crebra densabat. Nunquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens, Deũ tantæ virtutis agnoscere?* Et tamen Pharao *misericordiam qua converteretur non accepit, & ideò ei ad perAug. ibi. eundum, liberum sufficit arbitrium*: præter ergo gratiam, qua *potuit*, alia misericordia, quàm *non accepit* necessaria erat, vt converteretur: Et ideò alibi dixit Augustinus, versando illa verba: *Indurauit Dominus cor PharaAug. serm. 88. de temp. onis*: nil aliud illis exprimi, *nisi cũ abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia sua*. Gratia ergo Dei, alia pręter sufficientem, *abfuit*, & cũ gratia Dei abfuit ipse nequitia sua se obduravit: *Et vt hoc evidentiùs possit agnosci* (pergit Augustinus) *aliquam similitudinem de rebus visibilibus charitati vestræ proponimus. Sicut enim quotiens nimio frigore aqua constringitur, solis calore superveniente resolvitur, & discedente eodem sole iterùm obduratur; ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, & velut glacies obduratur, & cum eius iterùm calor divinæ misericordiæ superv*enerit resolvuntur: *ille vtiquè calor, de quo scriptum est*: Nõ est qui se abscondat à calore *eius*. Psalm. 18. Discriminis igitur inter Nabucho-Donosorem, & Pharaonem aliquid præter determinationem arbitrij per velle, & nolle fuit ratio; quia calore divinæ misericordiæ glacies peccatorum fuit in Nabucho resoluta; cum *abfuit* calor gratię, & discedente sole in Pharaone peccatorum frigore velut glacies fuit obduratus.

Augustin. de Bono Perseuer. cap. 22. 1454 Ad 4. Quod ex Augustin. opponitur; quia ait: *Nondum resurrexistis, quia nondum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit*: non esse prędicandum audientibus multis isto modo, *quamvis vera sint*; sed ita esse, ait arguens, *nè quis suspicare posset, quod per gratiam determinamur ad resurrectionem*: Nescio, quo fundamento potuisset quis suspicari, quod illa verba non sunt dicenda illo modo, quamvis vera audiẽtibus multis, nè suspicentur gratiam determinare arbitrium: Et si ad talem suspicionẽ adfuit fundamentum; Cùr non exprimitur, vt expendatur? O quàm multa argumenta apponuntur ex minus accurata lectione operum SS. Parentis! Causam, cùr illa verba quamvis verà non sunt illo modo *dicenda audientibus multis* non suspicamur, quia eã SS. Pater expresit. Nè, ait: *Sermo ad ipsos etiam convertatur, eisquè dicãtur illa verba, quæ interposuit: Quid opus est dici, alij ex vobis? Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem veniss*e dicentes, *cæteris facere iudicamur iniuriam*: Vndè illam sententiam asserit sic *benè, & convenienter dici posse, & deberi*: *Si qui autem adhùc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini apprehendite saluberrimam disciplinam, quod cum feceritis nollite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari, quasi hoc nõ acceperitis*: Deus est enim, qui operatur in vobis velle: *De ipso autem* Philip. 2. *cursu vestro bono, rectoquè condiscite vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere*. Efficaciam gratiæ secundùm propositum Dei esse sic prædicandam edocuit Augustinus, quia Massilienses asserebant, testante Div. Prospero, vocationem electorum secundùm Dei propositum *ædificationi audientium esse contrariam, ac sic etiam si vera sit, non promendã, quia, & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeunt, conticeantur*. Et quærebãtur etiam, qui definitionem Augustin. improbare non audebant: *Quid opus fuit huiusmodi disputationis incerto, tot minus intelligentium corda turbatiD. Prosp. Ep. ad Augustin. propè initium.*

*Hylar. Ep. ad Auguſt. propè finem Auguſt. de Bono perſev. à cap. 14. vſque ad 22.*

bari? Vt ſcripſit S. Aug. Hylarius: Hanc quærelam expugnavit SS. Pater probando *prædeſt. definitionem vtilitati prædicationis non eſſe adverſam* per novem capita.

1455 Vltimum Auguſtini teſtimonium ex q. 2. lib. 1. ad Simplicianum eſt valdè difficilè, & cum ex illo libro validiora deſumat argumenta Docta Societas, vt ſimul omnibus Reſpondeam ex profeſſo mentem M. Parentis in illo libro inveſtigare aggredior, adiutorio ipſius SS. Doctoris fretus.

## §. II.

### *Synopſis quæſtionis 2. libri primi ad Simplicianum SS. Patris Auguſtini.*

1456 AFferamus in integrũ omnia verba Auguſt. quæ rem continent in hoc celeberrimo loco: *Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus ſequatur, quomodò verùm erit* multi vocati, pauci verò electi? *An fortè illi, qui hoc modò vocati, non cõſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & illud verùm ſit*: Multi vocari, pauci electi, *vt quamvis multi vno modò vocati ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verùm ſit*: Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *qui hoc modò vocavit, quomodò aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem? Ad alios autem vocatio quidẽ pervenit, ſed quia talis fuit, qua moveri non poſſent, vt eam capere apti eſſent*, vocati *quidem dici potuerunt, ſed non* electi, *& non iam ſimiliter verùm eſt*: *Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis, & currentis eſt hominis, quoniam nõ poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtrà ille miſereatur, ſi homo nolit, quia ſi vellet, etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodò illis aptum eſſet, vt & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur. Verùm eſt ergo* multi vocati, pauci verò electi: *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autẽ, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati. Verùm eſt ergo* multi vocati, pauci verò electi: *Item verùm eſt*, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat quomodò eis vocari aptum eſt vt ſequãtur. Falſum eſt autem ſi quis dicit: Igitur nõ miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis, quia nullius Deus fruſtrà miſeretur: cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.*

1457 Attentè lege, & inſpicies, Auguſt. diſtinguere vocationem cõgruam, & opportunam electorum propriam, à vocatione incongrua, qua reprobi vocati ſunt, vt exindè *multi ſint vocati, & pauci electi*; & ſimiliter verùm; *non volentis, &c.* quia vocavit Deus quomodò aptum erat eis, qui ſecuti ſunt; ſed non poſſe ècontra dici: *Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis*: quia ſi vellet aliorũ, ſeù non electorum miſereri poſſet ita vocare, quomodò aptum eſſet, vt ſequerentur; quia cuius miſeretur, ſic vocat, quomodò ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat: Et clarum fortè videbitur hęc teſtimonia ſacra iuxtà doctrinam Scholæ Jeſuitarum expoſita ab Auguſt.

1458 Sed proſequitur Auguſt. *Hìc dicit aliquis: Cùr ergo Eſau non ſic eſt vocatus vt vellet obedire? Videmus enim alios alitèr ijſdem rebus demonſtratis ad credendum moveri, ſicut exempli gratia*, & paucis exemplis ex Scriptura interiectis; ait: *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpè alio modò dicta moveat, alio modò dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere deſ-*

*fuiſſe*

*fuisse (Deo) modum vocandi, quo etiã Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est? Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio, quæritur etiam, vtrùm de diuina pœna sit ipsa duritia? Cum enim Deus deserit, non sic vocando, quomodò ad fidem moueri potest, quis etiam dicat modum, quo ei persuaderetur vt crederet, etiam Omnipotenti defuisse?* Ecce Augustinus tradere pro ratione, cur Deus potuit Esau convertere, quia non defuit modus, quo persuaderetur, & voluntatem coniungeret cũ fide, qua iustificaretur.

1459 Quàm authoritatem habeant, quæ Augustinus in hac quæstione scripsit priùs supponamus, vt ex inde disputemus; An in his Augustini verbis contineatur Jesuitica doctrina de efficacia gratiæ ex arbitrio desumpta? Et vt rem exactè examinemus, cum Augustinus iuvenis scriberet quæst. hanc, videamus, quid de illa iudicet Augustinus senex: 1. de illa in libro Retractationum; sic loquitur: *Posterior in hoc libro quæstio est, ab eo loco vbi ait*: Non solùm autem illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri, *vsquè ad illud vbi ait*: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen; sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus, *in cuius quæstionis solutione laboratum est, quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. Nec nisi ad illud potuit peruenire, vt liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus*: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? *Quod volens etiam Martyr Cipria-nus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens*: In nullo gloriandum, quando nostrum *nihil est*.

1460 Ad iudicium, quod fecit SS Parens de illa quæst. ad Simplicianum in libris Retractationum, le remirit cum de illa loquitur in lib. de Prædest. Sanctorum, sic fatur: *Si curassent proficere meecum* (loquitur de Semi-Pelagianis,) *inveniissent istam quæstionem* (initium quidẽ fidei Dei gratia præveniri,) *secundùm veritatem diuinarum Scripturarum solutã, in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ Sancti Ambrosij successarem, in ipso exordio Episcopatus mei, nisi forte non eos noverunt, quod sic ita est facite, vt noverint. De hoc primo duorum illorum libro, in secundo Retractationum primum locutus sum, qui sermo meus ita se habet.* Et post transcripta, quæ ex libris Retractationum trãscripsimus; ita prosequitur: *Ecce quare dixi superiùs hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam me ipsum fuisse convictum: cum de hac re alitèr saperem, quàm mihi Deus in hac quæstione soluenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi scriberem, revelavit.*

1461 Acritèr inveitur RR. Thyrso in M. Ferre, quia hæc verba citavit in lib. Retract. cum in lib. de Prædest. Sanctorum fuissent ab Aug. dicta, sed defectus isti in citando corrigendi sunt ad evitandum laborem quærendi testimonia, sed tolerandi, quia valdè communes, vt superiùs dixi, audi Augustinum: *Vbi numeri non faciunt intẽtum ad aliquid, quod facilè possit intelligi, vel quod appareat vtilitèr disci, & negligenter describuntur, & negligentiùs emendantur.*

1462 In libro de Dono Perseverantiæ, vt probet in libris à se conscriptis antequàm Pelagiani apparere cepissent, prædicatam fuisse gratiam, qua Deus nos liberat à malis non præcedentibus meritis secundũ gratuitam misericordiam suam, ita ait: *Quod plenius sapere cæpi in eo dis-*

*Aug. lib. 2. Retract. c. 1*

*Roman. 9.*

*1. ad Cor. 4.*

*Augusst. de Prædest. SS. cap. 4.*

*M. Thyrso, t. 2. disp. 3. sect. 15. M Ferre, tract. 6. de Scient. Media, q. 3. §. 10. Sup. à num 503.*

*Augusst. de Civit. Dei, lib. 15. c. 13. Augusst. de Dono Perseverãn. c. 20.*

*diſputatione, quàm ſcripſi ad beatæ memoriæ Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, in mei Epiſcopatus exordio, quando, & initium fidei donum Dei eſſe cognoui, & aſſerui.* Aug. ibi, c. 21. Et alibi ita ſcribit: *Videant tamen ij, quibus amantibus me ingratus eſſe nõ debeo, qui præter hoc, quod in quæſtionem venit, omnia mea ſicut ſcribitis, ſe profitentur amplecti: videant, inquam, vtrum in primi libri poſterioribus partibus, eorum duorũ, quos mei Epiſcopatus initio antequã Pelagiana Hæreſis appareret, ad Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopũ ſcripſi, remanſerit aliquid, quod vocetur in dubium, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari: & vtrũ ibi non ſatis egerim, etiam initium fidei eſſe donum Dei: & vtrum ex ijs, quæ ibi dicta ſunt, non conſequenter eluceat: & ſi non ſit expreſſum, etiam vſque in finem perſeverantiam non niſi ab eo donari, qui nos prædeſtinavit in ſuum regnum, & gloriã.* Hæc ſunt, quę in Aug. invenio de illo libro, ex quibus dubia reſolvenda ſunt.

1463 Et primo aſſero; hunc librum magnę authoritatis in eo, quod aſſerit initium fidei ex Dei gratia eſſe, gratiam ex meritis non dari, & ſimiliter in eo, quod docet de vocatione Dei effectrice bonæ voluntatis, qua Deus in nobis operatur, & velle: Hanc cõcluſionem iudico certam; Tùm, quia de ijs nihil invenitur in Auguſt. retractatum; Tùm, quia S. Auguſt. dixit, quod in hoc libro *vicit gratia Dei*, vt veriſimè dixerit Apoſt. *quid gloriaris, &c.* & gratia ex meritis, ſeù ex initio fidei, gratia victrix non eſſet, immò nec gratia; Tũ, quia Auguſt. aſſerit quæſt. de initio fidei in hoc libro eſſe *ſolutam ſecundùm veritatem divinarum Scripturarum*; & ſolicitus fuit vt Semi-Pelagiani ſi non *eos noverant, vt noverint*, & adduxit teſtimonium Apoſtoli, quo Deus veram doctrinam *revelavit cum ad Simplicianum ſcripſit*, licèt anteà *alitèr ſaperet*: In hoc enim libro *pleniùs ſapere cæpit, cognovit, & aſſeruit initium fidei donum Dei eſſe*, & ideò fundat hanc fuiſſe mentem ſuam ante exortam Pelagianam Hæreſim, vt in hoc libro *videant vtrum remanſerit aliquid, quod vocetur in dubium, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, & ſatis egerit, initium fidei eſſe Dei donum.*

1464 Secundò aſſero: In quæſt. ſecunda libri primi ad Simplicianum nihil Auguſt. ſcripſit, quod ſit à SS. Parente retractatum in poſterioribus libris: Doctiſsimos Authores vnius, & alteriùs Scholæ, & in Auguſtino verſatiſsimos, lego huic concluſioni refragantes, M. Lemos, & Cardin. Belarminum; aſſerunt enim explicationem ab Auguſt. adhibitam verbis Pauli; *vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*, fuiſſe ab ipſo SS. Parente in libris poſterioribus adverſus Pelagianos, potiſsimè in Epiſtolis ad Sixtum, & ad Paulinum re ipſa retractatam: Vndè ait Bellarminus: *Porrò S. Auguſt.* cum ſcripſit libros ad Simplicianum, *adhàc iuvenis erat, neque multa invenerat in hac difficillima quæſt. quæ poſteà maiori diligẽtia inveſtigavit, & reperit.* Et referendo, quàm oppoſita ſint, quæ Auguſt. de illo Pauli teſtimonio ad Simplicianum ſcripſit, cum ijs, quæ ſcripſit ad Sixtum, & Paulinum, ità concludit: *Vides, quam alitèr ſapiat, Auguſtinus, ſenex, quam Auguſtin. iuvenis? Nam ſenex ſcripſit ad Sixtũ & Paulinum, iuvenis ad Simplicianum*: Ita elevat Emin. Bellarminus authoritatem Auguſt. in quæſt. illa ex qua Achylleum argumentum pro ſua ſentẽtia deſumpſit Docta Societas.

*Lemos, t. 1. tract. 5. cap. 32. fol. 281. Belarm. de Gratia, & Lib. Arbit. lib. 2. c. 15. ad Roman. 9. Aug. Ep. 105. ad Sixtum, & ep. 106. ad Paulinum.*

1465 Sed pro Auguſtino ſum, & meam concluſionem probo argumento negativo, efficaci tamen, rationem enim à priori noſtri aſſerti infrà traddam: Sic arguo: Auguſtin. ſenex libros Retractationum ſcripſit, vt

*Auguſt. in Prologo ad lib. Retract.*

*vt sua errata reprehenderet*; sed huius quæst. secundæ, lib. 1. ad Simplicianum nihil retractavit, vt vidimus; Ergo nihil in ea invenit August. retractatione dignum; ergo nec est; si enim esset, & August. inveniret, & retractaret.

1466 His de authoritate illius August. quæstionis decisis: videamus; An in illis August. verbis contineatur Jesuitica doctrina de efficacia gratiæ, seù vocatione congrua? Partem negantem tenent communitèr nostri Thomistæ, eam gravissimè fundat SS. Lemos: licèt enim Sanctus asserat, *cuius miseretur*, Deus, *sic eũ vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*: solùm exprimit Deum noscere suæ vocationis congruitatem, quod est verissimum, sed vocatio non habet congruitatem ex arbitrio; sed illam efficacia vocationis Dei operatur: Novit enim Deus efficaciam vocationis suæ secũdùm suum propositum optimè libertati congruere: sicut enim dixit August. *Quid* iucundius *debet esse, vel infirmis gratia, qua sanantur, vel pigris, gratia, qua excitantur, vel nolentibus gratia, qua iuvantur*: Ita, quid debet esse *congruentius* efficacia gratiæ, qua trahuntur. ¶ Similiter licèt Sanctus asserat, quod *sequũtur vocationem, qui ita affecti sunt, vt reperiantur idonei*, vel quos Deus ita vocat, *quomodo eis vocari aptum est vt sequantur*. Restat tamen scire, vnde hic *affectus, idoneitas*, vel *aptitudo* ad sequendam vocationẽ? Quia iuxtà August omnia hæc non proveniunt ex voluntate humana, quę reddit efficacem gratiam, sed si quæratur, vnde quis *affectus, idoneus, & aptus*? dicimus gratia, & prædestinatione divina: Audiamus Sanctum sic se exponentem, salutem religionis *digno* non defuisse, sic ait: *Quod dixi, salutem religionis huius nulli vnquam defuisse*, qui dignus *fuit*, & dignum *non fuisse, cui defuit, si discutiatur, & quæratur, vnde quisque sit dignus, non desunt, qui dicant voluntate humana, nos autem dicimus gratia, vel prædestinatione divina*. Idem assereret August. se exponendo, si quæreretur vnde quisque sit *affectus, idoneus*, vel *aptus* ad sequendam vocationem Dei: Hucusquè SS. Lemos: quæ solutio probabilissima est, & communis.

*Lemos, t. 1. trat. 5. c. 32 Et tom. 4. p. 2. tract. 4 c. 28.*

*Aug. Ep. 106.*

*August. de Prædest. SS. cap. 10.*

1467 Secunda sententia asserit in verbis August. in argumento adductis contineri sententiam Jesuiticam, & plus quam Jesuiticam, hoc est Semi-Pelagianam; ita M. Ferre, & Phylaletes in Triumpho Thomistarum, apud Thyrso: Sed hæc sententia omninò falsa est, nõ est enim aliquid in verbis illis, quod errorem Semi-Pelagianorum contineat, in scriptis enim Augustini post eius Episcopatum, nec *disputando* errorem illum protulit; quod ampliùs inferiùs convincam.

*Ferre, trat. 6. de Scient. Media, q. 3. sect. 10.*

*Phylaletes, c. 1. art. 1. n. 14.*

*Thyrso in Selectis, t. 2. disp. 3. sect. 14 §. 7.*

1468 Tertia ergo sententia affirmat, cum M. Ferre in illis verbis contineri Jesuiticam doctrinam; sed etiam asserit expertem Semi-Pelagiani erroris: Hanc sententiam eruditè fundat P. Macedo: Eamquè sæpiùs Augustin. lecto vt veram propugno.

*Ferre vbi suprà.*

*Macedo, Collat. 11. differen. 1. circa Scient. Mediam, sect. 11.*

1469 Sed P. Thyrso manifestè iudicat deceptum M. Ferre, & ita insurgit; quia facilè erit ex concessis à Ferre probare sententiam de indifferentia auxiliorum esse S. August. sententiam: quia certum est ex confessione huius Authoris doctrinam Societatis contineri in verbis Augustini loquentis de vocatione congrua in prima parte, quæst. 2. lib. 1. ad Simplicianum: At non minus certum est eam doctrinam nunquam fuisse ab Augustino retractatam; cum vt vidimus nullum assertum huius quæstionis retractet, sed potiùs eam laudet; ergo doctrina Societatis de Scientia Media, & indifferentia auxiliorum est Augustini doctrina.

*Thyrso, t. 2. disp. 3. sect. 15.*

1470 Sed hoc argumento nullum virum doctum iudicarem manifestè deceptum; Ipsum insto: August. in hac quęst. 2. tradidit expositionem illius Apost. testimonij, *vt secundum electionem propositum Dei maneret*; Sed eam doctrinam August. non retractavit, vt constat ex lib. Retract. ergo illa expositio, (quæ est contra fere omnes Theologos) est August. doctrina: Quid ad hęc Bellarminus, & Lemos; quod licèt non fuerit illa expositio expressè retractata, fuit retractata re ipsa in libris ab August. *sene* scriptis: Cùr idem sine manifesta deceptione non posset dici de vocatione illa congrua contẽta in verbis post illam expositionem scriptis?

*Bellarmin. & Lemos, vbi suprà.*

1471 Sed clariorem solutionem tradit M. Ferre, dicimus enim cũ ipso, & P. Macedo: Illa verba esse sententiam Societatis; sed ab Augustin. non fuisse prolata *assertivè*, sed *disputando, dubitãdo*, seù *laborando pro libero arbitrio*; vndè non fuit sententia illa retractata; retractare est *errata reprehendere*: dum quis asserit falsum, errat; Sed si *disputando* falsũ dicit, & posteà idipsum impugnat, quid remanebit, quod retractet? Illa verba dicimus continere ipsam doctrinam Jesuiticam summa claritate explicatam, statim enim, ac August. Semi-Pelagianum errorem vitavit, summo illo ingenio se obtulit, illam proposuit *dubitando, disputando, & laborando pro libero arbitrio*; Sed in August. *vicit gratia Dei*, discernens, vt in nullo gloriemur quando nostrũ nihil est, id est, non est ex determinatione nostri arbitrij, nec gratiæ effectricis bonæ voluntatis *existentia*, nec gratiæ existentis *efficacia*.

*Ferre, vbi suprà.*

1472 Eandem doctrinam docuerunt docti Thomistæ, quos suppresso nomine refert Lemos, ait enim: *Nec necessarium putamus cum aliquibus viris satis doctis asserere Doctorem sanctum in illis verbis, quę habet de vocatione* congrua, *inquirẽdo, & dubitando, non asserendo processisse, sed in fine illius quæst. tandẽ assertivè sententiam firmasse*: quod *aliquale fundamentum habet in littera, vt probabiliter dicatur*: Hos viros doctos ignoro, *esse Thomistas* alibi expresit Lemos.

*Lemos, lib. 1 vbi suprà.*

1473 Hanc sententiam, si non necessariam, quia M. Lemos docte aliàs respondet, vt vidimus, verisimam affero, & in littera Augustini, non solùm probabiliter, sed maximè fundatam; minimè moveor, quia Augustin. ait: *An fortè, &c?* quæ verba inquirentis magis, quam diffinitivè resolventis videntur. ¶ Non inquam, quia vt benè notat Lemos non insolitum est similibus locutionis formulis sensum exprimi assertivum: vt fuit à Christo D. assertivè prolatum: *An non licèt mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Et ille modus interrogandi in Aug. non est indicium dubitantis, sed interrogationibus subtilitèr veritatem inquirentis, de quo plurima sunt exempla, cum sit ordinarius modus procedendi SS. Parentis.

*Lemos, lib. 1 vbi suprà.*

1474 Sed ducor triplici fundamento: Primum desumitur ex iudicio de hac quęst. facto ab Augustin. cum ait: *In cuius quæst. solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia.* Ergo supponit in solutione huius quęst. & elaborasse pro libero arbitrio, & tandem vicisse gratiam Dei; quid est *laborare pro libero arbitrio?* Nil aliud certè, nisi disputare in favorem liberi arbitrij, ei subijciendo gratiam; Et quid est vincere gratiam Dei? Nisi resolvere in favorem gratiæ ei subijciendo arbitriũ; Ea ergo, quæ Augustinus in ea quæst. dixit in favorem liberi arbitrij *laborando*, seù disputando dixit, solùmque definiendo, & asserendo protulit ea, in quibus *vicit gratia*, vt gratia discernat, & in nullo gloriemur,

*August. lib. 2. Retract. cap. 1*

nec

nec in gratiæ existentia, nec in eius efficacia, *quando nostrum nihil est.* ¶ 2. Quia Augustinus commemorans libros in quibus Pelagianos impugnavit, ante ortam Hæresim Pelagianam, adducit istum, de quo agimus per hæc verba: *Videant vtrùm in primi libri* posterioribus partibus *eorum duorũ, quos ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundùm merita nostra dari; & vtrùm ibi non satis egerim etiam initium fidei esse Dei donum.* Nota ly *primi libri posterioribus*, nõ enim dixit *prioribus*; Ergo ad suam sententiam comprobandam in materia gratiæ non remisit Semi-Pelagianos ad *priores* partes, in quibus *disputando* processit, sed ad *posteriores*, in quibus *assertivè* suam mentẽ expressit.

*Augustin. de Dono perseverant. c. 21*

1475 Huic rationi à M. Ferre, & P. Macedo adductæ Resp. Thyrso: ita vt miretur virum doctum tam levi coniectura duci potuisse: Nam verba illa in *primi libri posterioribus partibus* non referuntur ad *priores* partes illius quęstionis secundæ, sed ad priores partes illius *libri primi*, qui cum duas quæstiones contineat, & in prima non agat de necessitate gratiæ: solùm referuntur ad secundam quęstionem illius libri primi ab initio, vsque ad finem eius. ¶ Sed contra; si ad totam quæst. secundam illius libri primi remisisset Augustinus Semi-Pelagianos non diceret in *primi libri posterioribus partibus*, sed meliùs diceret in primi libri quæst. secunda: cum enim ipsa quæst. secũda duas habeat partes, vnam in qua *laboratum est pro libero arbitrio*, paulò post initium, aliam in qua *vicit gratia Dei*, non videtur levis coniectura, quod remisit Semi-Pelagianos non ad priores partes, in quibus *laboravit pro arbitrio*, sed ad posteriores ipsius quæst. partes, in quibus *vicit gratia Dei.*

*Ferre, vbi suprà. Macedo, vbi suprà. Thyrso, disp. 3. sect. 15.*

1476 Tertium est: Quia ex ipso tenore disputandi, si attentè consideretur, nisi valdè fallor, intelligitur hanc fuisse SS. Parentis mentem: Vndè affero ab illis verbis paulò post initium quæstionis: *Vndè occurrit animo quærere; Cùr dixerit, vt secundùm electionem propositum Dei maneret?* Aug. moviſſe difficiles quæstiones *laborando*, seù disputando in favorem liberi arbitrij: Eaquè ibi scripta dixisse *quærendo*, & dubitando: Sed ab illis verbis paulò post medium: *Sed quid hoc quærimus?* Incepit definitivè, & assertivè procedere, ita vt *vincat Dei gratia*, dum omnia dubia antea proposita resolvit.

1477 Perge mecum, & nè me manifestè deceptum putes, nisi priùs Augustinum iterùm, & non semel legas: Primo ponit Augustinus *Intentionem Apostoli in tota epistola* esse, *vt de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari non enim intelligebant*, quod *gratia Evangelica operibus non debetur, quam rem persuadere Apostolus volens de his, qui nondum nati erãt documentum dedit*, & *vigilantissimè ait*, ex vno concubitu, *nè vel paternis meritis tribueretur, simul enim ambos vno tempore Pater Isaac sevit, eodem tempore mater Rebecca concepit.* Cùm enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum, aut malum, non ex operibus; sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori. *Vbi vt posset dici*, non ex operibus; sed ex vocante, *præmisit* cum nondum nati fuissent, nec bonũ egissent, aut malum; *quia vt alibi dixit* ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam; sed secundùm debitum: *Gratia ergo est vocantis, opera bona sunt consequenter percipientis gratiam, non quæ gratiã pariant; sed quæ gratia pariantur: Non enim vt ferveat calefacit ignis, sed quia fervet. Nec ideò benè currit*

*Apost. ad Rom. 9.*

*Apostol. ad Roman. 4.*

*rota, vt rotunda ſit, ſed quia rotunda eſt: Sic nemo propterea benè operatur, vt accipiat gratiam, ſed quia accepit.*

1478 His prælibatis de intentione Apoſtoli expoſita, & probata incipit SS. Parens quærere, diſputare, ſeù *laborare pro libero arbitrio voluntatis humanæ*; Ait enim: *Vndè occurrit animo quærere, cur dixerit*, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret: *Quomodò eſt enim iuſta, aut qualiſcumque omninò electio vbi nulla diſtantia eſt?* Hanc dubitationem valdè vrget: *Qua ergo* (proſequitur) *diſcretione, quo equitatis examine, quod ſequitur intelligimus*; Jacob dilexi, Eſau autem odio *habui? Vndè igitur iſta electio, vel qualis electio ſi nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla ſunt momenta meritorum? An fortè ſunt aliqua naturarum? Quis hoc intelligat, ex vno patre, & ex vna matre, & vno concubitu, & ex vno Creatore?*

1479 Si autem dicas *ideò* ſecũdum electionem, quia *Deus omnium præſcius futuram fidem vidit in Iacob nondum nato*: Inſtat Auguſt. quia ſi electio *per præſcientiam vnde probas, non ex operibus: nondum enim nati nondum egerant bonum, ſeù malum, ita etiam nondum crediderat aliquis, & ſicut præſciẽtia vidit creditурum, videre poterat operaturũ. Quamobrem vnde illa electio facta ſit quæritur, quia ſi* non ex operibus, *quæ non erant in nondum natis, nec ex fide, quia nec ipſa erit. Vndè igitur?*

1480 Adhùc dubitat Auguſtin. *An dicendum eſt, quod nulla electio fuerit? Sed dictum eſt*, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret: *Et ideò quærimus, quia dictum eſt. Niſi fortè ſic eſt diſtinguenda ſententia, nè aliqua electio hìc poſsit intelligi*: (Hìc per adverbium dubitandi ingeniosè exponit Apoſtolũ, falſa quidem ſententia, ſed à SS. Parente non retractata, quia dubitativè, & non diffinitivè aſſerta:) in illis enim verbis, *vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*, velle dicere Apoſtolum, Iacob, & Eſau nihil boni, vel mali egiſſe, vt inde ſecundũ electionem aliquam (*nil enim eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reijcitur*) propoſitũ Dei maneret: Et ſi inſtes, *ſi non eſſet electio, non eſſent electi, nec rectè diceretur*, quis accuſabit adverſus electos Dei: Ait; *electionem eſſe, quæ ſequatur iuſtificationem, nõ quæ eam præcedat*; quia *non ſecundũ electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio*: Intelligit enim propoſitum eſſe *iuſtificandi* ad quod ſequitur electio: & electionem eſſe ad *gloriam* dandam propter merita ex iuſtificatione procedentia: *Id eſt, non quia invenit Deus opera bona, quæ eligat, ideò manet propoſitũ iuſtificationis ipſius, ſed, quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideò invenit opera, quæ eligat ad regna Cœlorum*: Vnde illud Apoſtoli: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus Sancti, non videt quomodo ſit dictum niſi præſcientia.* — *Apoſtol. ad Epheſ. 1.*

1481 Proſequitur dubitando Auguſtin. per hęc verba: *An fortè quemadmodum illud* (ſcilicèt dilexit) *de Iacob nullis meritis bonæ actionis dictum eſt: Ita Eſau nullis meritis malæ actionis odioſus?* Et vrget ex illo Sapientiæ: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*: Ergo, quod Deus *odiſſet Eſau*, quem fecit, *niſi iniuſtitiæ meritò iniuſtum eſt: Quod ſi concedimus, incipit, & Iacob iuſtitiæ meritò diligi. Quod ſi verùm eſt, falſum eſt, quod* non ex operibus. — *Sapient. 11.*

1482 Pergit dubitans: *An fortè ex iuſtitia fidei?* ſed replicat: *Quid ergo te adiuvat*, cum enim nondum nati fuiſſent, *quandoquidem in nondum nato, nec iuſtitia fidei poterat eſſe?* Sed quia Apoſtolus ſubiecit, videns quid ex illis verbis: *Iacob dile-*

*xi,*

xi, *Esau autem odio habui* posset occurrere: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum?* Exodi 33. *Absit. Moysi enim dicit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misertus fuero.* Inquirit Augustinus: *Quibus verbis soluit quæstionem, an potiùs arctius colligavit, id ipsum est enim, quod maximè movet?* Si miseretur, cui misertus erit, & misericordiam præstabit, cui misericors fuerit; *Cur hæc misericordia defuit Esau, vt etiam ipse per illam esset bonus, quemadmodum per illam bonus factus est Iacob? An ideò dictū est* misereor, &c. *quia Deus miseretur inspirando fidem, & cui misericors fuerit vt credat, faciet eum misericordē vt etiā benè operetur? Vnde admonemur, nec operibus misericordię, nec fide quēquā oportere gloriari, & extolli:* Quid enim habes, *inquit,* quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris? 1. Corint. 4. *Rectè quidem hoc,* (ergo Augustinus adhùc cum laborat pro arbitrio in hac quæstione procul est à suo antiquo, & Semi-Pelagianorū errore) *Sed cùr hæc misericordia subtracta est ab Esau, vt non sic vocaretur, vt & vocato inspiraretur fides, & credens misericors fieret vt benè operaretur?*

1483 Si dicas: *An fortè quia noluit?* Instat: *Si ergo Iacob ideò credidit, quia voluit, non ei Deus donavit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, & habuit aliquid, quod non accepit:* Si tamen dicas vtrùmque esse verùm, & Iacob credidisse, quia voluit, & Deum ei fidem donasse: *Quia nemò potest credere nisi velit, nemò velle nisi vocetur, nemò autem sibi potest præstare vt vocetur,* vnde *quia sine vocatione non potest quisquā credere, vocando Deus præstat, & fidem. Nemò itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus.* Multi *enim* sunt vocati, pauci verò electi: *Vtique ij qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt, volentes autem sine dubio crediderunt:* Sed instat; quia si Dei est vocare, & nostrū sequi vocationem, & ideò credimus quia volumus; *quid est ergo, quod sequitur* in Apostolo, *Igitur non volētis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* Si dicas: Hoc ab Apostolo dici, quia non est volētis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *vt quod volumus adipiscamur, & quo volumus perveniamus. Aliter enim Deus præstat, vt* velimus, *aliter præstat quod* voluerimus, vt velimus *enim, & suū esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo, quod autem voluerimus,* (Hic *quod* non est adverbium, sed relativum, vt rectè notat Suarez, ita vt sensus sit, quod per velle volumus) *solus præstat; id est, posse benè agere, & semper beatæ vivere.* Hoc enim est, quod vocati à Deo volumus: ¶ Sed instat Augustinus dupliciter. *Suarez in Opusc. lib. 3. de Auxiliis cap. 5. n. 7.*

1484 Primò: *Verùmtamen Esau nondum natus, nihil horum posset velle, seù nolle; Cur ergo in vtero positus improbatus est? Reditur enim ad illas difficultates, non solùm sua obscuritate, sed etiam nostra tàm multa repetitione molestiores.* (quid clariùs! Vt Augustinus in hac tàm prolixa, & densa disputatione, hærens animo argumētandi, & inquirendi causa procedat.) *Cùr enim est improbatus Esau, qui nec credere poterat vocanti, nec contemnere vocationem, nondum natus?* Si prescientia Dei futuræ malę voluntatis est improbatus Esau; Cùr non & approbatus Iacob prælcientia Dei futuræ bonę voluntatis eius?

*Quod si cōcesseris potuisse quēquā, vel approbari, vel improbari ex eo, quod nondum in illo erat, conficitur potuisse Iacob ex operibus approbari, & omninò te nihil adiuvabit,* quod nondum nati erant, *vt hinc ostendas* non ex operibus *dictum*, & maior serviet minori.

1485 Secundò, quia *si diligentèr attendas verba Apostoli,* Igitur non

Ad Philip. 2. non eſt volentis, &c. *Videbitur non propterea tantùm dixiſſe, quod adiutorio Dei ad id, quod volumus perveniamus, ſed etiam ex intentione, qua alio loco dicit.* Deus enim eſt, qui operatur in vobis, & velle, & operari: *Vbi ſatis oſtendit bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri: Nam ſi propterea ſolùm dictum eſt.* Non volentis, &c. *quia voluntas hominis ſola non ſufficit vt iuſtè viuamus niſi adiuuemur miſericordia Dei: poteſt & hoc modo dici*, igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, *quia miſericordia Dei ſola non ſufficit niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt, fruſtrà nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio quomodo dicatur, fruſtrà Deum miſereri niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur etiam volumus.* Deus enim eſt, qui operatur in nobis, & velle.

1486 Pergit vlteriùs Auguſtin. probare verba Apoſtoli ideò dicta, quia nõ volumus niſi vocatione Dei, ita ait: *Si quæramus*, vtrùm Dei donum ſit voluntas bona, *mirum ſi negare quiſquã audeat. At enim, quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea Deo vocanti rectè tribuitur, quod benè volumus, nobis verò tribui non poteſt, quod vocamur: Non igitur ideò dictum eſt, putandum*, Nõ volentis, &c. *quia niſi eius adiutorio non poſſumus adipiſci, quod volumus; ſed ideò potiùs, quia niſi eius* vocatione *non* volumus.

1487 Sed Auguſt. ſtatim inquirit naturam huius *vocationis* dubitãs quomodo ſalvet Apoſtoli verba; immediatè enim ait: *Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus ſequatur, quomodò verùm erit*, Multi vocati, pauci electi? *Quod ſi verùm eſt, & non conſequenter vocationi vocatus obtemperat, atque vt obtemperet in eius eſt poſitum voluntate, rectè etiam dici poteſt.* Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis, atque currentis hominis: *Quia miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur.*

1488 En Argumentum omni ſua vi expreſſum, ſi ſolùm vocatio inconnexa præcedit velle: ſtatim ait Auguſt. *An fortè, &c.* vbi per verba ſuperiùs adducta tradit pro ſolutione Societatis doctrinam, quod vocatio obtinet velle, propter affectũ, idoneitatem, & aptitudinem vocati, vnde *non electi, quia non ſecuti*, quãvis *vocati*. Et ideò *multi vocati, pauci electi*, eſſe tamen *Dei miſerentis velle*, quia ſic vocat eum cuius miſeretur *quomodo ſcit congruere vt vocãtem* non reſpuat, & nunquam deeſt Deo modus vocandi, cui velle coniungat. *Sup. à num.* 1454.

1489 Vidimus iam monſtrum ingenij Auguſt. acutiſsimè contendentem, *laborantem*, & diſputantem *pro* libero arbitrio *voluntatis humanæ*: Sexies repetit *An fortè*, vbi nõ ſolùm interrogans, ſed dubitans exprimitur: Audiamus nunc *Eccleſiæ linguam* (ſic Auguſt. appellat S. Petrus Damianus) definientem, *ſuam ſententiam dirigentem* ambage remiſſa, vt *vincat gratia Dei* diſcernẽs, & in nullo gloriemur niſi in Domino. *S. Petrus Dam. ſerm. 62. de S. Stephan. in fine.*

1490 Proſequitur enim Aug. *Sed quid hoc quærimus* (ſed de quo dubio loquitur? De illo, quod propoſuit: *Cùr hæc miſericordia ſubtracta eſt ab Eſau, vt non ſic vocaretur, vt & vocato inſpiraretur fides, & credens miſericors fieret vt benè operaretur?* vel clariùs paulò ante: *Cùr Eſau non ſic eſt vocatus, vt vellet obedire?* de qua dubitatione continuato ductu orationis diſputavit) *cum ſubiungat Apoſtolus vt probet*, igitur non volentis, &c. Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia ad hoc te excitavi, vt oſtendam in te potentiam meã, & vt anuntietur nomẽ meum in vniverſa terra: *Concluditque ita* ergo

cu-

cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: *Ita vt obduratio Dei sit nolle misereri: vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur: quod si sit nulla distinctione meritorũ, quis non erumpat in eam vocem, quàm sibi ipse obiecit Apostolus?* Dicis itaque mihi, quid adhùc conqueritur, nam voluntati eius quis resistit?

1491 Sed continuò ait Augustinus: *Et tamen intueamur superiora, & inde nostram quantum ipse Dominus adiubat sententiam dirigamus*: Et in margine habetur; *conclusio quæstionis*; Nunc igitur quæstio deciditur ab Augustino, anteà rationes dubitandi adduxit; & ideò studiosè dixit *nostram sententiam dirigamus*; verbum enim *dirigere* iuxtà Calepinum vulgo significat, *enderezar, ò emendar*: vel sumit *dirigere* pro eodem, ac *determinare*, quia Augustinus, anteà dubius, iam sententiam determinat.

*Calepinus, v. Dirigo.*

1492 *Ait enim paulò ante* Apostolus: Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. *Sit igitur fixum, & immobile, quod nulla* est iniquitas apud Deum, *tenacissimè, firmissimequè credatur, quod Deus*, cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, *seù cuius vult non miseretur.... Quis enim non videat iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur exegerit: nec eum certè, qui quod ei debetur donare voluerit? Hoc autem non est in eorum, qui debitores sunt, sed in eius cui debetur arbitrio: sunt igitur omnes homines*, quia ex Apostolo, in Adam omnes moriuntur, *vna quædam massa peccati, supplicium debens divinæ summæquè iustitiæ, quod sivè exigatur, sivè donetur nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum, & quibus donandum superbè iudicant debitores. Quemadmodum conducti ad illam vineam iniustè indignati sunt, cum tantumdem alijs* donaretur, *quantum illis* redderetur.

*Vide suprà n. 737.*

1. Cor. 15.

*Vide suprà n. 738.*

1493 *Itaque huius impudentiæ quæstionis ita retundit Apostolus*: Homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadē conspersione facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? *Inconcussa ergo fide teneatur, quod* non sit iniquitas apud Deũ, *qui sivè donet, sivè exigat debitum, nec ille à quo exigit, rectè potest de iniquitate eius conqueri, nec ille cui donat, debet de suis meritis gloriari. Et ille enim nisi quod debetur, nõ reddit: Et ille nõ habet, nisi quod accepit.*

1494 Pergit solvere, quæ anteà dubitando, & disputando protulit: *Sed enitendum est* (ait) *hoc loco si Dominus adiuvet videre quemadmodũ, & illud verum sit, quod scriptũ sit.* Nihil odisti eorum, quæ fecisti: *Et illud*, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. *Si enim propterea Esau odio habuit, quia vas factum erat in contumeliam*, & aliud vas in honorem, aliud in contumeliam idem figulus facit, *quomodò* nihil odisti horũ, quæ fecisti? *Ecce enim odit Esau, quod vas ipse fecit in contumeliam. Qui nodus ita solvitur*: (Igitur anteà disputando propositus, non solutus,) quia *homo in quantum homo est, creatura est, nõ in quantum peccator est. Non igitur odit Deus Esau hominẽ, sed odit Deus Esau peccatorem*: *sicut dicitur de Domino*, sui eum non receperunt: *Quibus item ipse dicit*: vos propterea nõ audistis, quia non estis ex Deo: *Quomodò sui, quomodò non ex Deo? Nisi quia illud dictum est de* hominibus, *quos ipse Dominus fecerat. Illud de* peccatoribus, *quos ipse Dominus arguebat: ijdem tamen ipsi*, & homines & peccatores, *sed* homines *de conditione*, peccatores *propria voluntate*: Et si instes: *Cùr ergo Iacob dilexit, nũquid peccator non erat? Sed dilexit in eo non* culpam, *quàm delebat, sed* gratiam *quàm donabat. Nã in alijs* culpam

*Sapient. 11.*

*Ioann. 14.*

*pam* punit *per* damnationem, *in alijs* adimit *per* iuſtificationem, *quemadmodum ipſe iudicat eſſe faciendum illis iudicijs inſcrutabilibus: Et quod ex numero impiorum, quos non iuſtificat, facit vaſa in contumeliam, nō hoc in eis odit, quod facit, quippè in quantum impij ſunt execrabiles ſunt, in quantum autem* vaſa fiunt; *ad aliquē vſum fiunt, vt per eorū ordinatas pœnas* vaſa, quæ fiunt in honorem *proficiant. Non itaque odit Deus, nec* in quantum homines *ſunt, nec* in quantum vaſa *ſunt: ideſt, nec quod in eis fecit* creando, *nec quod in eis facit* ordinando. *Sicut enim iudex in homine odit* furtum, *ſed non odit, quod* datur ad metallum. *Illud enim fur, hoc iudex facit.*

1495 Poſteà exponit quomodo per vaſa iræ notas facit Deus divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ: Adducit *locum ſcripturæ ad rem maximè neceſſarium tractata mira conteſtatione confirmantē*, ex libro Eccleſiaſtici, vbi exemplum de figulo allatum à Paulo concordare affirmat collatis ſententijs, & adijcit: *Nulla igitur intentio tenetur Apoſtoli, & omnium iuſtificatorū, per quos nobis intellectus gratiæ demonſtratus eſt, niſi, vt qui gloriatur* in Domino glorietur: *Quis enim diſcutiat opera Domini ex eadem conſperſione vnum dānantis, alterum iuſtificantis? Liberū voluntatis arbitrium plurimum valet: imo vero eſt quidem, ſed in venundatis ſub peccato, quid valet?* Ideſt, nihil valet, ad diſcutienda opera Domini cur ex eadem maſſa vnū damnet, alterum iuſtificet: Nonnè hoc nō eſt refutare id, quod *laborando pro libero arbitrio* dixit: *Illi* ſcilicèt *electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati?* Ratio enim electionis, vt opera Domini diſcutiamus ex arbitrio vocato deſumitur, ſi ideò electus, quia ſua obedientia obtemperat vocationi, & ideò non electus, quia miſericordiæ vocantis non conſequitur vocati obedientia: *Vincit* igitur *in poſterioribus partibus gratia Dei* diſcernens, vt ſolùm in Domino gloriemur, quia *arbitrium* eſt, & *plurimum valet* ad merendū, & demerendum, ſed *ad diſcutienda opera Domini* licèt miſericorditèr vocatum nihil valet.

Eccleſ. 33.

1496 Rationem ſuę doctrinę, & ſententię cōtinuò tradit per hæc verba: *Præcipitur vt rectè vivamus. Sed quis poteſt rectè vivere, niſi iuſtificatus ex fide? Præcipitur vt credamus. Sed quis poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc eſt aliqua rerum teſtificatione tangatur? Quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet poteſtatem vt vel occurrat, quod eum delectare poſsit, vel delectet cum ocurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria, aut operum meritis comparatur: quia vt ſit nutus volūtatis, vt ſit induſtria ſtudij, vt ſint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur: propterea petere iubemur vt accipiamus, & quærere vt inveniamus, & pulſare vt aperiatur nobis*: Quam multa argumenta hic tradit Auguſt. vt diſcretio inter vocatos, qui obtemperant, & non obtemperant, non inducatur, quia quamvis vno modo vocati ſint, non eodem modo *affecti*, & illi ſoli ſequantur, qui ei capiendæ *apti*, & *idonei*, & qui quando vocabantur nō erant *apti*, & *idonei* non ſequantur: Pende illud *quis habet in poteſtate, quod eum delectet cum ocurrerit?* Ergo nō eſt ex arbitrio, quod vocatio, ſeù teſtificatio, quæ ocurrit ſit delectatione efficax: Et cum ſit certum eſſe *noſtrum* ſequi vocationem, & delectari, quibus proficiamus ad Deum

ſa-

solùm intendit id fieri nostrum, quia efficacia gratiæ *tribuitur*, & *largitur*: Non enim *nutu voluntatis*, & *industria studij* reditur efficax vocatio, seù effectrix *bonæ voluntatis*, sed potiùs *nutus*, & *industria* præbetur efficacia gratiæ Dei; propterea petimus vt accipiamus vt nostrum, idipsum, quod ex virtute gratiæ nobis donat.

1497 Iam textum celebrem Apostoli, de quo plura scripsit, partim admittendo, partim excludendo, susi penso tamen iudicio, exponit per hęc verba: *Igitur* non volentis, neque currentis, sed miserentis est *Dei: quãdoquidem nec velle, nec currere nisi eo movente, atque excitante poterimus*: Hunc textum, vt vidimus diffusè exagitavit: probavit, non sufficere ad eius veritatem, *esse miserentis Dei, vt id quod volumus adipiscamur*. Sed esse verùm, quia *Deus operatur in nobis velle per vocationem præcedentem bonam voluntatem*. Ad vltimam replicã: quod si vocatio ista effectrix, non est talis vt omnis vocatus eã sequatur, sed est in Dominio vocati obtemperare, vel non obtemperare, posset etiam dici è converso: *Non miserentis, &c. quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur*. Quia proposuit solutionem desumptam ex attemperatione vocationis cum arbitrio vocati, & quia est *Dei vocare, quomodo scit congruere*: quam hìc refutavit, tradidit statim solutionem veram desumptam ex eo, quod Deus operatur *in nobis velle*, non solùm per *excitationẽ* moralem, quam *omnis vocatus* non *sequitur*, quia *obtemperare vocationi in* vocati *est positum voluntate*: Sed etiã operatur velle per *motionem* veram, seù physicam, qua *præbetur* vocationem *ocurrentem delectare*, qua *tribuit*, & *largitur nutum voluntatis*, quo obtẽperamus vocationi, & ideò *petere* à Deo *iubemur vt accipiamus* nutum voluntatis, industriam studij, vt vocationi moraliter excitãti, occurrenti obtemperemus. Nec opponas Augustì. dicere, *nec velle nisi Deo movente poterimus*: & motionem physicam, qua Deus largitur velle, non esse exactam, vt possimus velle: ¶ Quia in promptu est per hanc locutionem non indicari *motionem* ab excitatione distinctam esse exactam ad posse velle, sed solùm esse simpliciter necessariam ad velle ipsum, vt sæpiùs diximus: Et addo in loco, quem versamus exẽplum clarum; dum SS. Pater proposuit vocationem illam congruam, dicunt adversarij assertive, & diffinitive loquisita ait: *Ad alios autem vocatio quidem pervenit*; (ad eos quidem, qui ei capiendę non reperiũtur idonei, seù quibus vocatio nõ est congrua) *sed quia talis fuit, qua moveri non possent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi*: Inquiro, in quo sensu potuit dicere Augustì. vocatione incongrua *non posse moveri vocatos*? Certe non in alio, nisi in exposito, quatenus vocationem esse cõgruam est simpliciter exactum vt vocatus ea *moveatur*, non quia exactum sit ad *posse* moveri: Ita in nostra locutione de *Deo movente*.

1498 Prosequitur Sanctus per hęc verba: *Quod si electio hìc fuit aliqua, vt sic intelligamus, quod dictum est*, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt: *Non vt iustificatorũ electio fiat ad vitam æternam, sed vt intelligantur, qui iustificentur: Certè ita occulta est hæc electio, vt in eadem consperſione nobis prorsus apparere nõ posit, aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor*. Vbi SS. Pater humiliter fatetur infirmitatem suam, quia non ei apparet *electio ad iustitiam* in eadem massa damnatis, cum nulla sunt momenta meritorum, & ideò textum Apostoli, vt vidimus exposuit de *electione ad gloriam* consequuta ad propositum iustificandi, licèt dubitãdo: Sed quia SS. Pater proficiendo scripsit, appa-

*Suprà num.* 1481. & 3. & 4. & 5.

*Suprà num.* 1139. & 1295.

*Rom.* 11.

*Suprà num.* 1476. & 7. & 8.

ruit ei ista *electio ad iustitiam*, licèt nulla præcederent merita in libris scriptis post exortam Pelagianã Hæresim; distinxit enim SS. electionem *debiti*, quæ merita supponit, & electionem *gratiæ*, quæ merita non supponit; sic ait: *Vt* secundum electionẽ propositum eius maneret: *electionem scilicèt* gratiæ, *non* debiti *electionem, qua eligendos facit ipse, non invenit.* Et alibi scripsit: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum intelligatur*, maior serviet minori, vt secundum electionem Dei propositum maneret, *non meritum hominis anteiret, non enim dicit electionem voluntatis humanæ, sivè naturæ, cum par esset in vtroquè mortis, damnationisque conditio, sed electionem procaldubiò gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed facit.* Plura alia omitto. Vnde illud principium, quod dubitans proposuit: *Nemo eligitur nisi iam distans ab illo, qui reijcitur*: posteà invenit electionem *gratiæ* non exposcere electum invenire *distantem*, sed facere. Et illud Apostoli: *Eligit nos in ipso ante mundi constitutionem vt essemus Sancti*, quod dum scripsit ad Simplicianum *non vidit quomodo sit dictum nisi præscientia*: posteà vidit illam electionem ad *iustitiam, & sanctitatem* non esse ex præscientia factam, vt probavit in libro de Prædest. Sanctorum, ferè per totum; Doctior ergo factus *vidit* posteà, quæ anteà non *vidit*, sed quę dubitando, non errando dixit, non debuit retractare, sed veritatem, quam vidit edocere.

*Aug. Ep. 105. ad Sixtum.*

*Aug. Ep. 106. ad Bonifacium.*

*Ephes. 1.*

*Vide Aug. de Prædest. SS. specialiter cap. 17. & 18.*

1499 Pergit SS. Pater ad probandum nil præcedere electionem ad *gratiam salutarem*, vnde impugnat, quod dubitando dixit, quod sunt electi, qui sequuntur vocationem, cum licèt *vno modo vocati*, cum non electis, diverso modo *affecti*, quia *idonei & apti* ad eam sequendam. Ex quibus verbis desumit argumentum Docta Societas: Impugnat 1. per hęc verba: *Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque, addamus etiam si placet honestas vtilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus, atque maculatus, nam nullis quis potest? Et acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille*, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & stulta mundi, vt confundat sapientes, *vt eum intuens, & pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdã piscatoribus oratores.* Quid efficaciùs!

1500 Nisi fortè sit, quod opponit 2. ex mirabili S. Pauli conversione; cum ait: *Quid volebat Saulus nisi vt invaderet, & traheret, vinciret, & necaret Christianos?* (quasi dicat, quomodo erat *idoneus, & aptus* ad sequendam vocationem, immò ipse dixit: *Non sum* idoneus *vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam) quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cæca* (quæ hic *congruitas*, quæ *affectus* proportio?) *qui tamen vna desuper voce prostratus, occurrente vtique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta sevitia retorqueretur & corrigeretur ad fidem repente ex Evangelij mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est.* Omnia certè incongrua, contraria, nulla opportunitas: Ergo vocatio non est efficax, seù effectrix bonæ voluntatis, quia arbitrio congruit, ex idoneitate, aptitudine, & affectione vocati, sed ex virtute, & misericordia Dei secundum propositum vocantis, & eligentis.

*Ita legit Apost. Aug. lib. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 5.*

1501 Vnde concludit SS. Pater & quæstioni coronidem imponit, asserens: *Et tamen quid dicemus?* Nunquid iniquitas est apud Deum? *Exigentem à quo placet, donantem, cui pla-*

*placet: qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum.* Nũquid iniquitas est apud Deum? Absit. *Quare tamen, & huic ita, & huic nõ ita?* Homo tu quis es? *Debitum si nõ reddis, habes quod gratuleris: si reddis, non habes, quod quæraris. Credamus tantum, & si capere nõ valemus.*

Synopsim contruxi quæst. 2 lib. 1. ad Simplicianum M. P. August. vt in vnum contracta simul omnia, quæ ibi docuit cõspici, cernique possint: Et cum ex ea quæst. difficiliora argumenta pro mente Augustini formet Docta Societas, scias nullatenus in ea iuvare Scientiam Mediam, & vocationem efficacem, quia arbitrio congruam, sed potiùs eam opinionem refutare, & contundere.

ADDITIO.

1502 IN solutionem, quam tradidimus de eo, quod agens liberum nequit determinari ab alio *agente creato*, non esse verò contra rationem agentis liberi *à Deo* determinari: plura opponunt Docti Recentiores: 1. Arguit. Doctor Prado: modus proprius operãdi libertatis creatæ non subsistit per hoc præcisè, quod non *necessitetur* ab vllo agente *creato*, sed insuper essentialiter requirit, quod nec necessitetur *à Deo*: Ergo nec subsistet per hoc præcisè, quod nõ *determinetur* ab vllo agente *creato*; sed prætereà essentialiter requiret quod nec determinetur à Deo: Ant. est certum, & Conseq à paritate vrget. ¶ 2. Quia saltem in cõceptu operãdi libere essentialiter importatur, quod libertas à nullo creato prædeterminetur; Ergo nec à qualitate prę determinante, quæ quid creatum est: Simile est hoc argumentum alteri, quod vt difficilè tradit P. Ramirez, non opponitur dominio Dei, quod complexum ex libertate, & prædeterminatione, non indigeat prædeterminatione ad libertatis determinatum exercitium: Ergo nec opponitur dominio Dei, quod libertas non indigeat prædeterm. ad determinatum libertatis exercitium. ¶ 3. Quia si libertati non repugnat ab alio determinari, difficilè est reddere rationem efficacem, cur impossibilè sit principium creatum prędeterminare volũtatem: Ratio enim quã tradit Dom. Castell est levissima nimirum, quod *qualiter poterit voluntatem determinare, vt se moveat, agens impotens causare motum voluntatis?* Nam si nullum creatum potest voluntatem determinare, nec poterit necessitare, & tamen certissimum est principium creatum saltem intrinsecum volũtatẽ necessitare. ¶ 4. Quia sequeretur quod libertas creata adhùc in actu 1. completa posset dependere ab alia creatura vt exeat in hunc, vel illum actum secundum: Assumptum prob. Deus libertatem completam potest prædeterminare, & potest decernere illam prædeterm. injicere, & nõ aliã, nisi quę ab alia creatura petatur, aut exoptetur; quæ enim in hoc repugnãtia? Ergo tunc casus illa libertas esset determinata, & dependens à creatura, quoad sua exercitia, licèt non subordinatione intrinseca, & essentiali, accidentali saltem, & extrinseca: ¶ 5. Sumit paritatem ex Dominio *iurisdictionis* cõsistente in facultate præcipiendi subditis; ad dominium *libertatis*: Si aliquis nihil posset *præcipere*, quod non prius esset præceptum ab alio se superiore, hic nullum haberet verùm dominiũ *iurisdictionis*; sed esset merus executor iurisdictionis alteriùs: Ergo voluntas, quæ nihil potest *eligere* non priùs electum ab alio se superiore nullum verùm dominium *libertatis* habet, sed est mere executrix libertatis illius. Ant. videtur clariùs omni probatione, & cõsequentiã tenere à pari.

1503 P. Ramirez idem assumptum aliter vrget, quia si determinatio prævia alteriùs agentis non opponitur cum dominio libertatis non est cur libertatem auferat dum ponitur

*Prado ibi, n. 27.*

*Prado ibi, n. 28.*

*Prado, disp. 4. sect. 2. n. 24.*

*Prado ibi, n. 32.*

*Prado ibi. n. 26.*

*Ramirez, disp. 5. c. 3. num. 204.*

*P. Ramirez disp. 5. c. 14 à n. 40.*

ab vno agente, & non auferat dũ ponitur ab altero agẽte; Tùm pari, quia forma quæ *affert* aliquid cum eiſdem prædicatis à quocumque agente ſem per id *affert*: aliàs poſſet dici, quod *albedo* poſita ab vna cauſa dealbat, & ab alia nõ dealbat: Ergo pariter forma, quæ *aufert* aliquid cum eiſdem prædicatis à quocumque agente ſem per id *aufert*: Tùm, quia determinationem prę̃viam eſſe ab agente *ſecũdo* præcisè facit eſſe libertatem ſubiectam agenti *ſecundo*, & ab eo depẽdentem, quod libertatẽ non deſtruit, niſi oſtendas agens *ſecundum* facere aliquid, quod libertatem deſtruat: ¶ 2. Non poſſet probabiliter dici determinationem *moralem* in præcepto conſiſtentem, quando provenit à cauſa *prima* non lædere libertatem, & eã lędere quando provenit à cauſa *ſecũda*, quia quid diverſitas in determinante, quando nulla eſt variatio in modo determinandi? Ergo pariter eſt dicendum de determinatione *phyſica*. ¶ Confirmat: rectè arguitur, quod ſi prædeterm. *extrinſeca* non tollit libertatem, nec *intrinſeca*, quia hæc nullatenus naturam prædeterm. immutant: Ergo pariter ſi prædeterm. *à Deo* non tollit libertatem, nec *à creatura*, quia hæc nullatenus naturam prædeterm. immutant.

*P. Ramirez ibi, n. 208.*

1504 Vltimo denique opponit: quia Deus eſt infinitus in linea *intelligibilis* non poteſt reddi *intelligibilis* proximè per *ſpeciem* impreſſam creatam, vt eſt noſtrorum cum Div. Thoma communis ſententia in tract. de Viſione Dei: Ergo, quia Deus eſt infinitus in linea *primi determinãtis* nequit reddi proximè determinans per *qualitatẽ, ſeù prædeterm.* creatã.

1505 Hæc tamen, quam difficilia ſint ex eorum ſolutione cõſtabit: Ad 1. conc. Ant. nego conſeq. & ratio eſt clara; quia voluntas vt natura eſt à nullo agente creato poteſt neceſsitari, ſolumquè poteſt neceſsitari à Deo: vnde ſi arbitrium liberum poſſet à Deo neceſsitari, confunderetur voluntarium cum libero, & eſſet vera illa propoſitio damnata: *Quod voluntariè fit, etiam ſi neceſſariò fiat libere fit.* Quia voluntarium ſolùm poteſt eſſe *neceſſario à Deo*, ergo ſi arbitrium liberum componeretur cũ neceſsitate à Deo, voluntarium omne licèt neceſſarium eſſet liberum; & ideò ſuperiùs diximus; voluntatem non poſſe cogi *à Deo, ſed poſſe à ſolo Deo neceſsitari*, quia voluntas vt natura excludit omnem coactionem, & omnem neceſsitatem ab agente creata, non tamen excludit à Deo neceſsitari, arbitrium verò liberum nec à Deo neceſsitari poteſt, quia ſicut implicat voluntarium coactum, ita repugnat liberum neceſſarium, liberum enim à neceſsitate nullam permitit neceſsitatem: Non eſt verò vnde excludat *determinari* à Deo, cui ſubijcitur, quia vt ait D. Thom. ex Hugo *liberum arbitrium eſt potentiſsimum ſub Deo*, vnde cum nihil determinetur niſi à fortiori, & potentiori, poterit determinari à Deo, non ab alio præter Deum: Conſule Doct. Sanct. expreſsè probantẽ, Deum poſſe neceſsitare, & non poſſe cogere voluntatem; nullam tamen creaturam poſſe immutare voluntatem, vel imprimere in ipſam.

*Prop. 39. in Baio damnata.*

*Supr. n. 91.*

*D. Th. q. 22. de Veritate, art. 8. & 9.*

1506 2. Si non legerem nõ crederem; libertas nequit determinari niſi à ſolo Deo: Ergo non determinatur à qualitate prædeter. quæ Deus non eſt, ſed aliquid creatum; ſicut ſi ita objicerem: *Solus Deus poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine*: Ergo gratia ſanctificans, quæ Deus non eſt non poteſt facere mundum de immundo: Clariſsima enim eſt ſolutio: dum gratia nos iuſtificat, vt *forma*, ſolus Deus nos iuſtificat, vt *efficiens*, quia ſolus Deus efficit gratiam, quę eſt *iuſtitia, per quam nos iuſtos facit*: Ita dicimus dum prædeterminatio determinat arbitrium vt forma, Deus ſolus determinat vt *efficiens*,

*ficiens*, quia solus Deus efficit prædeterm. per quam nos determinatos facit. ¶ Ad id, quod vt difficilè arguit P. Ramirez: Respondeo; quod in se opposuit D. Thom. & vt suprà diximus, mirabili doctrina dissolvit. Ex qua iam diù, quia oppositum à P. Molina, illud enervat M. Lemos: 1. instãdo: licèt causa creata indigeat concursu *simultaneo* Dei, concursus simultaneus, licèt quid creatum nõ indiget alio concursu simultaneo: Ergo licèt causa creata indigeat cõcursu *prævio* Dei, & concursus prævius sit quid creatum non indigebit alio concursu prævio: 2. Quia nõ est prædeterm. vt forma aliqua permanens in causa secunda recepta, vt ad ordinem causæ secundæ expectet, vt exinde indigeat moveri à Deo ad determinatum exercitium; sed est in causa secunda transeunter per modum motionis, & influxus ipsius Dei actualiter applicantis, & reducentis causam secundam, vnde est motio causæ primæ non ponens in numero cum ipsa prima causa; Et ideò scripsit Ferrara:

*D. Th. sup. à n. 1081. vsque ad 8.*

*Molina, disp. 26 §. 4. Lemos, lib. 3 p. 1. cap. 34.*

*Ferrara in 3. cont. Gẽt. cap. 70.*

*Accipitur tanquam vna virtus, ipsa virtus in Deo existens, & eius intentio in causis inferioribus producta, sicut ars, quæ est in mente artificis, & eius intentio in instrumento recepta, pro vna virtute accipiuntur.*

Argumentũ sibi etiam opposuit M. Nuño: Et ita Resp. *neg. consequẽtia*, vt enim docet Aristoteles, *ad motum non est motus*, ad actionem nõ est actio, ad passionem nõ est passio, ad productionem non est altera productio, sed ipsa productio incipit esse de novo, & verè producitur per hoc, quod ipsa est productio alteriùs entitatis, non quia ad ipsam fit altera productio: Similiter principium est apud omnes metaphysicos, & philosophos naturales, omnem creaturam existere per existentiam à se ipsa realiter distinctam: tamen ipsa existentia licet sit creatura non eget existẽtia altera, sed existit per hoc, quod ipsa est existentia essentiæ. Proportionabiliter in alijs multis generibus pervenitur ad vnum primum, quod habet tale esse, & talem denominationem per hoc, quod est aliorum ratio. Similiter dicimus in præsentiarum, quod licèt omnis creatura operetur medio divino concursu, & motione, & ipsa motio sit etiam aliquid creatũ receptum in creatura, non sequitur, quod etiam illa debeat moveri per alteram motionem, sed est vera causa effectus producti, quia est qua mediante movetur causa secunda, & est motio ipsius causæ secundæ. Vnde si formalius loquamur dicendum est omnem creaturam operari per hoc, quod movetur à Deo, vel quia est motio ipsius Dei, *qua mediante causa secunda movetur*. Hucusquè M. Nuño.

*Nuño in 3. p. q. 62. art. 5. v. Ad secundam. Aristot. 3. phys. et alijs locis.*

1507 Ad 3. Resp. Esse rationem cur *libertas* licèt possit *determinari* à Deo nõ possit determinari ab agẽte creato: sicut est ratio cur *voluntas* licèt possit *necessitari* à Deo nõ possit necessitari ab agẽte creato: Illam quam vocat *leviſsimam* à nobis traditam dicimus esse ex principijs D. Thomæ evidentem, & si legeret Angelic. Mag. in locis ibi citatis non illam contemneret: Si enim D. Thom. convincit, (quem sequuntur omnes Theologi:) *Nullam substãtiam creatam posse* agere *in voluntatem, vel esse causam electionis nostræ, nisi per modum suadẽtis*; quod est ipsam movere per modum *obiecti*, non *per modum causæ efficientis*. Si infert: *Solus igitur Deus potest movere voluntatẽ per modum agentis*; & cõcludit: *Deus igitur solus voluntatem nostram in aliquid inclinare potest*. Quis ex his non iudicavit evidentem consequẽt. Ergo agens creatum nequit physicè determinare voluntatem? Physicè enim determinare est in voluntatem agere, & causare electionem non solùm per modum suadentis: Est enim movere voluntatem per modũ agentis,

*D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 88.*

tis, & ipsam inclinare. Levissimam certè iudico obiectionem, qua principium ita firmum impugnat: ex eo, quod principium creatum saltim intrinsecum potest voluntatem *necessitare*: Ergo, & determinare: Antec. enim est falsissimum; vt enim demõstrat Doct. Sanctus: *Nulla creatura potest directè agere in voluntatem vt eam immutet necessariò, vel qualitercumque inclinet, quod Deus potest.* Dum aliquid creatum necessitat voluntatem est per modum *formæ* Deus autem efficiẽs formam illam (nequit enim effici à creatura) necessitat per modum *efficientis*; Ita expressè Div. Thom. ait enim: *Immutat autẽ Deus voluntatem dupliciter, vno modo movendo tantum sine hoc, quod aliquam formam imprimat voluntati. Alio verò modo imprimendo aliquam formam in ipsam voluntatẽ, cum ex aliquo superaddito sicut est gratia, vel virtus inclinatur ad volẽdum aliquid ad quod priùs non erat determinata; sed hæc inclinatio superaddita quandoque est perfecta, quandoque* imperfecta: *Quandoquidem est* perfecta, *facit necessariam inclinationem in id ad quod determinat, sicut contingit in* Beatis, *in quibus charitas perfecta inclinat sufficienter in bonum, non solùm quantum ad finem vltimum, sed quantum ad ea, quæ sunt ad finem. Aliquando verò forma superaddita non est vndequaque* perfecta, *sicut in viatoribus, & tunc ex forma superaddita voluntas* inclinatur *quidem, sed non ex necessitate*: Ergo quando voluntas inclinatur ex necessitate ex *forma perfecta* superaddita, Deus est qui eam *efficienter* necessitat imprimendo voluntati formam, & eam immutando.

*D. Tho. q. 22 de verit. artic. 9.*

*D. Th. q. 22. de verit. artic 8. in corpore.*

1508 Ad 4. Resp. ex illo modo arguendi equè colligi, posse *existentiam* omnium Angelorum, immò, & totius vniversi depẽdere à nutu creaturæ alicuius, quia vniversum depẽderet in cõservari à Deo, & posset Deus decernere cõservare vniversum, aut non conservare, modo quo à creatura petatur, aut exoptetur; etiamquè inferri, posse *voluntatem necessitari* dependenter à creatura, sicut infertur posse *libertatem determinari*, cũ sit indubium Deum posse necessitare voluntatem, & nulla est repugnantia in eo, quod Deus decernat *necessitare* voluntatem, si à creatura talis necessitas petatur, aut exoptetur: Sed pro omnibus Resp. casum esse possibilem, sed adhùc in illo libertatem nostram non futuram esse dependentem à creatura ad sua exercitia; Ratio: Quia Deus adhùc posito illo decreto non esset dependens à creatura vt determinaret libertatẽ; Ergo nec libertas esset dependens à creatura ex eo, quod esset dependens à determinatione Dei; Non enim stat A, nõ dependere à B: & libertatem esse dependentem à B, vnicè ex eo, quod dependeat ab A.

1509 Ad 5. Antec. esse verùm de dominio *iurisdictionis* vnius creaturæ comparato ad dominium iurisdictionis alteriùs creaturæ, minimè verò si comparetur ad dominium iurisdictionis Dei: & conseq. est verùm de dominio *libertatis* vnius creaturæ comparato ad dominium libertatis alteriùs creaturę, minimè verò si cõparetur ad dominiũ libertatis Dei: Sicut enim dixit D. Th. *Vna actionõ procedit àduobus agẽtibus vnius ordinis, sed nihil prohibet quin vna, & eadem actio procedat à primo, & secundo agente.* Ita dicimus nihil prohibet, quod vnum *præceptum* procedat à primo, & secundo *Domino*, & quod vna, & eadem *electio* procedat à primo, & secundo *libero*: Et arbitrium nostrum non posse eligere Deum nõ priùs electum à Deo, licèt habeat verùm dominium *libertatis*, constat ex August. versante illa verba Christi: *Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos*, ita enim ait: *Nunquid non, & ipsi postea elegerunt eum, & omnibus bonis huius*

*D. Tho 1. p. q. 105. art. 5. ad 2.*

*August. de Grat. & Libero Arbit. cap. 18.*

*huius sæculi prætulerunt? Sed quia electi sunt elegerunt; non quia elegerunt electi sunt. Eligentium hominũ meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret.* Ergò eligentium meritũ prævenit gratia Dei eligentis, priùs igitur, seù prę veniendo Deus eligit per gratiam, vt sit meritũ in nobis eligentibus: gratia enim quæ vt prę venit est Dei *eligẽtis* quomodo est indifferens? *Eligere* (Div. Thom. ait:) *est ex duobus propositis vnum alteri præoptare, vt patet per Damascenum*, & per gratiam duobus indifferentem vnum alteri non præfertur.

*D. Th. q. 22. de veritate, art. 15.*

1510 Argumentum, quod valdè magnificat P. Ramirez mihi est omninò inefficax: stat enim *determinationẽ* ab vno agente destruere *libertatem*, & non ab alio; quia ex eo solùm quod sit ab vno agente, & nõ ab alio affert secum diversa prædicata, vt quia ab vno agente libertatẽ servet, & quia ab alio libertatẽ destruat: Vndè iam patet nullam esse instãtiã, de *determinatione morali*, hæc enim à causa prima, vel secunda solùm habet movere obiectivè per modum *suadentis*, quod dominio libertatis nequit opponi: secus de determinatione movente per modum *efficientis*, quæ non sit à Deo, sed ab agente creato. Nec valere patet instantiam de prædeterm. *intrinseca*, & *extrinseca*, quę sit à Deo, nec enim, quia *intrinseca* affert prædicata vnde libertatem destruat, si eam non destruit *extrinseca*. ¶ Restat tamen scire, quæ prædicata affert secum determinatio *ab agẽte creato* vt *libertatẽ* destruat; quæ secum non afferat determinatio, quæ sit a *Deo*: Sed primo instò argumentum mihi evidenter. Deum posse *necessitare voluntatem* est principium omnibus Theologis, & Philosophis notum; Similiter est principiũ notum: Nullum agens præter Deum posse effectivè *voluntatem* necessitare; Exhibe ergo, quę prędicata habet *necessitas ab agente creato*, vt *voluntati* repugnet, quę non afferat *necessitas* à Deo, quæ *voluntati* non repugnat: & ego præstabo prædicata, quæ habet *determinatio* ab agente creato vt *libertati* repugnet, quæ non afferat *determinatio* à Deo vt *libertati* non repugnet: Rationẽ assigno; quia *determinatio ab agente creato* à voluntate distincto inducit *violentiam*, & coactionem *voluntati* repugnãtẽ, vnde, & *libertati*, quia motus, qui nõ est *voluntarius*, nequit esse *liber*: assumptum expressè docet D. Th per hęc verba: *Quod motus* voluntarius *hominis sit ab aliquo principio extrinseco, quod non est causa voluntatis est impossibile. Voluntatis autem causa nihil aliud esse potest quã Deus.* Quid expressiùs?

*Supra n. 62.*

*D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 6.*

1511 Audiamus iam SS. Doct. eandem disparitatem inter Deum, & agens creatum duplici ratione cõvincentem: *Violentũ* (ait) *est cuius principium est extrà, nihil conferente vim passo. Si igitur voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio, erit violẽtus motus. Dico autem moveri ab extrinseco principio, quod moveat per modum agentis, & non per modũ finis: violentum autem voluntario repugnat. Impossibile est igitur, quod voluntas moveatur à principio extrinseco, quasi ab agente; sed oportet, quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat: nulla autẽ substantia creata coniungitur animæ intellectuali quantum ad sua inferiora nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius, & sustinẽs eam in esse: à solo igitur Deo potest motus voluntarius causari.*

*D. Thom. 3. cont Gent. cap. 88.*

*Adhùc, violentum opponitur naturali, & voluntario motui, quia vtrumque oportet, quod sit à principio intrinseco. Agens autem exteriùs sic solùm naturaliter movet, in quantum causat inmobili intrinsecum principium motus, sicut generans, quod dat formam gravitatis corpori gravi generato, movet ipsũ naturaliter deorsum.*

*sum. Nihil autem aliud extrinsecum movere potest absque violentia corpus naturale, nisi fortè per accidens, sicut removens prohibens, quod magis vtitur motu naturali, vel actione, quam causet ipsum: illud igitur solum agẽs potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum huius motus, quod est potentia ipsa voluntatis. Hoc autem est Deus, qui animam solus creat, vt in secundo ostẽsum est: solus igitur Deus potest movere voluntatem per modum agentis absque violentia.* Cõsule Ferrarienſem, vt leves obiectiones in has D. Th. demonstrationes dissolvas.

*Ferrara in 3. cont. Gẽt. cap. 88. D. Thom. 1. cont. Gent. cap. 68.*

1512 Eandem veritatem ita expressit D. Thom. *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius potestate est velle, vel non velle* (Non potest clariùs exprimi dominium libertatis) *excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exteriùs agentis,* (En vbi asserit causam exterius agentem excludi à dominio libertatis, quia *violentiam* affert, vnde, & cum volũtario pugnat,) *non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari; & sic remanet causalitas in causa prima respectu motuũ voluntatis*: En disparitas inter causam exteriùs agentem, seù creatam, & causam superiorem, à qua est esse voluntatis, seù Deum; & hic influxus causæ superioris, quem non excludit dominium libertatis, est vt superioris subijcientis, & determinantis arbitrium, non vt causę inferioris arbitrio subiectæ, & determinatæ.

Paucioribus terminis poteris dare disparitatem inter determinationem ab agente creato, & à Deo; quia *dominium libertatis* solùm subijcitur *Domino dominantium*, qui est solus Deus, sicut solus est *Rex regum*; Vnde solùm à Deo non ab agente creato poterit determinari, quia omnis causa subijcitur in agendo causæ à qua ad agendum determinatur.

1513 Vltimum argumentum, quod valdè magnificat, & satis diffusè proponit, probat contra Scholam Societatis, quod nec *necessitãdo* potest Deus determinare per prędetermin. creatam, quia infinitus in linea *primi determinantis*: Immò, & probaret argumentum ex illa paritate, quia Deus vt *primum intelligibile* excludit speciem creatã, quod Deus quia infinitus in linea primi *adiuvantis*, primi *excitantis*, primi *iustificantis*, nec nos adiuvaret, nec excitaret, nec iustificaret per qualitate n creatam; quæ sunt evidenter falsa: Disparitas verò desumitur ex principio à D. Thoma insinuato: *Deum esse infinite perfectum in aliqua linea excludit denominari per aliquid creatum tanquam per* formam: *minimè verò excludit denominari per aliquid creatum tanquam* per effectum: Ratio: Forma est actus, & perfectio, quod ergo extra se habet *formam* non habet in se omnem actualitatem, & perfectionem, & exinde non est primum seù infinitum in ea linea, Nil tamen actuatur, & perficitur ab *effectu*, sed potiùs per effectũ aliud extra se perficit, ex eo ergo, quod Deus denominatur ab alio, tanquam per *effectum* non sequitur, quod in se non habet omnem perfectionem, & actualitatem sed solùm, quod est ita bonus, & perfectus vt bonitatem, & perfectionem diffundat extra se: In omnibus exemplis positis Deus denominatur à qualitate creata, vt per *effectum*, *adiuvans*, quia nos *adiutos* facit, non quia adiutorio nostro ipse *adiutus* sit: *Iustificans*, quia *nos iustos facit*, nõ quia *nostra iustitia ipse iustus sit*. Ita *determinans*, quia nos *determinatos facit*, non quia nostra determinatione ipse *determinatus* sit; Et *adiutorium* vt forma denominat *adiutũ* subiectũ, vt effectus denominat principium *adiuvans*: *Iustitia* vt forma denominat subiectum *iustum*, vt effectus principium *iustificans*; Similiter

*D. Thom. q. 27. de verit. art. 1. ad 14*

ter *determinatio*, vt forma, denominat, subiectum *determinatum*, vt effectus principium *determinans*: Cùr verò repugnet Deo, vt *primo, & infinite intelligibili* species quidditativa creata, est, quia species in genere causæ formalis denominat obiectum *intelligibilè*; ipsius enim obiecti est virtus motiva, non est virtus potentiæ in qua est; nec vt *forma intelligibilis* ipsã denominat; Repugnat ergo infinite intelligibili, quod per formã extra se denominetur intelligibilè in se, & proximè potens movere ad intellectionem sui, de quibus plura N. Thomistę in probatione sententiæ Divi Thomæ.

*Thomistæ in q. 12. 1. p. D. Thomæ.*

# QVÆSTIO QVINTA.

*Vtrùm prædeterminatio ad consensum pugnet cum eius libertate, quia voluntas non potest ei resistere?*

1514 HActenus dissolvimus argumenta, quæ intendũt prædeterminatione labefactari libertatem; quia cum sit exacta ad consensum, & inacquiribilis, dum deficit, non possunt verificari istæ propositiones: *Imprædeterminatus ad consensum potest consentire: Imprædeterminatus ad dissensum potest dissentire.* Pugnãt enim cum hoc principio, quod totis viribus fundat Societas: *Dum alicui deficit exactum ad terminum à se incomparabilè, non habet potestatem proximam obtinendi terminum.* Nũc restant non minus fortia tela, vt libertas ex prædeterminatione extinguatur, quia dũ existit, non possunt verificari istę propositiones: *Prædeterminatus ad cõsensum potest dissentire: Prædeterminatus ad dissensum potest cõsentire.* Exinde quod sit principiũ firmũ, quod: *Dum alicui adest connexum cum termino à se omninò inimpedibilè* (idest quoad existentiam, & efficaciam) *non habet potestatem proximam impediẽdi terminum, aut obtinendi oppositũ.* Quæ argumenta infringere, & infirmare intendimus in hac, & sequenti quæst. & vt clariùs procedamus, hinc tantum dissolvimus, quæ intendunt prędeterminationem consensus pugnare cum libertate, & potestate dissensus, quia irresistibilem, seù inimpedibilem quoad efficaciam.

## SECTIO PRIMA.

*Probatur prædeterminationem consensus, cui voluntas non possit resistere per dissensum non lædere libertatẽ consensus.*

1515 TAm diffusè fundavi prædeterm. esse irresistibilem, vt nũc solùm restet probare prædicatum id non obesse libertati. Primo cum prę determinatione cõsensus est libertas, quę sit potestas dissentiendi, & nõ sit potestas prædeterminationẽ *frustrandi*; ergo equè stabit potestas, quę sit libertas dissentiendi, & non sit potestas *resistendi* prædeterminationi: Antec. cõmunitèr admittunt nostri; Conseq. prob. Quia nulla verisimilis disparitas esse potest; Cùr potestas ad dissensum composita cum prædeterminatione consensus sit potestas ei resistendi, si non est potestas eam frustrandi?

*Sup. à num. 554. vsquè ad 82.*

1516 Secundo: Decretum diuinum efficax consensus non tollit eius libertatem, licèt à nobis resisti non possit per dissensum; ergo pariter prędeterminatio consensus: Antec. supponitur; & quia consensus est li-

ber, & decretum efficax Dei irresistibilè: Prob. conseq. in Thomistas, quia quæ maior difficultas esse potest in concilianda libertate consensus cum eius decreto irresistibili à nobis, quã in consocianda libertate consensus, cum eius prædeterminatione irresistibili à nobis? Si enim stat cum decreto consensus esse potestatem dissensus, quæ non sit potestas resistendi decreto; Cùr cum prædeterminatione consensus non poterit esse cõposita potestas dissensus, quę non sit potestas resistendi prædeterminationi?

1517 Si dicas cum his Authoribus, prędeterminationem esse resistibilem, quia Cõcilia, & SS. Patres edocent gratiam efficacem resistibilem, & gratiam efficacem esse prędetermi nantem, secus accidere in decreto efficaci, quod Scriptura irresistibile clamat. Contra est 1. Quia hoc extra rẽ est, quia nunc controvertimur, cum gratia irresistibili posse componi libertatem, sicut cum decreto irresistibili conciliatur. ¶ 2. Quia Concilia, & PP. non edocent gratiam efficacẽ resistibilem, immò potiùs esse irresistibilem affirmant, vt alibi fundavi; vnde componere libertatem cũ gratia efficaci erit eam componere cum gratia irresistibili. ¶ Addo: gratia, quam PP. edocent resistibilem, est cui aliquando resistitur, sed gratiæ efficaci nunquam actu resistitur; ergo gratiam efficacem non docent PP. resistibilem.

*Suprà num. 601. vsquè ad 10.*

1518 Si dicas cum PP. Societatis, decretum efficax, licèt irresistibilè servare libertatem; quia est impedibilè quoad existentiam: prædeterminationem verò libertatem lædere, quia coniungit cum irresistibilitate esse inimpedibilem quoad existentiã. ¶ Obtineo, quod suscepi probandũ, titulo, scilicèt irresistibilis prædeterminationem non lædere libertatem; in quæstione sequenti ostendam hoc prædicatum adhìc, vt coniunctũ cum inimpedibili nõ esse libertati inimicum; legito superiùs dicta, vbi ex SS. PP. Augustin. & Thoma explicui, nec voluntatem efficacem Dei servare libertatem, quia est impedibilis; nec motionem efficacem Dei eam non lædere, quia est resistibilis.

*Sup. à num. 924. vsquè ad 44.*

1519 Ratio à priori conclusionis est. Voluntatem non posse dissentire dissensu *composito* cum prædeterminatione, est ei non posse resistere, & eam irresistibilem esse, sed stat voluntatem prędeterminatam esse liberam in consentiendo, & non posse dissentire dissensu *composito* cum prædeterminatione; ergo stat voluntatem esse liberam in consentiendo; & non posse resistere prædeterminationi: discursus rectus, prob mai. Prædeterminatio est irresistibilis si voluntas non potest ponere dissensum modo, quo est resistentia; hoc enim est voluntatem non posse in resistentiam; sed dissensus solùm potest esse resistẽtia compositus cum prædeterminatione, quia dum prędeterminatio deest, licèt dissensus adsit non resistit prædeterminationi, non enim est resistentia, dum non est, cui resistatur; ergo. ¶ Probo 1. min. vt volũtas prædeterminata sit libera in consentiendo sufficit vt habeat secum compositam potestatem ad dissensum à prædeterminatione *divisum*; ergo non exigitur potestas ad dissensum cum prędeterminatione cõpositum: prob. antec. 1. Libertas consensus solùm exigit potestatem dissensus, vt existẽtis modo possibili; sed dissensus compositus cum prædeterminatione consensus nõ est possibilis, sed solùm est possibilis, vt ab ea divisus; ergo. ¶ 2. Potestas ad dissensum, vt oppositũ consensui sufficit ad libertatem consensus, cum libertas sit ad oppositа, sed dissensus divisus à prædeterminatione consensus opponitur consensui; ergo potestas ad dissensum ita divisum sufficit ad libertatem consensus.

1520 Explicatur 1. Prædeter-

mi-

minationem consensus esse irresistibilem, est esse inconiungibilem cum dissensu; sed componuntur prædeterminationem esse inconiungibilē cum dissensu, & coniunctam cum potestate dissensus; ergo componuntur prædeterminationem esse irresistibilem, & compositam cum potestate dissensus; sed prædeterminatio coniuncta cum potestate dissensus componitur cum libertate consensus; ergo stat prędeterminationem esse irresistibilem, & compositam cū libertate consensus: cætera patent præter 1. min. quæ ex eo probatur, quod potestas dissensus est realiter distincta, & separabilis à dissensu, ideòque consensus repugnans dissensui coniungitur cum potestate dissensus. ¶ 2. Plurimis exemplis 1. existente scientia Dei de consensu est potestas dissensus, quæ non est potestas falsificandi scientiā, quia est potestas ad dissensum *non cōpositum*, sed *divissum* à scientia, & dissensus solùm potest esse scientiæ falsificatio, vt compositus cum sciētia, quia dum scientia non est non falsificatur; sicut ergo componitur potestas dissensus cum scientia infalsificabili, ita, & cum prędeterminatione irresistibili. 2. Stante in Christo præcepto irresistibili mortis, est potestas ad omissionem mortis, quia est libertas in mortis acceptatione, & non est potestas resistendi prędcepto, quia est potestas ad omissionem non præcepto compositam; sed ab eo divissam, qualiter omissio non est resistentia, quia *vbi non est lex, nec prævaricatio*; si ergo omnes Thomistæ cum præcepto irresistibili mortis componere adstringimur potestatē omittendi mortem, eiusque libertatem; Cùr non ex eis principijs componemus libertatem cum prædeterminatione irresistibili?

1521 Duo tamen animadverte. 1. Nunquam esse asserendum aliquā potestatem dissensus amittere volūtatem per prædeterminationem consensus. Quæcumque enim existens in voluntate ante prædeterminationem ei coëxistit: Ratio, potestas ad dissensum *compositum*, cum prædeterminatione consensus non erat in voluntate ante prædeterminationem, quia hæc potestas est chimærica, & ad chimæram; vnde non est auferibilis; solùm igitur potestas ad dissensum *divissum* à prædeterminatione erat in voluntate ante prædeterminationē; sed hæc potestas per prædeterminationem non amittitur, immò potiùs ei coëxistit, nulla igitur erat potestas in voluntate, quæ per prędeterminationem auferatur, & ei nō coëxistat.

1522 Secundo illis vulgaribus terminis, *sensus compositi*, & *divisi*, vt equivocatio omnis auferatur, non esse vtendum; ita vt possint applicari *potestati*, aut potestatis *termino*: de *potestate* enim dissensus indubium est esse *compositam* cum prædeterminatione consensus; aliàs non poneretur cum prædeterminatione libertas consensus constituta per potestatem dissensus; debent enim semper afficere *terminum* potestatis; asserimus quidem cum prędeterminatione consensus esse *compositam* potestatē ad dissensum *divissum* ab ea prædeterminatione; ex quo inferes; esse *compositam* libertatem cum prædeterminatione; & non esse compositam potestatem resistendi ei; quia potestas, quæ est *composita* est ad dissensū *divissum*, non *compositum*, & dissensus à prædeterminatione *divissus* non est prædeterminationis resistentia.

## SECTIO SECVNDA.

*Sophisticæ argutiæ scitu dignæ refutantur, & potestatem dissentiendi nō esse potestatem resistendi prædeterminationi, roboratur.*

1523 OPpones 1. Voluntati non est simpliciter necessarium *non resistere* gratiæ efficaci; ergo non est simpliciter, & antecedenter impossibile resistere gratię efficaci; & cum gratia efficax sit prædeter-

terminans, non erit voluntati impoſſibile reſiſtere prædeterminationi 1. conſequētia eſt evidens; quia vnius contradictorij antecedens impoſsibilitas eſt alteriùs contradictorij antecedens neceſsitas, cum ergo *reſiſtere*, & *non reſiſtere* contradictoria ſint, antecedens impoſsibilitas reſiſtendi eſt antecedens neceſsitas non reſiſtēdi: Prob. 1. antecedens. Si eſt antecedenter neceſſarium *non reſiſtere* eſt antecedenter neceſſarium *conſentire* poſita prædeterminatione; ſed conſentire non eſt ſimpliciter neceſſariū, cum ſit liberum adhùc prædeterminatione poſita; ergo, & liberum erit *non reſiſtere*: Prob. mai. 1. *Conſentire* poſita prædeterminatione eſt *non reſiſtere prædeterminationi*: conſentiēdo enim ei nō reſiſtitur; ergo eo modo, quo eſt neceſſarium, *non reſiſtere* erit neceſſarium conſentire. ¶ Vel alitèr; *conſentire eſt non reſiſtere*, ſed poſita prędeterminatione eſt voluntati liberum *conſentire*; ergo eſt voluntati liberum *non reſiſtere*.

1524 Hoc argumentum eſt evidenter fallax, & 1. ſi ly *reſiſtere* mutetur in ly nō *fruſtrare*, quę reſpectu prædeterminationis idem ſunt; clarè inſtatur, quia ecce eandem formam; *conſentire eſt non fruſtrare*; ſed non fruſtrare prædeterminationē eſt neceſſarium, cum eius fruſtratio ſit impoſsibilis; ergo conſentire eſt neceſſarium. 2 inſtatur in præcepti mortis Chriſti adimpletione; poſito pręcepto *mori eſt non peccare*, *ſeù non reſiſtere præcepto mortis*, ſed Chriſto eſt neceſſarium non peccare, ſeù non reſiſtere præcepto mortis; quia peccare eſt Chriſto antecedenter impoſsibilè; ergo poſito præcepto mortis, mori eſt Chriſto neceſſarium, vnde mors Chriſti non erit meritoria.

3. In omnium ſententia inſtatur forma, ſi ly *non reſiſtere* prædeterminationi mutatur in ly *non falſificare* ſcientiam: ſub hac forma, ſuppoſita ſcientia conſenſus, *conſentire eſt non falſificare* ſcientiam; ſed eſt neceſſariū non falſificare ſcientiam, quia falſificatio ſcientiæ Dei, immò, & noſtræ eſt ſimpliciter impoſsibilis; ergo poſita ſcientia eſt neceſſarium conſentire.

4. Inſtatur hæc forma in prædiffinitione efficaci Dei, quæ in omni ſententia eſt irreſiſtibilis, quia ſi *manus Domini eſt extenſa, quis advertet illā, ſi Supremus Dominus exercituum decrevit, quis poterit infirmare? Nam voluntati Dei quis reſiſtet?* Vnde ſic inſta; Poſito decreto conſenſus, conſentire eſt non fruſtrare, non infirmare, & nō reſiſtere decreto; ſed eſt voluntati neceſſarium non fruſtrare, nō reſiſtere, & non infirmare, quia reſiſtere decreto Dei, id infirmare, aut fruſtrare eſt impoſsibilè; ergo poſito decreto eſt voluntati neceſſarium conſentire.

1525 Et ratio à priori eſt, quia hoc argumentum intendit probare principium hoc: *Dum ſuppoſitio eſt inconiungibilis cum aliquo termino, non poteſt componi cum poteſtate ad eum terminū*, ex eo enim, quod prædeterminatio ſit irreſiſtibilis, ſeù inconiungibilis cum diſſenſu, infert cōſenſum non eſſe liberum, ſeù prædeterminationem non eſſe compoſitam cum poteſtate diſſenſus, quod principium eſt evidenter falſum; quia ſuppoſitio conſenſus eſt inconiungibilis cum diſſenſu, & componitur cum poteſtate diſſenſus; immò, & in aqua ſuppoſitio caloris intenſi, eſt inconiungibilis cum frigore intenſo, & tamen ſuppoſitio caloris, non ſolùm coniūgitur cum poteſtate, ſed etiam cum naturali inclinatione frigoris intenſi. ¶ Nec docta Societas principiū ita evidenter falſum aſſumit probandū; ſed ſolùm intendit, quod dum ſuppoſitio eſt incōponibilis cum termino, ſolùm poteſt componi, cum poteſtate ad eum terminū, dum eſt poteſtas impediendi ſuppoſitionem; & ideò aſſerunt poteſtatem diſſentiendi coniun-

iunctam cum scientia, decreto cõsensus, & consensu, esse potestatem impediendi scientiam, decretum, & cõsensum; sed cum hoc his formis non probetur, sed alijs quęstione sequenti examinandis, media hìc subiecta esse sophistica fatemur, vt sciamus dũ continuò in disputationibus publicis proponuntur, esse, vt ingenium exerceatur, non vt veritas inveniatur.

1526 Sed vt expeditiùs in forma argutias istas apprimè solvas; duo præmoneo. 1. Quod *non resistere* prædeterminationi (idem dicito de *non resistere* decreto, aut pręcepto mortis in Christo, & de *non falsificare* scientiam) dupliciter sumitur; potest enim *non resistere* prædeterminationi summi *positivè*; dum scilicèt consensus componitur cũ prędeterminatione; vel potest summi *non resistere purè negativè*, dum scilicèt deficiunt prædeterminatio, & consensus; quia dum prædeterminatio non est, ei non resistitur: Ratio est evidens; quia *resistere* prædeterminationi, consistit in hoc complexo: *Existit prædeterminatio, & deficit consensus*; vnde *non resistere* consistit indefectu huius cõplexi; illud autem complexum potest dupliciter deficere, vel quia existunt simul prædeterminatio, & consensus; tunc enim complexum non est ex illa parte *deficit consensus*; vnde illud voco *non resistere positivè*; quia datur *nõ resistere* per existentiam positivam consensus, potest etiam id complexũ deficere, quia simul deficiunt prædeterminatio, & consensus; tunc enim complexum non est ex illa parte, *existit prædeterminatio*: & ideò illud voco *non resistere negativè*, quia datur non resistere per negationẽ prædeterminationis.

1527 Præmoneo 2. hoc principium debere esse certum; *ad formalitates communes vtriquè libertatis extremo, non est libertas, sed necessitas*. Ratio est clara, quia libertas est necessitas disiunctiva alicuius ex extremis libertatis, specialitèr si est libertas contradictionis; ergo est necessitas absoluta ad prędicatum repertum in quolibet extremo libertatis; patet conseq. Quia dum est necessitas vt sit A, vel B, est necessitas vt prędicatum, quod est commune vtrique, sit vel in A, vel in B; est enim indifferentia, vt prędicatum illud sit in hoc, vel in illo, non autem est indifferentia, vt tale prędicatum sit, vel non sit: sicut corpus est indifferẽs, vt habeat præsentiam localem in hoc, vel in illo loco, non verò vt habeat præsentiam localem, aut non habeat. ¶ Ex quo infero esse inefficax argumentum hoc: *Hoc prædicatum convenit exercitio mihi libero; ergo est mihi liberum*. Solùm enim infertur; *ergo est mihi liberũ; quod sit in illo exercitio*. Si enim illud prędicatum sit cõveniens extremo libertatis opposito, non est mihi liberum, quod tale prædicatum sit. ¶ Exempli gratia: quis inferret esse mihi liberum chimæram non esse, & exindè, & eius oppositum, chimæram scilicèt esse; ex eo, quod est mihi liberum esse cõsensum, qui non est chimæra. ¶ 2. Quia voluntas libera non habet libertatẽ, vt exerceatur libere, aliàs esset libera, vt exerceretur non libere, vndè posset per libertatem exerceri nõ libere, quod est chimæra; libertas igitur voluntatis est necessitas vt exerceatur libere; & si ita instas: *Consentire voluntatem, est libere exerceri, sed voluntati liberæ est necessarium libere exerceri*; ergo *voluntati liberæ est necessarium consentire*; est egregiũ sophisma; quia voluntas libera est necessitata vt exerceatur libere, hoc est non potest exerceri non libere, nõ autem est necessitata, vt exerceatur libere consentiendo, quia potest exerceri libere non consentiendo, seù dissentiendo ¶ 3. In sententia negante puram omissionem liberam, & exindè asserente libertatem contradictionis esse obiectivam, non subiectivã;

est

est volũtas libera necessitata ad agẽdum; sed est subtilis cabillatio; *consentire est agere*; sed voluntas est necessitata vt agat; ergo vt consentiat. Quia eadem forma probaretur necessitas dissensus: *Dissentire est agere, sed voluntas est necessitata vt agat; ergo vt dissentiat*; quia voluntas licèt necessitata vt agat, est libera vt agat consentiendo, vel agat dissentiẽdo; & defectus Dialecticus est, quia arguitur in secunda figura affirmative, & exinde medio illo *agere* nullibi distributo, quia prædicatum propositionis affirmativæ non supponit distributivè.

1528 His præmunitus facilè argutias istas dissolves; in forma igitur rẽsp.neg.antec.& ad eius probationẽ neg.mai. Stat enim esse necessarium *non resistere*; & esse liberum *consentire*: ad eius probationes resp.esse fallaces, quia eodem modo probant esse voluntati necessariũ dissentire hac forma; *dissentire* dissensu diviso à prædeterminatione est *non resistere*; sed est voluntati necessarium non resistere; ergo, & ita dissentire. Vnde resp.iuxtà 2.notabilè hanc libertatẽ versari inter *consentire*, & *dissentire* dissensu à prędeterminatione diviso; & cum *non resistere* sit prędicatũ cõmune vtrique extremo libertatis ad id non est libertas. ¶ Expeditiùs in forma, nè recurramus ad Dialecticæ regulas dum seriò Theologiæ dogmata examinamus, iuxtà 1. notabilè ita respondè, *consentire est non resistere*, dist.mai. *est non resistere positivè*, conc. *est* non resistere *negative*, neg. distinguo etiam illud consequẽs, ergo eo modo, quo est necessarium non resistere, est necessarium consentire; dist. consequens, quo est necessarium, *non resistere positivè*, concedo consequentiam, positivè, vel negativè, nego cõsequentiam: Quia est dupliciter non resistere aliud *positivè* per consensum cũ prædeterminatione compositum; aliud *negativè* per dissensum à prædeterminatione diviſum; vnde voluntas libera ad consensum, & exinde necessitata, vt ita consentiat, vel vt ita dissentiat est necessitata *ad non resistere*, & nullam libertatem habet ad *resistere*, est verò libera ad non resistendum *negativè* per dissensum.

1529 Si instes 1. *non resistere* prædeterminationi *positivè* non est voluntati necessarium; *non resistere negativè*, non est voluntati necessarium, vt fatemur; sed nullum non resistere datur nisi *positivè*, aut *negativè*; ergo nullum non resistere est voluntati necessarium; ergo non resistere prędeterminationi non est voluntati necessarium, & exinde *resistere* erit contingens, aut liberum. Cabilatio est inepta, fateor 1. conseq. nullũ non resistere esse voluntati necessarium, & neg.2. Quia nullum non resistere est necessariũ determinatè; sed est necessitas vaga, vt sit aliquod nõ resistere; sicut nullum ex cõtradictorijs contingentibus est necessariũ; sed est necessitas vaga, vt sit aliquod ex contradictorijs contingentibus; v.g. non est necessarium existere Petrum, nec est necessarium deficere Petrum, nullum ex his est necessariu n, sed est necessarium, quod Petrus contingenter existat, aut contingenter deficiat, & ideò defectus vtriusquè contradictorij est antecedenter impossibilis; ita non est necessarium voluntati *non resistere positivè*, nec est necessarium voluntati *non resistere negativè*; est tamen necessarium vagè, & indeterminatè disiunctim, quod detur contingenter, *vel* non resistere *positivè*, *vel* non resistere *negativè*, vnde resistentia, quæ includit defectum vtriusquè non resistentiæ, est antecedenter impossibilis.

1530 Instabis 2. si est necessariũ disiunctim non resistere prædeterminationi *positivè*, vel *negativè*; ergo casu, quo deficiat non resistere *negativè* erit necessarium non resistere

*posi-*

*positivè*: patet conseq. quia quando disiunctum aliquod est necessarium est vna pars necessaria pro casu defectus aliarum partium; sed in casu existentiæ prędeterminationis deficit *nõ resistere* ei *negativè*; quia cõstituitur per defectum prędeterminationis; ergo pro casu existentiæ prędeterminationis erit necessarium ei *non resistere positivè*; sed non resistere *positivè* prædeterminationi constituitur, vt diximus per existentiam consensus; ergo pro casu prædeterminationis erit necessarius consensus. ¶ Explicatur aliàs sit posibilis duplex modus non resistendi prædeterminationi; tamen prædeterminatione suppositа non est posibilis alia non resistẽtia præter *positivam*, quę includit existentiam consensus: consensus nõ est simpliciter necessarius; ergo *non resistere* prędeterminationi non erit in illo casu simpliciter necessarium; sed nec est *impossibilè* aliàs prędeterminatio necessario resisteretur; ergo *nõ resistere* erit contingens, si consensus est liber, vnde poterit per *resistentiam* excludi.

1531 Sed istæ fallaciæ sunt: instandæquè exemplis vsquè ad nauseã inductis. Vndè neg. 1. cõseq: vel dist. conseq. Ergo casu, quo deficiat non resistere *negativè*, erit necessarium non resistere *positivè*; erit necessariũ consequenter secundum quid, & ex suppositione cõced. erit necessarium antecedenter, & simpliciter, neg. stat enim disiunctum esse necessariũ simpliciter, & non esse vnam partem simpliciter necessariam ex suppositione defectus alteriùs, dum suppositio defectus alteriùs partis est contingens; disiunctum enim ex amore, & carentia amoris est necessarium simpliciter, quia est ex contradictorijs, & tamen non est vna pars simplicitèr, seù antecedenter necessaria adhùc ex suppositione defectus alteriùs, idem est in disiuncto ex scientia divina consensus, vel dissensus: Vndè vt plures innanes argutias præcaveas. Nota, quod si disiunctum necessarium constat ex vna cathegorica impossibili, alia est simpliciter necessaria, quia si est necessarium simpliciter vnam ex illis existere, dum vna necessario deexistit; vt in hac *Petrus est homo*, vel *non est homo*; dum verò in disiunctiva necessaria, quęlibet pars est contingens, nulla necessario simpliciter existit, adhùc ex suppositione defectus alteriùs, quia suppositio hæc est contingens; ad rem: cum supponis prædeterminationem existere deficit non resistere *negativè*; sed defectu contingenti; vnde licèt sit necessariũ non resistere *negativè*, aut *positivè* adhùc in illa suppositione non est necessarium non resistere *positivè* nisi consequenter, & secundùm quid.

Ad explicationem resp. dist. 1. ant. Prædeterminatione suppositа nõ est posibilis, alia non resistentia præter *positivam*; non est posibilis *consequenter* concedo; non est posibilis antecedenter neg. Quia semper manet antecedentèr posibilè non resistere *negativè*, vndè necessarium est est simpliciter aliquam existere ex his non resistentijs, neutra tamen est simpliciter necessaria adhùc ex suppositione, quod altera deficiat, quia quælibet contingenter deficit, & cõtingenter existit, & hoc argumentum in terminis sibi oppositum, & contrivit D. Thomas, vt alibi ponderavi.

§. II.

*Argutiæ desumptæ ex eo, quod impossibilitas resistendi, sit in voluntate prædeterm. ad consensum, impossibilitas dissentiendi, dissolvuntur.*

1532 Iam vidimus contritum argumentum intendens esse necessarium consentire, quia est necessarium non resistere prædeterminationi, nũc eodem modo intenditur esse impossibilè voluntati prædeterminatæ *dissentire*; quia est impossibilè prædeterminationi *resistere*; vndè ex irresistibilitate oppugnatur vtroquè ex la-

latere libertas, vel quia irresistibilitas est necessitas consensus, vel quia est impossibilitas dissensus; vnde.

P. Borrul. de Scient. Media, disp. 10 sect. 1. in fine.

Oppones 2. Si voluntas prædeterminata posset dissentire, posset prę determinationi resistere; ergo si non potest ei resistere, nec dissentire; ergo si prędeterminatio est irresistibilis voluntas prędeterminata non est libera ad consensum: cætera patent, & 1. ant. in quo stat difficultas prob. 1. ille potest resistere alicui, qui potest ponere oppositum; dissentire autem est oppositum prædeterminationi ad consensum; ergo, qui potest dissentire, potest prædeterminationi resistere, eamque frustrare.

P. Borrul ibi.

1533 Confirmatur 1. Posita prædeterminatione actu dissentire, est actu resistere, & actu frustrare; ergo posse actu dissentire erit posse resistere, & frustrare, prob. conseq. quia potentia terminata ad id, quod est actu resistere, & frustrare, est potentia resistendi, & frustrandi sicut potentia terminata ad id, quod est actu cognoscere, est potentia cognoscendi, & potentia terminata ad id, quod est actu amare, est potentia amandi: potētia autem dissentiendi actu, est potētia terminata ad id, quod est resistere & frustrare; cum actu dissentire sit actu resistere, & frustrare; ergo, & potentia resistendi, & frustrandi.

P. Aldrete de Scient. disp. 24. sect 5.

1534 Confirmatur 2. ex P. Alderete argumēto, quo (vt ait) sui AA. aduersus non nullos ex nostris vtuntur: *Non operari Petrum stante prædeterminatione de operatione ipsius, est frustrare talem prædeterminationem; sed homo stante tali prædeterminatione habet potentiam antecedentē ad non operandum; ergo habet potentiam antecedentem ad frustrandam talem prædeterminationem.* Consequentiam nemò iure negare potest, quoniam est lumine naturæ notissima, & argumentum procedit à definitione ad definitum; nam si semel concedatur hæc propositio: *Non operari stante prædeterminatione est frustrare prædeterminationem*, nullus erit locus distinguendi illud consequens, *ergo posse non operari actu stāte prædeterminatione est posse potentia antecedenti eam frustrare*; quia eo modo, quo fuerit potentia antecedens ad definitum necessè est sit potentia ad definitionem obiectivā; sed non operari stante prædeterminatione, & frustrari illam se habent, vt diffinitum, & definitio; vel si hoc negetur, explicetur quæso, quid sit formaliter frustrari prædeterminationem? Ergo.

Vndè sic proponitur efficacitas huius argumenti: potentia ad nō operandum stante prędeterminatione est potentia ad id, quod est formalissimè non operari stante prædeterminatione; sed non operari stante prædeterminatione est formaliter frustrari prę determinationem; ergo potentia ad non operandū stante prædeterminatione eo sensu, quo est potentia ad non operandum est formaliter potētia ad frustrationēprędeterminationis

1535 Prob. ant. 2. Necessitas *nō* resistendi est impossibilitas antecedens *dissentiendi* posita prædeterminatione; ergo posse voluntatem prædeterminatam dissentire, est posse prædeterminationi resistere: patet conseq. prob. ant. *Hic* est rectus syllogismus *dissentire posita prædeterminatione est resistere prædeterminationi, sed voluntas non potest resistere prædeterminationi; ergo stante prædeterminatione non potest dissentire*: Sed mai. est certa, & min. est vera, quia necessitas non resistendi est non posse resistere; ergo ex necessitate non resistendi infertur impossibilitas dissentiendi. Prob. mai. hìc syllogismus est rectus: *Resistere prædeterminationi est componere dissensum cum prædeterminatione, sed voluntas non potest componere dissensum cum prædeterminatione; ergo non potest resistere prædeterminationi.* Hoc enim

syllo-

syllogismo probatur voluntatem nō posse resistere prædeterminationi, quia dicebamus in eo, non arguitur à sensu composito ad divisum negativè, sed à definitione ad definitum; sed ille alter syllogismus est similis formæ, & in eo similiter arguitur à definitione ad definitum, seù de impossibilitate resistendi ad impossibilitatē illius, quod est resistere, ergo est syllogismus rectus.

1536 Sed hęc forma est evidēter sophistica, & evidenter instatur in exemplis adductis: 1. Posse enim, supposita scientia divina consensus, dissentire non est posse falsificare scientiam, licèt sit posse in oppositū eius, quod scientia affirmat: 2. Supposita prædiffinitione efficaci divina cōsensus, licèt impedibili, quam Societas defendit, posse dissensum, est posse in oppositum eius, quod prædiffinitio decernit, quin sit posse ei resistere, eā frustrare, & infirmare: 3. Posse Christum adhùc posito præcepto mortis non mori, non est posse prævaricare, legi, aut præcepto resistere, licet sit posse in oppositum rei præceptæ. Vndè pro omnibus.

1537 Respondeo negando ant. ad eius probationem, dist. illam mai. *Ille potest resistere alicui, qui potest ponere oppositum*; coniunctim cum illo, concedo, divisivè ab illo, nego, cùm verò voluntas prædeterminata ad consensum, licèt posit in dissēsum oppositum, non posit dissensum cōpositum cum prædeterminatione, sed à prædeterminatione divisum, non potest in oppositum modo, quo sit prædeterminationis resistentia.

1538 Confirmatio 1. est similiter fallax; fateor ant. quod si voluntas prædeterminata ad cōsensum dissentiret actu, resisteret, nego, verò, quod posse dissentire sit posse resistere, & 1. insto eadem forma; si volūtas consentiens dissentiret componeret dissensum cum consensu; ergo si voluntas consentiens potest dissentire, potest componere dissensum cum consensu; vbi idem arguēdi defectus committitur ¶ 2. Audiamus Sanctū Augustinum ita asserentem: *Horum* (qui secundum propositum vocati) *si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemò eorum perit, quia non fallitur Deus*; & vide fallaciam: si quisquam prædestinatorum periret falleretur Deus ex Augustino. ergo prædestinatum posse perire, est posse Deum falli: prosequitur Augustinus. *Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemò eorum perit, quia nulla re vincitur Deus*; En iterùm fallaciam; si vocatus secundum propositum periret actu vinceretur Deus, ex Augustino. ergo si vocatus potest perire, Deus potest vinci. *Augustin. de Corrept. & Grat. cap. 7.*

Vnde resp. concedo ant. si prædeterminatus dissentiret componeret dissensum cum prædeterminatione, & exinde resisteret prędeterminationi, & neg. conseq. & ad probationem concessa mai. quod scilicèt potentia terminata ad id, quod est actu resistere est potentia resistendi, neg. min. quod scilicèt potentia terminata ad dissentire terminetur, ad id, quod est actu resistere; & ratio est, quia dissētire compositum cum prædeterminatione est resistere prædeterminationi, & potentia, quæ componitur cum prædeterminatione, non respicit pro termino dissentire compositum cum prędeterminatione, quia hoc dissentire est chimæra; sed inspicit pro termino dissentire divisum à prædeterminatione, & ita dissentire non est resistere; vndè potiùs redarguo: potētia terminata ad dissentire eo tantum modo, quo dissentire non est resistere, non est potentia resistendi; sed prædeterminatus solùm habet potentiam ad dissentire dissensu à prędeterminatione diviso; quomodo dissentire non est resistere; ergo prædeterminatus potens dissentire non potest resistere.

1539 Ad 2. confirm. resp. tàm

longè abeſſe cõſequentiam illam eſſe lumine naturæ notiſsimã, quod crederem eſſe evidenter fallacem, & ſyllogiſmum non eſſe rectè diſpoſitum; En mai. *Non operari ſtante prædeterminatione eſt fruſtrare prædeterminationem*, quę eſt vera, & maior extremitas eſt ly *fruſtrare prædeterminationem*: medium eſt *non operari ſtante prædeterminatione*: de toto enim hoc ſubiecto affirmatur eſſe fruſtrationem. En minorem; *ſed homo ſtante prædeterminatione habet potẽtiam ad non operandũ*; vbi eſt in hac minore medium, quod erat ſubiectũ mai. nam ly *ſtante prædeterminatione* ſe tenet ex parte ſubiecti, ly *non operari* ex parte prædicati, & mediũ, quod erat complexe ſubiectum mai. in min partim ponitur ex parte ſubiecti, & partim ex parte prædicati; vnde quatuor in terminis proceditur, cũ terminus nullus aſſumptus in mai. iterùm ſit in minori; non ergo arguitur à definitione ad definitum, ſed ex potentia ad vnum terminum, ad potentiam ad alterum omninò diſsimilem: ex potentia ſcilicèt ad *non operandum*, ad potẽtiam *ad fruſtrandũ*, quaſi non operari non poſſet eſſe non fruſtrare, vt ergo fiat ſyllogiſmus in forma, ita debet efformari minor; *ſed homo habet potentiam antecedentem ad non operandum ſtante prædeterminatione*; tunc enim rectè arguitur de potentia ad definitionem, potentia ad definitum; ſcilicèt ex potentia *ad non operandum ſtante prædeterminatione*: potentia ad *fruſtrandum*, ſeù *reſiſtendum*, ſed ſicut conſequens eſt falſum eſt falſa minor; quia in homine non eſt potentia ad *non operandũ ſtante prædeterminatione*. ¶ Ad cuius evidentiam nota, hãc propoſitionem, *homo ſtante prædeterminatione operationis poteſt nõ operari* eſſe valdè diverſam ab iſta: *Homo poteſt non operari ſtante prædeterminatione operationis*; prima enim eſt vera, ſecunda eſt falſa; prima enuntiat cum prædeterminatione ex parte ſubiecti eſſe poteſtatem ad nõ operandũ, quod eſt verùm; ſecunda affirmat eſſe poteſtatem ad non operandum cũ prædeterminatione, quæ ſe tenet ex parte termini, ſeù non operationis, quod eſt falſum; quia hoc complexum *non operari ſtante prædeterminatione operationis*, nullam poteſt terminare potentiam veram: vnde ſi ſyllogiſmus aſſumit primam propoſitionem verã, deficit in forma; ſi aſſumit ſecundam, non deficit in forma; ſed aſſumit præmiſſam falſam, & infert falſum conſequens.

1540 Et vt diverſitatem iſtarum enuntiationum percipias, vide in his propoſitionibus: *Petrus in inſtanti poteſt moveri* eſt vera; quia ſolùm enuntiat in inſtanti cõvenire Petro poteſtatem motus, hæc verò *Petrus poteſt moveri in inſtanti*, eſt falſa; quia enuntiat eſſe poteſtatem in Petro, vt in inſtãti moveatur, quod eſt falſum; quia motus in inſtanti eſt chimęra; in eodem ſenſu ſumuntur iſtæ propoſitiones, *Petrus immotus poteſt currere*, quæ eſt vera, quia ly *immotus* ſe tenendo ex parte ſubiecti, ſolùm enũtiat, quod Petro dum non movetur convenit poteſtas curſus, quod eſt verùm; hæc verò *Petrus poteſt currere immotus*, eſt falſa; quia ly *immotus* ex parte termini enũciat curſum poſſe eſſe ſine motu, quod eſt falſum: idẽ eſt in his; *aqua cum calore inclinatur ad frigiditatem*; *aqua inclinatur ad frigiditatem cum calore*: prima eſt vera, quia aqua coniungit cum calore inclinationem frigiditatis; ſecũda falſa, quia terminus inclinationis naturalis aquæ non eſt frigiditas cum calore, quia naturaliter cum eo incõiungibilis: hancque doctrinam nos edocuit S. Thomas; dum enim opponeret, vt Deus non poſſet facere niſi facta, hanc propoſitionem: *Deus non poteſt facere niſi, quod præſcit ſe facturum*; ita reſpondet exponendo eã (*hæc locutio Deus non poteſt facere, niſi*

*D. Thom. q. 1. de Potent art. 5. ad 1.*

*nisi, quod præscit se facturum, est duplex, quia exceptio potest referri ad Potentiam, quæ importatur per* ly *potest, vel ad actum, qui importatur per* ly *facere*: Si primo modo, tunc locutio est falsa, plura enim potest facere, quàm præsciat se facturum, & in hoc sensu ratio procedebat; si autem secundo modo, sic locutio est vera, & sensus, quod non potest esse, quod aliquid fiat à Deo, & non sit à Deo præscitum, sed hic sensus *non est ad propositum.*) Et omnes, qui concedũt prædiffinitiones divinas impedibiles adstringuntur paritèr distinguere hãc propositionem: *Voluntas potest facere, quod non sit prædefinitio postquam est*; quia si ly *postquam est* se tenet ex parte obiecti, seu termini libertatis, propositio est falsa, si ly *postquam* est significet ex parte subiecti durationẽ in qua existit libertas, propositio est vera; similiter dicimus nos, si huic propositioni: *Petrus potest non operari* addis ly *cum prædeterminatione*, vel ly *cum prædeterminatione* refertur ad potentiam, quæ importatur per ly *potest*: significando durationẽ, in qua existat libertas, & tunc locutio est vera, sed non est ad propositũ, vt inferas potestatem resistendi, quia non operari non est resistere; vel ly *cum prædeterminatione* refertur ad actum, qui importatur per ly *non operari* significãdo obiectum libertatis, & tunc locutio est ad propositum inferendi resistentiam; quia in hoc cõplexo *non operari cum prædeterminatione*, stat resistentia; sed locutio est falsa; quia præiactum complexum non terminat potestatem veram.

1541 Instabis: Hæc omnia solũ probare, quod sit impossibilè consequenter frustrare prędeterminationem, aut ei resistere, seù quod verùm sit nunquam actu resisti, & frustrari, minimè verò convincere esse impossibilè antecedenter eam frustrare, & ei resistere, & prob. prædeterminatio reddit impossibilem resistentiam, & frustrationẽ, quatenus reddit impossibilem dissensum, cum sit connexa cum consensu; sed prędeterminatio solùm reddit impossibilem cõsequẽter dissensum; quia nunquam potest verificari prædeterminatum actu dissentire, non reddit autem dissensum impossibilem antecedenter; ergo nõ antecedenter, sed consequenter impossibilem reddet resistentiam, difficilè enim apparet, impossibilem esse dissensum cum prædeterminatione esse impossibilitatẽ resistẽdi, & quod impossibilitas resistendi sit antecedens, si impossibilitas dissensus est purè consequens.

1542 Resp. Argutiam esse innanem, plurimis materijs communem; sed pro eius clara, & facili solutione expono vniversale principiũ in materia libertatis ex terminis notum, vt iudico: *Impossibilitas consequẽs existendi* B *orta ex eo, quod existat* A, *est impossibilitas antecedens coniungendi* B, *cum* A. Ratio est evidens, quia si B posset coniungi cum A, existere B, non pugnaret cum existere A, dum enim vnum potest coniũgi cum alio, non pugnat cum existentia illius; ergo ex eo, quod existeret A, non esset impossibilitas aliqua, vt existeret B; ergo à contradictorio consequentis, si A, est impossibilitas aliqua, vt existat B, est omninò impossibilè A coniungi cum B. ¶ Exemplis declaratur: vnum contradictorium reddit impossibilè consequenter alterum, quia est antecedenter impossibilè coniungi duo contradictoria: 2. In amore, & odio, in scientia divina, & prędiffinitione consensus, cum dissensu, in præcepto consensus impositio voluntati impeccabili, & dissensu, omnes enim istæ formæ reddunt impossibilẽ consequenter dissensum; quia est antecedenter omninò impossibilè formas præiactas coniungi cum dissensu. 3. Quia D. Thomas ex impossibilitate consequenti in Deo prædestinandi nõ prædestinatum, intulit esse impossibilè

*D. Thom. adductus à num. 564.*

bilè antecedenter Deum mutari, & addere numero prædestinatorum, vndè (plurimis exemplis omissis) nulla est impossibilitas consequens, quæ non fundetur in aliqua impossibilitate antecedente; vndè prędeterminatio ad consensum est impossibilitas consequens dissensus, quia est antecedenter impossibilè eam prędeterminationem componi cum dissensu, exindequè resistentia erit antecedenter impossibilis, cum consistat in cõpositione prædeterminationis ad cõsensum cum dissensu, aliàs chimærica

1543 Ad 2. prob. antec. allatam n. 1535. Resp. neg. ant. ad cuius prob. neg. illum syllogismum esse rectum; quia cum arguitur ex impotentia resistendi impotẽtia dissentiendi, infertur ex impotentia in sensu composito, quem exigit resistentia, impotentia ad sensum divissum; vndè est fallax argutia, sicut enim ineptè arguitur à sensu diviso ad compositum affirmativè, ita, & à sensu composito ad divissum negativè; nec valet aliũ syllogismum, quo vtimur, esse rectum, quia in eo solùm colligitur ex impotentia ad compositionem impotentia ad terminum exigentem necessariò eam compositionem; qui modus arguendi est à definitione ad definitũ; quod evidenter conspicies si attẽdas exempla superiùs ex D. Thoma adducta, vt Deus possit scire, quod nõ scit, quim possit scientia Dei augeri, hic enim syllogismus est fallax: *Si stante hoc numero scitorum, Deus aliud sciret, scientia Dei augeretur; sed sciẽtia Dei non potest augeri; ergo stante hoc numero scitorum Deus non potest aliud scire*: Quia arguitur ex impotentia augmenti, quod exposcit sensum compositum, impotentia aliud sciendi, quæ est impotentia in sensu diviso; hic verò syllogismus est rectus (quia eo vtitur S. Thom.) ad probandum scientiam Dei non posse augeri: *Augeri scientiam est componi Deum scire aliquid, quod priùs non scivit; sed non possunt hæc duo componi; ergo scientia Dei non potest augeri*; quia arguitur à definitione ad definitum, seù ab impotentia compositionis ad impotentiam termini exigentis compositionem, ita etiam potest instari, in numero prędestinatorum, cui non potest fieri additio, licèt Deus posit prædestinare non prædestinatũ: similiter accidit in nostro casu.

*Sup. n.* 569.

§. III.

*Suadetur hanc prop.* Voluntas potest resistere prædet. *non esse modalem divisam.*

1544 OPpones 3. hęc propositio, *voluntas prædeterminata potest resistere prædeterminationi* est modalis divisa; ergo, & vera, licèt resistentia non sit componibilis cum prædeterminatione: conseq. infertur; quia istę propositiones, *iustus potest læthaliter peccare; sedens potest currere*, sunt verę, licèt peccatum cum gratia, & cursus cum sessione coniũgi non possint, quia faciunt sensum divisum, prob ant. nam iuxtà regulã apud Thomistas vulgarem, modalis composita est in qua dictum subijcitur, & modus prædicatur, seù ponitur in fronte propositionis sicut hęc, *albũ esse nigrum est possibilè*: modalis autem divisa est illa in qua modus mediat inter partes dicti, sicut in his, *album potest esse nigrum, vel album possibiliter est nigrum*: sed in ea propositione; *voluntas prædeterminata potest resistere prædeterminationi* modus mediat inter partes dicti, vt patet; ergo præiacta propositio est modalis divisa.

1545 Sed licèt M. Lemos concedat non esse inconveniens eam regulam infringi eo, quod non est vniversaliter vera; eam tamẽ, quia apud Thomistas communem, & in D. Tho. solidè fundatam, admittendo; respõdeo tripliciter: 1. eam regulam esse certam, dum actus, qui est terminus potestatis non exprimit ex terminis compositionem cum actu, qui se te-

*M. Lemos, tom. 1. tract 4. c. 12. D. Th. Opusc 34. cap. 5.*

net

net ex parte ſubiecti ; ſicut accidit in noſtro caſu; vbi *reſiſtere prædeterminationi*;expreſſum vt terminus poteſtatis dicit ex ſe compoſitionem cum prædeterminatione,ſeù forma poſita ex parte illius ſubiecti *voluntas prædeterminata*: quis enim diceret hanc propoſitionem ; *voluntas prædeterminata poteſt componere diſſenſum cũ prædeterminatione* facere ſenſum diviſum ex eo, quod ly *poteſt* mediat inter partes dicti? Cùm expreſiſsimè ſenſum compoſitum explicet.

1546 Reſp.2. Illam propoſitionem ex modo ennuntiandi eſſe diviſam ; quia non componit terminum poteſtatis cum actu ſe tenẽte ex parte ſubiecti,quia ex parte ſubiecti ſe tenet,ſed quia ipſemet actus vlteriùs ſignificatur ex parte termini;nõ enim componitur reſiſtentia cum prędeterminatione,quia prędeterminatio ponitur ex parte illius ſubiecti , *volũtas prædeterminata*; ſed quia additur ex parte illius termini ; *reſiſtere prædeterminationi* ; cuius ſignum evidens eſt,has propoſitiones eſſe equè falſas *voluntas poteſt reſiſtere prædeterminationi* : *voluntas prædeterminata poteſt reſiſtere prædeterminationi*. Et tamen in prima non ponitur prædeterminatio ex parte ſubiecti;ſed ſolũ componitur de poſsibili reſiſtentia cum prædeterminatione ex parte termini poteſtatis ; igitur ſecunda non ideò eſt falſa;quia componit terminũ poteſtatis cum actu , qui ſe tenet ex parte ſubiecti,quia ſe tenet ex parte ſubiecti,ſed quia ipſe actus ſubiecti vlteriùs includitur in poteſtatis termino; vndè hæc propoſitio; *voluntas prædeterminata poteſt reſiſtere gratiæ excitanti* : eſt abſolutè vera , & facit ſenſum diviſum reſiſtentię à prædeterminatione,quæ eſt ex parte ſubiecti, licèt reſiſtentia gratiæ excitantis ſit inconiungibilis cum prædeterminatione,non alia ratione,niſi quia prædeterminatio vlteriùs non includitur in termino poteſtatis. ¶ Rẽ exẽplo declaro: hæc propoſitio , *Petrus ſine motu poteſt currere ſine motu*; eſt ex terminis falſa,quia componit poſſibiliter curſum cum carentia motus, non quia hæc ponitur ex parte ſubiecti,cum ex modo ennuntiandi ſit diviſa termini poteſtatis ab actu ſubiecti; ſed quia carentia motus includitur in termino ſimul cum curſu,cuius ſignum certum eſt; quod hæc propoſitio, *Petrus poteſt currere ſine motu*; eſt ſimiliter falſa,& impoſsibilis , licèt carentia motus non ponatur ex parte ſubiecti ; hæc verò *Petrus ſine motu poteſt currere*, eſt abſolutè vera,quia facit ſenſum diviſum termini poteſtatis, ſcilicèt curſus à carentia motus poſita ex parte ſubiecti.

1547 Reſp. 3. Quod licèt propoſitiõ de ly *poteſt*,dum mediat inter partes dicti, ſit diviſa termini poteſtatis ab actu,qui eſt ex parte ſubiecti; tamen poteſtatem ad terminum componit cum ſubiecto : vndè hæc propoſitio; *Iuſtus poteſt peccare* componit cum ſubiecto poteſtatem peccandi,licèt non componat cum ſubiecto peccatum; & ideò hæc propoſitio *Chriſtus poteſt peccare*; licèt diviſa eſt falſa; quia nõ eſt in Chriſtõ peccandi poteſtas; hæc verò propoſitio: *Voluntas prædeterminata poteſt reſiſtere prædeterminationi* ; licèt faciat ſenſum diviſum termini poteſtatis ab actu ſubiecti componit poteſtatem cum ſubiecto,hæc autem poteſtas eſt chimærica,ſicut,& eius terminus;vndè cum nullo ſubiecto componi poteſt,& ideò illa propoſitio, licèt faciat ſenſum diviſum , nullum poteſt admittere ſenſum verùm.

§. IV.

Explicatur, quod ſit cõtradictorium *actus prædeterminati*.

1548 OPpono 4. Voluntatem libere ponere actum prædeterminatum eſt poſſe ponere carẽtiam actus prædeterminati ; ſed poſſe ponere carentiam actus prędeterminati eſt poſſe prædeterminationem

frũ-

fruſtrare,& reſiſtere; ergo libere ponere actum prædeterminatum eſt poſſe prædeterminationi reſiſtere. Diſcurſus rectus,& mai.prob. libere ponere actum prædeterminatum eſt poſſe ponere eius contradictorium,quia libertas vnius cõtradictorij eſt libertas alteriùs, ſed contradictoriũ actus prędeterminati eſt eius carentia,quia defectus rei,& res formaliter contradicunt; ergo.Probo etiam min. poſſe ponere carentiam actus prędeterminati eſt poſſe ponere carentiam actus ſtante prædeterminatione, quia ſolũ carentia actus dum eſt prędeterminatio eſt carentia actus prædeterminati; ſed poſſe carentiam actus coniunctam cum prædeterminatione eſt poſſe ei reſiſtere,quia in hac coniunctione ſtat reſiſtentia; ergo.

1549 Hoc argumentum eſt egregium ſophiſma; eadem enim forma ex libertate ad actum præſcitum, aut prædefinitum à Deo,vel ad actũ impeccabili præceptum, probari poſſet libertas falſificandi ſcientiam,fruſtrandi prędefinitionem,aut reſiſtendi præcepto: vndè in forma reſpondeo,neg.mai.dum per carentiam actus prædeterminati præciſè negatur actus,& non prędeterminatio, immò potiùs affirmatur;& ad eius probat. neg.min. Quia *actus prædeterminatus,& carentia actus prædeterminati* non opponuntur contradictoriè,ſicut Petrus cognitus, & carentia Petri cogniti; actus prędceptus,& carentia actus præcepti contradictoriè nõ opponuntur.Et ratio eſt duplex:Prima,quia contradictoria non poſſunt ſimul deficere : & deficiente cognitione Petri, ſimul deficiunt Petrus cognitus,& carentia Petri cogniti: deficiente præcepto, ſimul deficiunt actus præceptus,& carẽtia actus præcepti : & deficiente prædeterminatione; ſimul deficiunt actus prædeterminatus,& carentia actus prædeterminati.¶ Secunda: contradictoria talis ſunt naturę,vt quidquid vnum affirmat, alterùm neget: actus prædeterminatus, affirmat actum, & prædeterminationem: carentia actus prędeterminati, negat exiſtentiã actus, & non prædeterminationem,vt ſupponis,cum potiùs ennuntiet exiſtẽte prædeterminatione deficere actum; ergo non opponuntur cõtradictoriè.

1550 Sed inſiſtes:aliquod contradictorium eſt huius complexi *actus prædeterminatus*; non aliud niſi *carentia actus prædeterminati*; ergo hæc complexa ſunt contradictoriè oppoſita.¶ Vlteriùs: nõ eſt ſecurior modus adſtruendi contradictoriũ cõplexi,quàm anteponendo toti complexo negationem ; ergo *non actus prædeterminatus* eſt contradictoriũ *actus prædeterminati* ; ſed non actus prædeterminatus, & carentia actus prædeterminati ęquivalent:ergo actus prædeterminatus,& carentia actus prędeterminati opponuntur contradictoriè.

1551 Reſpondeo: contradictorium huius complexi *actusprædeterminatus* eſſe hoc complexum diſiũctivum, *vel non exiſtit actus, vel non exiſtit prædeterminatio*; vndè cõtradictorium non exigit defectum actus exiſtente prædeterminatione, & exinde nec reſiſtentiam prędeterminationis : Ratio eſt, quia complexum *actus prædeterminatus* affirmat copulativè exiſtere actum, & exiſtere prædeterminationem, ſed propoſitioni copulativæ ( iuxtà Dialecticæ regulas)ſolùm contradicitur per diſiunctivam ex extremis contradictionis,& ideò vniverſali, & particulari oppoſitæ qualitatis,dum cõtradicũt, quia ſunt eiuſdem de eodem, debetur,primæ copulativus deſcenſus, & ſecundæ diſiunctivus; ergo illi complexo ſolùm contradicitur per hanc diſiunctivam, *vel deſicit actus, vel deficit prædeterminatio.*

1552 Ad id, quod additur reſpondeo, quod *actus prædeterminatus, & non actus prædeterminatus*

oppo-

oppoñuntur contradictoriè, ſi ly *non* neget actum, & prædeterminationē ſub disiunctione, & eodem modo *carentia actus prædeterminati*: ſi verò vtrùmque neget ſolùm actum, affirmando prædeterminationem, neutrū eſt contradictorium actus prædeterminati, vndè libertas eius, quæ eſt poteſtas, aut libertas ſui contradictorij non eſt poteſtas ad componendā carentiam actus cum prædeterminatione, ac perindè, nec ad reſiſtendū prædeterminationi.

1553 Sed reſtat ſcrupulus: licèt non ſit contradictorium *actus prædeterminati*, *non actus prædeterminatus*, ly *non* negante actum, & nō prędeterminationem, tamen dum ita accipitur ly *non* eſt id complexum extremum contrarietatis *actus prædeterminati*: ſic enim propoſitiones poſſunt eſſe ſimul falſæ, nō ſimul veræ; ſed voluntas non ſolùm eſt libera ad actum prædeterminatum libertate contradictionis; ſed etiam libertate contrarietatis, vt patet, ergo eſt libera ad id complexum, *non actus prædeterminatus*, ly *non* negante actum, & prędeterminationem; ſed eo ipſo poteſt reſiſtere, vel componere carentiam actus cum prædeterminatione; ergo.

1554 Reſpondeo: Libertatem contrarietatis *actus prædeterminati* non reſpicere pro termino contrariè oppoſito *non actum prædeterminatū* ly *non* negante tantùm actum, licèt ſint extrema contraria, ſed vnū actū, vt alteri contrarium: libertas enim contrarietatis ad *amorem* prædeterminatum reſpicit, vt extremum contrarium *odium* prędeterminatū: Ratio; quia voluntas eſt libera ad actū prædeterminatum, non, quia eſt libertas ad prædeterminationem, ſed ad actum; hoc enim concretum, accidētale cum ſit, ſupponit pro ſubſtracto actus, licèt in recto importet formam prędeterminationis; vndè libertas contrarietatis non debet reſpicere *non actum*, quod cōtradicit actui, ſeù termino libertatis; ſed debet inſpicere actum contrarium, vt ſubeſt oppoſitæ prædeterminationi.

1555 Alitèr inſurges; hæc diſiunctiva, *vel non exiſtit actus, vel nō exiſtit prædeterminatio*, eſt contr. dictorium actus prædeterminari, ſed ad veritatem disiunctivæ ſufficit veritas vnius partis; ergo poteſt cōtradictorium actus prædeterminati verificari per non exiſtentiam actus, exiſtente prædeterminatione, & exindè per reſiſtere prædeterminationi.

1556 Reſpondeo: illam disiunctivam non poſſe verificari niſi per vtriuſque partis veritatem, ſeù per non exiſtentiā, tàm actus, quàm prædeterminationis: Ratio; quia ſunt mutuo connexi termini disiunctionis; vndè ſi vnum deficit, & alterum; qua ratione hæc disiunctiva; *vel non exiſtit Paternitas, vel non exiſtit filiatio*; nequit verificari per veritatē ſolùm vnius ex cathegoricis, & ſicut illa copulativa contradicens: *Exiſtit actus, & exiſtit prædeterminatio*; nequit eſſe falſa, per falſitatem, ſolùm vnius ex cathegoricis; ita nec disiūctiva, cui cōtradicit, poteſt eſſe vera, ſolùm per veritatem vnius ex cathegoricis.

1557 Cum hæc ſcriberem, ita veritate convictus vt quartum argumentum ſophiſticis argutijs adijcerem; perlegi ingenioſum Recentiorē Jeſuitam præiactam ſolutionem, vt appertè falſam impugnātem: Primò; quia confundit contradictoria Logica, cum Phyſicis, ex eo enim, quod in contradictione Logica propoſitionum, dētur affirmationes, & negationes copulativè, & disiunctivè, intendit in contradictione extremorum libertatis intervenire eaſdem ſuppoſitiones. ¶ Secundò; contradictorium actus præcepti eſt non exiſtentia actus, & exiſtentia præcepti; ergò contradictorium actus prædeterminati eſt non exiſtentia actus, & exiſtentia præ-

*P. Echeverria, diſp. 11. de Angelis cap. 3.*

prædeterminationis: Prob. ant. 1. Cõtradictorium actus liberi esse debet non existentia actus, & existentia libertatis; ergo paritèr. ¶ 2. Quia contradictorium huius; *existentia actus cum præcepto actu existente*; est hoc, *non existentia actus cum præcepto actu existente*; sed hìc negatur existentia actus, & affirmatur existẽtia præcepti; ergo ¶ 3. Efficaciſsimè; quia aliàs Angeli in ſecundo inſtanti, & homines peccatores liberi eſſe poſſent ad contradictorium actus præcepti, & impeccabiles.

1558 Sed hęc non ſunt tàm difficilia, vt reddant apertè falſam ſolutionem, quàm ex Dialecticæ regulis firmavi ſuprà, mihi enim omninò certum videtur, hoc complexum *actus prædeterminatus* copulativè affirmare exiſtentiam actus, & exiſtentiam prædeterminationis, & copulativę vnicè contradici per disiunctivã ex cathegoricis oppoſitis in qualitate partibus copulativæ; quia tamen prædictus R. contrarium exiſtimat, & mihi publicè diſputanti aliquando dixit: Paucis; ſed efficacibus rationibus convincam, eſſe ita apertè falſum, quàm quod maximè. ¶ 1. Quia id non tam probant, quàm ſupponũt plurimi ex his, qui pueros prima Dialecticæ rudimenta docent, vt videre eſt in Collegio S. Thom. in P. Arriaga, & in P. Quirós, qui huius propoſitionis *vterquè homo currit* aſſignat pro contradictoria hanc, *alter homo non currit*, quia prima ex binario hominum, copulativè affirmat hunc, & illum currere; ſecunda ex ipſo binario hominum disiunctivè negat, hunc, vel illum currere.

1559 2. Id ipſum non tam probat, quàm demonſtrat P. Lince; cum in rotulo huic copulativæ *Petrus currit, & Paulus currit* contradiceret per hanc disiunctivam *Petrus non currit*, vel *Paulus non currit*: ſub hac forma: 1. Quia ſimul veræ, aut ſimul falſę eſſe nequeunt, vt meditãti conſtabit, nobis enim impręſens non vacat. ¶ 2. Si Petrus, & Paulus ſoli eſſent poſsibiles, hęc copulativa: *Petrus currit, & Paulus currit*, equi valeret huic, *omnis homo currit*, & hæc disiunctiva: *Petrus non currit*, vel *Paulus non currit*, decideret in hanc, *aliquis homo non currit*, ſed hæc poſteriores contradicunt omniũ cõſenſu; ergo, & illę priores contradicent in illo eventu; ac proindè etiam in hoc, quando ſunt in vtroque eędẽ; par autem eſt ratio cuiuſvis alteriùs copulativæ, & disiũctivæ cæteris *paribus*. Hæc tranſcripſi, vide alia, vt cognoſcas copulativę per copulativam contradici non poſſe.

1560 3. Quia hoc vt primum principium tradit P. Izquierdo inter Dialecticos Societatis nulli ſecũdus, qui poſtquàm duplici demonſtratione probaret, propoſitioni complexæ copulativæ contradici debere per complexam disiunctivam; hæc ſcripſit: *Itaque in doctrina huius propoſitionis omnes Logici re ipſa conſpirãt, addunt tamẽ plerique vnicuique propoſitioni complexæ datæ, ſeù copulativæ, ſeù disiunctivæ per præpoſitam negationem non infinitantem, ſed negantem contradici* (inter hos AA eſt P. Franciſcus Alphonſus,) *quod verũ eſt, quatenus compoſita ex data, & ex negatione præpoſita equivalens eſt contradictoriæ, quam nos ipſius datæ aſsignavimus, quæ certè magis formalis, magiſquè exactè eſt contradictoria eius; ſicut huius copulativæ*: Petrus legit, & Paulus audit, *eatenus hæc* non Petrus legit, & Paulus audit, *contradictoria eſt, quatenus facit hunc ſenſum*: non ſunt coniuncta re vera hæc duo, ſed alterum ſaltẽ eorum deeſt, *atque ita huic equivalet*: Petrus non legit, vel Paulus non audit, *quæ eſt illius contradictoria legitima iuxtà regulam à nobis traditã*, hactenus P. Izquierdo.

1561 His præmunitus facilè ſolves inſtantias ad 1. Reſp. Quod ſicut

in

*Sup. à num. 1547.*

*Colleg. S. Thom. lib. 2. Sumul. cap. 21. §. 1. P. Arriaga diſp. 11. in Sumul. ſect. 4. num. 32. P. Quirós, tract. 1. diſput. 4. ſect. 3*

*P. Lince, lib 4. Dialect. cap. 12.*

*Izquierdo in Pharo, diſp. 29. q. 4 prop. 1.*

*P. Alphonſus, lib. 4. c. 5.*

in obiectis datur veritas obiectiva, non formalis, cõtradictio obiectiva, non formalis; ita datur coniunctio, vel disiunctio obiectiva, non formalis: vndè dum quæritur contradictorium termini, aut extremi incõplexi libertatis, debet asignari, per aliud incomplexum extremum, si tamen postulatur contradictorium termini, aut extremi complexi libertatis, debet asignari per extremum complexum contradictoriè obiectivè oppositum, quod nullum est, nisi copulativo disiunctivum, aut disiunctivo copulativum.

1562 Ad 2. neg. ant. ad eius 1. prob. neg. etiam ant. Quia contradictorium huius complexi *actus liber* non est: non existentia actus, & existentia libertatis, quia hæc obiecta possunt simul deficere, & defacto deficiunt beatis *amor Dei liber, & non existentia amoris, & existentia libertatis*; quia non est in eis libertas ad amorem: vnde contradictorium *actus liberi*, est, *vel non est actus, vel nõ est libertas*, hæc enim contradictoria, nec possunt simul deficere, nec possũt simul existere, sicut autem voluntas est libera ad *actum liberum*; quatenus est libera ad existentiam actus; licèt non sit libera ad existentiam libertatis; ita est libera ad cõtradictorium obiectivum illius cõplexi, quatenus est libera ad non existentiam actus, licèt non sit libera ad non existentiã libertatis. ¶ Ad 2. prob. neg. mai. in sensu minoris, quia hæc complexa: *Existentia actus, cum præcepto actu existente; non existẽtia actus, cum præcepto actu existente*, si ly *non* neget actum, & non præceptum, non sunt contradictoria, quia vtrùmque affirmat præceptũ, & deficiente præcepto simul deficiunt: vnde solũ potest habere sensum contradictorium si ly *non* sumitur neganter, & non infinanter, negando quidem coniũctionem actus, & præcepti, & equivalẽdo huic disiunctivæ, *vel non existit actus, vel non existit præceptum*, quia negare duo simul esse, est dicere, aliquod ex illis deesse, quod est, vel nõ existere hoc, vel non existere illud, vt superiùs demonstravit P. Izquierdo. ¶ Ad 3. prob. ant. licèt efficacissimam. Vno verbo resp. quod nec in Angelis in 2. instanti, nec in hominibus, probatur peccabilitas, ex libertate cõtradictionis ad actum præceptum, quod prẽter plura, hac vnica ratione suaderi potest, quia libertas cõtradictionis ad actum prẽceptũ perfectio libertatis est, & potestatis: potestas peccandi imperfectio, & defectus potestatis, & libertatis est; ergo libertas contradictionis ex se non est connexa cum potestate peccandi, & exindè medium ineptum ad eam colligendam, præmissas huius discursus alibi recolito diffusè fundatas.

*P. Izquierdo vbi suprà*

*Sup à num. 141. vsque ad 60.*

## SECTIO TERTIA.

*Argumentis ex Concilio Tridentino desumptis satis fit, & voluntatem nõ posse* dissentire *gratiæ efficaci, nec eam* abijcere *defenditur.*

1563 PAtres Societatis inter nostros dissidia magna referunt erga Tridentini decretorũ intelligentiam; An, scilicèt, sacra suæ dogmata procedant de efficaci gratia, vel solùm de gratia sufficiente? Quia ex nostris alios affirmare, alios negare videtur: similiter: An propositio Concilij in illo celebratissimo Canone quarto sit intelligẽda in sensu composito, aut diviso? In quo non videtur vna Thomistarum sententia; vt ergo convenientes nostros agnoscas, & dubia in hac generalitate proponenda non esse, per sequentes cõclusiones veritatem apperiam, & nescio; An aliquis ex nostra Schola alicui ex illis dissentiat, aut dissensurus sit.

Propositio Catholica ex illo Canone desumpta, his verbis à Sacro Concilio describitur: *Liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo cooperatur assentiendo Deo excitanti,*

*ti, & vocanti, ita vt poſsit diſſentire, ſi velit.*

1564 Ex hoc principio argumentum ſibi efficaciſsimum deſumũt adverſarij ad probandum gratiam efficacem non eſſe prædeterminantẽ, quia Concilium loquitur de gratia efficaci, & in ſenſu compoſito, ita vt affirmet arbitrium *poſſe diſſentire ſi velit* gratiæ efficaci; ſed arbitriũ non poteſt diſſentire gratiæ prædeterminanti; ergo gratia efficax nõ eſt prædeterminans. ¶ Vel ita poteſt obicij contra noſtram concluſionem: gratia efficax ex Concilio eſt prædeterminans, vt aſſerimus; ſed ex ipſo Concilio arbitrium poteſt diſſentire gratiæ efficaci: ergo poteſt diſſentire gratiæ prædeterminanti, ſed idem eſt poſſe diſſentire gratiæ efficaci, ac poſſe ei reſiſtere; ergo gratia prædeterminans eſt reſiſtibilis.

Argumenti vis procedit ex hoc principio: *Arbitrium poteſt diſſentire gratiæ efficaci*; quod nec ex Cõcilio probatur, nec eſt verùm; vt igitur exponamus qualiter loquatur Cõcilium de efficaci gratia; & eius propoſitionem facere ſenſum diviſum diſſenſus ab efficaci gratia; ſequentes ſubiungo concluſiones.

§. I.

*Probatur propoſitionem Concilij*, liberum arbitrium motum, &c. *facere ſenſum diviſum.*

1565 ET vt certa ab incertis ſeparemus: dico 1. Propoſitio Tridentini non facit ſenſum compoſitum diſſenſus cum cooperatione aſſenſus, ita vt ſenſus ſit, quod arbitriũ ita cooperatur aſſentiendo, vt poſsit componere diſſenſum cum aſſenſu; hæc concluſio eſt ex terminis nota; quia poteſtas ad componendum diſſenſum cum aſſenſu eſt chimærica, ſicut, & talis compoſitio; ergo poteſtas ad ita componendum diſſenſum nequit adſtrui à Tridentino in libero arbitrio.

1566 Dico 2. Propoſitio Tridentini componit *poteſtatem* diſſenſus, tàm cum libero arbitrio moto, quàm cum ipſa cooperatione aſſenſus. Concluſio eſt omninò certa; nam Tridentinum intendit contra Hæreticos componere libertatem conſenſus cum arbitrio moto, & excitato, & cum ipſo conſenſu, ſed libertas conſenſus conſtituitur per poteſtatẽ diſſenſus: ergo Concilium poteſtatem diſſenſus componit cum arbitrio moto, & excitato ad conſenſum, & *cum* ipſo conſenſu. ¶ Explicatur; componere cum arbitrio moto à Deo ad cõſenſum, & conſentiente, libertatem conſenſus, idem eſt, ac cum hijs componere conſtitutiva huius libertatis; ſed libertas conſenſus cõſtituitur per poteſtatem diſſenſus; ergo idem eſt componere cum libero arbitrio moto libertatem conſenſus, ac poteſtatẽ diſſenſus; ſed Concilium intendit cõponere cum arbitrio moto ad cõſenſum libertatem conſenſus, contra Hæreticos id negantes; ergo Concilium componit cum arbitrio moto ad conſenſum poteſtatem diſſenſus.

1567 Dico 3. Concilium in illa propoſitione facit ſenſum compoſitũ diſſenſus cum Deo excitante, & vocante; ita vt exponatur propoſitio eius per hanc: *Liberum arbitrium motum, & excitatum ſecum componit poteſtatem ad componendum diſſenſum cum Deo excitante.* Hæc concluſio eſt veriſsima; & probatur: diſſentire alicui eſt componere diſſenſum cum illo; nullus enim diſſentitur ſuaſioni non exiſtenti, ſed ex Concilio liberum arbitrium motum, & excitatum, poteſt diſſentire Deo excitanti, atque vocanti; ergo, & poteſt componere diſſenſum cum Deo excitante, & vocante: Prob. min. 1. nam verba Concilij ſunt hæc: *Liberũ arbitrium cooperatur aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ita vt poſsit diſſentire*: Cui? Ei quidem, cui aſſentitur; ſed cooperatur aſſentiendo, Deo excitanti, & vocanti; ergo ei po-

poteſt diſſentire. ¶ 2. arbitrium libere aſſentitur ei, cui aſſentitur, aliàs aſſenſus liberi arbitrij neceſſarius foret; ſed libere aſſentiri eſt aſſentire, & poſſe diſſentire; ergo arbitriũ poteſt diſſentire ei, cui aſſentitur; ſed aſſentitur *Deo excitanti, atque vocanti*; ergo poteſt ei diſſentire, & exindè cum eo diſſenſum coniungere.

1568 Dico 4. Concilium in illa propoſitione non componit diſſensũ cum Deo movente adhùc poſsibiliter; ita vt ſenſus ſit: *Liberum arbitrium motum poteſt coniungere diſſenſum cum Deo movente*: hanc concluſionem negant Adverſarij, ſed fateri coguntur omnes edocentes *motionem* Dei eſſe connexam, determinantem, & non indifferentem, hoc enim niſi terminis luditur; idem eſt ac eſſe inconiungibilem cum diſſenſu, ſeù cum oppoſito eius, ad quod movet: Probaturque 1. omnibus rationibus, quibus alibi fundavimus gratiam moventem, ſeù adiuvãtem, vt ab excitante diſtinctam eſſe irreſiſtibilem, & eſſe prævenientem ſub munere adiuvantis; recolito ſi exciderit. ¶ 2. Quia *ſi Deus movet voluntatem ad aliquid impoſsibile eſt huic poſitioni, quod voluntas ad illud non moveatur*, & motio purè moralis indifferens fit per illuminationem, inſpirationem, & excitationem, Conciliumquè aliud intelligit per ly *motũ*, quàm per ly *excitatum*; ergo per gratiam moventem intelligit non motionem moralem indifferentem, ſed phyſicam, & determinantem, & exindè vni extremo connexam, & alteri oppoſito inconiungibilem.

*Sup. à num. 349. vſquè ad 387.*

*D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.*

1591 Dico vltimo; hæc propoſitio: *Liberum arbitrium motum, & excitatum poteſt diſſentire Deo excitanti* eſt abſolutè diviſa, & omninò vera, probatur; quia licèt ex dictis: hæc propoſitio componat poteſtatè diſſenſus cum toto ſubiecto: & terminum diſſenſus cum actu aliquo ſe tenente ex parte ſubiecti, non eum cõponit cum omni actu ſubiecti, quia nõ coniungit diſſenſum cum motione Dei; ſed vt propoſitio de ly *poteſt* ſit diviſa, & vera, ſufficit, quod dividat terminum poteſtatis ab aliquo actu ſubiecti, licèt componat poteſtatem, cum toto ſubiecto, & terminum poteſtatis, cum aliquo actu ſubiecti; ergo: mai. conſtat ex præiactis concluſionibus, & prob. min. exemplis: 1. quia hæc eſt diviſa: *Corpus album, & quantum poteſt eſſe nigrum*; exindè, quod licèt potẽtia ad nigredinem componatur cum toto ſubiecto, & nigredo ſit coniungibilis, cum aliquo actu ſubiecti, ſcilicèt *quantitate*, non eſt tamen componibilis, cũ alio actu ſubiecti, ſeù *albedine*. ¶ 2. Hæc ſine dubio eſt diviſa: *Materia quanta ſub forma viventis poteſt recipere formam cadaveris*, propter eãdem rationem, quippè quia poteſtas ſuſcipiendi aliam formam, licèt compoſita ennuntietur cum toto ſubiecto, & terminus poteſtatis ſit componibilis, cum aliquo actu ſubiecti, ſcilicèt cum *materia quanta*, non autẽ cum toto ſubiecto, ſcilicèt cum *forma viventis*, ſicut ergo iſtæ propoſitiones ſunt abſolutè verę, & faciunt ſenſum diviſum, ita, & ea, de qua cõtrovertimur. ¶ Prob. min. etiam ratione; ſenſus illius propoſitionis eſt: *Liberum arbitrium motum, & excitatum ſecum componit poteſtatem cõiungendi diſſenſum cum Deo excitante; ſed non poteſt eum coniungere cũ Deo movente*; ſed hoc eſt facere ad ſummum ſenſum, ſecundùm quid cõpoſitum, & ſimplicitèr diviſum; ergo. ¶ Explicatur; ſenſum diverſum important iſtæ propoſitiones: *Liberum arbitrium* excitatum *poteſt diſſentire Deo excitanti*: *Liberum arbitrium* motum, & excitatum *poteſt diſſentire Deo excitanti*; cum in prima componatur terminus poteſtatis cum toto ſubiecto: ſecus in ſecunda; ſed prima facit abſolutè ſenſum compoſitum; ergo ſecunda diviſum.

1570 Hinc vides ſumma vnione procedere Thomiſtas; quia dum affirmant aliqui Concilium loqui de gratia efficaci, intelligi debẽt ex parte illius ſubiecti, *liberum arbitrium motum, & excitatum*; dum negãt Cõcilium loqui de gratia efficaci, intelliguntur ex parte illius termini potestatis; *diſſentire ſi velit*. Similiter dũ aſſeruntConcilium loqui in ſenſu cõpoſito, eſt quia Concilium expreſsè coniungit efficacem gratiam cũ arbitrio, ſeù poteſtate diſſenſus, cum ſcripſit: *Liberum arbitrium motum, & excitatum poteſt diſſentire*; & cum affirmant Concilium loqui in ſenſu diviſo, eſt, quia diviſit diſſenſum à gratia efficaci, quando quippè dixit: *Aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ita vt poſsit diſſentire*; ſolũ cõpoſuit poſsibiliter diſſenſum cũ Deo excitante, & vocante, non cum Deo movente; vnde omnes concludunt propoſitionem Concilij eſſe abſolutè diviſam.

§. II.

*Solvuntur Argumenta, quæ intendunt Concilium per gratiam adiuvãtem, non intelligere prædeterm. Immò arbitrium ex Concilio poſſe diſſentire gratiæ efficaci.*

*P. Palanco, q. 17. de Prov. ſ. 8. P. Aranda diſp. 6. ſect. 1. n. 328.*

1571 HAnc doctrinam edocui in prima huius tractatus parte; quàm noviſsimè ſequitur, illuſtrat, & laudat, P. Palanco; ſed P. Arãda eam impugnans, duo intendit: 1. Concilium non loqui de prædeterminatione nomine *gratiæ adiuvantis*, qua *liberum arbitrium eſt motũ*; vnde cum loquatur de gratia efficaci, concluditur efficacem gratiam non eſſe prædeterminantem. ¶ 2. Quod ex Concilio arbitrium poteſt diſſentire gratiæ efficaci.

*Conc. ſeſſ. 6. cap. 11. q 4. ſ. 8. à n. 236.*

1572 Primum probat. 1. quia Concilium loquitur de gratia adiuvante, quæ dat poſſe ex illo *adiuvat, vt poſsis*: & prædeterminatio nõ dat poſſe, ſed ad hoc iam abundè ſuperiùs ſatisfecimus. ¶ 2. Quia Conciliũ ſummit *adiutorium* ſenſu, quo ſumpſit fere contra Pelagium, & Semi-Pelagianos Auguſtinus, & alij SS. Patres: quid autem magis certum, quã *adiutorium* in calamo Auguſtini ſonare ſufficientiam, & vires requiſitas ad poſſe? ¶ 3. Priùs eſt in littera Concilij arbirrium eſſe *motum*, quàm *excitatum*; quomodò ergo in illa motione venit prædeterminatio, ſi actus ſecundus non ſit prior, quàm actus primus? Quis cogitet iſta paradoxa!

1573 2. Aſſumptum ita ſuadet. 1. poteſt abicij ex Concilio gratia, quæ ex eius phraſi recipitur ab homine; ſed, quæ recipitur ab homine eſt gratia efficax; *recipere* enim in ſenſu Concilij eſt *cooperari vocationi*; ergo gratia efficax poteſt abicij. Ergo arbitrium poteſt gratiæ efficaci diſſentire, quia gratia per diſſenſum abijcitur. ¶ 2. Concilij intentio fuit damnare Calvinum; ſed Calvinus appertè locutus eſt de gratia efficaci, quæ ſolis conſentientibus datur; ergo Cõcilium de gratia efficaci definivit abijcibilitatem. ¶ 3. Concilium loquitur de *tactu cordis per inſpirationem* habente effectum, qui tactus eſt efficax, cum homo ipſum recipit; ſed gratia habens effectum eſt efficax; ergo Concilium abijcibilitatem tribuit gratiæ efficaci.

Vltimo: ex Concilio abijcibilitas requiritur in aliqua gratia ſufficiente, vt detur locus electioni; ergo in omni: prob. conſeq. quia irreſiſtibilitas, ideò negatur in aliqua, quia ex genere ſuo nocet; ergo, quia nocet in omni. ¶ Tùm, quia implicat libera abijcibilitas in vna gratia præveniente, ſi repugnet in altera neceſſariò requiſita ad operandum; quod patet. Nam quando *vnum* operari eſt cooperari *duo*, qui nequit facere nè cooperentur *duo*, nequit facere nè vnum operetur; atqui non abijci gratiam ſufficientem eſt coëxiſtere prædeterminantem; ergo qui non poteſt libere facere nè coëxiſtant duæ non po-

potest facere, nè maneat abiecta gratia sufficiens; ergo, vel vtraque est abijcibilis, vel neutra.

1574 Sed hæc facilia sunt; ad 1. resp. adiutorium *sine quo* in calamo Augustini, & SS. Patrum sonare sufficientiam, & præstare vires; quippè non est distinctum à gratia excitante; adiutorium autem *quo* minimè præstare vires ad perseverãdum, sed esse *quo perseverantia ipsa donatur*; gratiam verò adiuvantem, vt ab excitante distinctam esse efficacem, & prædeterminantem. ¶ Ad 2. priùs dicere Concilium arbitrium *motum*, quàm *excitatum*, non quia *motio* physica sit prior excitatione morali; sed quia arbitrium moveri physicè admittebant Hæretici Calvinus, & Lutherus, quos damnare intẽdebat Cõcilium, arbitrium excitari negabant, & priùs posuit prædicatum in quo conveniebant, & posteà, quod renuebant, vt cum vtraque gratia movente, & excitante libertatem consensus definiret, per potestatem dissentiendi Deo excitãti. Motioni gratiæ correspondet cooperatio arbitrij, suasioni gratiæ excitantis correspondet arbitrij consensus; vnde quia Concilium priùs dixit arbitrium *motum*, quàm *excitatum*, hoc ordine dixit *cooperatur assentiendo*, priùs exprimẽdo cooperationem, quàm assensum: non ita in Capite, cum enim priùs exprimeret gratiam excitantem, quàm adiuvantem, priùs nominavit assensum, quàm cooperationem, ita enim ait, *gratiæ assentiendo, & cooperãdo*.

1575 Ad 2. assumpti prob. absolutè affirmat P. Palanco arbitrium posse abijcere gratiam efficacẽ, quatenus potest eam impedire, vel ei resistere resistentia formali, eaque Tridentini verba, *ita vt tangente*, &c. exponit non solùm de gratia sufficiẽte; sed etiam de efficaci; & ly *recipiẽs* non solùm esse intelligẽdum (inquit) de receptionẽ morali, proùt idem est recipere, ac *acceptare*; sed etiam de receptione purè physica.

*P. Palanco, de Prov. q. 17. à n. 109*

1576 Sed plura in hac solutione mihi valdè displicent: 1. asserere verba Concilij: *Quippè, qui illam abijcere potest* intelligi posse de gratia efficaci. 2. asserere verba illa Cõcilij, *neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens* posse intelligi de receptione purè physica, & materiali: primum probo; quia licèt abijcere sumeretur pro impedire, aut resistere resistẽtia formali, non sic gratia efficax esset abijcibilis; quia vt suprà probavi, nec gratiæ efficaci possumus resistere, nec gratiam efficacem impedire. *Sup. à num. 611.* ¶ 2. Si dissentire exterminis facit sensum cõpositum cum gratia, cui dissentitur, vt fatetur hic Author: & *falsificare*, frustrare, addere, subtrahere: exterminorum propria significatione, faciunt sensum compositum, vt indubium est? Cùr *abijcere* nõ faciet sensum compositum cum gratia, quæ abijcitur? Si ergo non possumus abijcere gratiam efficacem in sensu composito, nò possumus propriè eam abijcere, specialiter; cum Canon 4. Cõcilij exponat cap. 5; de ea gratia abijcibilitatem declaravit cap. 5. cui voluntas potest dissentire iuxtà Can. 4. sed gratię *excitanti* potest voluntas dissentire, non efficaci: ergo gratiam excitantem non autem efficacem potest voluntas abijcere. *Sup. à num. 681. vsque ad 90.* ¶ 3. Et vrgẽtius; capitale fuit præiactum Tridentini decretum ad probandum contra Jansenium veritatem catholicam, dari nempè, in statu lapsus gratiam interiorem non intrinsecè efficacem, & nullus ex ijs, quos videre licuit, qui Jansenium devellarunt, hoc testimonium prætermisit, & proculdubiò operam perderent, si *abijcere inspirationem* posset intelligi de gratia interiori intrinsecè efficaci, vt enim est evidens, inefficax est ad probandum dari aliquam gratiam interiorẽ non intrinsicè efficacem in statu lapsus, testimonium, quod potest rectè

in-

Salmant. diſput. 7. dub. 4. n. 215.

intelligi de gratia intrinſecè efficaci; vndè rectè aiunt P. Salmantic. quod *Concilium non loquitur de abiectione auxilij efficacis, ſed de abiectione gratiæ excitantis evidenter conſtat ex eius verbis.*

1577 Quod verò illa Concilij verba: *Neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens,* ſint intelligenda de receptione morali, ita enim certum iudicavi, quam quod maximè; ſolùm enim Vincentius Lenis cõtrarium aſſerit, de quo ita ſcribit P. Decamps: *Nemo Theologia leviter tinctus ignorat his vocibus,* inſpirationem illam recipiẽs, *exprimi receptionem moralem, quæ eſt ipſe conſenſus voluntatis liberæ*: rationeſquè huius veritatis videri poterunt alibi.

Decamps, lib. 2. diſp. 3 cap. 3.

Sup. à num. 537. & à n. 583.

1578 Vndè facilè reſp. ad 1. prob. diſt. mai. poteſt abijci ex Concilio gratia, quę recipitur moraliter ab homine, conc. mai. gratia, quæ recipitur phyſicè; neg. mai. & eodẽ modo diſt. min. gratia, quæ recipitur purè phyſicè eſt gratia efficax; cõc. quæ recipitur moraliter; neg. & neg. conſeq. ex Concilio enim homo agit *inſpirationem recipiendo,* ſeù acceptando, quàm, & *abijcere poteſt*; ſed inſpiratio non eſt gratia efficax; ſed excitans, ſeù ſufficiens; gratia enim efficax compræhenditur à Concilio nomine gratiæ adiuvantis, & moventis; cum enim intenderet hominem diſponi ad iuſtificationem libere aſſentiendo gratię excitanti, & cooperando adiuvanti; primo loquitur de excitãte per illa verba *ita vt, &c.* quia eam voluntas, aſſentiendo ei, acceptat, & recipit, abijcereque poteſt; & ſtatim exponit munus gratię adiuvãtis efficacis, ſeù moventis per verba, quæ ſubiungit, *nec tamen ſine gratia Dei movere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poteſt*, de hac tamen gratia, qua denominatur *liberũ arbitrium motum* in Can. 4. non ait Concilium, quod eam libere recipiat, quod eam abijcere poteſt, aut quod ei poteſt diſſentire.

1579 Ad 2. prob. ſæpius eſt dictum, quod Calvinus in duobus erravit Hęreticè, negando gratiam interiorem, purè ſufficientem, & aſſerendo per gratiam efficacitèr movẽtem ad conſenſum tolli poteſtatem diſſenſus, vtrùmque damnat Concilium, quin, nec levitèr innuat poteſtatem abijciendi gratiam efficacem. ¶ Ad 3. prob. iam olim dixi eſſe falſum gratiam coniunctam cum effectu eſſe efficacem: omnis enim gratia efficax eſt coniuncta cum ſuo effectu; ſed non omnis gratia coniuncta cum effectu eſt efficax; dum enim adeſt gratia efficax, ſimul cum ea ſunt illuminatio, & inſpiratio Spiritus Sancti, quæ ſunt gratia interior excitans, & aliæ gratiæ externæ, inefficaces quidem, ſed cum effectu coniunctæ; & hoc ideò, quia non coniunguntur cũ effectu ratione ſui, ſed ratione alterius gratiæ, & gratia efficax eſt illa *vi cuius* infallibiliter voluntas coniungitur effectui. Adeſt exemplum in voluntate Dei; voluntas illa, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, communis prædeſtinatis, & reprobis, non eſt efficax in prædeſtinatis, licet in eis coniungatur cum effectu ſalutis, quia coniunctio cum ſalute non eſt ex vi illius, ſed ex vi voluntatis efficacis propriæ prædeſtinatorum.

1580 Ad vltim. prob. neg. conſeq. ad 1. prob quod cũ aliqua ex gratijs libertatem conſtituat, debet eſſe reſiſtibilis; non omnis gratia, quia nec omnis gratia præveniens eſt libertatis conſtitutiva. Ad 2. eſſe argument. ſolutũ, & infrà accuratiùs examinandum, qualiter voluntas habet in poteſtate *abijcere* gratiam ſufficiẽtem, ſi non habet in poteſtate nõ coexiſtere efficaci, quod requiritur, vt abijciatur ſufficiens; ſicut habet in poteſtate *diſſentire* quin habeat in poteſtate non eſſe gratiæ efficacis,

cuius gratiæ defectus exigitur, vt dissentiat.

§. III.

*Difficilima Argumenta solvuntur.*

1581 SEd vt olim promissis fidem serveмus difficiliora ex Tridentino oppono argumenta: primo; posse dissentire gratiæ efficaci est posse resistere gratiæ efficaci; sed voluntas nostra potest dissentire gratiæ efficaci; ergo, & ei resistere; si autem non potest resistere gratiæ prædeterminanti; gratia efficax, quam Concilium, & fides docet, non erit prædeterminans: mai. nota, quia dissentire gratiæ moventi ad consensũ, & ei resistere convertuntur; nec enim alio ex principio potest voluntas resistere gratiæ sufficienti, nisi quia potest ei dissentire: min. in qua est difficultas probo. Libere cõsentire gratiæ efficaci est posse ei dissẽtire; quia libertas cõsensus est potestas dissensus; sed voluntas libere consentit gratiæ efficaci; aliàs dum consentit necessariò consentiret; ergo voluntas potest dissentire gratiæ efficaci.

*Sup. à num. 360.*

*Sup. à num. 589.*

1582 Huic obiectioni respondeo ex alibi dictis, neg. min. & ad eius prob. neg. etiam min. & quod subinfert; quia voluntas, nec necessariò, nec libere consentit gratiæ efficaci, quia ei non consentit; & dum nõ datur consentire alicui, nec ei libere, nec necessariò consentire datur. Pro cuius clara intelligentia prænotavi. Has propositiones esse valdè diversas, *voluntas cum gratia efficaci consentit*; *voluntas gratiæ efficaci consentit*. Prima enim est catholica: secunda est falsa, similiter sunt istæ distinctę: *Voluntas cum gratia efficaci potest dissentire*: *voluntas gratiæ efficaci potest dissentire*; quia prima est orthodoxa in Tridentina Synodo definita; secunda est falsa, distinctio harum propositionum ex primarum diversitate colligitur, quia arbitrium potest dissentire *cum* eo, *cum* quo cõsentit; quia dum consentit libere cõsentit, & libere consentire est posse dissentire; similiter arbitrium potest dissentire *ei cui* consentit; quia libere consentit *ei, cui* consentit, & ex inde *ei* potest dissentire, quia libere *ali cui* consentire est *ei* posse dissentire; si ergo diversa sunt consentire *cũ aliquo*, & consentire *alicui*; & diversa erunt posse dissentire cum *aliquo*, & posse dissentire *alicui*. ¶ Nec video qualiter hoc negari possit. 1. nam voluntas *cum consensu* est potens dissentire; & non est potens dissentire consensui, vt est notum; similiter cum voluntate possum dissentire non voluntati; & arbitrium, vt instructum omnibus gratijs, tàm internis, quàm externis est potens dissentire, quia libere consentit, & tamẽ, adhùc apud adversarios omnibus ijs gratijs dissentire non potest; Ratio: quia inter gratias externas ad consensum præcipuum locum obtinet prędefinitio divina consensus, & arbitrium huic gratiæ dissentire non potest, quia dissentire includit sensum compositum cum eo, cui dissentitur, & dissensus est inconiungibilis cum prædefinitione divina consensus.

1583 Quod autem arbitrium, nec assentiat, nec consentiat gratiæ efficaci, seù adiuvanti, sed solũ gratię sufficienti, seù excitanti, colligitur 1. quia assentire, & dissentire sunt respectiva gratię suadenti, solùm enim suasioni consensionem, aut dissensum exhibere possumus; consentire enim est idem, ac cum alio sentire; sed gratia sufficiens, seù excitans est moralis motio, seù suasio, efficax autem, & adiuvans non est suadens, sed physicè movens; ergo solùm assentimur, aut dissentimus gratiæ sufficienti excitãti, non efficaci adiuvanti. ¶ Secũdo: solùm gratiæ, quam sentimus, possumus consentire, aut dissentire, cum consentire ex D. Thoma sit *ad aliud* sentire; sed gratiam excitantem, & sufficientem sentimus, & ipsa experientia adversus Jansenium fundamus;

*D. Tho. 1. 2. q. 15. art. 1. ad 3.*

mus; gratiam autem efficacem sensibiliter non percipimus; ergo gratię sufficienti consentimus, aut dissentimus; non autem efficaci: prob. min. quoad 2. partem; quia ideò S. August. eam vocat occultam; cum ait: *Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur*; gratia, quæ nō respuitur est efficax, & hæc occultè cordibus tribuitur; de qua ait Senonense esse *occultū secretioris inspirationis affatum contingentem voluntatē, vt se se convertat in Deum.* ¶ Tùm, quando ait *Deum occultissima, & efficacissima potestate transtulisse cor Regis ab indignatione ad lenitatem*; similiterquè dum dixit *occulta potestate operari Deum in cordibus bonas voluntates*, & alibi pluries; ergo gratia efficax nullatenus sentitur.

*August. de Prædest. SS. cap. 10.*
*Concil. Senonense Decr. 15.*
*Aug cont. 2. ep. Pelag. lib. 1. c. 20.*
*August. de Grat. Christ cap. 24.*

1584 Oppones gravitèr: volūtas ex Tridentino, non solùm assentitur, & consentit cum gratia efficaci; sed etiam gratiæ efficaci; ergo non solùm *cum* ea, sed *ei*, potest dissentire: prob. ant. ex illis Tridentini verbis: *Vt qui à Deo aversi erāt per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum se eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur*; vbi Tridentinum per gratiam excitantem intelligit sufficientem, & per adiuvantem efficacē; vt certum est apud nos; aliàs gratiæ efficacis altum silentium in Concilio esset; sed ex ipsa Sacra Synodo *eidē gratiæ* adiuvanti quidem, & excitāti *libere assentiendo*, & *cooperando*, aversi à Deo *disponuntur ad convertendū se*; ergo aversi à Deo gratiæ efficaci assentiendo disponuntur; ergo nō solùm cum gratia efficaci assensunt, sed gratiæ efficaci.

*Trident. c. 5 sess. 6.*

1585 Respondeo: quod ly *assentiendo* Concilij, non correspondet gratię adiuvanti, seù efficaci, sed gratię excitanti, seù sufficienti; sicut ly *cooperando*, non correspondet gratiæ excitanti, sed adiuvanti, vt diffusè alibi diximus cum communi Nostrorum sentētia, in qua clarè instatur argumentum; mens ergo Concilij fuit cum vtraque præveniente gratia excitante, & adiuvante componere libertatem voluntatis nostrę, quia libere assentitur excitanti, & cooperatur adiuvanti; quod duo suadent. 1. Quod in eo capite, quia priùs expressit gratiam excitantem, quàm adiuvantem, etiam primo declaravit in actu salutari nostro formalitatem assensus excitationis, quàm cooperationis adiutorij: dum verò doctrinā capitis reduxit ad Canones; declarat Concilium: *Liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti.* Vbi quia priùs apposuit gratiam moventem, seù adiuvantem, quàm excitantem, priùs etiam expressit cooperationem, quæ correspondet adiuvanti, quàm assensum, qui correspondet excitanti. Nec dixit, liberum arbitrium cooperari assentiendo gratiæ moventi, & excitanti; ita vt assensus exprimeretur ei duplici gratię appositæ ex parte subiecti in ly *motum*, & *excitatum*; sed solùm cooperari assentiendo *Deo excitanti, atque vocanti.* ¶ 2. Fundatur in vsitato loquendi modo, quia nunquam propriè dicitur, nos adiuvanti assentiri, sed cooperari; sicut nec suadenti cooperari, sed assentiri, suadeat, & excitet Petrus vt portem pondus, Paulus adiuvet, vt ipsum feram, quis propriè non dicet, me assentiri, dum pondus fero, Petro suadenti, & me cooperari Paulo adiuvanti: si igitur Concilium duplicem explicat gratiam moventem, seù adiuvantem, suadentem, seù excitantem; & actum arbitrij esse cooperationem, & assensum, vt proprius sensus Concilio tribuatur, cooperatio debet correspondere adiuvanti, sicut, & assensus gratiæ suadenti, seù excitanti; id ipsum ex Synodis Provincialibus Colonienſi, & Maguntina legito alibi collectum.

*Sup. à num. 361, & 2.*

*Sup. à num. 362, et 374*

Sed

1586 Sed insurges: ergo licèt arbitrium non assentiatur gratiæ adiuvanti, seù efficaci, libere ei cooperatur, sed hoc sufficit, vt arbitrium possit resistere gratię efficaci, ergo ex Cõcilio arbitrium potest resistere gratiæ efficaci, ex indeque gratia efficax nõ erit prædeterminans: 1. conseq. ex Concilio intulimus illis in verbis *eidem gratiæ libere cooperando*; subsumpta Prob. libere cooperari gratiæ efficaci est posse ei gratiæ non cooperari, sed posse non cooperari gratię efficaci est posse ei resistere, ergo. Mai. esśtia libertatis. Pro. min. 1. arbitrium non cooperari gratiæ efficaci esset ei resistere: ergo posse ei non cooperari, est posse ei resistere ¶ Alitèr posse non cooperari gratiæ efficaci, est posse gratiam suo effectu frustrare, sed posse frustrare gratiam est posse resistere gratię: ergo posse non cooperari gratię est posse ei resistere.

1587 Vrgetur ex RR. Tyrso; libere cooperari gratiæ efficaci est libere coniungere consensum cũ gratia efficaci; sed hoc est posse resistere gratiæ efficaci; ergo: mai. certa prob. min. libere coniungere consensum cũ gratia efficaci, est posse non coniungere consensum cum illa; sed posse non coniungere consensum cum ea, est posse ei resistere, seù posse coniũgere dissensum cum ea; ergo: Mai. est essentia libertatis; prob. min. posse nõ coniungere vnum cum alio est posse seiungere, seù separare vnũ ab alio; idem enim est posse non coniungere *A* cum *B*. ac posse separare *B* ab *A* ergo posse non coniungere consensum cum gratia, est posse separare consensum à gratia, sed hoc idem est ac posse coniungere carentiam consensus cum gratia, quod est formalissime gratiæ resistere: ergo posse non coniungere consensum cum gratia efficaci, est posse ei resistere.

*Tyrso t. 1. disp. 17. sect. 1.*

1588 Resp. concessa 1. conseq. neg. subsum ad cuius prob. neg min. hæc enim diversa sunt *Voluntas potest non cooperari gratiæ efficaci*, *Voluntas potest resistere gratiæ efficaci* primũ enim est omninò verùm; tùm, quia ex Concilio infertur; tùm, quia arbitrium efficacitèr motum posse non operari est posse non cooperari gratiæ: secundum est falsum, quia potestas non cooperandi gratiæ non est potestas, ei resistendi, ratio est; *quia non cooperari gratiæ*, potest intelligi dupliciter, vel non cooperari gratiæ ea existente, vel non cooperari gratię ea deficiente; cum ergo voluntas adhùc adiuta gratia habeat potestatẽ non cooperandi gratiæ ea deficiente, habet potestatem in vero, & absoluto sensu ad non cooperandum gratię. ¶ Vndè resp. simul ad probationes min. non cooperari gratiæ *compositũ* cum gratia est ei resistere, & eam frustrare conced. non cooperari gratiæ *divisum* à gratia est ei resistere, & eã frustrare neg. min. & neg. cõseq. quia posse non cooperari gratiæ est posse non cooperari divisum. ¶ Explicatur solutio 1. exemplis, quibus innixi diximus voluntatem cum gratia efficaci posse non consentire, & non posse ei dissentire, ita dicimus posse ei non cooperari, & non posse ei resistere. ¶ 2. Quia sicut dicimus Christum posse *non adimplere* præceptum, & nõ posse resistere pręcepto, quia *non adimplere* cum sit extremum negativum non exigit, nec existentiam præcepti, neque existentiam adimpletionis; vnde verificatur non adimplere alterutro, vel vtroque deficiente, quod non posset verificari de *resistere*, quia cum importet conceptum positivum exigit existentiam eius, cuius est resistentia; idem dicimus de ly *non cooperari gratiæ*; quia extremum negativum cum sit, est possibilè arbitrio vtroque deficiente, non tamen est possibilè arbitrio resistere, quia resistere gratiæ efficaci exigit existentiam gratiæ, cui sit resistentia.

1589 Ad id quod vrgetur ex

P. Tyrso resp. neg. min. ad eius prob. neg. min. quia sicut arbitrium prædeterminatum potest non operari, potest non coniungere operationem cũ gratia: ad cuius prob. neg. antec. hoc quidem posse, esse posse seiungere, seù separare consensum, seù operationem à prædeterminatione, illud enim principium, quod assumitur vt verùm: *Posse non coniungere B cum A, est posse separare A à B*, est mihi falsissimum; ratio, quia separare vnũ ab alio est vnum existere sine alio, solùm enim datur separatio, quando vnum existit, & alterum deficit: non coniungere vnum cum alio potest verificari nullo existente; deficiente enim simul A, & B, non coniungitur A cum B; ergo stat non coniungere vnum cum alio, quod non sit separari vnum ab alio. ¶ Vel aliter: coniungere A cum B, & nõ coniungere sunt contradictoria; sed coniungere affirmat copulativè existentiam vtriusque coniuncti, coniungi enim A cum B, est existere A, & existere B; ergo non *coniungere*, negat vtriusque cõiuncti existentiam sub disiunctione iuxtà Sumularum regulam superiùs firmatam, & ita consistit in hac disiũctiva, *vel non existit A, vel non existit B*, quæ potest esse vera per veritatem vtriusque partis, deficientibus simul A, & B; sed A separari à B nequit esse vtroque deficiente, quia cõstituitur per hunc conceptum *existere A sine B*; ergo duo non coniungi non est separari; potest ergo dari potestas non coniungendi cõsensum cũ gratia efficaci, quæ non sit potestas separandi consensum ab ea gratia, & exindè, nec potestas eam frustrandi, aut ei resistendi. ¶ Explicatur duplici exemplo 1°. in sua prædefinitione intentiva consensus, qua posita volũtas libere consentiens, & coniungens consensum cum illa, potest non coniungere consensum cum illa, & tamẽ non potest separare, aut seiungere consensum ab illa, quia voluntas non potest separare essentialiter connexa; ergo stat posse non coniungere, quod non sit posse separare; vndè argumentum inefficax est; sicut verò contrarij, hoc componunt, quia voluntas potest nõ consentire *impediẽdo* prædefinitionem, quod est posse non coniungere cum illa consensum, & non est posse separare consensum ab illa, ita nos dicimus voluntatem posse non consentire *impedita* prædeterminatione, quod est posse non coniungere consensum cum illa, & non est posse separare consensum ab illa. ¶ 2. Quia possum non *coniungere* cursum cum motu, quia possum non currere, & non possum separare cursum à motu, cumquo essentialiter connectitur; ergo posse non coniungere A cum B, non est posse separare B ab A.

*Supra à nu. 1550. vsque ad 60.*

## ADDITIO.

1590 P. Ramirez solutionem nostram Tridentino Concilio, etsi doctè excogitatam omninò alienam vocat à mente Concilij: Summa tamen impugnationis est; quia Concilium per *motionem*, & *excitationem* non intellexit duas gratias, nec per gratiam *adiuvantem*, & *excitantem*: Sed iam superiùs plura diximus, nec aliquid addendum restat, vt argumenta ab hoc primario Cõplutensi formata dissolvantur.

*P. Ramirez disp. 5. de prædest. c. 14. num. 17.*

Doct. Prado eodem fundamento iam soluto expositionem Tridentini impugnat: Sed speciale incõveniens opponit, quia ex facilitate, qua detorquentur nomina, quibus notionaliter à Scriptura Sacra, Concilijs, & SS. Patribus designatur gratia *excitans*, & *indifferẽs*, vt sub illis vsurpetur *gratia intrinsicè efficax*; sequitur, quod nulla sit expressio, sub qua intelligamus gratiam requisitam ad posse adversus Pelagium, similiter nõ adest nomen speciale gratiæ indifferentis, quo possimus oppugnare Jansenium, quin ille possit sub eodem nomine accipere gratiam intrinsecè effi-

*Supra à nu. 348. vsque ad 62. & ad num. 371. vsque ad 79. Prado disp. 9. text. 4. à num. 58.*

efficacem, siquidem sub eodem nos gratiam efficacem vsurpare non recusamus: Assumptum constat; quia nomina *gratiæ per Christum, adiutorij, vocationis, motionis Spiritus Sancti, doctrinæ*, omnia applicamus gratiæ efficaci, nec est cùr nomen *excitationis* ei aptari non possit: quod inconveniens meritò cavendum videtur?

1591 Sed hoc inconveniens minimè sequi manifestum fecimus impugnando Jansenium, & ex Sacris testimonijs probando gratiam interiorem sufficientem, & resistibilem: Ratio est, quia *gratia per Christum*, non solùm est ea, *sine* qua *nihil possumus*; sed est etiam ea, per quam Deus *facit vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus*; Nomine *adiutorij*, non solùm intelligitur adiutorium *quo*, seù efficax, quo voluntas *indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur*; sed etiã adiutorium *sine quo non*, seù sufficiẽs, quod *si Adamo defuisset, non sua culpa cecidisset*: Nomine *vocationis* intelligitur gratia efficax, dum loquimur de vocatione, qua *vocatus fit credens*, seù *secundùm propositum Dei*, de qua verùm est, *quos vocavit, hos, & iustificavit*: Non de illa vocatione, qua *vocati noluerunt venire ad nuptias*, de qua dicitur, *vocavi, & renuistis, & multi vocati, pauci verò electi*: hęc enim vocatio est sufficiens gratia: Nomine *motionis Spiritus Sancti*: intelligitur gratia sufficiens, dũ dicitur nos *Spiritui Sancto resistere, & spiritum extinguere*; sed per motionem S. Spiritus intelligimus gratiam efficacem, dum dicitur, *quicumque spiritu Dei aguntur ij sunt filij Dei*: Nomine *doctrinæ* intelligimus gratiam efficacem dum Deus *docet* per *spiritus gratiam*, & de doctrina dicitur: *Omnis, qui audivit, & didicit à Patre, ad me veniet*: Dum verò Deus docet per *legis litteram* nullã veram gratiam per Christum intelligimus, & exindè nec sufficientem, sic abhorremus Pelagij errorem; per legis enim litteram non datur *subministratio virtutis Spiritus Sancti*: Nomine *excitationis* nudè sumpto non intelligimus gratiam efficacem, sed sufficientem, per excitationem Deus enim nos movet moraliter per modũ obiecti, & finis, per gratiam efficacẽ movet arbitrium verè per modum agentis, seù efficientis; vndè non existimamus illa verba *motum, & excitatum* Sacri Concilij Tridentini esse synonoma, immò superfluum esset ly *motum*, si nihil aliud exprimeret, quã ly *excitatum*: Sed per ly *motum* intellexit Concilium motionẽ Dei physicam arbitrij per modum efficiẽtis, quàm negavit Pelagius, & fatebatur Calvinus: per ly *excitatum* intellexit motionem moralem Dei per modum obiecti, & finis: quàm Pelagius, & Calvinus negarunt: Et cum *motione Dei* per modum efficientis, & *excitatione* Dei per modum finis, declaravit libertatem à necessitate, seù arbitrium ita *motum, & excitatũ cooperari assentiendo Deo excitanti, vt possit dissentire*: Vndè vnico ictu omnes illas Hęreses debellavit, & Pellagium, qui propter libertatem negavit motionem Dei, & Calvinum, qui propter motionem Dei libertatem negavit: licèt ergo illis nominibus *gratiæ per Christũ, &c.* intelligamus efficacem gratiam non desunt arma, quibus probemus *gratiam potestatis* adversus Pelagium, & Jansenium.

## SECTIO QVARTA.

*Quantum distet Angelicæ Scholæ Doctrina à Calvini, & Iansenij hæretico errore, evidentèr exponitur.*

COactus veritatis vi, & aliquorũ iniusta postulatione quærentiũ differentiam inter Calvini, & Jansenij errorem, & Thomistarum sententiam; duo apprimè tractabo. Primũ, esse hanc differentiam evidentem: Secundum, in quo stet hęc diversitas.

### §. I.

*Evidens est Angelicæ Scholæ sententiam*

*tentiam differre à Calvini errore.*

1592 PRobo 1. ex extraneis, & adverſarijs: *Illa enim eſt vera, & ſine contradictione probatio, quæ* (D. Ireneus ait:) *ab adverſarijs ipſis ſymbola teſtificationis profert.* 1. Ratione: Thomiſtarum ſententia in re convenit cum Calvini, & Janſenij perfido dogmate; ergo, vel iniuſtè noſtra ſententia ab Eccleſia permittitur, vel iniuſtè Calvinus damnatur; conſequens eſt evidens, quia vt ait D. Hieronymus: *in Dogmatibus, & quæſtionibus differendis, non perſona, ſed cauſa quærenda eſt.* Et alibi dixit: *Nec fieri poteſt, vt diverſus ſit eorum exitus, quorum eſt vna ſententia*: à nullo autem Catholico admitti poteſt, ſed ſolùm ab Hæreticis: Non igitur credi poteſt, Catholicos ſeriò aſſenſum antecedenti præſtare.

*D. Ireneus, lib. 4. c. 14.*

*Hieronym. lib 3. adver. Pelagian. in princ.*

*Hieronym. eviſt. ad Cteſiphontem.*

1593 Alitèr: Si ſententia Thomiſtarum, & Calviniſtarum non niſi verbotenus, & penes loquendi modũ diſcrepant, in ſe tamen affinitatem, & coincidentiam obtinent; ergo (1) vel Calvinus eſt Catholicus in ſuo perverſo dogmate libertatis extinctę per gratiam; vel Angelica Schola eſt hæretica. Ergo (2) vel licitum eſt Angelicam ſcholam Hæreſis infamare, vel illicitum eſt, Calvinum Hęreticum nominare: Illatio eſt recta, ſed conſequens contra Eccleſiæ Decreta; Hæreticis propicium, & piarũ aurium offenſivum; non decet Catholicos pro Thomiſtarum incommodo concertare Hæreticorum gaudium; nec confirmare Hæreticorum audaciam, illorum vires augendo nimio ardore, imprudenti adverſus Catholicos contentione. Vndè rectè dixit Sapientiſſimus Caramuel: *Reſpõdeo aſſignando diſparitatem inter Thomiſtarum, & Ianſeniſtarum opinionem: illa enim eſt probabiliſſima, & vt talis ab Eccleſia ſæpiſſimè approbata: hæc autem à multis Pontificibus reiecta, & tandem ab Innocentio X. Hæreſeos condemnata; & hoc ſufficit vt altera defendatur, & altera non defendatur.* Ergo, & ſufficit vt vna in re non ſit altera. Rectiſsimè ergo dixit Mag. Lorca Ciſterciẽſis, & Scoti Primarius Complutenſis: *Nimis excedunt, qui inſuperabili contẽtione defendunt phyſicam prædeterminationem, quàm docent Thomiſtæ, auferre libertatem, & ſententiã, quæ illam aſſerit nihil, aut parum à Calvino differre: Cum enim evidens ſit, eſſe S. Thomæ doctrinam, & plurium ex antiquis Scholaſticis, nulla ratione timendum eſt aliquid ineſſe periculi; ſed potiùs credendum eſt, eſſe fidei Catholicæ conſonam.*

*Caram. in Theol. fundam. cap. 1. fund. 1.*

*Lorca, diſp. 21. de Grat. concl. 2.*

1594 Secunda demonſtratio traditur à Salmanticenſibus ſub hac forma: Jeſuitę omnes, qui contra Janſenium diſputant evidenter convincunt Thomiſtarum ſententiam à Janſenij errore longiſsimè diſtare, ſed Jeſuitę iſti efficaciter ſuadent dogma Janſenij eſſe Calvini; ergo ſententia Thomiſtarum longiſsimè diſtat ab errore Calvini. Diſcurſus evidens: Præmiſſæ conſtant. Maiorem enim expreſsè probant. 1. P. Decamps nobiliſsimus Janſenij debellator, dum refutat Janſeniſtas continuò deblaterantes concordiam cum Dominicanis; aſſerit enim: *At iſtud falſitatem omnem ſupperat, & ab ijs cum ſtomacho ridetur, quibus vtraque oppinio nota eſt, atque perſpecta.* Quid illuſtrius? Quod alibi dixit, refutando vanam elationem Janſeniſtarum vociferantium phyſicæ prædeterminationis defenſores eſſe ſui dogmatis patronos: *Verè tamen mihi videor eſſe dicturus, nullos huic doctrinæ infenſiores reperiri, quàm qui poſt natã Calvini Hæreſim ex S. Dominici Ordine, aliiſque eiuſdem ſacramenti Theologis, maioris eruditionis, & ingenij laude floruerunt.*

*Salmant. de Grat. diſp. 7. dub. 4. ſ. 11.*

*Decamps, lib. 2. diſp. 3. cap. 5.*

*Decamps, lib 2. diſp. 6 cap. 9.*

Deinde idem fatetur P. Ripalda, vt alios omittam: *Appellabis* (ait) *pro Baianis ad Thomiſtas aſſertores phyſi-*

*Ripalda cõt Bai. diſp. 14 ſect. 5.*

*physicæ prædeterminationis, quos à doctrina Calviniana longè disidere fas non est negare.*

1595 Minorem etiam, de convenientia Jansenij cum Calvino, eruditè, & evidenter convincit P. Decamps, in toto illo libro primo, cui titulus: *Iansenius Hæreticorum plagiarius*; vbi probat sententias, fundamenta, testimonia SS. Patrum, & effugia omnia, quibus vulgaria Theologorum argumēta eludere connatur, Jansenium ex Calvino mutuasse; repeto ex præiactis principijs discursum; evidens est prædeterminationis defensores toto Cœlo distare ab errore Jansenij, vt testantur Jesuitæ; evidens est, ipsis testantibus, errorē Jansenij esse pestiferum ipsum Calvini dogma; ergo evidens est prædeterminationem toto Cœlo distare à Calvini errore; qua igitur audacia dicitur: Dominicanos damnatis Jansenij propositionibus adhærere, cum Jesuitæ convincant calumniam istam: *Omnem falsitatem supperare, & ab ijs cum stomacho rideri, quibus vtraque oppinio nota est, atque præspecta?* Audi P. Contenson: *Si ita esset, vt imbellis emulus calumniatur, cur ordo totus Romæ anno 1650. in Capitulo Generali coactus damnatarum propositionum Iansenij impium quinarium Theologis suis operosissimè refutandum præcepit? Cùr in lucubrationibus singulis, quæ exinde prodierūt, Authores nostri ab illis damnatis erroribus abhorruerunt, & errorē suū fusissimis disputationibus, & quavis data occasione Petrus Labat, Bernardus Guyard, Baptista Gonet, Vincentius Baronius, alijque significaverūt?*

*Decamps, libr. 1. de Hær. Iansen.*

*Contenson, lib. 10. dissert. 3. c. 2.*

1596 Addo 1. *Supponendū est, Semi-Pelagianos admisisse Scientiam Mediam*, & tamen non est dedecus Societatis Scientiam Mediam docere, *quia eam, licèt Hæretici docerent, non tamen Hæretice*; vt ait P. Annatus celebris Societatis Scriptor (immò, & de Arrianis idem scripsit P. Hænao,) quia illorum error in eo præfertim situs erat, quod assererent initium fidei esse ex nobis; pariter ergo licèt Calvinistas admisisse gratiam prædeterminantem supponamus, nō vertetur nobis in dedecus eam protegere; quia eam, *licèt Hæretici docerent, non tamen Hæretice*, quia illorū error in eo præsertim situs erat, quod humani arbitrij libertatem indemnem non servabant.

*P. Annat. disp. 4. c. 4. ss. 2, n. 102.*

*P. Hænao de Scient. Media, Theolog defensata, s. 32. n. 229.*

1597 Addo 2. Calvinus ex efficacia intrinseca omnium auxiliorum gratiæ libertatis inferebat ruinam; vnde ita objiciebat: *Auxilia Dei ad consensum sunt ex se efficacia: ergo non sumus liberi in consentiendo*: tria igitur asserebat Calvinus; antecedēs esse verùm, consequens esse verùm; & consequentiam esse bonam: omnes Orthodoxi vno ore fatemur, consequens esse Hæreticum, hac igitur in parte omnes à Calvino recedimus; quid ergo erit comertij cum Calvino? Quod dicimus antecedens esse verùm, vt asserebat Calvinus, sed in hoc calumniari non possumus; quia Jesuitæ dicunt, consequentiam esse bonam, vt asserebat Calvinus, si ergo Jesuitæ sine periculo affirmant, bonā esse consequentiam, licet hoc Calvinus affirmaret; ergo, & Thomistæ sine periculo affirmant verùm esse antecedens, licet hoc affirmaret Calvinus: Ratio est, nam Calvinus duo copulativè affirmabat, scilicèt, *antecedens esse verùm, & consequentiā esse bonam*; non possunt argui Thomistæ coincidentiæ cum Calvino, quia affirment totam copulativam, cum pro viribus decertent *consequentiam non esse bonam*: sicut Jesuitæ non affirmāt totam copulativam, quia decertant *antecedens non esse verum*; nec possunt coincidentiæ cum Calvino argui Thomistæ, quia affirmant aliquā partem illius copulativæ; scilicèt, *antecedens esse verum*; quia Jesuitæ securi sunt ab hac calumnia, & tamen sustinent aliquam partem illius copula-

lativæ, ſcilicèt, *conſequentiam eſſe bonam*; ergo nullo titulo poſſunt Thomiſtæ argui coincidentiæ cum Calvino, ſicut nec Jeſuitæ; non iſti, quia ſolùm dicunt *conſequentiam eſſe bonã*; quod hucuſquè non damnavit Eccleſia: non illi, quia ſolunt docent *antecedens eſſe verùm*, quod hucuſquè nõ damnavit Eccleſia.

*Aug. lib. 1. cont. Creſconium, cap. 11.*

*Alvarez de Auxil. diſp 21. num. 9. Pſalm. 54. Aug. ſuprà eundẽ Pſal.*

1598 Vnde argumento, quod nobis obijcitur, de eo, quod Calvinus tradidit prædeterminationẽ, evidenter reſpondetur ex dictis. Quibus addo 1. ex Mag. Alvarez, iuxtà illud, quod dixit Pſalmiſta: *quoniam in multis erant mecum*: Hæreticos in multis eſſe cũ Catholicis, ſolùmque eſſe Hæreticos in ijs, in quibus à Catholicis diſſentiunt; vt Sanctus Auguſt. elegantèr dixit de Donatiſtis: *Baptiſmum habebamus vterquè, in eo erant mecum, Evangelium vterquè habebamus, erant in eo mecum, feſta Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum; Paſchæ celebritatem frequẽtabamus, erant ibi mecum; in ſchiſmate non mecum; in hæreſi non mecum; in multis mecum; in paucis non mecum? Sed in his paucis, in quibus non mecum non eis proſunt multa, in quibus mecum*: proportionabiliter nos dicimus de Calviniſtis, quæ S. Aug. de Donatiſtis: *Etſi ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.*

*Hierem. 51.*

*Antonius à Matre Dei tract. 3. diſp 9. dub. 5. ſſ. 5.*

1599 Addo 2. ex Antonio à Matre Dei; vſitatum eſſe apud Hæreticos, veritatem aliquam ſuis Hæreſibus immiſcere, & ex vno antecedenti verò inferre ob ſuam malitiã ſuos errores; vnde Arriani ex vnitate Divinæ eſſentię deduxerunt non eſſe tres Divinas Perſonas; quod ita elegantèr notavit Tertulianus: *Variè Diabolus emulatus eſt veritatẽ. Affectavit illam defendendo concutere. Vnicum dominum vindicat Omnipotentem mundi Conditorem, vt de vnico Hæreſim faciat.*

*Tertul. cõtr. Praxiam.*

*Hænao evẽt 38.*

Adde ex P. Hęnao, quod vt elegantèr præmonuit S. Aug. non propterea pro patria non eſt miles armandus; quia contra patriam nonnulli arma ſumpſerunt; aut ideò vti non debent boni, doctique Medici ferramẽtis medicinalibus ad ſalutem, quia his ad perniciem indocti, peſſimiquè abvtuntur: quare (ſubdit Hænao) quod aliqui Hæretici abvtantur opinione Dominicanorũ, & alij ea, quæ eſt Jeſuitarum, non ſufficit, vt ſivè vna, ſivè altera reprobetur.

## §. II.

### *Aperitur, in quo differat Doctrina Thomiſtarum ab errore Calvini negãtis arbitrij veram libertatem à neceſsitate.*

1600 Accedamus iam ad exponendum, quantum diſtet à damnato Calvini errore Angelicæ Scholæ veritas. Obſerva tamen, Calvinum in multis erraſſe, non ſolùm erga naturam liberi arbitrij ad ſalutaritèr operandum, ſed etiam erga veram Chriſti gratiam; eiuſquè omnes errores execramur, anathematizamus cum Tridentino; ſed gratiam intrinſecè efficacem ad meritum vitę æternæ exactam ſubſtinemus.

1601 Primò enim erravit Calvinus; quia negavit veram libertatẽ à neceſsitate ad meritum, & demeritum eſſe exactam in hoc ſtatu lapſæ naturæ: hoc enim ita certum eſt, quã quod maximè: prædicatum verò, quod negavit, vt voluntati adimeret libertatem veram non fuit *ſine coactione agere*; hoc enim cum omnibus Catholicis, immò, & cum Hetherodoxis libertatis oſſoribus fatebatur; nec fuit, iudicium rationis dirigens voluntatem; ſed fuit indifferentia activa proxima voluntatis ad extrema oppoſita. Vnde aſſeruit: *Voluntatem motam à Deo non poſſe diſſentire*: & ex efficacia impulſus Spiritus Sancti vociferabat, *vbi eſt illa poteſtas, quã ſibi ſomniant Papiſtæ?* Vndè illã exclamationem P. Annati aientis: *Quãvis ſuſpenſo iudicio more dubitantiũ, expectando ſolutionem*; in quo cauto

ſe

se explicandi modo eum plures imitantur: *Nonnè iusta est defensorum Scientiæ Mediæ petitio, qui post tam longam tot annorum altercationem, adhùc quærunt, quæ sit re ipsa differentia inter Thomistarum, & Calvini doctrinam, in ea præcisè dubitatione, qua petitur, sit nè, aut nõ sit in homine liberi arbitrij vsus aliquis?* Iã diù ipsimet PP. Societatis refutarũt, & reijcierunt, & P. Annatus Thomistas ab hoc infami comertio liberavit, decem, & octo discrimina inter Thomistas, & Calvinistas observando, & probando, sed quod specialitèr ad hoc pertinet, audi P. Annatum: *Calvinus ita gratiam efficacẽ defendit, vt ab illa nullam aliam, nobis relinqui libertatem putet, nisi illam, quæ dicitur à coactione:* Apud Catholicos Doctores inter se componũtur hęc duo: *Gratia in voluntate, & in eadem voluntate sub gratia constituta sufficiens non consentiẽdi potestas nec dubitant, quin hìc sit verus Tridẽtini Concilij sensus, in istis verbis: potest dissentire si velit.* Vnde qui acritèr increpabat Thomistas verisimè ipsos defendit, dum ait: *Quem invenient Ianseniani inter Thomistas, qui concedat ita necessarium consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ, quandiù illa inhæret, quomodò necessarius est amor Beatificus, quamdiù durat visio? Quem invenient, qui dixerit, voluntatem divina gratia prædeterminatam carere proxima ad dissentiendum potentia?* Consule P. Gonet diffusè, & elegantèr prosequentem P. Annatum, iam accusantẽ, iam excusantem Thomistas à coincidentia cum Calvini errore. Nec difiteor, quod novissimè scripsit Recentior Societatis: in docto P. Annato excusare Thomistas, quos olim accusabat, *nõ esse in consequentis calami, sed prudentis*; fateor certè prudentis animi esse Thomistas excusare à Calvinismi infamia; nec prudentia esset, nisi hoc esset verùm; solet enim esse prudentia tacendi verùm ex causis, quarum aliquas attingit Augustinus; nequit autem esse prudentia promere falsum. Nec inconsequentia doct. P. accusari debet; sed imitari eius sincera veritas; prudentiam ergo huius excusationis; ita elegantèr laudat P. Contenson, pro ea gratias nomine Sacræ Dominicanæ Familiæ agendo, dum ita ait: *Gratulamur venerando seni, quod non infamiæ ducat priora sua iudicia rescindere, quod nõ pigeat revocare, quod à se deprehendit præcipiti impetu, non veritate prolatum. Res sanè plena æquitate, & laude digna, fateri se hominem, & humani à se nihil alienum putare, sequè in quæstionibus facti infallibilem non arbitrari.*

P. Annat. in resp. ad 17 epist. Montaltis.

P. Contẽson, lib. 2. disser. 4. c. 2. in Corolar.

1602 Idem fecerunt magna eruditione P. Ripalda, Thomistas longè distare à Baianis demonstrando. P. Decamps (qui increpat Vincentium Lenis asserentem, *Thomistæ omnes nostri sunt*; his verbis: *O te ad fingendum audacem! Cedo ex ijs, vel vnum, qui tecum sentiat; certè eorum Principes Bannez, Ledesma, Alvarez, Cabrera, Estius, hanc opinionẽ Calvinianam, atque hæreticam esse profitentur.*) Et P. Martinonus, ex professo sæpiùs convincentes nullos Jansenismo magis infestos Thomistis; & cũ Jansenistæ, & Baiani eodẽ luto hęreant cum Calvino; ex ipsis inimicis nostris salutem, & securitatem obtinemus.

Decamps de Hæres. Sanssen disp. 3. cap. 36.

Gonet in Apologia Thomistarum. P. Aranda, disp. 8. s. 1.

## §. III.

### *Aliqua argumenta solvuntur.*

1603 OPpones autem 1. verùm esse Thomistas *hac vna linea* (quod, scilicèt, prædeterminatio physica ad consensum non aufert potestatem proximam dissentiendi) *hactenus suæ doctrinæ, & Calvinianæ confinia inconfussa servasse*, vt fatetur P. Annatus sub nomine Eugenij Phyladelphi, vt communitèr refertur; sed si esset aliquis, qui cum gratia efficaci componeret potestatem proximam dissen-

Annatus, pag. 654.

dissentiendi gratię sufficienti, & negaret ea cum gratia componi libertatem consensus: esset nè Hęreticus, aut Catholicus? Videtur enim Hæreticus, quia negat libertatem in Conciliis definitam: videtur etiam Catholicus, quia dissidium inter ipsũ, & Catholicos esset de nomine, fateretur quidem omnia, quæ nos fatemur, dum libertatem defendimus; scilicèt, & iudicium indifferens, & potestatem proximam dissentiendi compositam cum efficaci gratia, licèt dissensu ab efficaci ea gratia diviso; vndè illud dissidium esset despiciendum: *Nam vbi res convenit, quis non verba contemnat?*

*Augustl. lib 2. de Ordine cap. 7.*

1604 Resp. illum esse Hæreticũ, quia negaret de facto esse libertatẽ, quàm fides, & Concilia docent: nec fuisse dissidium de voce inter eum, & Catholicos, cum fateretur ea prædicata à Thomistis assignata, & in quibus libertatem constituunt; quia erat de re controversia; An illa prædicata sufficiant, vt voluntas sit libera; an secus? Dum ergo fide libertatem credimus adstringimur, non solũ ad sentiendum esse in voluntate salutariter cõsentiente ea prædicata, quę re vera sufficiunt, vt sit libera; sed etiam ad confitendum prædicata illa ad libertatem sufficere: cuius doctrinæ nobilè exemplum adduxit ex D. Thoma Mag. Ferre: refert enim S. Doctor. Græcos quosdam asseruisse, quod Spiritus Sanctus est à filio, & quod à filio profluit; simulque negasse Spiritum Sanctum à Filio procedere; tunc tamen isti essent Hæretici, quia licet assererent, quod re vera ad processionem sufficit, processionem tamen negarent à Sacris Conciliis definitam, ita in nostro casu.

*D. Tho 1. p. q. 36. art. 2. Ferre tract. 4. de Primo Motore, q. 1. sect. 23.*

1605 Oppones 2. Calvinũ vti illis distinctionibus: voluntatem motam posse in oppositum in *sensu diviso*, non in *sensu composito*; & cõsensum a Deo prædefinitum esse necessarium necessitate *consequentiæ*, non *consequentis*, quibus frequenter vtuntur Thomist. Cõfirm. quia Amesius, Calviniśmi professor, verisimam esse asserit Mag. Alvarez sententiam, & exinde Thomisticam; si ergo convenit cum Calvino, & Thomistis, isti inter se non dissentiunt.

1606 Resp. ex P. Contenson, Calvinum, & Sectarios easdem cum Thomistis distinctiones vsurpare; sed in longè diverso sensu (vt de ea distinctione *sensus diviśi, & compośiti* iã explicui, & de distinctione necesitatis *consequentiæ*, & *consequentis* inferius exponam) vafritie enim Hæreticis innata; nihil aliud fattagunt, quã Hæresum venena, Catholicorũ verbis veluti melle oblinire; veniunt enim sub vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: quid mirùm, eos verbis Catholicorum fucos, & colores quærere, qui testimonijs Scripturæ vtuntur passim, & passim abvtuntur? Vndè ad conf. facilè resp. Amesium Calviniśtam non esse, quia convenit cum Thomistis in assertione gratiæ, & arbitrij; sed quia alia dogmata impia subśtinet: nec est dedecus Thomisticæ Scholæ, quod aliqui Calviniśtæ clypęo prædeterminationis muniantur, quia, & alij, scilicèt, Armeniani, Duce Iacobo Armenio, Scientiam Mediam ad suę cause præsidium advocant: *Iam quæro, quænam periculośior consensio; An cũ Iacobo Armenio se Moliniśtam prædicante; An cum Amesio se Thomistis assentire mentiente? Nonnè ambo Hæretici? Nonnè per æquè à Catholica Fide extorres?* Si ergo Thomistis nocet Amesij consensio; cùr Molinę sententiæ non nocebit Iacobi Armenij suffragium? *Quæ verisimilis disparitas?* Dicamus igitur; vtinàm in nullo alio peccarent Armeniani, quã in illo erga Moliniśtas affectu; vtinàm in nullo alio peccaret Amesius, quàm in illa cum Thomistis consensione. Ambo si cæteros errores suos eiurarent, essent Catholici;

*Contenson vbi supra. Vide Gonet in Apologia*

Im-

1607 Imprudentis certè animi est Catholicorum sententias erroris nota infamare, & prætextu dubitandi, & vt nos doceant, vt dicunt, calũnias prælo mandare; cum evidentissimum sit, sententias illas, quas Ecclesia censurare prohibet toto zelo distare ab erroribus ab ipsa Ecclesia, veritatis columna, anathematè fulguritis; quid evidentiùs? Qui igitur, calũniam tentant ignorantiam suam evidenter demonstrant: cùm Pelagio sentire Doctum Societatem vociferant aliqui; irridet, quia Calvinus, & Lutherus Pelagianismi nota detrahebant Catholicos defensores libertatis veræ: cùr nos non irridebimus, cũ increpant esse destructores arbitrij, si Pelagius Catholicos Patres simili nota infamabat? Quæ verisimilis disparitas; dicamus igitur cum Hieronymo: *Fruſtrà blaſphemas, & ignorãtium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare, damnetur ille, qui damnat.*

*Hieronym. Ep. ad Ethesiph.*

1608 Et ego rectè possum vsurpare verba Hieronymi: *Ego nè liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea, nihil aliud egi, niſi vt omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conſervarem?* Vel dicamus cum S. Augustt. (dum respondet Vitali, qui partes agebat Pelagianæ Hæreseos:) *Quomodò dicuntur negare liberũ voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate?* Indubium ergo sit præiactum argumentum solùm oppo ni posse, *vt eloquentiæ, & rationi, quæ verborum ſit fronde compoſita, facilè vulgus cedat ignobilè*, vt aliquãdo aiebat S. Hieronymus. Sequamur igitur Apostoli documentum: *Noli verbis contendere; ad nihil enim vtilè eſt, niſi ad ſubverſionem audientium*; vbi, vt ait S. Thomas: *Non Apoſtolus prohibet totaliter diſputationem; ſed inordinatam, quæ magis fit contentione verborum, quàm firmitate ſententiarum.*

*Hieronym. lib. 3. adv. Pelag.*

*S. Auguſt. epiſt. 107.*

*Hieronym. ſup. Eccleſiaſt. cap. 10.*

*Apoſt. 2. ad Thimot. 2.*

*D. Thom. 2. 2. q. 10. art 7. ad 1.*

1609 Moderatiùs autem opponit R. Tyrso. 1. multum præstare doctrinam Societatis doctrinæ Thomistarum in materia de auxilijs, ad defendendam libertatem indifferẽtiæ, contra Hæreticos Calvinistas, & Lutheranos: Ratio est; nam si Calvinista, aut Ianseniſta in singulare certamen descenderent cum Thomista, & ad probandam conclusionem hæreticam; assumeret hoc medium: *Deus per ſuam præmotionem irreſiſtibilem determinat voluntatem ad conſenſum; ergo voluntas neceſſariò, & non libere elicit conſenſum.* Thomista concederet antecedens, & negaret consequentiam; Iesuita autem negaret antecedens; sed non est opportunum concedere antecedens ad vitandaHæreticorum tela; ergo: prob. min. quia Sapientissimi DD. Catholici censent consequentiam eversionis libertatis necessariò sequi ex antecedenti prædeterminationis, vt constat ex Scriptoribus Catholicis impugnantibus prædeterminationem.

*Tyrſo tom. 4 diſp. 6. ſect. 38.*

1610 2. Opponit suam sententiam multum præstare nostræ; quia nostra non habet definitionem Pontificiam, ex qua constet, Calvinũ non errasse in adstruenda physica prædeterminatione; sed solùm habet argumenta probabilia: sententia autem Societatis habet definitionem Innocencij X. ex qua certum est non errasse Semi-Pelagianos, quia negaverint gratiam prædeterminantem, cui voluntas resistere non posset; vnde iam ei non potest Semi-Pelagianismus opponi, quia negat gratiam prædeterminantem, licèt nobis possit Calvinismus opponi, quia eam fatemur. Assumptum probat; ex quarta propositione damnata ab Innocentio X. vt hæretica, quę talis est: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initiũ fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent, cã gratiam talem eſſe, cui poſſet humana*

*Tyrſo t. 1 diſp. 17. ſect. 14.*

*Tyrſo in fi ſect. 16.*

*4. propoſitio damnata ab Innocent. X anno 1653.*

*R. P. Peinado in materia de auxilijs.*

*voluntas resistere, vel obtẽperare*: ex quo etiam asserit quidam olim Primarius noster pro Societate: *Nos gloriamur ab oraculo fidei definitum esse nostram sententiam non esse Semipelagianam, & prædeterminantes hucusque proferre non possunt Ecclesiæ definitionem, statuentem eorum sententiam in hac parte non esse Calvinianam.*

*Augustl. de Trinit. lib. 1 in fine.*

1611 Resp. Magis expedire esse duos modos probaviles evadẽdi Hæreticorum argumenta, quia vt ait S. Augustl. *Tanto enim fortius convincuntur Hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos.* Resp. 2. minorem esse falsam, quia melius longe est ad respondendum Hæreticis, concesso antecedenti prædeterminationis, negare consequentiam eversionis libertatis, vt facit Thomista: quam negare antecedens. 1. Quia semper est melius concedere verum, quam negare, vt verum defendatur. 2. Quia si Hæretico disputanti negaretur antecedens, illud efficaciter posset probare testimonijs Sacræ Scripturæ: Conciliorũ & SS. PP. quibus vtuntur Thomistæ, vt antecedens probent, si autẽ Hæretico disputãti antecedẽs conceditur, non potest consequens probare, nisi Dialecticis formis in re Dogmatica inferioris ponderis respectu argumẽtorum ex testimonijs Sacris eructantium; non enim posset vti Hæreticus illis authoritatibus, quibus vtuntur PP. Societatis contra Thomistas, istæ enim sunt ex prędicatis libertatis desumptæ, & quæ libertatem supponũt, & exinde Hæretico invtiles, cũ eius studium non sit supponere libertatẽ, vt exinde prædeterminationem oppugnet, vt est in PP. Societatis. Exhibe enim medium ab authoritate ad probandum libertatem nõ esse, ex eo, quod sit prædeterminatio, quod non supponat esse libertatem, vt defectum inferat prædeterminationis?

1612 Ad 2. respond. Eque certum esse ex definitionibus SS. Pontificum, sententiam Thomistarum non esse Calvinianam, ac est, sententiam Societatis non esse Semipelagianam (in eo in quo Semipelagiani fuerunt ab Ecclesia damnati) Ratio, quia vna & altera sententia ab Ecclesia permittitur, & prohibitum est censurã cuilibet ex illis opponere: Nefas autem dictu est, errorem Calvinistarum, aut Semipelagianorũ Ecclesiam permittere, aut eius censuram prohibere. 2. habet etiam Doctrina Thomistarum definitionem Pontificiam Innocentij X. segregantem eam à Calvini, & Iansenij errore, nam post editam cõstitutionem adversus Iansenij propositiones, *viuæ vocis oraculo sæpius declaravit, se non intendisse doctrinam de gratia per se ipsam efficaci directe, vel indirecte attingere*, & in decreto ab ipso edito in Congregatione Generali Sanctæ Inquisitionis die 23. Aprilis anni 1654. sancivit, se celebrem illam de gratia per se efficaci controversiam, in eodem, in qno erat in congregatione de auxilijs statu, relinquere, in eaque quæstione debere observari Decreta Pauli V. & Vrbani VIII. quæ strictissime prohibent, ne quis sententiæ affirmanti, vel neganti gratiam per se efficacem aliquam erroris notam inurat: vt fere ad verbum refert Gonet: Quæ igitur expressior definitio Põtificia esse potest, declarans sententiam Thomistarum non esse Ianfenianam, aut Calvinistam?

*Gonet in Apol. Thomist. art. 8.*

1612 3. respond. Ex illa definitione Innocentij X. damnantis quartam Iansenij propositionem nõ fuisse statutũ, sententiam probabilem Societatis non esse Semipelagianam, in eo scilicet, in quo vt Hæretici fuerũt ab Ecclesia Semipelagiani damnati, sed tantum hoc fuit statutum, dum fuit prohibitum eam censurare, sicut & nostram. Vel clarius: in illa declaratione est statutum, sententiam Societatis non esse Semipelagianam, in

eo puncto, in quo est omniũ Orthodoxorum sententia; non autẽ in puncto eo, in quo Societatis opinio ab alijs Orthodoxis est denegata, & nõ sequuta. Assumptũ demonstro. Duo dicit Societas, vnum indubium ab omnibus Catholicis, vt fide Divina certum admissum, scilicet: *Dari gratiam interiorem, cui voluntas possit resistere, vel obtẽperare.* Aliud acriter inter Orthodoxos controversum, scilicet: *Præter hanc gratiam resistibilem, non esse exactam ad consensum salutarem gratiam aliam ex Deo efficacem, & non ex nostri arbitrij cooperatione*; Sed Sanctus Pontifex Innocẽtius X. in illa damnatione quartæ Ianseníj propositionis, solum sancivit: *Semipelagianos non fuisse Hæreticos, quia vellent gratiam talem esse, cui voluntas posset resistere, vel obtemperare*: Vt ex ipsa propositione damnata manifeste cospicitur. Vnde recte dixit P. Annatus: *Id in quo convenimus* (Thomistæ, & Iesuitæ) *sancivit Pontifex; id in quo dissidemus disputationi nostræ reliquit*: ergo Innocentius X. in damnatione illius quartę propositionis solum sancivit non esse Semipelagianam sententiam Societatis in confessione illius gratię, quam vno ore omnes fatemur Catholici, non vero declaravit non esse Semipelagianam in puncto controverso, in quo ab alijs Catholicis impugnatur. An vero in damnatione huius quartæ Ianseníj propositionis sit definita differentia inter Societatis opinionem, & Semipelagianos, quatenus Societas catholice fatetur interioris gratiæ prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; quod negabant Semipelagiani: alterius loci est examinare; interim vide Gonet de Hæresi Semipelagiana art. 3.

* * *

## §. IIII.

*Aperitur diversitas sententiæ Thomistarum ab errore Calvini negantis gratiam sufficientem non efficacem, immò gratiam excitantem, adiuvantem, & cooperantem.*

1613 HÆC est evidens diversitas inter errorẽ Ianseníj à Calvino mutuatum, & verissimam Thomistarum sententiam in puncto libertatis à necessitate in statu naturæ collapsæ per peccatũ. Differentia alia evidens; in puncto gratiæ prævenientis arbitrium, est, quod Calvinus negavit gratiã interiorem sufficientem, non efficacem, immo gratiam exitantem, & adiuvantem, & cooperantem repudiat. Hoc ita certum est, quam quod maxime, idque fundavi olim duobus in locis consulendis; sed quia Adversarij hoc etiam negant, forte vt indoctis persuadeãt, errorem Calvini fuisse in defendẽdo gratiam prædeterminantem, seu independenter à cooperatione arbitrij efficacem; hoc amplius evidentissimis testimonijs comprobabo. 1. Calvinus ait: *Motum Spiritus Sancti sic esse efficacem, vt fidẽ semper gignat, fallique Tridẽtinos Patres, quod motum nobis afferri somnient, qui mediã electionem nobis relinquat.* Quod testimonium ita manifestũ est, vt otiosum sit alia congerere ex ipso.

*Supra num. 10. & à n. 766. vsque ad 770. & à n. 1036. Arand. disput. 6 sect. 2.*

*Calvin. in Antidoto ad Sess. 6. cap. 6.*

1614 Sed Hæreticæ factionis asseclæ idem testantur: Paulus Ferrius ait: *Nulla est gratia vere sufficiens, quæ non sit efficax, & efficiens.* Hinc etiam David Paræus eiusdem erroris discipulus, aiebat: *Omnis gratia ad conversionem sufficiens, est conversionis efficax: Ad conversionem enim nulla motio potest esse sufficiens, nisi quæ eandem efficit.* Et hanc fuisse Calvini dementiam fatentur eius debellatores. Sic Duvalius ait: *Calvinus sufficientem gratiam, quatenus*

*Ferrius Orthod. c. 13.*

*Paræus lib. 1. de grat. cap. 2. lect. 112.*

*Duvalius tom. 1. de grat. q. 5. art. 1. Vigers in 1. 2. q. 111. art 3. Decamps lib. 1. disp. cap. 2.*

*efficaci opponitar, tanquam vanam, & superfluam reijcit.* Ioānes Vigers scribit: *Calvinus nullam vult agnoscendam gratiam excitantem, quæ nō sit efficax.* Idem testificantur Camerarius, Pennotus, Gamacheus, Puteanus, & alij quam plures, quos omnes citatos reperies apud P. Decāps nobilem Societatis Scriptorem; vnde nescio quomodo de hac veritate; ita firmata ab Authoribus Societatis, dum impugnant Ianseniſtas, possit ab eisdem dubitari dum adversus Thomistas disputant.

Vnde minime credo, Calvinum erraviſſe in Logica, dum consequēs hæreticum intulit de libertatis defectu, sed in Theologia semper; quia assumpsit antecedens hæreticum ad simile consequens inferendum Non enim colligebat defectum libertatis, ex hoc antecedenti: *Datur gratia prædeterminans,* quod esset assumere antecedens verum ad inferendam Hæresim; sed potius ex hoc: *Omnis gratia interior est prædeterminans, seu nulla est gratia interior, quæ non sit efficax.* Hoc antecedens est hæreticum, sed per rectam consequentiam infert libertatis ruinam; quia hęc ablato auxilio sufficienti de medio tollitur.

## ADDITIO.

*Caramuel in Theolog. fundamentali. fundament. 44. nu. 1104.*

1615 OMnia in hac sectione dicta roborantur ex relatis ab illust. Caramuel, cum subiret examen coram Alexandro VII. & asseruit gratiam ex natura sua efficacem (Caramuelis verba sunt) *Eruditissimus* P. de Cuppis Societatis Iesu, clarus doctrina, & sanguine, ætate venerabilis; in quo pietatem, & suavitatem morum suspiciebamus vniversi, sic exclamat: *Gratiam ex natura sua efficacem admittis? Ergo in hoc sacratissimo cōssesu audes tueri doctrinā, quam in Martino Luthero & Ioanne Calvino Tridentinum Concilium, quam in Michaele Bayo Pius V. & Gregorius XIII. quā in Cornelio Ianseno Vrbanus VIII. Innocentius X. &* (hic autem genuflexit) *Sanctissimus Dominus noster Alexander VII. condemnaverunt.* Tunc ego cōtumeliam sentiscens altiore voce intōui: *Adquid istæ nugæ? Ego, Ego; in hoc, in hoc confessu sacratissimo, tueor, & tuebor sine erroris formidi, ne* ex natura sua esse efficacem gratiā *huic enim veritati cōtra Martinum Lutherum, Ioannem Calvinum, Tridentinum Concilium, contra Michaelem Bayum, Pius V. & Gregorius XIII. & contra Cornelium Ianseniū Vrbanus VIII. Innocentius X. & Sanctissimus Dominus noster Alexander VII. consenserunt.* Attendite quæso; nam *consenserunt* dixi: & hoc ipsum clarissimè demostraturus sum. Sic ergo argumentum efformo.

In lectionibus ad Maturin. habuimus homiliam, qua S. Gregorius, Evangelium exponit. Redemptori nostro insultabāt Iudæi, & inter alias iniurias evomuerunt hęc verba. *Samaritanus es, & Dæmonium habes.* Et quid ad tam propudiosum mendacium purissima, & infinita Veritas? Et quid ad tam exorbitantem, & deviam calumniam veritatis securissima via? Et tandem ad hanc mortiferam blasphemiam quid immortalis vita? Colligere poterimus ex Sancti Gregorij Papę verbis, quę in matutinis legebamus. Sic enim ait: (*Iudæi dixerunt, &c. Duo quippe ei illata fuerunt; vnum negavit, & aliud tacendo consensit.*) Conservemus memoria hæc verba vltima, & ad gratiæ efficatiam veniamus. *Ioann. 8.* *D. Gregor. homilia 18. in Evangelia.*

Illi, illi, qui fuerunt nominati (videlicet Martinus Lutherus, Ioan. Calvinus, Michael Bayus, & Cornelius Ianfenius) duo dicebant; alterū, *Gratiam esse ex natura sua efficacem,* alterum, *necessitare voluntatem*: & tamen Concilium, & Pontifices, non illud priùs, sed hoc posterius condemnarunt. Ergo si exacta fuit vsus dialectica Sanct. Greg. quando dixit,

*Duo*

*Duo quippè ei* (Christo) *illata fuerunt* (esse Samaritanum, & habere Dæmonium.) *vnum* (habere Demonium) *negavit, & aliud* (esse Samaritanum, *hoc est* custodem) *tacendo consensit*: Exacta vti censendus sum, dum dico. *Duo illi Heterodoxi gestiebant Dogmata in Scholâ, & Ecclesiâ protrudere* (*nempè*, Gratiam esse ex natura sua efficacem, *necnon* necessitatẽ inducere.) *ex his duobus Cõciliũ, & Summi Pontifices, alterum* (Gratiam in voluntatem necessitatem inducere) *negarunt, & damnarunt expresse*: *Ergo* alterum (Gratiam ex natura sua esse efficacem) *tacendo cõsenserunt, & admiserunt.* Accedit Pium V. edisse Cathechismum Romanum, in quo hæc eadem doctrina passim insinuatur, & interdũ expræsissimè asseritur. Nostra igitur sententia, ne vnus Põtifex alteri obversari dicatur, esse omnium *Pontificum censenda est.* Hucusque Illust. Caramuel inter axiomata varia hoc dilucidans, *qui ex duobus propositis alterũ negat, alterum affirmare videtur.*

## SECTIO QVINTA.

*Argumenta difficilia Societatis, quæ intendunt gratiam irresistibilem tollere libertatem, solvuntur.*

1616 PRimo ab authoritate opponunt August asserentem. *Quæcumque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei cæditur*, ergo quæcumque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine merito ei cæditur: patet consequentia, quia in hoc nulla potest esse diversitas inter peccatum, & meritũ; ideo enim sine peccato cæditur causæ voluntatis irresistibili, quia sine libertate; vnde etiam sine merito cæditur causę irresistibili movẽti ad bonum; ergo si gratia prædeterminans irresistibilis movet ad bonum, sine merito ei cæditur.

*Herrera q. 13. de scient. s. 4. Tyrso to. 1. disp. 16. & alibi sepe. August. l. 3. de libero arbitrio cap. 18.*

1617 Oppon. 2. D. Thomam aientem: *Inclinatio gratiæ non importat necessitatem, sed habens gratiam potest ea nõ vti, & peccare.* Vbi de omni gratia non imponente necessitatem, tradit subiacere vsui habentis illam; sed gratia irresistibilis, seu prædeterminãs non subiacet vsui habentis illam; cum non possit ea non vti, & peccare, ergo gratia irresistibilis necessitatẽ imponit: vel è contra, si gratia efficax, quæ defacto datur necessitatem non imponit; gratia efficax non erit prædeterminans, seu irresistibilis.

*D. Tho. 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. Tyrso 1. 2. disp. 4. s. 10. Avendaño 1. 2. disp. 20. cap. 2.*

1617 3. Quia ex D. Tho. *Movens tunc ex necessitate causat motũ in mobili, quando potestas moventis excedit, ita quod tota eius possibilitas moventi subdatur.* Sed si Deus moveret ad actus voluntatis prædeterminatione, seu motione irresistibili; verificaretur, voluntatem moveri ab alio, cuius *potestas excedit*, ita quod *tota* voluntatis *possibilitas* Deo *moventi subderetur*, ergo Deus prædeterminatione irresistibili movẽs voluntatem ex *necessitate causat motũ* in voluntate.

*Avendaño* ibi: *& alij. D. Thom. 1. p. q. 82. art. 1. ad 2.*

1618 4. Ex D. Thom. *Angeli in quantum possunt concitare passiones, possunt voluntatem movere, non tamẽ ex necessitate, quia voluntas semper remanet libera ad consentiendum, vel resistendum passioni.* Vndè Angeli ex necessitate moverent mediante passione, si voluntas non remaneret libera ad resistẽdum passioni; sed dum Deus movet prædeterminatione irresistibili voluntas non remanet libera ad resistendum prædeterminationi, cum libertas ad resistendum motioni irresistibili sit chymęra; ergo Deus per eam motionem volutatem ex necessitate moveret.

*D. Tho. 1. p. q. 111. ar. 2. in corp.*

1619 Denique, quia D. Thom. semper salvat libertatem ad non peccandum in habente habitũ vitiosum, & in iusto ad peccandum: *Quia homo habens virtutem potest nõ vti virtute*

*D. Thom. in 2. dist. 28. art. 2. ad 4.*

*sed*

*sed in contrarium vsum exire, & similiter habens habitum vitiosum potest non vti habitu illo.* Sed habens motionem irresistibilem non posset non vti illa: ergo nec libere eliceret actum illius motionis. Similiter habitus, & passiones non repugnare libertati probat D. Thom. quia *eiusmodi qualitates arbitrio subiacent, in quantum in nobis est eiusmodi qualitates acquirere, vel causaliter, vel dispositivè, vel à nobis excludere: & sic nihil est, quod libertati arbitrij repugnet.* Vnde hanc regulam generalem statuit D. Thom. *Si dispositio per quam videtur aliquid alicui bonum fuerit naturalis, & non subiacens voluntati, ex necessitate naturali voluntas præelegit istud, sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, vivere, & intelligere*: & infra. *Si autem sit talis dispositio, quæ non sit naturalis, sed subiacens voluntati, puta cum aliquis disponitur per habitum, vel passionem ad hoc, quod aliquid sibi videatur, vel bonum, vel malum in hoc particulari non ex necessitate movetur voluntas, quia poterit hanc dispositionẽ removere.* Sed qualitas motionis irresistibilis arbitrio non subiacet, *quia non est in nobis eã excludere*, similitèr non est dispositio subiacens *voluntati*, quia nõ poterit *hanc dispositionẽ removere*: ergo talis motio *libertati arbitrij repugnat*, & ab ea *ex necessitate movetur* volũtas.

D. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. ad vlt.

P. Herrera de Prædest. q. 6. sect. 2.

D. Tho. q. 6. de malo art. vnico.

1620 Facile tamen hæc omnia solves, si fundamenta iam præiacta obserues, de essentia enim arbitrij liberi creati esse a nullo agente creato determinari ad sua exercitia, sicut & nulli agẽti creato subijci; eius tamen essentiã exposcere Deo *vniuersorum*, & ipsius arbitrij, *Domino* subijci, & ab eo determinari: consequenter enim dicitur: De essentia arbitrij creati esse à nullo agente creato irresistibiliter moueri; eius tamen essentiam exposcere irresistibiliter moueri à Deo; & ratio est vna, quia motio determinans, & arbitriũ subijciens est connexa cum termino ad quem mouet, & exinde irresistibilis, sed nullum agens creatum mouere potest determinando, & subijciendo arbitrium, & ita mouet Deus; ergo nullum agens creatum irresistibiliter mouet arbitrium, sed solus Deus.

Supra à nu. 1415. vsque ad 26. & n. 1502. vsque ad 13.

1621 Vnde licet Doctor Sanctus, vt salvet libertatem arbitrij cum motione habitum, & passionum, Dæmonum, & cuiuslibet agentis creati recurrat ad indifferentiam, inconnexionem, & resistibilitatem earum motionum; ad eam inconnexionem, & resistibilitatẽ minime aufugit dum de motione physica Dei loquitur; immo ingenue fatetur: voluntatem efficacem Dei, & motionem eius cõnexam libertatem non lædere; cum intulit: *Quod ex hoc ipso quod nihil voluntati Diuinæ resistit, sequitur quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant cõtingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult*; similiterque licet fateatur, *impossibile est Deum mouere volũtatem ad aliquid, & quod ipsa non moueatur*. Vbi connexionem, seu irresistibilitatem motionis Dei edocet, statim subiunxit: *Non esse impossibile simpliciter*, quod voluntas moueatur, vt libertatem voluntatis semoventis motæ componat, cum connexione motionis. Et ideo ait: *Impossibile est hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando.*

D. Thom. 1. p. q. 19. art. tam. 8. ad 2.

D. Thom. 1. 2. q. 10. ar. 4.

1622 Sed Decretoriũ testimonium D. Thomæ, vbi hanc differentiam inter causam creatam determinantem, & primam increatam, expo-

D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 11.

suit, habetur; dum dixit: *Dominum quod habet voluntas supra suos actus per quod in eius est potestate velle, vel non velle; excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiã causæ exterius agentis, non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua*

est

*est ei esse, & operari.* Vnde dominiũ liberum excludit virtutem voluntatis in se determinatam, agens exterius, seu creatum ipsam determinans (immò hoc agens violentiam, determinando induceret) minime vero excludit influentiam Dei determinantẽ, vt superioris causę à qua est in volũtate dominium liberum, & operatio libera, & in hac differentia, perpetuò fuit D. Thom. ita enim ait: *Ergo motus voluntatis directe procedit à voluntate, & à Deo, qui est voluntatis causa, qui solus* (pende exclusivam) *in voluntate operatur, & voluntatẽ inclinare potest quocumque voluerit*: Ergo solùm Deus voluntatem potest irresistibiliter movere: rationemque dedit D. Thom. quia postquam edocuit, *quod Deus movet hominem ad agendum non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sedetiam sicut movens ipsam voluntatem*; insuper docuit, *quod Deus qui est potentior, quã voluntas humana potest voluntatem movere secundum illud Proverb. 21. Cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit vertet illud*: Non ita appetitus, passio, &c. cum nullum agens creatum sit voluntate potẽtius; ergo nec potens eam irresistibiliter movere, seu quocumque voluerit vertere.

*D. Thom. q. 3. de malo*

*D. Tho. 12. q. 6. art. 1. ad 2.*

*Ibi art. 4. Sol ad 1.*

1623 Vnde ad testimonia apposita facilis est respõsio. Ad 1. ex Aug. desumptum; illud principium; *quæcumque causa voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei cæditur*; non posse applicari ad actus bonos, nec apud adversarios, quia Decretũ efficax influit mediate in actus bonos, & tamen recte ipsum esse irresistibile edocent. Vnde solum ait omnẽ causam ad peccatũ inducentem esse resistibilem cum adiutorio Dei, & ideo ipsum exponimus, vt & ipse Sãctus Parens se exposuit, cum id testimonium toties adversum nos inductum, sibi à Pelagio oppositum, refert per hæc verba: *Tum, inquit* (Pelagius aiebat) *Augustinus Episcopus in libris de libero arbitrio*, quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei cęditur: *Si autem potest, non ei cædatur, & non peccabitur. An forte fallit incautũ? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est vt caveri omnino non possit si ita est; nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.* En vbi expresse Augustinus loquitur de causa in peccatum inclinante, quam esse resistibilem docet: Auscultemus ipsũ pro se Pelagio respondentem: *Agnosco, verba mea sunt, sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cuncta, quæ dicta sunt. De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate iustitiæ. Potest ergo ei causæ, quæcumq; illa sit resisti potest plane. Nã in hoc adiutorium postulamus, dicentes,* ne nos inferas in tentationem: *Quod adiutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli.* Ita cavetur morbi, seu peccati malum, vt nõ accidat, & vt si acciderit *cito sanetur*; *caveamus, dicendo*, Dimitte nobis debita nostra, *Sive ergo immineat, sive insit, caveri igitur potest.* Quis ex hoc cõtextu recte inferet; ergo audiutoriũ, quod poscimus, & quo cavemus peccatum *opitulante illo, qui non potest falli*, nec vinci, est adiutorium, cui resistere possumus?

*Au. de nat. & gratia. cap. 65.*

1624 Ad 2. testimonium Divi Thomæ aientis, *inclinatio gratiæ nõ importat necessitatem, sed habẽs gratiam potest ea non vti, & peccare*; Resp. Doctor. Sanctũ de gratia habituali prædicta loqui: intentum enim illius articuli erat Angelos creatos fuisse in iustificante gratia; quia ex Augustino erat Deus *in eis condens naturam, & largiens gratiam*; cum hoc

*D. Thom. 1. p. q. 62. art. 3. ad 2.*

hoc tamen dono habitualis gratiæ, in quo omnes Angeli creati fuerunt, componit Divus Thomas plures Angelos fuiſſe à Deo averſos, & omnes fuiſſe liberos ad ſe convertendos ad Deum; quia hæc *inclinatio gratiæ nullam neceſsitatem imponit: quia habens gratiam poteſt ea nõ vti, & peccare*. Et Divi Thomæ ratio ſolum hoc vniverſale principiũ concludit, *omnis ea gratia, qua arbitriũ poteſt non vti, & peccare non imponit neceſsitatem* Quod principiũ firmum eſt; ſimiliter infertur ex hac D. Thomæ ratione, quod ea gratia, quę nẽceſsitatem imponit, non eſt talis, vt ea arbitrium poſsit nõ vti, & peccare, quia hic arguitur à cõtradictorio conſequentis ad contradictorium antecedentis conſequentiæ D. Thomæ: hanc tamen ilationem: *Gratia efficax non eſt talis, vt ea arbitrium poſsit non vti, & peccare: ergo imponit neceſsitatem*, colligere nemo poteſt ex Divi Thomæ diſcurſu; quia arguitur à cõtradictorio antecedẽtis ad contradictorium conſequentis cõſequentiæ Divi Thom. qui modus arguendi inefficax eſt.

*Aug. lib. 12. de Civit. Dei.*

1625 Sed inſtabis; inclinationẽ gratiæ habitualis ad bonum non imponere neceſsiratem, & talem eſſe, vt ea arbitrium poſsit nõ vti, & peccare, ex eo probat D. Thomas, quia *omnis forma inclinat ſuum ſubiectum ſecundum modũ naturæ eius; modus autem naturalis intellectualis naturæ eſt, vt libere feratur in ea, quæ vult*. Sed inclinatio gratiæ efficacis etiam debet eſſe inclinatio intellectualis naturę ſecundum modum eius: ergo inclinatio gratiæ efficacis debet non imponere neceſsitatem, quia habens eam gratiam poſſet ea nõ vti, & peccare.

*D. Thomas; ibi;*

1626 Reſpond. maiorem Divi Thom. expreſsè procedere de *forma* habituali, ſeu permanenter inclinante ſubiectum, vt eſt habitualis gratia non autẽ de inclinatione, quæ eſt per modum motionis tranſeuntis, ſeu applicationis ad agendum, vt eſt inclinatio, aut potius motio phyſica gratię efficacis, quia hæc ex Divo Thoma diſtincta eſt *à forma*, quæ *ineſt, & habet eſſe ratũ, & firmum in natura*, cũ ſit motio, quæ *à Deo fit in re naturali*, vt agat, & exinde non exigit indifferentiam, vt arbitrium poſsit ea non vti componendo cum ipſa non agere.

*D. Tho q. 3. de Pot. art. 1. ad 7.*

1627 Ad tertium teſtimonium Divi Thomæ reſpod. intentum Divi Thomæ in illo articulo eſſe *voluntatem ex neceſsitate non velle omnia, quæ vult*. Argumentum intendebat; obiectum voluntatis ex neceſsitate movere ipſam, quia *motus mobilis neceſſario conſequitur ex movente*. In cuius ſolutione hęc habet D. Thom. *Ad ſecundum dicendum, quod movẽs tunc ex neceſsitate cauſat motum in mobili, quando poteſtas moventis excedit mobile, ita quod tota eius poſsibilitas moventi ſubdatur. Cum autem poſsibilitas voluntatis ſit reſpectu boni vniverſalis, & perfecti, non ſubijcitur eius poſsibilitas tota alicui particulari bono; & ideo non ex neceſsitate movetur ab illo*: hucuſque Sanctus Doctor; vbi expreſsè loquitur de motione obiectiva, & quod volũtas nõ ex neceſsitate movetur à particulari bono obiective, probat ex eo, quod eius poſsibilitas nulli particulari bono ſubijcitur; ſed ex inde, quæ erit paritas ad motionem effectivam? Nunquid, quia poſsibilitas voluntatis Deo moventi ſubijcitur, Deus ex neceſsitate cauſabit motum in voluntatem? Minime; aliàs ex argumento non tam impugnaretur voluntatem determinari à Deo, quam voluntatẽ ſubijci Deo, cui plane tota eius poſsibilitas ſubijcitur. Differentia ergo inter movens obiectivè (de quo Divus Thomas loquitur) & movens effectivè, cur quidem obiectivè movens, ſi ſubijcit voluntatẽ eam neceſsitat, & movens effective

eam

eam non neceſsitat, licet eam ſubijciat? Ex alijs principijs deſumenda eſt, vel quia movens obiective indifferentiam iudicij aufert, dum voluntatem ſubijcit, ſecus movens effectivè. Vel quia obiective movens, quatenus tale non libere, ſed naturaliter movet: ideoque dum ſubijcit voluntatem, ſecundum vltimum ſuæ virtutis operando, poſſe ad oppoſitum à voluntate aufert. Movens autem *effectivè* ſubijciens voluntatẽ, vt Deus, liberè movet, & *ea, quæ fiunt à voluntate Divina talem neceſsitatem habent*, non qualem Deus poteſt inducere, ſed *qualem Deus vult ea habere*. Sicut ergo omnes conciliare tenemur, Deum movendo voluntatem quam ſubijcit, eam non neceſsitare, ita nos dicimus, Deum non neceſsitare voluntatem, quam determinat.

D. Thom. 1. q. 19. art. 8 ad 3.

1628 Ad quartum ex ipſo Divo Thoma deſumptum ex eo quod ait: Angelos concitando paſsiones non ex neceſsitate voluntatem movere, quia volũtas eſt libera ad conſentiendum, vel reſiſtendum paſsioni; Reſp. minime de motione phyſica Dei idẽ dicendum eſſe. Tum; quia arbitrium nequit ſubijci Angelo, & debet ſubijci Deo. Tum; quia vt in ipſo articulo dixit Divus Thom. *Solus Deus efficaciter poteſt movere voluntatem, Angelus autem, & homo per modum ſuadentis*. Si igitur D. Thomas inter motionem Dei, & Angeli in eo articulo diſtinguit, quia motio Angeli eſt inefficax, & motio Dei efficax, quomodo colligi poteſt ex eo, quod motionem Angeli reſiſtibilem adſtruat, talem, & eſſe motionem Dei? Et eodem deffectu laborat hoc argumentum, ac precedens, quia ex conſequentia, quam Divus Thom. rectã edocuit, intendit deducere ex cõtradictorio antecedẽtis, contradictoriũ conſequentis, vt conſideranti conſtabit.

1629 Ad vltima D. Thomę teſtimonia, in quibus habitum non neceſſario voluntatem movere, docet, quia voluntas poteſt non vti habitu, & ſimiliter paſsiones non ex neceſsitate movere voluntatem, quia volũtas poteſt eas excludere, & arbitrio ſubiacent; Reſp. nullam eſſe paritatẽ ad motionem Dei, quę arbitrio non ſubiacet. Tũ quia cauſa libera Deo, & nulli præter Deum ſubijci poteſt. Tũ: quia in hoc arguẽdi modo idem deffectus committitur, ac in præcedentibus, quia inferre ex D. Thom. doctrina omnem motionem non ſubiectam arbitrio neceſsitare, eſt inferre ex contradictorio antecedentis contradictorium conſequentis, quia diſcurſus D. Thom. eſt: *Habitus, & paſsiones arbitrio ſubiacent: ergo arbitrium non neceſsitant*. Et argumẽtum ita infert: *Motio phyſica Dei nõ ſubiacet arbitrio*: ergo *neceſsitat*.

1630 Hinc vltimo opponi poterat, argumentũ ex definitione cauſæ liberæ deſumptum; eſt enim; *quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum; poteſt agere, & non agere*: ergo ſi prædeterminatio eſt requiſita ad agendum, poteſt voluntas cum prædeterminatione coniungere, tan agere, quã non agere. Sed ipſum prætermitto, quia diffuſè alibi ſcripſi, ſenſum illius deffinitionis nõ eſſe, quod agere, & non agere poſsint coniungi à cauſa libera cũ omnibus requiſitis ad agendum; ſed, quod cum omnibus requiſitis ad agendum cõponat cauſa libera poteſtatem non agendi; nec quæ contra ibi dicta acri ſtyllo oppoſuit Pater Aranda ſpeciali indigẽt diſcuſione; ſed ſolum, quod, ſi exciderint, recolantur.

*Supra à nũ. 130. vſque ad 40.*

*P. Aranã diſp. 3. ſect. 3.*

## ADDITIO.

1630 ADhuc iutẽdunt Docti Recentiores, eſſe verum principium. *Quæcũque cauſa eſt voluntatis, ſi ei reſiſti non poteſt, ſine* merito *ei zæditur*: Sicut Aug. dixit: *ſine peccato ei zæditur*:

*Aug. lib. 3. de liber. ar. cap. 18.*

Inſtantiæ tamen noſtræ: quod Decretum Dei efficax irreſiſtibile inſtuit in actus meritorios noſtros.

Reſp. P. Ramirez quod Ly *reſiſtere* poteſt accipi, vel *poſitive* & ita denotat ſenſum compoſitum: vel *negative* quatenus denotat ſenſum diviſum: Et intentum Aug. eſſe cauſam non auferentẽ libertatem eſſe aliquo ex his modis reſiſtibilem; vnde conſtat diverſitas inter prædiſinitionem, ſeu Decretum efficax, & noſtrã prædeterm. quia prędeterm. non eſt reſiſtibilis nec *poſsitive*, nec *negative*, cum non poſsit impediri à creatura: at prædiffinitio eſt reſiſtibilis *negative* vt pote dependens à ſcientia media per libertatem creatam impedibili.

*Ramirez diſput. 5. de prædeſt. cap. 1. num. 23.*

1632 Sed in Societate admitti *reſiſtere negative*, ſeu in ſenſu diviſo, eſt novum; cur non erit *falſificare* ſcientiam Dei *negative*, ſeu in ſenſu diviſo? Vnde ſubſiſtet argumentum Societatis contra prædeterm. ex eo, quod gratia efficax ſit reſiſtibilis? poterit enim prædeterm. eſſe *negative* reſiſtibilis, quia ſi admittitur *reſiſtere* in ſenſu diviſo à forma ad conceptum reſiſtibilitatis parum conducit, quod ſenſus diviſus ſit *impediendo* formã, vel *impedita* forma: Vnde eſt aſſerendum, quod *non reſiſtere*, poteſt ſumi, vel *poſitive*, vel *negative* vt ſupra diximus; *reſiſtere* vero ſolum poteſt ſumi *poſitive*, & in ſenſu compoſito, vt cum DD. Societatis ſupra diffuſe fundavimus.

*Supr. num. 1524.*

*Supra à nu. 554. vſque ad 75.*

1633 D. Prado nõ admitit Decretum efficax *reſiſtibile*, ſed ait Regulam Auguſt. procedere de cauſa *irreſiſtibili*, quam voluntas non poſſit cavere; vnde non tenere in prædefinitione, quam voluntas inſtructa poteſt cavere. Et impugnat ſolutionem noſtram: quia licet regula vt iacet loquatur de actione peccaminoſa, ipſi videtur argumentum *efficaciſsimum* ad ſimilem regulam ſtatuendam pro cauſa quacũque operis honeſti, ita vt ſi non poteſt ei reſiſti ſine *merito* ei cedatur: non enim minus ad *meritum*, quam ad *peccatum* requiritur libertas: nec minus *illud* quam *iſtud* debet eſſe à volũtate evitabile, ſed ad vtrumque cavendum debet habere poteſtatem: :P:: Denique quia in textu citato proponit ſibi Auguſt. probandam libertatem, tam ad merita, quam ad peccata per hæc verba: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſsitate trahimur: alioqui vbi neceſsitas, nec corona eſt.* Et poſtmodum incipit agere de illis, quæ inclinant ad peccatum, ſi ergo quæcumque eſt cauſa pravæ voluntatis, ſi ei reſiſti non poteſt, ceditur illi ſine peccato, ſimiliter quodcumque donum ſit cauſa voluntatis bonæ, ſi ei reſiſti non poteſt; ceditur illi ſine corona.

*Prado diſp. 9. ſect. 6. à n. 70. vſque ad 72.*

*Auguſt. de natura, & gratia, cap. 67.*

1634 Sed hæc omnia longiſsime diſtant à mente Auguſtini, crediderim obiecta eſſe non lecto M. Parẽte: 1. quomodo eſt altum ſilẽtium, quod illa verba: *Quæcumque eſt cauſa, &c.* Fuerunt oppoſita ipſi Auguſtino à Pelagio, vnde ex illis non eſt equum argumentum ſumere, niſi vſurpentur in ſenſu in quo Aug. *Agnoſcens verba ſua eſſe* ea intellexit vt ſe defenderet à Pelagio illis verbis impugnante Auguſtinum: P. 2. quia omnino falſum eſt cauſam *irreſiſtibilem* poſſe eſſe, cui ſine peccato cedatur ſi ſit *impedibilis*, quia Auguſt. expreſse affirmat omnem cauſam peccati debere eſſe reſiſtibilem, quin in hoc exceptionem admitat: vt patet per hæc verba: *Poteſt ergo ei cauſæ quæcumque illa eſt, reſiſti, poteſt plane.* Quod vero hoc non poſſit dici de opere bono, alio ex principio provenit, vnde *inefficaciſsimũ* argumentum deſumitur ex regula operis pravi, ad ſimilem regulam ſtatuẽdam pro opere bono: Ratio, quia nulla cauſa operis pravi habet *in ſua manu* arbitrium, illi ſuperior eſt, aut

*Aug. ibi*

illud

illud *subjcit*: Nulla maior potestas inter causas peccati quam Diaboli; sed audiamus Pelag.um referente Augustino, qui in se opponebat, vt homo per possibilitatem naturalem non posset non peccare: *Diabolus nobis adversatur. Et respondit, resistamus illi, & fugiet.* Resistite, *inquit Beatus Apostolus*, diabolo, & fugiet à vobis. *Vnde animadvertendum est quid possit his nocere quos fugit vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui solis prævalere nō resistentibus potest*: Sed quid audiamus iudicat Augustinus de hac Pelagij sententia: *Hæc & mea verba sunt, verius enim dici non potest. Sed hoc interest inter nos, & illos, quod nos etiam cum diabolo resistimus, poscendum Dei adiutorium, non solum non negamus, verum etiam prædicamus: isti autem tantam tribuunt potestatē voluntati, vt pietati auferant orationem.* Omnis ergo *peccati* causa est resistibilis, licet vt diabolo resistamus, & fugiat à nobis, *precantes dicamus* Deo *Ne nos inferas in tentationem.*

*Augusti. de nat. & gratia cap. 58.*

*Iacobi 4.*

*Math. 6.*

1635 Non sic est in *merito* operis boni, licet sit à voluntate evitabile, & arbitrio liberum; quia non omnis causa meriti est arbitrio subiecta; *Deus enim non subjcit nobis suam omnipotentiam*; est ad meritū *influxus superioris causæ à qua est* arbitrio *esse & operari, & quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud, & disponere. Omnes viæ eius secūdum dispositionem eius, sic homo* adhuc liber *in manu illius, qui se fecit*: Et arbitrium causę superiori ipsum subijcienti in cuius manu est, ita vt secūdum dispositionem eius sint omnes viæ eius nequit resistere dum efficaciter movet: Ex regula igitur Aug. de peccati causa, nequit desumi argumentum ad causam meriti.

*Ecclesiast. cap. 33.*

1636 Sed quod additur solum opponi potuit non lecto Augustino. 1. Enim falsum est in textu illo Augustin. proponere libertatem tam ad merita, quam ad peccata probare, intentum enim August. à cap. 34. est impugnare Pelagium, quia *misericordiam, & medicinale Salvatoris auxilium tantum in hoc ponit, vt ignoscat commissa præterita non vt adiuvet ad futura vitanda: Hoc perniciosissime fallitur.* Et ideo asserebat. *Gratia medicinalis quæratur, & cōtroversia finiatur*: 2. Falsum est illa verba: *Liberi arbitrij nos condidit Deus* &c. esse August. illa enim sunt D. Hieronymi; & vt dicta à *Venerabili illo Presbytero*, oppositа à Pelagio ipsi Augustino: Et respondet SS. Parens Pelagio admitendo verba S. Hieronymi, & necessitatem gratiæ vt futura peccata vitentur demonstrando; ita ait: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in recto faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis*, quam solutionem prosequitur toto sequenti capite. Et postea non *incipit agere de illis, quæ inclinant ad peccatum*, vt vis, sed respondet Pelagio, qui ex testimonio Augustini ipsum impugnabat: Et ideo ita incipit: *Veniamus ad nos. Item inquit* (id est Pelagius) *Augustinus Episcopus in libris de libero arbitrio: Quæcumque ista causa* &c. Quibus August. *agnoscens verba sua* esse Respond. solum adstruendo omnem peccati causam resistibilem, quia *potest cāveri, sed opitulante illo, qui non potest falli.*

*Augusti. de nat. & gratia cap. 34.*

*Aug.* ibi cap. 65.

*Aug.* ibi cap. 66.

1637 Solum restat duo testimonia exponere, quæ efficacissima reputantur, vnum ex D. Thom. adductum à P. Ramirez; aliud ex Divo Hieronymo alatum à Doct. Prado: illud desumitur ex Doct. Sancto loquente de certitudine prædestinationis ex medijs collatis prædestinato per hæc verba: *Liberum enim arbitrium deficere potest à salute; tamē in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod vel*

*P. Ramirez disp. 5. de Prædestin. c. 1. nu. 44.*

*D. Thom. q. 6. de verit. art. 3.*

*non cadat, vel ſi cadat, quod reſurgat: ſicut exhortationes, & ſuſragia orationum, donum gratiæ, & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem*: vbi notatur *tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel ſi cadat.* Vnde infertur: Ergo media, & adminicula omnia etiam includendo gratiam talia ſunt quibus coniungi poteſt *caſus. & non caſus*, ſed media coniungibilia cum *caſu, & non caſu* ſunt ex ſe indifferentia, & non irreſiſtibilia; ergo ex mente D. Thomæ non ſunt media intrinſeca prædeterm. ſeu irreſiſtibilia.

*Cerf. apud Ferre tract 6. de Scient. Med. q. 4. §. 8. à nu. 147. vſque ad 50.*

1638 Sed hoc teſtimoniũ olim obiectum à Cerf. clare exponunt Illuſt. Godoy, & M. Ferre, immo ex eo probat in illo art. D. Thom. impugnaſſe ſcientiam mediam; aſſumptum enim D. Sancti eſt *prædeſtinatũ differre à non prædeſtinato ex parte ordinis, & non ſolum ex præſcientia eventus*; quia aliàs *præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, & prædeſtinatio non eſſet per electionem prædeſtinantis contra authoritatem Scripturæ. & dicta SS. Vnde* præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo *prædeſtinationis habet infalibilem certitudinem; nec tamen cauſa proxima ſalutis ordinatur ad eam neceſſario, ſed contingenter, ſcilicet liberum arbitrium*, & continuo protulit verba argumenti. Non tamen eſt mens D. Thomæ, quod cum medijs omnibus includendo gratiam poſsit coniungi *caſus & non caſus* quatenus gratia efficax non determinet effectum ſuum, ſed quia eſt medium ex ſe defectibile ad coniungendum prædeſtinatũ cum gloria, qui enim hodie per gratiam determinatur ad converſionem, cras per peccatum gratiam amittit; vnde eſt neceſſaria gratia determinans vt reſurgat, & ſi rurſus cadat indiget alia vt iterum reſurgat, & tandem alia vt finaliter perſeveret: Ergo quod indigeat gratia vt *non cadat*, vel *ſi cadit vt reſurgat*, non eſt quia gratia non determinet irreſiſtibiliter effectum ſuum; ſed quia licet hanc vim habeant, gratiæ ſunt defectibiles à ſalute, niſi Deus ita illas donet vt mortem cum perſeverantia in gratia coniungat.

*Godoy de Scient. diſp. 36. ſſ. 10. n. 237.*

1639 Teſtimonium D. Hieronymi adductum à Doct. Prado hæc habet: *Hæc autem vniverſa dicuntur vt liberum hominis arbitrium monſtraretur: Dei enim velle eſt & noſtrum credere. Nec ſtatim ſi non credimus, impoſsibilis Deus eſt: ſed potentiam ſuam noſtro dereliquit arbitrio, vt iuſte voluntas præmium conſequatur.* In quibus verbis vult Hieronymum edocuiſſe liberam derelictionem divinæ Omnipotentiæ in manu arbitrij creati: Simulque in hac mirabili ſententia fatigatur inquirendo quid eſt quod dicit *Deus non eſt impoſsibilis*, vt ſervet libertatem in non credẽte? Ipſi enim evidens videtur non loqui de Deo ſecundum ſe, quaſi dicat Deum non eſſe chymæram, ſed loqui de Deo quoad ſuum concurſum in actu ſecundo, quaſi dicat, ideo Deus ſervat arbitrium in non credente, quia eius arbitrio relinquit ſuum concurſum in credere: Et hanc vocat *genuinam, & clariſsimam intelligentiam*: Et ſi Omnipotenita Dei eſt derelicta in manu arbitrij, ita vt eius concurſus relinquatur arbitrio, Deus non concurret determinando, ſeu movendo irreſiſtibiliter arbitrium:

*Prado diſp. 5. ſect. 3. n. 32 & diſp. 6 ſect. 2. n. 48.*

*Hieronym. in Iſai. cap. 49.*

1640 Hæc S. Hieronymi verba legi adducta à P. Henao duobus in locis, & ea omiſsi, quia nihil in illis inveni, quod expoſitione indigeret, ſed dum efficaciſsima proclamantur examinare cogor: Hieronymus in illis verbis Iſaiæ: *In vacuum laboravi, ſine cauſa, & vane fortitudinem meam conſumpſi.* Introducit Chriſtũ quærentem: *Quomodo in me glorificatus eſt Pater; quia magnã partem populi Iudæorum ad te revocare non potuit?*

*D. Henao de ſci. med. Thed. defenſata ſect. 96. n. 882. & ſect. 247. num. 2603.*

*potuit?* Et continuo ſubdit verba argumẽti, quod hæc dicũtur vt *monſtraretur liberũ hominis arbitrium, Dei enim eſt vocare*, ideſt; ſolius Dei, *noſtrum eſt credere*, ſed ſimul eſt Dei, vt ſuperius diximus; ſed *nec ſtatim ſi non credimus, impoſsibilis Deus eſt*: Senſus clarus eſt, Deus non eſt *impotens*, licet vocati non credamus, hoc intelligitur per Ly *nec impoſsibilis Deus eſt*; ita loquitur Scriptura Sacra, dum refert *quod quidam errantes colebant mutos ſerpentes*; ait enim *Non enim impoſsibilis erat omnipotens manus tua*, &c. *Multum enim valere, tibi ſoli ſupererat ſemper, & virtuti brachij tui quis reſiſtet?* Et Hugo Cardinalis ita expoſuit. *Non enim impoſsibilis, id eſt impotens*: Eadem phraſi vſus fuit Hieronymus in ſimili cauſa: Ly ſed *potẽtiam ſuam noſtro dereliquit arbitrio*: non intelligitur de potentia Dei quaſi ipſam derelinquat; ſed Ly *ſuã* exprimit arbitrij potentiam, quaſi Deus non eſt impotens, ſed derelinquit arbitrium in manu conſilij ſui, ſeu in ſua poteſtate: *vt juſte voluntas premium conſequatur*: Quia eo fine Deus nobis contulit libertatem, vt ea meritorie operaremur: vt eſt communis ſenſus PP. Ex Auguſt. id ſupra tradidimus; Et eleganter expreſsit D Bernardus per hæc verba: *Datum homini liberũ arbitrium, non vt proinde peccaret, ſed vt glorioſior inde appareret, ſi non peccaret, cum peccare poſſet*:: *Peccavit autem, quia liberum ei fuit. Nec aliunde profecto liberum, niſi ex libertate arbitrij, de qua vtique inerat ei poſsibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, ſed abutentis, qui ipſam videlicet facultatem convertit in vſum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etſi peccavit ex poſſe, quod accepit, non tamẽ quia potuit, ſed quia voluit*::: *Peccantis igitur lapſus non dono adſcribendus eſt poteſtatis, ſed vitio voluntatis.* Quid ergo conducit ſententia D. Hieronymi, ad Decretum indifferens aplicativum Omnipotentiæ, & vt adiutorium Dei ſit in poteſtate arbitrij?

Hinc vlterius opponitur D. Thomæ teſtimonium aientis *vocationem eſſe efficacem in prædeſtinatis, quia ei aſſentiunt.* Superius adductũ: Sed ſupra D. Sanct. expoſuimus quod Ly *quia* ſumitur à D. Tho non in ſenſu cauſali, ſed illativo, & ſolutionem fundavimus: Nunc addo, quod frequentiſsime *to quia* ſignificat non rationẽ phyſicam in eſſendo, ſed logicam in probando: immo ſic Auguſt. ſibi obiectum aſſerentem, ideo *electos eſſe, quia ſecundum propoſitum vocati ſunt* interpretatur P. Ribadeneyra, & plures ex Societate: quid ergo mirum, quod nos exponamus Ly *quia*, quia exprimat rationem à priori in eſſendo.

*Supra à nu. 1283. & 4.*

*Sapientiæ cap. 11. v. 18. & 22.*

*Hugo Card. ibi: lit. A.*

*D Auguſt allat. num. 317.*

*D. Bernard de grat. & lib. arbitrio*

*D. Thom. in cap. 8. Ep. ad Roman. lect. 6.*

*Supr. num. 1276*

*Sup. à num. 1280.*

*Auguſt. de corrept. & gratia c. 7.*

*P. Ribaden. diſp. 13. de Prædeſt. ca. 4. n. 24.*

QVÆSTIO

# QVÆSTIO SEXTA

*Vtrùm gratia prædeterminans consensum pugnet cum illius libertate, quia non potest à voluntate impediri?*

1641 IAM coronidē desiderat tractatus iste vt argumēta difficiliora doctæ Societatis solvamus intēdentia prædeterminationē consensus eius libertatem tollere, *quia prædeterminatus ad consensum non potest dissentire*; ex eo enim, *quod præcedat suppositio connexa cum consensu à voluntate in impedibilis, nulla adest vera potestas ad dissensum vel oppositum consensui.*

Vr ergo clare procedam 1. nota vt certum, suppositionem aliquam dupliciter posse dici impedibilem; vel quoad *efficatiam*; quatenus sit in potestate voluntatis, quod talis suppositio sit efficax, vel inefficax, vel quoad *existentiam*, quatenus sit in nostra potestate, quod talis suppositio existat, vel non: gratiam prædeterminantem non esse impedibilem à nobis in sua efficacia clare convincitur, quia nomine gratię prædeterminantis intelligitur gratia ab intrinseco efficax necessario cum consensu connexa, & non indifferens; sed nequit esse in potestate voluntatis reddere inefficacem gratiam ab intrinseco efficacem, aliàs posset voluntas facere chymæram, &haberet in suo dominio prædicata rebus intrinseca immutare; ergo gratia, quæ semel est prædeterminas est à voluntate inimpedibilis quoad suam efficaciam. Dubium vero est, an gratia prædeterminans possit esse impedibilis quoad suam existentiam, quatenus sit in dominio voluntatis, quod talis gratia existat, vel non? Et an hæc gratia inimpedibilis à voluntate quoad existentiam lædat, vel non libertatem?

1642 Aliqui Thomistæ tenent gratiam prædeterminantem esse à voluntate impedibilem, quoad *existentiam*: quatenus pro suo dominio possit facere, quod existat, vel non, ita quod dum voluntas peccat, & consensus salutaris deficit, voluntati non solum imputetur nō consentire, vt docet fides, sed etiam ei imputetur ad culpam non prædeterminari ad consensum, horum alvum congessi supra. *Supra nu. 652. & 3.*

1643 Alij Thomistæ sentiunt cum omni Schola Societatis gratiam prædeterminantem debere esse à voluntate inimpedibilem quoad existentiam, si semel exacta & præveniens sit ad omne exercitium liberū; vnde solum esse pro dominio Dei prædeterminare, aut non, ad salutarem consensum. Hinc arguit docta Societas hoc assumens principium: *Gratia efficax cum qua defacto libere operamur debet esse à voluntate nostra impedibilis; vel quoad existentiā, vel quoad efficaciam*; sed gratia prædeterminans nō est huiusmodi: ergo gratia efficax, cum qua defacto operamur non est prædeterminans.

1644 Thomistæ vero, qui docent prædeterminationem impedibilem, assumunt idem principium, quod Societas, fine tamen toto cœlo diverso: non enim id assumunt, vt inferant gratiam efficacem defacto non

non esse prædeterminantem, sed vt inferant, gratiam prædeterminantem esse impedibilem; ita enim disputant; *gratia efficax, cum qua defacto operamur est à nobis impedibilis, vel quoad existentiam, vel quoad efficaciam*; sed gratia efficax cum qua defacto operamur est prædeterminans; ergo gratia prædeterminans est à nobis impedibilis vno ex prædictis modis; sed non est impedibilis, quoad efficaciã; ergo est impedibilis quoad existentiam; vnde isti Thomistæ discursui formato à docta Societate, vt defendant conclusionem gratiæ prædeterminantis, concessa mai. de impedibilitate gratiæ efficacis negant min. quia dicunt gratiam prædeterminantem esse impedibilem.

1645 Alij vero Thomistæ, quia gratiam prædeterminantem agnoscunt inimpedibilem cum Societate, cum asserant, gratiam efficacem cum qua defacto operamur esse prædeterminantem, tenentur dicere; gratiam efficacem non esse à nobis impedibilem, quoad *efficaciam*, quia est intrinsecè efficax; nec quoad *existentiam*, quia eam dividit Deus singulis prout vult; vnde dicunt, esse liberum voluntati consentire, vel non, posse voluntatem impedire, vel non impedire consensum; non vero esse liberum voluntati prædeterminari, aut non, impedire, vel non impedire adiutorium efficax Dei. Hic est status quæstionis.

1646 Nota 2. Nos superius per totam quæst. 6. disput. secundę; probasse gratiam prædeterm. esse à nostra voluntate inimpedibilem quoad existentiam, ita vt eius defectus non sit nobis imputabilis; immò hæc prędicata convenire gratiæ efficaci cum qua defacto operemur, vnde ex ijs prędicatis minime oppugnari, sed potius colligi gratiam efficacem cum qua salutariter operamur esse prædeterm. Cum vero iam dubium sistat in conciliandâ libertate cum gratia prędeterm. licet inimpedibili; solum restat examinare: An impedibilitas gratię prædeterm. sit exacta ad libertatem consensus? Et quomodo concilietur talis gratię inimpedibilitas cũ vera libertate, seu potestate volũtatis ad impediendum consensum per dissensum? Vbi erit necessè dissolvere Societatis capitalia argumenta.

## SECTIO PRIMA.

*Semel admissa prædeterm. gratia, eius impedibilitas non exigitur, vt consensus sit liber: Nec vt voluntati imputetur consensum deficere, necesse est, defectum gratiæ imputari voluntati.*

1647 HAnc conclusionem breviter, sed efficaciter probo. Libertas consensus exigit facultatem impediendi consensum, aut ponendi dissensum: Sed facultas impediendi consensum non est potestas impediendi prædeterm. consensus; ergo nec libertas consensus: Prob. min. in qua sistit difficultas, primo: Dum *abest* prædeterm est facultas *acquirendi* consensum, quin sit potestas acquirendi prædeterm. Ergo dum *adest* prædeterm. erit facultas *impediendi* consensum, quin sit potestas impediendi eius prædeterm. antec. est inter nostros principium, iam supra diffuse fundatum. Prob. conseq. 1. à paritate; sicut necesse est *existere* prædeterm. vt existat consensus, quia ad eum exigitur: ita necesse est *impediri* prædeterm. vt impediatur consensus, quia cum eo connectitur, sed primo non obstãte, dum prædeterm. *abest* facultas consentiendi non est potestas prædeterminationem comparandi, licet exactam, ergo dum prędeterminatio adest, facultas non consentiendi non erit potestas impediendi prædeterminationem connexam; certe verisimilem

*Supra à nu. 1308. vsq; ad 1400.*

milem disparitatem non invenio. ¶ 2. Prob. conseq. à priori. Dum abest prædeterminatio, facultas consentiendi non est potestas comparandi prædeterminationem, quia consensus non est ratio à priori existentiæ prædeterminationis, cum qua à posteriori connectitur; sed similiter deficere consensum non est ratio à priori defectus prædeterminationis, cum quo à posteriori connectitur: ergo facultas non consentiendi non erit potestas impediendi prædeterminationem. ¶ Vno verbo: eisdem principijs, quibus defenditur, consensum non esse rationem *determinativã* prædeterminationis sui, substineri debet, si consequenter procedimus, dissensum non esse eius rationem *impeditivam*. Et sicut dicimus in prædeterminatum posse ponere consensum, *posita*, non autem *ponendo* prædeterminationem; asserere cogimur, prædeterminatum posse impedire consensum *impedita*, non autem *impediendo* prædeterminationẽ.

1648 2. Probo principalem min. Facultas impediendi consensum non est potestas impediendi prædefinitionem efficacem divinam consensus: ergo nec est potestas impediendi prædeterminationem consensus. Ant. est in via D. Thomę constans, relegantes enim scientiam mediam nequeunt concedere decreta Dei esse à nobis impedibilia. Prob. conseq. 1. Quia assigna medium, quo probes, simul positis prædiffinitione, & prædeterminatione consensus, potestatem non consentiendi, esse potestatem impediendi prædeterminationem, & eque non suadeas, esse potestatem impediendi prędiffinitionem? ¶ 2. Vel potestas impediendi terminum alicuius connexionis est potestas impediendi eius fundamẽtum; vel secus? Si 1. potestas impediendi consensum erit potestas impediendi prædiffinitionem, cum qua connectitur. Si 2. potestas impediendi consensum non erit potestas impediendi prædeterminationem cum eo connexam.

1649 Vltimo me convinco hoc discursu: Tu adstruis prædeterminationem cõsensus à me impedibilem, & non impedibilem à me eius prędefinitionem, seu decretum; ergo facilius erit mihi adstruere consensum à me impedibilem, & non prædeterminationem. Prob. conseq. Quia inter consensum, & prædeterminationem, hæc est differentia, quod consensus est exercitium meæ libertatis, non autem prædeterminatio; sicut vero consensus est terminus essentialiter connexus, cum prædeterminatione; prædeterminatio est terminus essentialiter connexus cum decreto. Si igitur facultas impediendi *prædeterminationem* non est potestas impediendi *decretum*, cur, quæso, facultas impediendi *consensum* erit potestas impediendi *prædeterminationem*?

1650 Vnde, obserues velim, distinguentes in prædeterminatione, duo prędicata, quorum vnum sit à nobis inimpedibile, sicut decretũ; & alterum sit à nobis impedibile, sicut consensus; nullatenus vincere, immò nec fugere difficultatem, sed eius vires augere; quod manifestum fiet, nifallor, hac consideratione, si inter prædicata prædeterminationis realiter identificata, vnum fateris, & non alterum à me impedibile, quanto facilius erit, inter realiter distincta, licet connexa, qualia sunt, prædeterminatio, & consensus, vnum, & non alterum esse à me impedibile? Si enim ex duorũ *identitate* non infertur (vt asserunt) vtrumque, vel neutrum esse à me impedibile, qualiter id colligi iudicant ex duorum *connexione*?

SECTIO

## SECTIO SECVNDA.

*Stat vera libertas ad impediendum consensum per dissensum, quia sit potestas impediendi prædeterm. consensus.*

### §. I.

*Quædam principia firmantur.*

1651 VNum præoculis habe in quo sistit veritas cõclusionis nostrę, vt eam ab argumentis defendas; (cum connexio prædeterminationis cum consensu habeat pro termino consensum, & pro fundamento prædeterminationem) hoc quippe principium generale: hæc valde diversa esse: *Libertas impediendi terminum alicuius connexionis est libertas impediendi eiusdem connexionis fundamentum? Libertas impediendi terminum connexionis, est libertas impediendi aliquid, quo impedito non erit fundamentum.* Hoc secundum est ex terminis verum; primum non semper est verum, sed aliquando verum, aliquando falsum.

1652 Probemus assumpta principia: *Libertas impediendi terminum alicuius connexionis, est libertas impediendi aliquid, quo impedito, non erit talis connexionis fundamentum,* est principium evidens; vnde ex connexione prædeterminationis cũ consensu, evidenter infertur, quod libertas impediendi consensum, est libertas impediendi aliquid, quo impedito, non erit prędeterminatio; principium ita demonstro: Libertas impediendi terminum connexionis, v. g. B. est libertas ponẽdi carentiam B. quia idem est posse impedire terminum, ac posse ponere eius defectũ, sed carentia B. non potest coexistere A. aliàs A. posset esse sine B. & non esset connexum cum B. contra suppositionem; ergo libertas impediendi B. est libertas impediendi aliquid, quo impedito non erit A. Vel aliter; libertas impediendi B. est libertas determinandi terminum oppositionis cum A. quia est libertas determinãdi contradictorium B. & si A. connectitur B. opponitur cũ eius contradictorio; sed posito termino oppositionis cum A. non erit A. vt patet: ergo libertas impediendi B. est libertas impediendi aliquid, quo impedito non erit A. Denique: Si A. connectitur cum B. ergo deficere B. connectitur cum deficere A. est evidens; quia à contradictorio consequentis infertur contradictorium antecedentis; sed deficiente A. nequit existere A. vt est evidens, quia immediate contradicunt: ergo deficiente B nequit existere A. ergo libertas impediendi B. est libertas, vt deficiat aliquid, quo deficiente non existet A. Vnde si per terminum connexionis, seu B. intelligis consensum, & per fundamentum connexionis, seu A. intelligis prædeterminationem, libertas impediendi consensum erit libertas impediendi aliquid, quo impedito non erit prædeterminatio.

1653 Secundum assumptum principium: scilicet, quod *libertas impediendi terminum connexionis, non est semper libertas impediendi eiusdem connexionis fundamentum.* Sic probo: quia libertas impediendi terminum connexionis potest dupliciter excogitari, 1. ita vt sit libertas impediendi terminum, *non impedito prius* eiusdem connexionis fundamento: 2. ita vt sit libertas impediẽdi terminum *impedito prius* eiusdem connexionis fundamento, si 1. modo se habeat terminus illius libertatis, fateor, quod libertas erit ad impediendum terminum, & fundamentũ, ratio est; quia impedire terminum connexionis, & non esse impeditum fundamentum est chymæra; quia alias existeret fundamẽtum sine ter-

mino cum quo connectitur : ergo *ſi impedire terminum non impedito fundamento pro priori* inſpicitur ab aliqua libertate, talis libertas erit libertas impediendi fundamentum, ſolum enim poteſt non impediri fundamentum, dum impeditur terminus, quia ſupponatur impeditum pro priori ad impeditionem termini. ¶ Si autem ſecundo modo excogitetur libertas impediẽdi terminum, nullatenus erit libertas impediendi connexionis fundamentum. Patet, quia ponere aliquid incõpoſsibile cum alio, aliunde impedito, non eſt illud impedire; ſic enim communiter omnes exiſtimant; ideo enim nunc per præſentiam meam in hoc loco non impedio exiſtentiam Turcę in illo; nec nocte, qui claudit feneſtram impedit irradiationem Solis, quia aliunde impeditam, ſed poſſe impedire terminũ connexionis impedito pro priori fundamento, eſt poſſe ponere aliquid incompoſsibile cum fundamento aliũde impedito : ergo poſſe ita impedire terminum non eſt poſſe impedire fundamentum.

Explicatur: qui determinat fundamentum alicuius connexionis, nõ determinat terminum aliunde determinatum; & ideo, qui determinat amorem (non determinat Deum, licet amor connectatur cum Deo; ſimiliter, qui determinat terminum connexionis, non determinat fundamentum aliunde determinatum: ergo qui impedit terminum connexionis non impedit fundamentum, ſi aliũde ſupponitur impeditum. Patet cõſequentia; quia iuxa communem exiſtimationem, ſicut *determinare* aliquid eſt eſſe rationẽ à priori exiſtentiæ illius, ita *impedire* aliquid, eſt eſſe rationẽ à priori illius defectus.

1654 Ex his principijs indubitanter colligo, quod dum adeſt poteſtas impediendi terminum connexionis *neceſſario* ſupponendo, impeditũ talis connexionis fundamentum, poteſtas illa coniungitur cum omnimoda impotentia impediendi fundamẽtum. Patet, quia dum fundamentum eſt impeditum ante impeditionem termini, non impeditur ab impediẽte terminum. Ergo ſi neceſſario eſt impeditum, nunquam poterit impediri ab impediente terminum, quia ſi fundamẽtum ſupponi impeditum eſt non impediri; neceſſario ſupponi impeditum eſt eſſe inimpedibile.

## §. II.

*Expræiactis principijs prob. concluſio.*

1655 HInc probatur noſtra concluſio, & aſſumitur principium, vt plurima argumenta diſolvantur : poteſtas impediendi terminum connexionis vnice pro caſu in quo ſit impeditum connexionis fundamentum, eſt poteſtas impediendi terminum coniũcta cum impotentia impediendi fundamentum; ſed libertas, ſeu poteſtas impediendi conſenſum, quæ adeſt nobis ſolum eſt pro caſu in quo ab alia libertate ſit impedita prædeterminatio, quæ fundat connexionem cum conſenſu: ergo libertas, ſeu poteſtas noſtra impediendi conſenſum, non eſt poteſtas impediendi prędeterminationem, ſed potius eſt coniuncta impotentiæ impidiendi prædeterminationem.

Explicatur : Libertas *determinandi* terminum connexionis poteſt coexiſtere impotentiæ determinandi fundamentum, ex eo quod neceſſario ſupponatur determinatum ad determinationem termini ; ſic libertas determinandi *amorem* connexum cum *voluntate* coexiſtit impotentię determinandi exiſtentiam *voluntatis*; ergo pariter libertas *impediendi* terminum connexionis poteſt coexiſtere impotentiæ impediendi fundamentum, ſi neceſſario ſupponi-

tur

tur impeditum ad impeditionem termini; vnde libertas impediendi consensum connexum cum prædeterminatione potest coexistere impotentiæ impediendi prædeterminationē.

1656 Addo; licet determinare causam sit effectū determinare, non tamen determinare effectum est causam determinare; quia stat posse determinare effectum, & nō causam ad quam sequitur, quia determinatio effectus supponit determinatā causam; ita D. Thom. ait enim: *Non est incōveniens effectū esse à Deo, cuius causa secundum aliquid à Deo non est, sicut pœna, vel passio aliqua à Deo est, cum tamen iniusta actio, cuius effectus est, à Deo non sit.* Ergo stat posse determinare consensum, non motionem, ergo stat posse impedire consensum, non prædeterminationem.

*D. Thom. in 2. dist. 44. art. 2. ad 2.*

1657 Confirmatur: dum adest *motio* divina consensus: adest fundamentum connexionis cum consensu, coniunctum libertati impediēdi terminum, cum impotentia impediendi fundamentum; vt ex PP. Augustino, & Thoma superius probavimus, quia ad libertatem impediendi terminum ad quem movet Deus, non recurrūt ad inconnexionem motionis Dei, cū eius termino. Similiter, dum adest voluntas divina efficax consensus, adest fundamentū connexionis cum consensu, cum libertate impediendi terminum, & impotentia impediendi fundamentum, vt ex ipsis SS. PP. probavimus, quia ad ponendam libertatem impediendi consensum minime recurrunt ad potentiam impediendi fundamentum connexionis, seu voluntatem efficacem Dei: ergo potest cum gratia efficaci consensus cōponi libertas impediendi consensum, vt terminum connexionis, cum impotentia impediendi gratiam, seu connexionis fundamentum. ¶ Vel aliter: Recte componitur, dum deficit fundamentum connexionis exactum ad terminum, libertas comparandi terminum absque potestate acquirēdi fundamentum, vt multis superius fundavimus in imprædeterminato ad consensum esse libertatem comparādi consensum, cum impotentia acquirendi prædeterminationem: ergo dum adest fundamentū connexionis cum aliquo termino, libertas impediendi terminum potest esse cum impotentia impediendi fundamentum. Consequ. cōstat, quia nequit esse medium suadens, potestatem *impediendi* terminum ex se exigere potestatem impediendi fundamētum *connexum*, si libertas *comparandi* terminum non exigit potestatem comparandi fundamentum *exactum*.

*Supra à nu. 936. vsque ad 944.*

*Supra à nu. 927. vsque ad 934.*

*Quæst. 4. sect. 11.*

1658 Ratio autem à priori; cur dum adest fundamentum connexum cum termino, possit esse libertas impediendi terminum simul cum impotentia impediendi fundamentum; ex eo desumitur: Quod si possibile est fundamentum connexionis cum A. coniunctum cum libertate ad impediendum A. & quod necessario supponatur impeditū pro priori ad impeditionē A. ex libertate impediendi A. minime colligitur potestas impediendi fundamentum connexionis A. sed possibile est fundamentum cōnexionis cum A. quod necessario supponatur impeditum pro priori ad impeditionem A. & coniunctum cum libertate impediendi A. ergo fundamētum connexum cum A. potest esse coniunctum, cum libertate impediēdi A. & cum impotentia ipsum fundamentum impediendi: & exinde ex libertate nostra impediendi consensum non colligitur potestas impediendi prædeterminationem, seu fundamentum connexionis cum consensu. Mai. supponitur ex supra dictis, quia dum impeditio termini, seu A. supponit impeditum fundamentum connexionis cum A. posse impedire A. non erit posse impedire fundamentum. Prob. min. Fundamentum *à priori* connexum cum A. & diversi

*Supra nu. 1653.*

ordinis ab A. neceſſario ſupponitur impeditum ab alio agente pro priori ad impeditionem A. & non eſt vnde repugnet libertati impediẽdi A. ergo poſsibile eſt fundamentum cõnexionis cum A. quod neceſſario ſupponitur impeditum pro priori ad impeditionem A. & componatur cum libertate impediẽdi A. Prob. min. quoad primam partem; fundamentum connexionis cum carentia A. pugnat cũ fundamento connexionis cum A. & ipſum impedit, vt eſt evidens; ſed vt A. deficiat, ſeu impediatur debet eſſe pro priori fundamentum connexionis cum carentia A. ſicut vt A. exiſtat debet eſſe pro priori fundamentum connexionis cum A. ergo fundamentum connexum à priori cum A. neceſſario ſupponitur impeditum pro priori ad impeditionem A. Prob. 2. part. antec. libertas impediendi A. non exigit poteſtatem impediendi, quod neceſſario ſupponitur impeditum pro priori ad impeditionem A. ſicut libertas determinãdi A. non exigit poteſtatẽ determinandi, quod neceſſario ſupponitur determinatum pro priori ad exiſtentiam A. Aliàs vt ſit libertas impediendi A. non exigitur vt ſit impeditum fundamentum connexionis cum A. quia non exigitur vt ſit libertas, quod exigitur vt ſit terminus libertatis, cum ſicut ſunt plura, quæ pugnant cum termino libertatis, & non pugnant cum libertate, ita ſunt plura exacta ad terminum libertatis, quæ non exiguntur ad libertatem. Aliàs: quod hęc libertas non poſsit impedire fundamentum, quod debet impediri, vt impediatur A. non probat hanc libertatem eſſe impoſsibilem, ſed non eſſe independentem ab alia libertate, ſeu probat eſſe alteri libero ſubiectam, & ſubordinatam ad impediendum: ergo fundamentũ connexionis, cum A. quod neceſſario ſupponatur impeditũ pro priori ad impeditionem A. non eſt vnde pugnet cum libertate impidiendi A. Conſule ſectionem vltimam, vbi retorquẽdo argumenta contraria hanc doctrinam amplius confirmabimus.

## SECTIO TERTIA.

*Solvitur primum argumentum intendens voluntatem prædeterminatam ad conſenſum non eſſe liberam, nec poſſe diſſentire, ſi non poteſt impedire prædeterminationem; vbi de vera intelligentia ſenſus diviſi, & compoſiti.*

### §. I.

*Explicatur poteſtas compoſita cum prædeterm. conſenſus ad diſenſum à prædeterm. diviſum.*

1659 ARgumentum capitale Societatis ita procedit: Voluntas inimpedibiliter prædeterminata ad conſenſum nõ eſt verè potens ad omiſionem cõſenſus: ergo nec libera. Prob. anteced. Non eſt potens ad omiſsionem nec in ſenſu compoſito prædeterminationis, nec in ſenſu diviſo; hoc eſt, nec eſt potens ad componẽdam omiſsionem cum prædeterminatione, vel cum carentia prædeterminationis; ſed implicat, quod omiſsio exiſtat in rerũ natura, & quod cũ nullo ex iſtis cõponatur: ergo. Prob mai. Voluntas nõ habet poteſtatem ad componendam omiſsionem cũ prædeterminatione, quia in ſenſu compoſito prædeterminationis eſt chymæra, & fruſtratio prædeterminationis: nec poteſt componere omiſionem cum carentia prędeterminationis, ſeu componere in ſenſu diviſo à prædeterminatione: quia principium, quod non poteſt pro ſua libertate ſe dividere à forma, & eam tollere, vel impedire ne ſit, vel fuerit, non habet poteſtatem ad ſe exercendum in ſenſu diviſo talis formæ.

Omneș

1660 Omnes Thomistæ supponunt voluntatem non posse omittere *in sensu compositο* prædeterminationis : sed aliqui distingunt sensum *divisum* dupliciter; vel *positivum*, vel *præcisivum* : potentia ad omittendū in sensu diviso *positivo* formæ, est potentia ad impediendum formam, seu ad componendam omissionem cum carentia formæ : potentia vero ad omittēdum in sensu diviso *præcisivo* formæ respicit omissionem *secūdum se*, & nō est potentia impedien di formam,nec componendi omissionem cum carentia formæ; & hanc potentiam ad omittendum concedunt voluntati prædeterminatæ ad cōsensum, non in sensu diviso *positive*; quia hoc esset, vel supponi carētiam prędeterminationis,vel posse facere, quod talis carentia existat; sed in sensu diviso *præcisivo*, quod potest ad omissionem præscindendo à compositione cum prædeterminatione, vel eius carentia.

Nec apparet repugnantia in eo, quod sit potestas ad exercitium liberum, quæ prędscindat à potentia coniungendi illud exercitium cum prædeterminatione, vel eius carentia ; si enim repugnaret, ideo esset,quia implicat,quod omissio sit, & non sit cōiuncta cum prædeterminatione, vel eius carentia, quæ sunt contradictoria, ratio quidem ista nulla est : quia meus consensus liber non potest existere in rerum natura, quin componatur cum consensu Petri, vel eius carentia, & tamen habeo potestatem ad meum consensum, quin possim illum coniungere cum consensu Petri, vel eius carentia, cum non sit in mea potestate, quod Petrus cōsentiat, vel non : ergo cum non sit in mea potestate, quod Deus prædeterminet,vel non, possum habere potentiam ad omissionem, quin habeam potētiam coniungendi omissionem cum prædeterminatione, vel eius carentia, & exinde erit potestas omittēdi in sensu diviso *præcisivo*, & non *positivo* prædeterminationis, quia idem est omissionem positivè à prædeterminatione dividere, ac eam cum carentia prædeterminationis coniungere.

1661 Sed hanc solutionē nunquam percipere potui : quia libertas ad consensum voluntatis prædeterminatæ debet esse potestas ad omissionem *positive* divisam à prædeterminatione, seu positivè compositam cum carentia prædeterminationis : 1. Libertas est potestas coniungendi exercitium liberum cum omni illo, cum quo exercitium liberum essentialiter connectitur; sed omissio libera consensus essentialiter connectitur cum carētia prædeterminationis: ergo libertas est potestas coniungendi omissionem cum carentia prædeterminationis,seu ponēdi eam à prædeterminatione divisam: Vnde exēplum adductum constat non esse ad rem : quia mea omissio non connectitur essentialiter cū consensu Petri, nec cum eius carentia; vnde mea potestas omittēdi non est potestas coniungendi omissionem cum aliquo ex illis,

1662 2. Potestas omittendi non præscindit ab impotentia frustrandi prædeterminationem, sed est potestas ad omissionem, quæ verè non sit frustratio prædeterminationis, sed omissio præscindens à composita, & divisa à prædeterminatione,præscindit ab eo, quod sit, vel non frustratio prædeterminarionis : ergo potestas omittendi est ad omissionem *positivè* divisam à prædeterminatione, seu positivè compositam cum eius carētia. Patet min. Quia omissio consensus composita cum prædeterminatione consensus est prædeterminationis frustratio, & omissio ab ea divisa non est eius frustratio.

¶ Vel aliter : libertas vera consensus exigit potestatem veram dissensus, & potestas vera dissensus respicit pro termino dissensum verè posi-

*Godoy de im peccab. Christi disp. 40. sect. 8. num. 188.*

posibilem; sed dissensus compositus cum prædeterminatione cõsensus est positivè impossibilis, & dissensus prescindens à composito, & diviso ab ea prædeterminatione, est præscindens à chymærico, & possibili, & sic chymæricus: ergo potestas illa vera ad dissensum, quæ est in prædeterminato ad consensum, respicicit pro termino dissensum positivè divisum à prædeterminatione consensus.

1663 3. Displicet solutio: quia confundit potestatem omittendi, aut dissentiendi cum ipsa omissione, aut dissensu, potestas enim dissentiendi potest considerari *secundum se*, & quoad essentialia, & ita præscindit à prædeterminatione cõsensus, vel eius carentia; cum hæc accidant potestati dissentiendi, æque enim existit hæc potestas prædeterminatione consensus existente, aut deficiente, & quodlibet obiectum præscindit ab accidẽtibus, cum quibus potest coniungi, aut non coniungi; sicut homo secundum se prescindit ab alvedine, & eius carentia. Dissensus vero nequit secundum se, & quoad essentialia considerari paæscindendo à prædeterminatione consensus, vel eius carentia; quia essentialiter pugnat cum prædeterminatione consensus, & connectitur cum eius carentia, & nullum obiectum *secundum se* prescindit ab existentia, vel defectu illius, cum quo essentialiter pugnat, sicut homo *secũdum se*, nequit præscindere ab existentia, vel defectu rationalitatis, aut irrationalitatis; quia cum illa essentialiter connectitur, & cum ista essentialiter pugnat. ¶ Vnde ita insurgo: Dissensus solùm est terminus voluntatis, vt ponibilis à parte rei ab ipsa libertate, vt patet; sed dissensus ponibilis à parte rei essentialiter pugnat cum prædeterminatione consensus: ergo dissensus, vt terminus libertatis essentialiter pugnat cũ ea prædeterminatione: sed nullum obiectum secundum se, seu essentialiter prescindit ab eo, cum quo essentialiter pugnat: ergo dissensus, vt terminus libertatis non prescindit à prædeterminatione consensus.

Si dicas, iam quæstionem esse de voce cum Thomistis, qui solum adstruunt in voluntate prædeterminata ad consensum potestatem ad dissensũ in sensu diviso præcisivo; quia isti termini non debent applicari dissensui, seu termino potestatis; quia hic non prescindit à composito, & diviso à prædeterminatione consensus; sed debent applicari potestati, quam, & nos fatemur ita prescindentem. ¶ Contra est: quod hoc, prætextu excusandi Thomistas illos doctissimos in solutione valde probabili, quam vt minus expeditam semper impugnavi, est ipsos gravissimè accusare: cum enim dum affirmant in volutate prædeterminata potestatem dissentiendi in sensu *præcisivo*, eam denegent in sensu *composito*, & positivè *diviso*, si loquerentur de potestate, & non de termino in errorem (quod absit) inciderent; cum principiũ sanctum sit, quod potestas dissentiendi est *composita* cum gratia efficaci, similiterque positive divisa ab ea gratia; sensus ergo solutionis DD. quam impugnamus est superius manifestus, & valde probabilis; consulantur eius Authores, specialiter illust. Godoy. *Illu. Godoy vbi supra.*

1664 4. Assumptum convinco: fateor libertatem prædeterminati ad consensum non esse ad *dividendum* positive dissensum à prædeterminatione consensus; quia talis libertas esset ad ponendum dissensum, & negationem prædeterm. quæ minime sub libertate est, sicut & eius existentia, quæ vnice est libera prædeterminanti: recte autem stat, quod libertas prædeterminati ad cõsensum habeat pro termino dissensum positive *divisum* à prædeterm. quin sit potestas ad eam *divisionem*; ergo debet esse potestas ad dissensum positivè divisum. Prob. assumptum: Quia hoc concretum

tum *dissensus divisus*, sicut alia accidentalia, licet dicat in recto formam divisionis supponit pro subsracto dissensus; vnde verificantur de concreto, quę negantur de forma: sicut licet albedo sit accidens, & non substantia, hoc concretum *album*, quod importat albedinem in recto est corpus, & substantia: ergo licet de *divisione* dissensus à prędeterminatione consensus non verificetur, quod sit sub dominio, & libertate voluntatis prædeterminatæ, poterit verificari de hoc concreto *dissensus divisus*.

¶ Et negari minime hoc à N. Thomistis potest: plurimis enim exēplis comprobatur, est enim in voluntate libertas ad actum *præceptum*; & non ad *præceptum* actus; est libertas ad actum *præscitum* à Deo, & non ad *præscientiam* actus; similiterque adest libertas ad consensum *futurum*, & non ad *futuritionem* consensus; ad peccatum *permissum*, & non ad *permissionem* peccati; ergo, & poterit esse libertas ad dissensum *divisum*, & non ad *divisionem* dissensus. ¶ Denique, omnes fateri tenemur esse in nobis libertatem, & dominiū ad consensum *liberum*; & tamen in nostra potestate non est *libertas* consensus, aliàs libertas consensus esset nobis libera, & ita libere possemus consentire non libere, quod implicat: ergo est libertas ad concretum, & non ad concreti formam, & poterit esse libertas ad dissensum *divisum*, & nō ad dissensus *divisionem*. ¶ Vnde vltimo discurro: voluntas ptædeterminata ad consensum est libera ad dissensum positive *prædeterminatum* à Deo. Tum: quia dissensus nō aliter est possibilis, nec terminus potestatis veræ. Tum: quia potestas dissentiendi inspicit pro termino dissensum immediate subiectum supremo dominio Dei, & dissensus vnice subijcitur Dei dominio per sui prædeterminationē. Ergo (1) cum nō sit libera ad dissensus *prædeterminationem*; poterit pariter esse libera ad dissensum *divisum* quin sit libera ad dissēsus *divisionem*; ergo (2) cum sit idem dissensum esse positive prædeterminatum, ac esse positive divisum à prædeterminatione consensus: si voluntas est libera ad dissensum positive prædeterminatum, libera erit ad dissensum positive divisum à prædeterminatione consensus.

1665 Si autem cum alijs Thomistis exponas, terminum potentiæ dissentiendi in prædeterminato ad consensum esse dissensum *secundum se* consideratum, vt aliquando dixit D. Thomas, id est, dissensum quoad eius puram possibilitatem, seu existentiam *signatam*, non quoad *exercitam*, seu ad eius futuritionem, specialiter in circunstantijs prædeterminationis consensus. Ratio; quia potentia antecedens, vt distincta à consequenti, respicit terminum præcise quoad sua essentialia omnino præscindendo ab alijs circunstantijs, quibus affici potest, & cum potentia ad dissensum in prædeterminato ad consensū sit antecedens, non consequens, solum debet respicere dissensum *secundum se*, quoad existentiam signatam, seu puram possibilitatem: non respiciet igitur dissensum, vt positive divisum à prædeterminatione cōsensus. *D. Thom. 3. contrag. cap. 4.*

1666 Contra est 1. Libertas est ad oppositа, seu est indifferentia ad contradictionis extrema; sed voluntas prædeterminata ad cōsensum potest ponere *exercitam* existentiam consensus, quia eam actu ponit, ergo si est libera, actu potest, licet in sensu diviso, ponere contradictorium exercitæ existentiæ consensus, sed hoc non est existentia signata, sed exercita dissensus; ergo volūtas prædeterminata ad consensum, si libera est, est potens ad existentiam exercitam dissensus. Prob subsumptā. Tum; quia existentię exercitæ vnius contradictorij solum opponitur exercita existen-

exiſtentia alterius. Tum: quia exiſtere ſignate diſſenſum eſt *poſſe* eſſe diſſenſum; exiſtere exercite conſesũ eſt *non eſſe* diſſenſum; ſed *non eſſe* diſſenſum, & *poſſe* eſſe diſſenſum non ſunt termini contradictorij, quia *poſſe*, & *non poſſe*; *eſſe*, & *non eſſe* contradicunt, non tamen *eſſe*, & *poſſe non eſſe*, nec *non eſſe* & *poſſe eſſe*, cuius ſignum evidens eſt, quod iudicia, quorum vnum enunciat rem *non eſſe*, & alterum rem *poſſe eſſe* non cõtradicunt formaliter; ergo. ¶ Explico vim diſcurſus. Vel exiſtentia *ſignata* diſſenſus pugnat cum exiſtentia exercita conſenſus, & eius prædeterminatione, vel non pugnat? Si 1. Cur adſtruis in prædeterminato potentiã ad exiſtentiam ſignatam, & non ad exercitam diſſenſus? Si enim ſtat potentiam ad exiſtentiam ſignatam non pugnare cum prædeterminatione, licet exiſtentia ſignata cum prædeterminatione pugnet, cur idem clarius non aſſeritur de exiſtentia exercita diſſenſus? Si 2. cum in prædeterminato ad conſenſum adſtruis potentiã ad exiſtentiam ſignatam diſſenſus, libere conſentiens non poteſt aliquid oppoſitum conſenſui, & libertas non erit poteſtas ad oppoſita, contra lumen rationis.

1667 Contra 2. quia hæc doctrina confundit libertatem, cum termino libertatis, libertas enim cõſenſus dicit ſubiective in recto poſſe conſentire, & poſſe diſſentire, & non dicit in recto terminũ poteſtatis, nec enim definitur per poſſe poſſe, & poſſe non poſſe, ſed per poſſe agere, & poſſe non agere: ergo terminus poteſtatis diſſentiendi conſtituentis libertatem conſenſus non eſt poſſibilitas diſſenſus, ſeu poſſe eſſe diſſenſum, quod eſt exiſtentia ſignata diſſenſus, ſed eſt ipſum eſſe actualiter, & exercitum diſſenſus; ad hoc enim neceſſitaretur, ſi eſſet ad diſſenſum neceſſitata, id ipſum igitur poteſt, dum eſt ad diſſenſum libera. ¶ Si dicas, poſſibilitatem diſſenſus, aliam eſſe *actiuam*, & aliam *paſsiuam*; illam eſſe in recto libertatem, & hanc eſſe libertatis terminum; ratione cuius diſſenſus eſt mihi antecedenter poſsibilis, ſeu ex terminis, licet per ſuppoſitionem prædeterminationis ſit impoſsibilis conſequenter. ¶ Contra, quia poſsibilitas diſſenſus, quæ terminat potentiam antecedentem, nõ eſt poſſibilitas eius metaphyſica, *&abſoluta*. Tum: quia neceſſaria cum ſit nequit eſſe terminus potentię liberæ. Tum: quia etiam reſpiceret eius contradictorium, impoſsibilitatẽ quippe diſſenſus, quæ chymæra cum ſit nequit terminare potentiam veram. Non poteſt eſſe terminus potentię antecedentis poſsibilitas *reſpectiua* diſſenſus, qua redditur mihi poſsibilis. 1. Quia eſſe voluntati poſsibilem diſsẽſum, niſi terminos confundimus, eſt voluntatem poſſe reddere diſſenſum exiſtentem, non enim eſt mihi poſsibile, niſi quod à me poteſt eſſe exiſtens. 2. Quia voluntas eſt potens ad diſſenſum, vt impedibilem ab ipſa, quem de facto impedit cõſentiendo; ſed voluntas non impedit conſentiẽdo, diſſenſum eſſe ſibi poſsibilẽ, immo nec ſæpius eam poſsibilitatem impedire poteſt, ſicut nec ſuam libertatem conſentiendi, ſolum per conſenſum impedit actualem, & exercitã exiſtentiam diſſenſus: ergo hæc exiſtentia eſt terminus illius potentiæ antecedentis,

1668 Contra 3. pone præceptum vrgens conſenſus, & volũtatem prædeterminatam ad actum diſsẽſus. Voluntas libere frangit præceptum, aliàs non peccaret: ergo habet potẽtiam antecedentem ad adimplendum præceptum: ergo, & ad actum adimpletivum præcepti, ſeu ad faciendũ, quod præcipitur; ſed præceptum non præcipit poſsibilitatẽ actus, aut eius ſignatam, ſed exercitam exiſtentiam; præceptũ enim auditionis ſacri præcipit actu, & exercite audire ſacrum:

ergo

ergo voluntas libere dissentiẽs habet potentiam veram, & proximam ad existentiam actualem, & exercitam consensus; vnde, & ad consensum, vt positive divisum à prædeterminatione sibi opposita.

1669 Vnde ad Argum. Resp. neg. anted, & ad eius prob. neg. mai. quoad 2. partẽ: quia vt volũtas possit dissentire in sensu *diviso* prædeterminationis consensus non est necesse, quod possit eam tollere, vel impedire ne fit; aliud enim est, posse voluntatem per dissensum se *dividere* à prædeterminatione; aliud posse voluntatem dissensum *divisum* à prædetermin; 1. negamus, quia in potestate voluntatis non est se à prædeterminatione *dividere*. 2. asserimus, quia in eius potestate est dissensus ab ea prædeterminatione *divisus*. 1. enim esset voluntatem posse eam divisionem importantem esse dissensus, & non esse prædeterminationis, ad cuius non esse libertas nostra non extenditur, quia solũ existit pro nutu Dei; ad 2. sufficit voluntatem prædeterminatam secũ componere potestatem ad subtractum dissensus divisi ab ea prædeterminatione; vt multis exemplis explicuimus supra, nec obstat D Tho. dum dixit contingens provisũ posse non esse *secundum se* consideratum, quia terminus secundum se consideratus, sicut est positive compositus cum omnibus ijs, cum quibus essentialiter connectitur, est positive divisus ab ijs, cum quibus essentialiter pugnat.

*Supra num. 1664.*

*D. Thom. 3 contrag. c. 94.*

## §. II.

### *Argumenta contra allatam solutionem enervantur.*

1670 CONtra præiactam doctrinam opp. 1. Qui non potest efficere *dissensum esse divisum* à prædeterminatione consensus; nequit efficere *dissensum esse*, si dissensus solum potest esse divisus; sicut qui nequit efficere dissensum compositum cum suis constitutivis neqnit efficere dissensum; si solum potest esse ita compositus; sed voluntas prædeterm. ad consensum nequit efficere *dissensum esse divisum*, ab ea prædetermin. cum non possit hanc divisionem causare, seu non esse prædeterm. per quod constituitur: ergo voluntas prædetermin. inevitabiliter ad consensum nequit efficere *dissensum esse* ¶ Vrgeo 1. ex P. Henao; voluntas prædeterm. ad consensum nequit efficere dissensum *compositum* cum prædetermin. quia non potest cum ea dissensum *componere*: sed non potest dissensum ab ea *dividere*: ergo nec potest dissensum ab ea *divisum*. ¶ Vrgeo 2. ex P. Ribadeneyra. Si voluntas determinata ad cõsensum posset dissentire *compositive* cum ea determinatione posset ab ea tollere prædicatũ infalibiliter *efficacis* ad inducendum consensum; ergo si voluntas ita determinata potest dissentire *divisive* ab ea determinatione potest removere eius *existentiam*. Nam vt dissensus *dividatur* ab ipsa, non minus requiritur, quod ipsa non *existat*, quam vt dissensus *componatur* eum ipsa requiritur, vt ipsa non sit intrinsece *efficax*.

*P. Henao sect. 54. n. 414.*

*Ribadeneyr. disp. 14. de act. hum. cap. 4.*

1671 Respondeo: Hęc duo esse valde diversa: *dissensum esse divisũ* à prædetermin. & dissensum à prædeterm. *divisum esse*: verum enim est non esse in potestate nostra, quod dissensus *sit divisus* à prædeterm. quia dissensus est *divisus* à prædeterminatione per eius nõ esse, quod non est sub dominio nostro, sed Dei prædeterminantis: At dissensum à prædeterm. *divisum esse* est sub dominio nostro, quia est in nobis vera potestas, vt existat dissensus ita divisus. Ratio: Quia hoc concretum

*dissensum esse divisum* supponit pro forma divisionis, & denominatione extrinseca dissensus à divisione desumpta, cum vero divisio sit vnice libera Deo, est tantũ liberum Deo *dissensum esse divisum*; sicut Petrum esse visum, aut intellectum est liberum, cui est libera Petri visio, aut intellectio: Hoc vero concretum *dissensus divisus* non supponit pro forma divisionis, sed pro existentia substracti, seu dissensus, qui denominatur divisus; vnde *dissensum divisum esse* est voluntati liberum; quia licet existentia divisionis à qua denominatur divisus non sit ipsi libera, dissensus, qui denominatur, ipsi liber est, quia ita est vt possit nõ esse, licet ab ipsa divisus non sit.

¶ Hæc appellationum differentia plurimis exemplis constat aductis, quia sub dominio nostro non est consensum *esse prædeterminatũ*; *præscitum*, *prædiffinitum* à Deo, *liberum*, aut *futurum*, quia non sunt in potestate nostra *prædeterminatio*, prescientia, libertas, nec futuritio consensus; est tamen in nostro dominio consensum prædeterminatum *esse*, prescitum *esse*, prædiffinitum *esse*, liberum esse, & futurum *esse*, quia est nobis libera *existentia consensus*, qui subest prædeterminationi, præscientię, prædiffinitioni, libertati, aut futuritioni. Quam differentiam clarius percipies in his concretis; *Peccatum*, *esse permissum*, & *scitum à Deo*. Peccatum scitum, & permissum à Deo, *existere*, *aut esse*, quia cum primũ supponat pro scientia, & permissione Dei terminat divinam complacentiam; secundum autem concretum supponit pro existentia peccati, & ideo Deus odio habet ipsum, quia Deo displicet *esse* id, quod placet permittere.

*Supra num. 1664.*

¶ Si autem instes; *Divisio* à prædeterminatione consensus exigitur vt sit dissensus, sed prædeterm. ad consensum, nec habet, nec potest acquirere hanc *divisionem*; ergo non potest dissentire. ¶ Resp. quod sicut imprædeterminatus potest cõsentire, licet nec actu habeat, nec possit acquirere prædeterm. exactã vt consentiat, ita prędeterm. ad cõsensum potest dissentire, licet nec actu habeat, nec possit acquirere *divisionem* exactã vt dissentiat, quia sicut imprædeterminatus potest cõsentire consensu quidem *separato* ab imprædeterminatione, non ab ea *separando* cõsensum; ita prædeterm. ad consensum potest dissentire dissensu quidem *diviso* à prædeterm. nõ ab ea *dividendo* dissensum; vide superius diffusse dicta, quæ ne otio deditus sim non transcribo.

*Supra num. 1348.*

1672 Ad id quod vrg. 1. Nego. voluntatem ideo non posse dissensum *compositum* cum prædeterm. quia non potest ipsum cum ea *componere*, sed quia dissensus ita compositus est chymæra, & nulla est potestas, vt sit talis compositio: dissensus autem à prædetem. *divisus* est possibilis; & ideo est potestas ad talem *divisionem* per non esse prędeterminationis; vnde voluntas poterit dissensum *divisum*, quin possit ipsum *dividere*. ¶ Ad id quod vrgetur 2. Resp. quod si voluntas posset dissentire *compositive* cum ea determinatione, nec esset determinatio consensus, nec intrinsice efficax, non quia eius efficaciam intrinsecã voluntas tolleret, sed quia ipsa non esset, similiterque dum potest dissentire *divisive* non est, quia possit removere existentiam, sed quia pro prori ad dissensum supponitur à Deo impedita. Deus enim vt permittens, aut determinans dissensum est non determinans consensũ.

1673 Cum hæc à nostris Thomistis ita sint recepta, vt fere omnes ita defendant, quia clare evertunt ea argumenta, quæ ex defectu possibilitatis termini inferebãt defectum potestatis ad dissensum in prædeter-

mi-

P. Peynado in mat. de auxil. Parag. 4.

minato ad consensum. Nostræ Vniversitatis pro Societate Primarius inter alia, quæ opponit contra hanc doctrinam iam soluta: Inquit: Quod hæc solutio, quæ colore novitatis fucata placet, re ipsa non differt ab explicatione potentiæ dissentiendi in sensu diviso, quam tradiderunt Bañez, & Davila, & quã M. Gonet appellat *Perversam, hæreticam, propriamque Calvini, & Lutheri.* Itaque probat: illi dicebant voluntatẽ consentientem cum prædeterminatione consentire libere, quia simul cum prædeterm. habet potentiam vt dissentiat, *si desit prædeterm. requisita ad consensum; & si motio vocationis prædeterminantis auferatur.* Nos dicimus voluntatem sub prædeterm. consentire libere, quia *simul cum prædeterm. habet potentiã, vt dissentiat in sensu diviso faciẽdo à Deo.* Sed hoc idem est, ac habere potentiam ad dissensum, si *Deus non prædeterminet ad consensum*: Igitur hęc nova solutio non differt ab illa antiqua iam à Thomistis deserta. Et cum nulla possit esse necessitas consentiendi auferens potestatem dissentiendi in sensu diviso positivo ab ipsa, quod prædeterminatio hanc potestatem non auferat non sufficit, vt necessitas non sit, & libertatem servet.

1674 Respond. solutionem antiquorum Thomistarum esse eandem cum nostra, licèt non ita præspicue, & accurate explicatam: In hac enim propositione: *Voluntas prædeterminata habet potẽtiã vt dissentiat, si desit prædeterminatio requisita ad consensum*, Ly *si desit*, vel est conditio exacta, vt sit *potentia* dissentiendi, vel vt sit *terminus*, seu dissensus? Si 1. sensus erit, *vt voluntas prædeterminata possit dissẽtire exigitur, quod deficiat prædeterminatio.* Et hoc in sensu iustissima censura est à Gonet proscripta: *Hæretica, perversa, propriaque Calvini, & Lutheri.* Et à nullo Catholico Doctore est asserta; vnde male de nostris Thomistis merentur, qui vel nõ intelligentes, vel nolentes intelligere hunc sensum supponunt, vt eos impugnent, cum ab eo longissime distent; hæc enim potentia conditionata est plane hæretica, non minus, quam potentia remota, quam nec negant, nec negare possunt hæretici libertatis assores, qualiter enim componerentur libertas, seu *potestas* proxima dissensus, & *prædeterminatio* consensus, si exigeretur vnum deficere, vt aliud existeret? Quod esse fide certum iam diu fundavimus. ¶ Si 2. scilicet, quod Ly *si desit* prædeterminatio sit, conditio exacta ad *terminũ* potestatis, seu dissensum, ita vt sensus sit: *Voluntas prædeterminata habet potentiam dissentiendi. sed vt actu dissentiat exigitur, quod prædeterminatio deficiat.* Ita est propositio verissima, & ex antiquis Doctoribus explicata, per *potestatem compositam* cum prædeterm. consensus ad *dissensum positive divisum* à prędeterm. consensus: Si ergo aliquando conditionem attullimus non eam applices supra *potentiam* ipsã, sed supra *terminum* potentiæ: Multis probavimus, quod stat nõ posse *esse consensum* sine prędeterm.: Et tamen sine prædeterm. esse *posse* ad consensum: Ita cum prædeterm. consensus est *posse* ad dissensum, licet *dissensus* non possit esse, cum prædetermin. consensus. ¶ Plurimis exemplis hoc declarãt nostri Thomistæ, in quibus, quia propositiones sunt veræ in sensu diviso, cum actu subiecti componitur potestas ad terminum incomponibilem cum actu subiecti; vt in omnibus hijs conspicitur *amans potest odio habere: Sedens potest currere; iustus potest læthaliter peccare; Prædestinatus potest damnari; Reprobus potest salvari.* Rationem ex PP. desumptã superius traddidimus; quia

Supra à nũ. 174. vsque ad 9.

Supra à nũ. 394. vsque ad 9.

Supra à nũ. 161. vsque ad 71.

ſuppoſitionem eſse in ſubiecto inconiungibilem cum aliquo termino, ſolum infert non eſse in ſubiecto indifferentiam *ſuſpenſionis*, quæ ad libertatem non exigitur, nullatenus tamen aufert indifferẽtiam *poteſtatis*, quę eſt eſsentia libertatis; ſeu aufert à ſubiecto eſse *in potentia* ad vtrumlibet; non eſse *potentiam* ad vtrumlibet,

1675 Inſtat tamen Docta Societas: Veriſsimum eſse ſuppoſitionem inconiungibilem cum termino eſse *compoſitam* cum poteſtate ad terminum *diviſum* à ſuppoſitione: Hoc tamen tunc accidere, cum poteſtas ad terminum eſt poteſtas impediendi ſuppoſitionem, ſeu quando ſuppoſitio eſt in exiſtendo depẽdens ab ipſa libertate ad terminum cum ipſa incomponibilem; ſed ſuppoſitio prædeterm. conſenſus, nec eſt componibilis cum diſsenſu, nec eſt in nobis poteſtas eam impediẽdi; ergo prædeterm. non componit poteſtatem diſsenſus: Aſsumptum. Prob. 1. retorquendo exempla noſtra *Amãs enim poteſt non amare*, quia poteſt per odium amorem impedire: *Iuſtus poteſt peccare*, quia poteſt per peccatum impedire iuſtitiam, &c. Ergo ¶ 2. Beatus cum *viſione* nullam habet potentiam ad non amandum Deum, nec ad peccandum, adhuc in ſenſu diviſo viſionis, quia nec poteſt carentiam amoris cum viſione coniungere, nec poteſt viſionem à ſe abijcere, ſive impedire; ſed prædeterminatus ad conſenſum, nec poteſt diſsenſum cum prædeterminatione coniungere, nec prædeterminationem à ſe abijcere, ſive impedire: ergo prædeterminatus ad cõſenſum non componit ſecum potentiam ad diſsenſum in ſenſu diviſo. ¶ 3 Humanitas Chriſti *ex vi vnionis* hypoſtaticæ non componit ſecum potentiam peccandi adhuc peccato ab vnione diviſo, quia nec poteſt coniungere peccatum cum vnione, nec poteſt à ſe abijcere vnionem per peccatum, ſed prædeterminatus ad conſenſum, nec poteſt componere diſsenſum cum prædeterminatione, nec poteſt eam à ſe abijcere per diſsenſum: ergo non componit ſecum poteſtatem ad diſsenſum adhuc in ſenſu diviſo. ¶ 4. Homo catenis vinctus, à quibus abſolvi non poteſt, non componit ſecum potentiã proximam expeditam ad ambulandum; quia nec poteſt motum cum vinculis coniungere, nec poteſt vincula per motum à ſe abijcere: ergo quod ſupra. ¶ 5. Diſtans à Cœlo non componit ſecum poteſtatem proximam tangendi Cœlum; quia nec poteſt coniungere tactum cum diſtantia, nec poteſt à ſe diſtantiam abijcere: ergo diſtans per prædeterminationem à diſsenſu non poteſt diſsenſum attingere adhuc in ſenſu diviſo, quia non poteſt diſsenſum cum diſtantia cõiungere, nec poteſt à ſe abijcere prædeterminationem, qua diſtat.

1676 Vltimo denique: hanc eſse mentem Angelici noſtri Doctoris, nunquamque admiſsiſse cum forma aliqua potentiam ad terminum incõiungibilem; in ſenſu diviſo, niſi dum ſubiectum poteſt à ſe abijcere formam, ex pluribus locis colligitur, ſed ſpecialiter ex quæſtione ſexta de veritate articulo 3. vbi cum vt probaret poſsibilem eſse prædeſtinationem abſque effectu ſuo; in ſe Sanctus opponeret, poſse prędeſtinatum in peccato mortali eſse vſque ad mortem; Reſpondet: *Cum dicitur; quod prædeſtinatus in peccato mortali poteſt mori, ſi accipiatur ſubiectũ prout ſtat ſub forma prædeſtinationis, ſic eſt compoſita, & falſa: Si autem accipiatur, prout cõſideratur ſine tali forma, ſic eſt diviſa & vera*: inſurgitur argument. hoc 8. *In formis illis, quæ non poſſunt removeri à ſubiecto, non differt vtrum aliquid attribuatur ſubiecto ſub forma conſiderato, vel ſine forma*

*Henao ſect. 54.*

*P. Izquierdo diſp. 30. q. 10.*

*Henao vbi ſupra. Ant. Perez. P. Palanco, & alij.*

*D. Th. 1. p. q. 14. art. 13 & ad 3. q. 2. de verit. art. 12. ad 4.*

*formæ; vtroque enim modo hæc est falsa, coruus niger potest esse albus. Sed prædestinatio est talis forma, quæ non potest à subiecto, vel prædestinato removeri: ergo prædicta distinctio in proposito locum non habet.* Et quia Sancto Thomę non displicuit proposita antea solutio argumenti 7. procedit ad enodandam replicam contentam in 8. & ait: *Ad 8. dicendum, quod nigredo, & albedo sunt quædam formæ existentes in subiecto quod dicitur album, & nigrum: & ideo non potest aliquid attribui subiecto, nec secundum potentiam, nec secundum actum, quod repugnat formæ prædictæ, quandiù in subiecto manet. Sed prædestinatio non est forma existens in prædestinato, sed in prædestinante, sicut, & scitum denominatur à scientia, quæ est in sciente. Et ideo quantumcumque immobiliter sit sub ordine scientiæ, tamen potest aliquid attribui ei, considerando suam naturã, etiamsi repugnet ordini prædestinationis; hoc enim modo prædestinatio est aliquid præter ipsum hominem, qui dicitur prædestinatus; sicut nigredo est aliquid præter essentiam corui, quamvis nõ sit aliquid extra coruum. Considerando autem tantummodo essentiam corui, potest ei aliquid attribui: quod repugnet nigredini eius secundum quem modum dicit Porphyrius, quod potest intelligi: Corvus albus, & ita etiam in proposito potest ipsi homini prædestinato attribui aliquid secundum se considerato, quod nõ attribuitur ei, secundum quod intelligitur stare sub prædestinatione.* Ex quibus verbis ita colliges. 1. Quia prædestinatio non est *forma existens in prædestinato, sed in prædestinante, licet removeri non possit*, potest prædestinato attribui posse mori in peccato in sensu diviso, licet non in sensu composito: sed *prædeterminatio* non est forma existens in prædeterminante, sed in prædeterminato, & aliàs removeri non potest; ergo non potest ei attribui, posse, quod opponitur formæ, nec in sensu composito, nec in diviso. ¶ 2. Quia nigredo est quædam forma, quæ existit in subiecto, quod dicitur nigrum non potest aliquid attribui subiecto, nec secundum potentiam, nec secundum actum, quod repugnet formæ prædictę quandiu in subiecto manet; & ideo hæc propositio *Corvus niger potest esse albus* est falsa adhuc in sensu diviso: sed prædeterm. est forma, quæ existit in subiecto, quod dicitur prædeterminatum; ergo dissensus cum repugnet prædeterminationi nequit attribui subiecto, nec secundum potentiam, nec secundum actum, quamdiu in subiecto manet; vnde hæc propositio: *Voluntas prædeterm. potest dissentire* erit falsa adhuc in sensu diviso.

1677 Resp. neg. assumptum: quia suppositio inconiungibilis cum termino potest componi cum potestate ad terminum, & impotentia impediendi suppositionem ad 1. probationem Resp. ex S. Ioanne Damasceno asserente: *Non enim necesse est exempla prorsus inter se similia esse: atque eiusmodi, vt nihil omnino desideretur. Quando quidem in exemplis, tum similitudinem, tum dissimilitudinem prospicere opus est, si quidem exempla sunt. Nam quod omni ex parte simile est, idem est, non exemplum.* Ea tamen adducimus 1. quia saltem demonstrant suppositionem inconiũgibilem cũ aliquo termino, esse compositam cum potestate proxima termini, quod licet esse omnino verum adversarij fateantur, sæpius eorum argumentis oppugnatur. 2. quia inter exemplas numeramus aliquas suppositiones inconiungibiles cum aliquo termino, & simul compositas cũ potentia ad terminum, & impotentia à se abijciendi, aut impediendi suppositiones, vt in illis; *Prædestinatus potest damnari. Reprobus potest salvari.* Quia falsum existimamus istas suppositio-

*D Ioan. Damas. lib. 3. Orthod. fidi cap. 26.*

*Vide supra n 404. & 5.*

sitiones existere dependenter à nostra libertate. ¶ Ad 2. & 3. prob. simul Respond. suppositiones, *Visionis* Beatæ, & *Vnionis* hypostaticæ esse incomponibiles cum libertate peccandi, & hanc propositionem; *Beatus potest peccare* esse falsam adhuc in sensu diviso, sicut & istam, *Christi humanitas potest peccare*. Hoc tamen minime provenire, ex eo quod sunt suppositiones, quas nec possunt Christus, & Beatus cum peccato coniungere, nec per peccatum impedire: Hoc enim exigitur vt suppositio sit simpliciter necessitans ad non peccandum, quia suppositio necessitans, & est connexa cum termino ad quem necessitat, & à libertate independens, hoc tamen minime sufficit, vt sit necessitans, quia vlterius exigitur, quod constituat *posse* ad terminum, cuius est necessitas; *Vnio, & Visio* constituunt posse non peccare, & ideo (simul cũ alijs requisitis) necessitant ad nõ peccandum; omnes igitur Thomistæ illas propositiones esse falsas in sensu diviso ex eo probant, quia sicut propositio composita componit *actum cum actu*, divisa, cum vno actu componit potentiam ad alterum actum, licet actum non componat cum actu; sed *posse* peccare nec componitur cum visione, nec cum vnione: ergo illæ propositiones, *Beatus potest peccare*, *Humanitas Christi potest peccare*; sunt falsæ adhuc in sensu diviso. Cur suppositio connexa, & independens à libertate, dum constituit potestatem sit simpliciter necessitans; secus vero dum potestatem non constituit? Iam diffusè à nobis exagitatum est: Cur prædeterminatio posse nõ constituat? Multis probavimus, & exinde cum *posse* ad terminum oppositum nõ pugnare: Cur autem *Visio*, & *Vnio* cum potestate peccandi pugnent? Est quia suppositum divinum constituit posse ad omnes actiones humanitatis vnitę; vel quia reddit humanitatem infinitè sanctam. Visio Beata pugnat cum iudicio defectuoso, quod posse peccare constituit: Visio enim evidens Dei vt summi boni, excludit iudicium proponens aliquid vt bonum non ordinatum ad Deum: Recolito alibi dicta.

*D. Thom q. 22. de veritate art. 5.*

*Supr. à nu. 195. vsque ad 206.*

*Supra. nu. 1102.*

*Supra à nu. 419. vsque ad 520.*

1678 Ad 4. prob. & 5. simul: Resp. ex præiactis principijs: Quod divisio ab alijs impedimentis non solum exigitur vt illa exercitia existãt, sed etiam vt ad ea sit proxima potestas; & ideo istæ propositiones sunt falsæ in sensu etiam diviso; *Indissolubiliter vinctus potest currere. Distans à Cælo potest Cælum tangere.* Divisio autem à suppositione prædeterm. cõsensus exigitur, vt sit dissensus, non vt sit potestas ad dissensum. ¶ Inquires 1. Cur divisio à vinculis est necessaria vt sit potestas cursus, si divisio à prædeterm. necessaria non est vt sit potestas dissensus? Resp. 1. quia vincula ex parte actus primi, & potentię se habent: Non divinæ gratiæ motio. Ratio, quia vincula impediunt potentiam ne agat. Et ideo omne exercitium, & gressum potentiæ ambulativæ impediunt. Impedimenta igitur sunt potentiæ, non enim eam impediunt, quia exercent conferendo aliquod exercitium, sed omne tollunt: Motio gratiæ voluntatem non ligat, sed exercet, cum determinet vnum exercitium, vt aliud excludat: *Alligatus* quidem *spiritu ibat in Ierusalem* D. Paulus; quia divinus Spiritus determinando voluntatem, ipsam rectè exercendo alligabat, vt prædicatione Evangelij impleret ministerium suum; hæc enim vincula libertatem non lędunt, sed exercendo, & subijciendo Deo, perficiunt; non enim sunt *dura, quia dulcissima, nec mollia, quia firmissima.* Et ideo Sanctus Aug. nullam esse comparationẽ vinculorum corporalium cum alligatione divinæ gratię explicuit exponendo, quomodo adduxit Deus corda Israelitarum, vt Davidem Regem constituerent. *Numquid*, inquit, *cor-*

*Act. 20.*

*D. Aug. ep. 39.*

*Aug. de Correp. & gra. ca. 14.*

*po-*

*poralibus vllis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Et rationem subiungit: *Quia Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas.* Non ergo gratia alligat impediendo voluntatem, sed potius trahit eã exercendo. ¶ 2. Quia voluntas exigit, vt sit libera omnia comprincipia creata esse ei in efficiendo subiecta, licet in efficiendo Deo subijciatur; motio Dei voluntatem in efficiendo Deo subijcit, vnde vt sit libertas non exigitur divisio à prædetermin. quæ libertatem potius exercet; vincula tamen ferrea impediunt potentiam motivam esse in deambulando voluntati subiectam, quia licet velimus non possumus movere pedes ligatos: Divisio igitur à vinculis erit exacta, vt in deambulando liberi simus, seu vt sit potestas cursus. ¶ Si inquiras 2. Cùr divisio à distantia sit exacta, vt sit proxima potestas tangendi Cœlum? ¶ Resp. rationem esse, quia applicatio localis constituit posse tangere; cuius duplex est ratio. 1. quia est applicatio vnius causæ ad alteram causam, non applicatio causę ad actum, sicut prædeterm. 2. quia est id *sine quo* non fit actus, & non est *quo* fit, prædetermin. est *sine quo* non fit actio, & *quo* actio fit; Recolito diffusè alibi dicta.

*Supra à nu. 1350.*

1679 Ad vltimum ex D. Thoma cuius verba præter morem ad longum retuli, vt constet, quantum distent à D. Thomę mente, qui dicunt per potentiam antecedentem, seu in sensu diviso inspici terminum *secundum se* præscindendo quidem ab ijs, cum quibus essentialiter pugnat, vel conectitur, cum essentiæ corui concedat potentiam albedinis, & non coruo, quia *nigredo* est aliquid extra essentiam corui, quãvis non sit aliquid extra coruum:

*Supra à nu. 469. & à num. 514.*

Respond. D. Thom. loqui de dispositione subiecto inhærente orta ex natura subiecti, & cum ipso permanenter: & necessario coniuncta, vt exemplo nigredinis corui satis liquet, quam separari impossibile est; hæc enim dispositio non reliquit potentiam adhuc *in sensu diviso* ad ei oppositum. Prædeterm. est dispositio transiens non orta à creatura; vnde *Deus per eam nullam formam* imprimit voluntati; immo est distincta *à forma, quæ inest, & habet esse ratum, & firmum in natura*, nõ ordinatur enim ad perficiendum subiectum, sed producendum effectum, vnde permanet in voluntate potentia ad dissensum in sensu diviso, licet sit prędeterm. oppositus

*D. Thom. q. 24. de ver. art. 8. Et q. 3. de pot. art. 7. ad 7.*

## ADDITIO.

1680 DOctor Rios meę complutensis Scholæ Primarius Scoti dignissimus professor; licet fateatur vtilius esse Thomistis vti sensu *positive* diviso, quia per illum clarius propugnatur Doctrina Thomistica æque semper claritate, ac veritate subnixa: quem asserit mire illustratum Salmanticæ à SS. M. Bolibar, & à me tunc D. Thomę Primario Complutensi; tamen ait, sibi videri diversitatem non esse de re, sed de voce ab illis Thomistis, qui recurrunt ad sensum *præcisive* divisum; quia Ly *præcisive* nequit aplicari ad *dissensum* seu terminum potestatis, quasi præscindat à prædeterm. consensus, & eius carentia, sed suponunt dissensum non posse existere cum prædeterm. consensus; vnde Ly *præcisivè* solum aplicatur ad *voluntatem*, quatenus voluntas, vt possit dissentire præscindat à præ determ. consensus, & eius carentia; si ergo omnes Thomistæ conveniũt in *precisione* potestatis, & in *positiva divisione* dissensus à prædeterm. consensus: nullum erit inter Thomistas dissidium de re.

*Rios de iudicio indiff. disp. 2. dub. 1. § 4. à n. 33. vsque ad 37.*

Sed

Supra nu. 1663.

1681 Sed hanc doctrinam superius impugnavi, quia loquendo de voluntate prædeterm. non solum debet admiti potestas dissensus, *præcisive* à prædeterm. sed etiam in *sensu composito*, vnde si de potestate intelliguntur illi Docti Thomistæ, dū hanc propositionem: *Voluntas prædeterm. ad consensum non potest dissentire*, ita distingunt *in sensu composito* concedo: *in sensu diviso* subdistingo; *positivo* concedo: *præcisivo* nego: Omnino falsum assererēt, si cum voluntate prædeterm. concederent non esse compositam potestatem dissensus; cum ergo certum sit cum voluntate mota *componi* potestatem dissensus, loquendo de illa frustra introducitur sensus *præcisivus* cum nec necessarius sit sensus *divisus*: Vnde non debemus cōfundere potestatem cum termino potestatis, illa enim *composita* est: terminus solum potest esse à voluntate *divisus*, sive *positive*, sive *præcisive* à prædeterm.

Prado de lib arb. disput. 11. sect. 1. n. 6.

1682 Sed Doctor Prado ingenue ait, nullam esse realem diversitatem facile perceptibilem inter explicationes *sensus divisi*, vel *præcisive*, vel *positive* sumpti, Ratio. (nomine *A.* intelligamus brevitatis causa prædeterm. consensus) triplicem intelligere possumus præcissionem dissensus ab A. & iuxta numerum istarum præcisionum erit numerus acceptionum sensus divisi præcisioni: 1. est præcisio *purè intentionalis*: 2. præcisio *distinctionis adequatæ*: 3. præcisio *indifferentiæ, & coniungibilitatis*: Prima præcisio consistit in eo, quod à nobis concipiatur dissensus, quin concipiatur *A.* immo quin concipiatur formaliter vt pugnās cum *A.* quatenus non concipiatur prædicatum illud ratione cuius pugnat: Et de hac præcisione *intentionali* non possunt intelligi Authores recurrentes ad sensum *præcisivum*; cum non asserant voluntatem cum *A.* posse in dissensum secundum alia prædicata, & non secundum prædicatum illud ratione cuius pugnat cū *A.* 2. Præcisio est per quā sumatur dissensus vt adequatè *distinctus* ab *A.* & eius carentia, sicut dicitur, quod in signo *termini* præscinditur ab *actione* præcisione distinctionis adequatæ termini ab illa: Et in signo *causæ* adhuc necessariæ præscinditur ab *effectu*, eodem genere præcisionis: Hanc præcisionem *dissensus* docent, qui adstruunt sensum præcisivum, quatenus in voluntate cum *A.* sit potestas ad ipsum secundum omnia sua prædicata intrinseca, sed vt adequatè distinctum ab *A* & eius carentia, quatenus per potestatem dissensus non possit poni *A.* nec carentia eius, quia debet poni à Deo tam *A.* esse, quam *A.* non esse; Et in hac præcisione *distinctionis* conveniunt omnes, qui docent sensum divisum *positivum*. 3. Præcisionem *indifferentiæ, & coniungibilitatis* cum vtroque extremo, à quo præscinditur, sicut dicitur homi nem secundum se præscindere ab albedine, & eius carentia; & signum libertatis in actu primo præscindere à consensu, & dissensu; nulli Thomistæ possunt concedere dissensui ab *A*, cum omnes fateantur dissensum essentialiter pugnare cum *A.* & consequenter esse essentialiter inconiungibilem cum illo: In quo ergo stabit reale discrimen vtriusque solutionis, si recurrentes ad sensum divisum *præcisivum*, solum admittunt 2. genus præcisionis, quod negare non possunt recurrentes ad *positivum*?

Prado, ibi num. 9.

Vndè obsevat immerito à me obiici defensores sensus divisi præcisivi confundere *terminum* potestatis dissētiendi cum ipsa *potestate*: quia est diversa præcisio, quæ tribuitur termino seu *dissensui*: Et quę datur in *potestate*: nam *potestas* præscindit

cindit ab *A.* præcisione *indifferentiæ*, & *coniungibilitatis* cum *A.* & eius carentia: terminus vero, seu *dissensus* solum præscindit ab *A.* præcisione *distinctionis* ab *A.* & eius carentia: Non ergo confunditur terminus cum potestate, cum non sit eadem præcisio, quæ tribuitur termino, ac potestati.

1683 Nullam desidero à Thomistis diversitatem, sed sententiæ DD. non tam ingenio, quam studio comparantur: Explicare egredior sententiam Illust. Godoy, & aliorũ defendentium sensum divisum *præcisivum*, Et in quo stet diversitas à defendentibus sensum divisum *positivum*. Suppono distinctionem cadere supra *terminum* potestatis, non supra *potestatem*, quia cum potestas sit *composita cum A.* omnino frustra ad *præcisionem* fugerent, vbi *compositio* adstruitur. Suppono similiter præcisionem *rationis*, hic locum nõ habere, nec ex illa velle adstruere verum, & reale dominium libertatis; nec præcisionem *indifferentiæ*, & *coniungibilitatis*, quia asserere cum Illust. Caramuel voluntatem posse coniungere dissensum cũ prædeterminatione consensus; est, vt probat Sapientissimus Magist. Primarius Prado determinationẽ cum indifferentia confundere: idẽ enim est qualitatem esse determinantem, ac esse connexam, & non indifferentem; *connexio* potest esse sine *determinatione*, determinatio autem nequit esse sine connexione.

*Caramuel in Theolog. fundamẽt. pag. 7. & 8.*

*Ioan Martinez de Prado t. 2. Moralium c. 33. q. 1. §. 2. n. 8.*

1684 Suppono denique, adstruentes sensum *divisum præcisivum*, non solum adstruere *distinctionis adequatæ* dissensus ab *A.* Quid enim ineptius excogitari possit ad solvendum argumentum intendens: *Voluntatem cum A. non posse dissentire*, quam dicere: dissensum distingui adequate ab *A.* cum argumentum non solum supponat *A.* distingui à dissensu, sed fundetur in eo, quod *A.* sit connexum cum consensu oppositio dissensui: Improprium que valde esset asserere: *Voluntatem cum A. posse dissentire in sensu diviso præcisivo ab A.* quia dissensus distinguitur adequate ab *A.* posset enim dici, quod pariter voluntas cum *A.* posset *consentire* in sensu diviso præcisivo ab *A.* quia non solum *dissensus*, sed etiam *consensus* distinguitur ab *A.* adequate: Et in eodem sensu in quo admititur voluntatem cum *A.* posse dissentire in sensu diviso, admiti posset, voluntatem cum prædetermin. dissensus posse dissentire in sensu diviso; quod nulli veniet in cogitationem: Patet; quia *dissensus* non solum distinguitur adequate ab *A.* seu prædeterm. consensus, sed etiam distinguitur adequate à prædeterminatione ipsius *dissensus*.

1685 Thomistæ igitur præcisionem, quam agnoscunt in *dissensu* vt termino potẽstatis existentis in voluntate cum *A.* est *præcisio* ab eo quod per dissensum *abijciatur, removeatur, destruatur A.* vel *non abijciatur, non removeatur, non destruatur A.* vel brevius; voluntas cum *A.* est potens ad dissensum præscindentem ab eo, quod per dissensum se *dividat*, aut *non se dividat ab A.*

Argumentum enim pro contraria sententia intendebat *voluntatem cum A. non posse dissentire adhuc in sensu diviso*, quia voluntas non poterat per dissensum se dividere ab *A.* ad hoc respondent; solũ probare voluntatem cum *A.* non posse dissentire in sensu diviso, *divisione accepta positive*; secus *divisione accepta negative*, seu *præcisive*; *Divisio positiva consistit in hoc quod est ponere vnum auferendo aliud; & hoc modo non potest. Sensus vero divisus, negative accepta divisione, est posse ponere illam negationem secundum se inspectam, & secundũ ea quæ*

*Godoy de volunt. disp. 54. nu. 27. Et de merito Christi, disp. 39. n. 188.*

*ab intrinſeco petit*: Vnde potentia, quę eſt ad diſſenſum in voluntate cũ *A.* non eſt potentia *conſequens*, ſed *antecedens*, potentia enim *conſequẽs* à nullo accidenti pręſcindit, *potentia autem antecedens eſt præciſiva ab his, quæ ex accidenti conveniunt negationi actus, & ſolum illam reſpicit ſecundum ſibi eſſentialia*: Et diſſenſus ſecundum ſibi eſſentialia non habet quod per ipſum removeatur *A* ſeu voluntas ſe dividat ab *A.* Ratio: *Nam poteſt Deus efficaciter præmovere ad diſſenſum, quin præcedat præmotio efficax ad cõſenſum, & de facto ſepè id accidit, tũc autem diſſenſus non deſtrueret præmotionẽ phyſicam ad conſenſum, & cõſequenter non eſt illi eſſentiale talem præmotionem deſtruere.*

*Godoy de im peccabilit. Chriſti diſp. 43. n. 83.*

*Godoy de Prædeſt. diſput. 62. nu. 122.*

1686 Vnde nota vt auferas equivocationem, ex qua ortũ duxit, vt hęc ſolutio ita male reciperetur ab aliquibus ex noſtris, vt quidam (quem agnovi) publice diceret, vt refert Doctor Rios, ex RR. Domino Peinado, ſe plane faſſurum libertatem noſtram per Phyſicam prędeterm. tolli, ſi non eſſet in voluntate prędeterm. ad conſenſum alia poteſtas ad carentiam conſenſus quam vt *divisã præciſive*: Nota inquam, diviſionem præciſivam diſſenſus terminantis poteſtatem prædeterm. ad conſenſum; non eſſe præſcindere diſſenſum *à compoſito* cum *A.* ſeu prædeterm. conſenſus, & à *diviſo* ab *A.* quia diſſenſui eſſentialiter repugnat componi cum *A.* & eſſentialiter convenit dividi ab *A.* ſed ſolum diſſenſum præſcindere, à *diviſione, ſeu remotione, & excluſione A.* & à *non diviſione ab A.* quia accidit diſſenſui auffere *A.* cum hoc ei conveniat ex ſuppoſitione accidentali, quod *A.* præexiſtat: Sit exemplum: peccatum lithale, & gratia juſtificãs mutuo eſſentialiter pugnant in communi Theolog. ſententia; & tamen vtrique accidit alterum excludere, quia accidit vtríque dum adeſt alterum ſupponere: Nec enim peccatum ſemper excludit gratiam; vt patet, in peccato originali, & in peccato peccatoris: Nec ſemper gratia excludit peccatum, vt patet, in gratia SS. V. Marię, Angelorum in primo inſtanti, & primorum parentum. Stat ergo vnũ cum alio eſſentialiter pugnare, & non poſſe cõponi cum illo, & quod ei accidat idipſum excludere; ita debet dici de diſſenſu, vt termino poteſtatis voluntatis cum *A.* quod ei eſt eſſentiale non poſſe componi cũ *A.* ſed præſcindere ab eo, quod *dividat* voluntatem ab *A.* dividere enim ſolum habet ex accidẽti, quod in voluntate *A.* ſupponat.

*Rios de iud. indiff. diſp. 2. dub. 1. num. 36.*

*Peinado in manuſcirp. de auxilijs. diſp. 3. ſect. 4. §. 4.*

1687 Solutionem igitur non ſemel traditam ab Illuſtr. Godoy, quod terminus potentię antecedentis in voluntate ſub *A.* non eſt diſſenſus vt coniungendus cum *A.* vel cum eius negatione: Et ſimiliter, qnod terminus potentiæ antecedentis in voluntate impeccabili ſub præcepto mortis eſt omiſsio mortis nec vt coniungenda cum *præcepto*, nec cum eius negatione: non admitimus, quia terminus potentiæ antecedentis, ſicut nequit præſcindere ab ijs, quæ eſſentialiter ei conveniunt, vt ſupponit Illuſt. Godoy, ita nec ab ijs, quę eſſentialiter ei repugnant, ſicut enim includit exacta, ita excludit repugnantia: Et diſſenſui eſſentialiter repugnat cõiungi cum *A* & omiſsioni mortis in voluntate impeccabili coniungi cum præcepto mortis in inſtanti in quo obligat: vnde in termino potentiæ antecedentis non poſſumus invenire præciſionem à *compoſito*, & *diviſo ab A.* vt ſuperius arguebam; admitimus vero præciſionem à diviſione per *excluſionem A.* vel à diviſione per eius purum *deffectum*.

*Godoy de ſciẽtia diſp. 38. ſſ. 3. nu. 40. & de meritoChriſti diſp. 49. ſſ. 8. n. 188.*

*Supra à nu. 1661.*

1688 2. Recurſum Illuſt. Godoy vitamus vt ſuperfluũ; potentia enim

enim antecedens in voluntate sub *A.* potest respicere dissensum vt *divisum* positive ab *A.* etiam per eius remotionem, seu exclusionem quin sit potestas ad talem *divisionem* dissensus ab *A.* vt superius fundavi, nec aliter M. Bolibar nostram solutionem illustravit, quam non recurrendo ad aliquam præcisionem, sed simpliciter, & absolute affirmando voluntarem cum *A.* posse ad dissensum *divisum* ab *A.* & non posse ad *divisionem* dissensus ab *A.* quia est potens ad id, quod in *recto* dicit dissensus divisus, non ad id quod dicit in *recto*, & in *obliquo*, scilicet carentiam *A.*

*Supra à nu. 1664.*

*Bolibar de provid. dub. 6. ff. 5. nu. 60.*

## ADDITIO.

1689 SOlutionem, quam adduximus, vt prędeterm. non necessitet ad cõsensum, licet *Visio Beata*, & *Vnio hypostatica* necessitent ad non peccandum, & ferrea vincula, quæ quis dissolvere, aut frangere non possit, necessitent ad non deambulandum, impugnat P. Ramirez, vt ostendat *quid in illa sit præter pura verba*, sed hoc parum credibile videbitur, cum sit solutio omnium Thomistarum; impugnationes Doct. Prado solvere expedit.

*Supra num. 1677. & 8*

*P. Ramirez d. sput. 5. de Prædestin. c. 2, à n. 60.*

Summa solutionis est, quod istæ formę non sunt necessitantes, quia *connexæ*, & *inimpedibiles*, sed alijs titulis, non repertis in prædeterm. *Visio* enim Beata est necessitans ad nõ peccandum; quia pugnat cum *posse peccare*, & hoc ideo est, quia pugnat cũ iudicio defectuoso, quod posse peccare constituit, Visio enim Dei vt summi boni, excludit iudicium proponens aliquid vt bonum non ordinatum ad Deum.

1690 Sed instat Prado 1. potestas peccandi solum exigit iudicium proponens bonum delectabile, licet prohibitum amari, sed *visio* non pugnat, cum eo, quod aliqua bonitas amari prohibitã, & delectabilis proponatur Beato, quia Deum esse summe bonum, & bonum creatum esse delectabile non habent inter se vllam oppositionem; ergo *visio* Beata non pugnat cum iudicio constituente posse peccare. ¶ 2. quia licet admitatur posse peccare exigere iudicium practicum malitiæ, & exinde pugnans cum *visione* Beata, non est vnde *visio* pugnet cum potestate habendi tale iudicium; quia potestas habendi tale iudicium nequit per iudicium deffectuosum cõstitui, aliàs inquiram, de potestate adquirendi hoc secundum iudicium, & habebimus processum infinitum iudiciorum, & potestatum: Sed ad veram libertatem peccandi non exigitur potestas proxima, sed sufficit potestas vera mediata, per potestatem acquirendi potestatem immediatam, & proximam, vt superius documus: Ergo ex titulo pugnandi cum iudicio deffectuoso, licet visio pugnet cum potestate proxima peccandi, non erit vnde pugnet cum libertate peccandi: ¶ 3. Si supponamus *visionem* esse sanctitatem formalem inamisibilem à Beato; ex hoc solo titulo pugnaret cum potestate peccandi, quia coherentia gratię habitualis cum potestate peccandi non aliter exponitur à Patribus, Concilijs, & Theologis, nisi per hoc, quod iustus eam posset deserere, & amittere; Et tamen ex hoc prædicato sanctitatis inamisibilis non pugnaret cum iudicio deffectuoso, quia cum illo pugnat ex prædicato intuitionis divinę: Ergo stat visionem intelligi pugnantem cum potestate peccandi, quin intelligatur pugnare cum iudicio deffectuoso: Tunc igitur solum pugnaret cum potestate peccandi, quia *inimpedibilis*, & *connexa* cum carentia peccati.

*Prado de lib. arb. disput. 11. sect. 2. à nu. 38.*

*Supra à nu. 182.*

1691 Similiter diximus vnionem hypostaticam nõ pugnare cum

libertate peccandi, ſeu poteſtate ad peccandum, quia *inimpedibilem*, & *connexam* cum carentia peccati; ſed alijs ex cauſis duaſque aſsignavimus quia *ſuppoſitum divinum conſtituit poſſe ad omnes actiones humanitatis vnitæ, vel quia reddit humanitatem infinite ſanctam*: Sed hæc diſcrimina non quietare animum, (ait:) Et contra 1. diſparitatem objicit: quia ex illa ſequitur vnionem hypoſtaticam non magis, nec aliter pugnare cum poteſtate peccandi *proxima*, quam cum *pure remota*: quod eſt falſum, & nequaquam dicendum. ſequela oſtenditur: Ideo ex hac ſolutione *vnio* pugnat cum poteſtate *proxima* peccandi, quia talis poteſtas eſſet humanitatis divinitus exiſtentis, & ſubſiſtentis, & ſic eſſet poteſtas eſſentialiter pugnans cum ſuo termino, nempè peccato; ſed pariter poteſtas *remota* peccandi eſſet poteſtas humanitatis divinitus exiſtentis, & conſequenter eſſentialiter pugnantis cum peccato: Ergo in vi *vnionis* non magis, nec aliter repugnat humanitati poteſtas *proxima*, quam *remota* peccandi.

*Prado*, ibi: *num.* 41

*Prado*, ibi: *num.* 42.

Explicat ſic: poteſtas, ſive *proxima*, ſive *remota* eſſentialiter inconiungibilis cum ſuo termino eſt repugnans. Deinde: poteſtas *remota* peccandi exiſtens in Chriſto exiſtit per exiſtentiam divinam, ergo in ratione ſubiective exiſtentis claudit repugnantiam cum peccato, ſeu ipſo termino ad quem eſt remota poteſtas. Explicat aliter; *Vnio* hypoſtatica, vel ſolum poteſt cohere re cum poteſtate *remota* peccandi, quæ eſſe poſſet, vel eſt compatibilis, cum poteſtate *remota*, quæ actu, & revera abſolute exiſtat? Si dicas primum, ſimiliter eſt poſsibilis caſus in quo exiſtat in humanitate poteſtas *proxima* peccandi, caſus quidem defectus vnionis, qui erat caſus poſsibilis exiſtendi potentiam *remotam*: ſi dicatur ſecundum, arguitur: poteſtas in Chriſto exiſtens claudit exiſtentiam divinam, ergo claudit aliquid eſſentialiter pugnans cum peccato, ergo eſt poteſtas *remota* eſſentialiter repugnans, quia eſſentialiter repugnat poteſtas *remota*, quæ, vt abſolute exiſtens, pugnat eſſentialiter cum ſuo termino.

1692 Secundam diſparitatem inter *vnionem*, & prædeterminationem reijcit; quia non negat *vnionem* eſſe infinitam ſanctitatem, & proinde pugnare cum peccato, & *poteſtate peccandi*; ſed potius ex hac veritate intendit *prædetermin.* pugnare cum diſſenſu, & *poteſtate diſſentiendi*: Et arguit ſic: Si infinita ſanctitas pugnat cum *poteſtate peccandi* pugnare debet cum aliquo conſtitutivo illius: rogat ergo, quodnam ſit hoc conſtitutivum, cum quo pugnat? Nullum aliud videtur poſſe aſsignari, niſi *carentia ſanctitatis infinitæ*, quę debet claudi in dicta poteſtate peccandi, ſed huius incluſionis non poteſt reddi alia ratio, niſi quia infinita ſanctitas pugnat cum peccato, & cum poteſtate illam per peccatum amittendi; ergo ratio iſta ſufficiens eſt, vt *poteſtas peccandi* illius carentiam includat; cum ergo *prædeterm.* conſenſus pugnet cum diſſenſu, & cum poteſtate illam per diſſenſum impediendi, eius *carentia* claudi debet in poteſtate diſſentiendi. ¶ Confirmat: *gratia* habitualis non eſt ſanctitas infinita, & tamen ſi eſset *inimpedibilis* per peccatum pugnaret cum poteſtate peccandi; ergo oppoſitio cum peccandi poteſtate cõſiſtit in iſta inimpedibilitate, quamvis in *vnione* deducatur ex titulo *infinitæ ſanctitatis*: ergo ſi *inimpedibilitas* iſta reperitur pariter in *prædeterm.* reperitur ſane titulus ipſe, qui infert repugnantiam cum poteſtate diſsentiendi.

*Prado*, ibi: *num.* 45.

1693 Diſparitatem, quam dedimus exemplo vulgari de homine vincto catenis, quas nec à ſe abijcere nec

*Prado*, ibi: *num.* 35.

nec disrumpere, potest, nec cum illis coniungere cursum; impugnat. 1. quia tota illa disparitas sistit in eo, quod *vincula* determinant ad carentiam omnis exercitij potentiæ progressive, & *prædetermin.* ad aliquod exercitium voluntatis, v. g. ad consensum: sed hoc discrimen non ponit in tuto libertatem consensus, ergo hæc non salvatur per hanc disparitatem: Prob. min. Libertas consensus *prædeterm.* non ponitur in tuto per hoc quod sit verum de illo idipsum, quod est verum de consensu necessario; sed per hanc disparitatem solum est verum de consensu prædeterm. id quod est verum de consensu necessario, quia hic elicitur à voluntate non impedita ad omne exercitium, nihil enim clarius, quam voluntatem non esse impeditam ad cõsensum ad quem est necessitata; ergo

*Prado*, ibi: *num.* 36.

¶ 2. quia si ponantur impedimenta inevitabilia quæ determinent motũ aliquem potentiæ progressivę, necessitarent ad illum, & non impedirent potentiam, seu omne potentiæ exercitium: ergo non impedire omne potentiæ exercitium non sufficit ad tuendam libertatem. ¶ 3. quia sequitur, quod qui caret omni prædetermin. ad omnem actum positivum, omitteret omissione antecedenter necessaria: Patet. quia talis carentia impediret voluntatem ab omni exercitio, & ad nullum determinaret.

1694 Sed hæc non obstant, vt solutiones traditæ veræ sint: Ad 1. adversus disparitatem inter visionẽ, & prædeterm. vt visio pugnet cum potestate peccandi, & prędetermin. non pugnet cum potestate dissentiẽdi: Resp. communiter Thomistæ neg. mai. quia ad potestatem peccandi non sufficit iudiciũ proponens bonum *delectabile*, licet prohibitum amari; sed exigitur, quod bonum delectabile proponatur *practice*, vt hic, & nunc *alliciens* ad sui prosecutionem; cognitio enim speculativa bonitatis delectabilis prohibitę datur in subiectis impeccabilibus, quia incapacibus iudicij defectuosi exacti ad posse peccare, per hoc enim iudicium *bonitas* illa delectabilis prohibita solum cognoscitur sub ratione *quidditatis* illius prędicata essentialia contemplando: *quia contemplatio* (ait D. Thom.) *maxime quæritur propter se ipsam; actus autem intellectus practici non quæritur propter se ipsum, sed propter actionẽ.* Iudicium bonitatis delectabilis prohibitæ, aut rationi dissonantis constituens posse peccare est *practicum* dirigens ad operandum inspiciens *bonitatem* illam sub ratione *bonitatis*; alliciens & obiective movens, moraliterq; suadens illius boni prosequutionem; sicut voluntas est potẽs ad prosequendum bonum honestum medio iudicio alliciente, & obiective movente moraliter ad obiecti honesti prosequutionem: Et in exigentia huius iudicij *allicientis* ad libertatem peccandi fundamus visionem Beatam pugnare cum libertate peccandi, quia licet non repugnet visioni scientia omnium prædicatorum boni delectabilis, repugnat cum visione iudicium *alliciens* ad illius boni prosequutionem: Ratio; quia visio proponit Deum vt summum Bonum, implens omnem voluntatis capacitatem, & in exercitio præferendum omni alteri bono; ergo (1) repugnat cum visione iudicium proponens Deum vt relinquendum, & deserendum; quia non stat proponi vt summum, & vt alteri bono postponendum: Ergo (2) nihil proponi potest vt bonum stante visione sine subordinatione ad Deum: Patet; quia bonum summum omnia sibi subordinat, est enim tale, quo magis excogitari non possit, & maius autẽ bonum esset omnia sibi subordinans: Ergo; sed iudicium *alliciens*, seu blanditijs attrahens, aut inducens

*Bolibar de impeccabil. Christi dub. 5. §. 3. n 17*

*Godoy de Beatitudine disp. 7. nu. 27.*

*D. Tho. 1. 2. q. 3. art. 5.*

ad

ad bonum delectabile prohibitum proponit Deum vt deserendum, & relinquendum, quia ad amandum tale bonum oportet Deum deserere, similiter vi talis iudicij proponitur bonum delectabile sine subordinatione ad Deum, immo vt avertens à Deo: Ergo bonum delectabile prohibitum minime invitat, aut allectat ad sui prosequtionem stante visione Dei.

1695 Ad 2. fatemur ad libertatem peccandi sufficere potestatem habendi iudicium deffectuosum; vnde subsistit peccandi libertas stante iuditio omnino recto; non vero existente visione Dei, seu summi boni: Ad cuius intelligentiam in re satis difficili audiamus sententias Doctorum, vt nostram tradamus: Cogimur enim argumentis contrarijs res alio spectantes acurate, & diffuse pertractare.

Argumentum sub hac forma vrgentius proponitur: posito iuditio omninò recto de dilectione Dei: v.g. dictante hic, & nunc Deum esse amandum, cum hic, & nunc instat præceptum dilectionis, voluntas libere diligit; ergo potest libere non diligere; quia libertas vnius contradictorij est libertas, seu potestas alterius: Sed posse non diligere, est posse peccare, seu præcepto resistere: Ergo stante iudicio practico omnino recto voluntas potest peccare; igitur ad tale posse non exigitur iudicium deffectuosum: 1. antec. constat, quia aliàs voluntas nunquam libere diligeret Deum, quia illud iudicium practicum rectum exigitur ad dilectionem, & pugnaret cum libertate dilectionis.

Vel aliter: stante iudicio omnino recto voluntas libere non peccat; sed libere non peccare est posse peccare; ergo stante iudicio recto, voluntas est potens peccare: Non ergo ad posse peccare exigitur iudicium deffectuosum; & exinde visio Beata non pugnabit cum libertate peccandi, quia pugnat cum iudicio deffectuoso, sed quia *connexa* cum carentia peccati, & *inimpedibilis* per peccatum: quæ ratio etiam probat prædeterm. consensus pugnare cum libertate dissentiendi.

1696 Huic Argum. Resp. M. Gonet, quod stante illo iudicio recto voluntas potest non diligere, seu peccare, potentia antecedenti, & in sensu diviso, non vero potentia cõsequenti, seu in sensu composito: quia illud iudicium practicum est imperium efficax connexum cum amore: non destruitur autem libertas, quia talis necessitas non provenit ab extrinseco, sed ab ipsa voluntate, quæ sicut applicuit intellectũ ad illud iudicium, ita potest ipsum applicare ad oppositum. *Gonet de causis pec. diat. disp. 6 art. 2.*

1697 Sed contra hanc solutionem stat hęc consideratio: Vel volũtas potuit applicare intellectum ad formandum iudicium deffectuosum medio iudicio infalibiliter connexo cum hac applicatione, vel absque iudicio infalibiliter connexo cũ hac applicatione? Si 2. ergo poterit voluntas amare absque prævio iudicio connexo cum amore: patet consequ. quia sicut voluntas exercetur *amando*, ita *applicando* intellectum; ergo si potest *applicare* absque iudicio prævio connexo cum *applicatione*, poterit *amare* absque iudicio previo connexo cum *amore*: Si 1. cũ solum iudicium deffectuosum possit esse connexum cum illa applicatione, est in infinitum abire, quia hoc iudiciũ deffectuosum debet esse ex applicatione voluntatis ad illud, & hæc applicatio ex alio iudicio, vsque in infinitum.

Vnde ita vrgeo: Voluntatem posse applicare intellectum ad iudicium deffectuosum est posse deffectuose velle, quia voluntas media volitione applicat intellectum, & volitio applicans ad deffectuosum

iudicium

iudicium nequit esse recta: Sed stante iudicio recto, voluntas potest applicare intellectum ad iudicium deffectuosum: Ergo stante iudicio recto potest voluntas deffectuose velle, & exinde iudicium deffectuosum nõ constituit potestatem voluntatis ad prave eligendum.

*Godoy de beatitud. disp. 7. sect. 4. à nu. 24.*

1698 Aliter resp. Illust. Godoy: negans infalibilem connexionem iudicij cum actu: Vnde cum iudicio practico recto componit libertatem *immediatam* quoad *exercitium*, quia potest componere omissionem actus cum iudicio: Et *mediatam* quoad *specificationem*; quia licet non possit componere actum contrariũ cum iudicio, potest movere intellectum ad formandum iudicium oppositum, & tunc contrarium eligere.

1699 Contra se objicit 1. ergo stante iudicio recto potest voluntas peccare peccato omissionis: Patet; quia præcepto obligante ad actum posset voluntas coniungere omissionem actus, seu peccatum cum iudicio recto. ¶ 2. Vt voluntas moveat intellectum ad formandum iudicium, oppositum recto, necessario requiritur voluntas movendi, sed hæc voluntas movendi ad iudicium deffectuosum est mala, & peccatum, cum ex amore prohibiti oriatur: Ergo stãte illo iudicio recto erit comissionis peccatum.

1700 Ad 1. admitit cum iudicio recto peccatum omissionis; licet cũ visione non possit componi, quia visio proponit bonum præceptum, necessarium ad dilectionem Dei ad quam necessitat. Ad 2. Resp. ex Curiele: neg. mai. quia vt voluntas moveat intellectum ad formandum iudicium oppositum non est necessarius aliquis actus eius, sed sufficit, quod non sequatur tale iudicium: nam cum intellectus ordinet illud ad excitandum affectum voluntatis, eo ipso, quod voluntas non consentiat illi, intellectus desistet, & aliud obiectum voluntati proponet.

*M. Curiel q 77. art 2. dub. 1. ff. 2.*

1701 Vel 2. Resp. deffectum in intellectu ad peccandum exactum esse deffectum *efficaciæ* in movendo & excitando voluntatis consensum, & iste semper supponitur dum voluntas peccat; licet alias iudicium rectum sit: Hucusque Illust. Godoy.

1702 Sed vt ab vltimo incipiã: Dicere ad peccatum sufficere deffectum *efficaciæ* in iudicio non est difficultatem solvere, sed conclusionẽ deserere: Nullus enim ex Theologis negavit esse deffectum *efficaciæ* in iudicio recto dum voluntas peccat: vnde ita insurgo: Quod iudicium rectum proponens bonum, vt prosequendum non sit *efficax* in movẽdo, vel provenit, quia non ita vivaciter proponit obiectum, sicut alia cognitio movens ad non prosequtionem boni, vel quia voluntas iudicio illo recto non movetur? Si 1. est in sententiam P. Vazquez incidere ibi ab Illust. Godoy impugnatam: Si 2. ergo 1. voluntas peccat quin supponat deffectum iudicij, sed potius dum peccat deffectum iudicij causat Prob. conseq. iudiciũ est deffectuosum, quia *inefficax*, est *inefficax*, quia voluntas non movetur ab illo; ergo quia voluntas non movetur à iudicio est deffectuosum: Non ergo deffectus voluntatis provenit à deffectu iudicij, sed potius deffectus iudicij provenit à voluntate: Ergo (2) antequam se determinet voluntas non est deffectuosum iudicium: Patet. ante determinationem voluntatis iudiciũ non est *inefficax*; & iudiciũ alias rectum nullum alium deffectũ habet.

*Vazquez in 1. 2. disp. 18. cap. 2. num. 13.*

*Godoy*, ibi: *à num. 14.*

1703 Vnde àbsolute sequitur, quod voluntas possit peccare, quin *error practicus*, vel *inconsideratio* in intellectu præcedat: quia talis deffectus non est in iudicio ante determinationem voluntatis, vt supponimus: nequit esse ex determinatione voluntatis: quia prædicata *erronei*,

aut

aut *inconſiderati* ſunt intrinſeca iudicio, cui accidit determinatio voluntatis, & prædicata intrinſeca nequeunt provenire ab accidente ſubſequuto. ¶ Explicatur: Voluntas poteſt ex ſua determinatione reddere iudicium *culpabile*, & *malum* quia iſtæ denominationes ſunt extrinſecæ iudicio: Sed denominationes *erronei* & *inconſiderati* ſunt iudicio intrinſecæ: Ergo nequeunt provenire ex voluntatis determinatione.

1704 In alio aſſerto, quod ad peccatum puræ omiſsionis non exigitur iudicium deffectuoſum, licet illud vt probabile ſequatur M. Zumel; non eſt neceſſe convenire cum Illuſt. Godoy, cum differentia inter peccatum commiſsionis, & omiſsionis, vt illud, & non iſtud exigat iudicium deffectuoſum; videatur voluntarie aſſerta abſque ſufficienti fundamento, in Sacra Scriptura, & SS. Patribus. *Zumel in 1. 2. q. 77. art. 2. cõc. 7.*

1705 Vnde aſſerendum eſt, ſtãte illo iudicio practico recto voluntatem libere diligere, & libere non peccare; quatenus poteſt applicare intellectum ad iudicium deffectuoſum: Hæc poteſtas, eſt poteſtas nõ ſe movendi à iudicio illo recto; ſi enim voluntas non vtitur illo iudicio recto, ſtatim intellectus format iudiciũ deffectuoſum: Nec exigitur, quod voluntas velit movere; nec quod *velit non vti*; ſicut vt voluntas ceſſet ab actu, nõ eſt neceſſe, quod *velit nõ agere, ſed ſufficit* quod *nõ velit agere* cuius doctrinæ affert rationẽ M. Zumel; quia iudicium practicum proxime ordinatur ad actum volũtatis, & cum ipſo conſtituit vnam concluſionem ſyllogiſmi practici, vnde propter hanc ſubordinationem ſatis eſt, quod voluntas non conſentiat, vt intellectus non ſit firmus in iudicio, & rurſus, cum intellectus iam ſit applicatus ad inquiſitionem eius, quod voluntas factura eſt, non deſiſtet ab huiuſmodi inquiſitione donec habeat aliquod iudicium, quod voluntas amplectatur. *Zumel vbi ſupra: verſ. ad primum, fol. 429.*

1706 Quibus addo: quod *ſyllogiſmus incontinentis* (vt ait D. Thomas ex Philoſopho;) *habet quatuor propoſitiones, duas vniverſales, quarum vna eſt rationis; puta*, nullam fornicationem eſſe commitendam: *alia eſt paſsionis, puta*; delectionem eſſe ſectandam: *Paſsio igitur ligat rationem ne aſſumat, & concludat ſub prima, vnde ea durante aſſumit, & concludit ſub ſecunda.* Vnde pariter ſyllogiſmus continentis habet quatuor propoſitiones, & concludit ſub vniverſali rationis; ſi tamen voluntas ex illa non movetur, cum ſit primum movens quod exercitium cœteras potentias; & neceſsitari quoad exercitium non poſsit, vt ait Caietanus, niſi vel à ſe ipſa, vel à ſua natura, vel à Deo vt agente; ſtatim intellectus deſiſtet, & concludet ex vniverſali paſsionis, per ſyllogiſmum practice deffectuoſum. *D. Tho. 1. 2. q. 77. art. 1. ad 4.* *Ariſtoteles 7. Ethico. cap. 3. t. 5.* *Caietanus in 1. 2. q. 10. art. 2.*

1707 Hinc agnoſces quam difficile ſolvatur hoc argumentum ſi voluntas neceſsitetur quoad exercitium à iudicio practico recto, quia ea neceſsitate poſita nullus modus apparet, quo voluntati ſit liberum dimovere intellectum à iudicio ſuo, & applicare ad iudicium deffectuoſum: Et ideo ſuperius diximus, imperium intellectus non habere connexionem *abſolutam* cum vſu voluntatis, ſed pure *conditionatam* ex ſuppoſitione, quod vtens nolit retractare electionem, ex qua efficaciam ſortitur imperimum: per non vſum vero, abſque actu poſitivo, ſimul ceſſant imperium, & electio. *Supra à nũ. 186.*

1708 Reſtat nunc explicare: cum voluntas eo ipſo, quod non moveatur à iuditio recto peccet peccato omiſionis: Erit libertas ad peccandum peccato omiſsionis, quæ nõ conſtituatur per iudicium deffectuoſum; nec recurras ad deffectum efficaciæ iudicij recti, ſuperius impugnatum;

*Supra num.* 1702.

natum : Vnde Resp. ad peccatum omissionis requiri deffectum in iudicio, non *positivum*, sed *negativũ*, non quia iudicium imperfectionem habeat, sed quia iudicio perfectio aliqua deficiat : Duplexque excogitari potest, vna ex parte *obiecti* proposiți ; altera ex parte *modi* proponendi voluntati obiectum: Ex parte *obiecti*, quia non proponitur summũ, & vniversale bonum, à quo solum voluntas necessario quoad exercitium movetur: Audi D. Thomam.

D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 2. in corpore

*Si proponatur voluntati aliquod obiectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud. Et quia deffectus cuiuscumque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum quod est perfectum, & cui nihil defficit est tale bonum, quod voluntas non potest non velle.* Voluntas ergo secundum D. Thomam potest non velle, ex eo quod iudicium non proponat perfectum bonum, & cui nihil defficiat.

Ex parte *modi* proponendi, quia dum voluntas peccat, quia non se movet à iudicio recto, defficit intensio, & vivacitas in representando voluntati motiva allicientia ad boni præcepti executionem ; si enim non tepide, & remisse, sed consideratione viva, & penetrativa proponerentur, voluntas se moveret, & exequeretur ; vnde S. Clemens de Beatissimo Apostolorum Principe scribit, frequenter dicere solitum: *Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos iudicium ponat?* Et de se ipso fatetur Augustinus: *Nec me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de corde meo*: Hic est deffectus negativus, qui fere semper in iudicio præcedit ad peccatum omissionis: Et per hos deffectus negativos iudicij, licet recti, ex parte *obiecti*, & *modi* proponendi voluntas libere, non exequitur, & peccat, estque potens applicare intellectum ad iudicium deffectuosum positive, quo fit potens proxime peccare peccato commissionis: Vnde *visio* pugnat cum libertate peccandi, adhuc per omissionem, quia excludit deffectum negativum, tam ex parte *obiecti*, quam *modi* proponẽdi. ¶ Ad 3. quod exigit declarare, an visio pugnaret cum libertate peccandi ex conceptu solo *sanctitatis inamissibilis*: inferius respondebimus.

*S. Clemens de D. Petro*

*Aug. lib. 6. Confession. cap. 16.*

*Infra num.* 1712.

1709 Ad impugnationes 1. disparitatis inter *vnionem* hypostaticã, & *prædeterm.* ( quatenus dicimus vnionem non pugnare cum libertate peccandi, quia *connexam* cum carentia peccati, & *inimpedibilẽ* per peccatum: Sed quia *suppositum divinum constituit posse ad omnes actiones humanitatis vnitæ*, & nequit constituere posse ad peccatũ ) desumptas ex eo, quod hæc ratio probaret in humanitate vnita non esse *potentiam remotam* peccandi: Respondetur, earum vim conterendo, vnice explicãdo, quid intelligatur per *potentiam remotam* peccandi existentem, immo essentialem, Humanitati Christi. Per *potentiam remotam* intelligitur *peccatum non repugnare humanitati ex sua natura*: cum hoc conceptu recte stat *peccatum repugnare humanitati ratione existentiæ divinæ sibi gratuito vnitæ* : Quæ in hoc repugnantia? Hæc enim est mala consequentia : *Humanitas non repugnat peccato per naturam : ergo non repugnat peccato* ; quia arguitur à restricto ad non restrictum negative; sicut in hac, *Petrus non est albus per naturam* ; ergo *non est albus* : quia stat esse album per accidens naturæ superadditum ; immo si esset albus ex sua natura, accidens non redderet ipsum album ; ita dicimus, Humanitas Christi est absolute repugnãs peccato per vnionem gratuitam

cum existentia divina; vnde ex sua natura, & sue naturæ debitis peccato non repugnat, si enim ex sua natura peccato repugnaret nō esset peccato repugnans ex gratiæ dono: sicut enim corpus ex sua natura *impenetrabile*, potest ex dono *subtilitatis* esse penetrabile: ita *humanitas ex se peccabilis*, ex dono gratiæ est impeccabilis; & absolute repugnans peccato: donum quidem gratiæ vnionis reddit humanitatem repugnantem peccato, sed nec facit, nec potest reddere humanitatem *ex sua natura* peccato repugnantem.

1710 Hanc solutionē eligo (alijs omissis) quia facilē, expeditam, & ab Ang. Mag. in terminis edoctam, cū nos docet, qualiter esse *ex nihilo* sit radix peccabilitatis in natura creata; ita ait: *Dicendum, quod ex hoc, quod liberum arbitrium est ex nihilo convenit ei, quod non sit naturaliter confirmatum in bono, nec hoc ei per gratiā conferri potest, vt in bono naturaliter per gratiam cōfirmatum sit. Non autem libero arbitrio secundum quod est ex nihilo cōvenit, quod nullo modo possit confirmari in bono, sicut, nec aeri ex sua natura inest, quod nullo modo possit illuminari, sed quod non sit naturaliter lucidus actu*: ita D. Tho. *D. Thom. q. 24. de veritate art. 8. ad 4.*

1711 Ad impugnationes 2 dispari tatis inter vnionē hypostat. & *prædeterm.* vt *vnio* pugnet cū libertate *peccandi, & præderm. non pugnet cū* libertate dissentiendi; desumptę ex eo, quod *vnio reddit humanitatem infinite sanctam.* Respondetur ad 1. verum esse *carentiam sanctitatis infinitæ* constituere potestatem peccandi; sed non ex eo, quod infinita sanctitas pugnat cum peccato, & potestate illam per peccatum amittendi; sed ex alijs rationibus adductis ab vtriusque Scholæ Authoribus, dum agunt de Christi impeccabilitate: sufficiat eas insinuare 1. quia *voluntas deificata est* per vnionem, vnde *summe* à peccato distans; igitur, & à peccandi potentia expedita; quia maior distantia est à peccato, elongatio à peccati etiam potentia, & summa distantia est ea, qua nulla maior esse potest. 2. quia sanctitas infinita Deum constituit impotentem peccare; sed non est cur ad hunc effectum præstādum exigatur vnio *identitatis*, & nō sufficiat vnio *intrinseca*? Ergo sicut Deus est impotens peccare per *essentiam*, à sanctitate infinita vnita per *identitatem*, ita humanitas erit impotens peccare ab *intrinseco*, à sanctitate infinita intrinsece vnita. 3. quia sanctitas infinita reddit omne bonum debitum, & carentiam omnis mali; ergo & debitam carentiam peccati: Et est principium vulgare *peccatum esse impossibile, dum carentia peccati est debita*: aliter enim Deus posset esse Author specialis peccati. His rationibus nititur: *Libertatem peccandi constitui per carētiam sanctitatis infinitæ*; quę nullatenus possunt conducere, vt *libertas dissentiendi constituatur per carentiam prædeterm. consensus.*

*Concil. Florētinum in Decreto vnionis.*

1712 Ad confirm. desumptam ex eo quod gratia habitualis, licet sanctitas *finita*, pugnaret cum potestate, & libertate peccandi, si esset *inimpedibilis* per peccatum: Resp. Gratiā habitualem esse *inimpedibilem*, posse excogitari dupliciter, vel *divina providentia* custodiente, qua ratione dicitur Adamus *immortalis*, non *quod omnino aliquo sibi intrinseco protegi posset ab omni exteriori mortifero*: Et hoc modo Apostoli per Adventum S. Spiritus confirmati fuerunt in bono: *quia erant quasi Fundamentum, & Basis totius Ecclesiastici ædificij*: Et hanc *inamissibilitatem* gratię asserimus, cum D. Thoma, non reddere omnino impeccabiles, nec pugnare cum libertate peccandi, vel potest gratia esse *inimpedibilis* ab intrinseco, & ex sua natura; hoc modo pugnaret cum libertate, quia forma permanens habi-

*D. Thom. q. 24. de lib. arbitrio art. 9.*

habitualis arbitrio non ſubiecta, & de ratione dominij liberi eſt, quod *habitibus vtatur pro libito*; de quo plura ſæpe diximus.

*Supra à nu. 1340 & 1624.*

1713 Ad impugnationes diſparitatis adhibitæ inter hominem vinctum catenis ad ambulandum; & prædeterm. ad conſenſum ad diſſentiendum: Reſpondetur. Ad 1. quod ex eo, quod *vincula* impediunt omne exercitium potentiæ progreſivę ſunt impedimenta potentię; ponitur; in tuto libertas cõſenſus prędeterm. comparatione facta ad *vincula*, non comparatione facta ad principiũ ad conſenſum *neceſsitans*: Ratio enim noſtra ita procedit: *Vincula impediunt omne exercitiũ potentiæ progreſsivæ; ergo neceſsitant ad nõ ambulandum.* Et arguitur à contradictorio antec. dum arguitur; *A. non impedit omne exercitium voluntatis ergo non neceſsitat ad conſenſum.* Et eſt mala conſeq. ſolum enim à contradictorio conſequentis eſt bona: *Non neceſsitat, ergo non impedit omne exercitium potentiæ*: Quę nunquam inſtatur. Ad 2. ſimiliter dicimus *impedire omne exercitium potentiæ eſſe neceſsitare*, ſed non è converſo: *Neceſsitare eſſe impedire omne exercitium*; quia ſtat neceſsitare cogendo potentiam ad exercitium determinatum: Vnde in caſu, quod eſſent impedimenta inevitabilia ad progreſſum aliquem; neceſsitarent ad illum; ſed non quia impedirent omne exercitium; ſed ex alia ratione, quã explicuimus, quia illa impedimenta tollerent potentiã progreſsivam eſſe voluntati in illa operatione ſubiectam. Ad 3. quod in ſententia negãte puram omiſsionem, ſi Deus negaret prædeterm. ad omnem actum poſitivum, volũtas neceſſario omiteret: Secus in ſententia puram omiſsionem concedente, ſed tunc per carentiam omnis prædeterminationis non impeditur omne exercitium voluntati, quia voluntas non ſolum exercetur per *velle*, & *agere*; ſed etiam per *nõ velle*, & *non agere*, quod eſt exercitium libertatis contradictionis; ſeu voluntatis, *vt non activæ*.

*Supra nu. 1678.*

## SECTIO QVARTA.

*Solvuntur argumenta deſumpta ex hoc principio: determinatio ad conſenſum inevitabilis à nobis quoad ſuam exiſtentiam pugnat cum libertate conſenſus, ſeu poteſtate diſſenſus.*

(¶) PRæiacto principio nixi pugnant contrarij contra libertatem conſenſus, ſeu poteſtatem diſſenſus; prædeterminati ad conſenſum, difficiliores formas proponam: 1. intendentes ex determinatione inevitabili conſenſus non eſſe poteſtatem impediẽdi conſenſum. 2. inferentes à contradictorio conſequentis; ex poteſtate impediendi conſenſum, poteſtatem impediendi exiſtentiã determin. ad ipſum.

### §. I.

*Argumenta intendentia, ex determin. inevitabili conſenſus non eſſe in voluntate poteſtatem impediendi conſenſum, proponuntur.*

1714 EX determinatione inevitabili conſenſus impotentiam impediendi conſenſum, ſeu ponendi diſſenſum; probant communiter Adverſarij: 1. Hac forma arguendi. De Petro prędeterminato ad cõſenſum formetur hic ſyllogiſmus: *Omnis prædeterminatus ad conſenſum conſentit, Petrus eſt prædeterminatus ad conſenſum; ergo conſentit.* Poſito autẽ, quod præmiſſæ ſint veræ, probatur non eſſe in Petro facultatẽ liberam

*P. Rib. diſp. 14. de actibus hum. diſp. 1. n. 5. & cap. 3. nu. 35.*

conſentiendi, ſeu poteſtatem diſſentiendi. Facultas libera ponendi diſſenſum eſt facultas libera impediendi veritatem illius conſequētis; *Petrus conſentit*. At non eſt in Petro facultas libera impediendi talē veritatem, ergo neque ponendi diſſenſum. Prob min. quando prę̄miſſæ, ex quibus legitime infertur veritas conſequentis ita ſunt veræ, vt non habeat Petrus libertatem evitandi veritatem ipſarum non habet Petrus libertatem impediendi veritatem conſequentis; ſed præmiſſæ ſyllogiſmi præformati ſunt veræ, quia ponimus Petrum eſſe prædeterminatum ad conſenſum; Deinde Petrus non habet libertatem impediendi veritatem ipſarum; illa enim maior: *Omnis prædeterminatus ad conſenſum conſentit* eſt veritatis omnino neceſſarię, & ab ipſo Deo inevitabilis, ſicut hæc inquam recidit: *Omnis habens formam eſſentialiter connexam cum conſenſu conſentit*. Etiam illa minor: Petrus eſt *prædeterminatus ad conſenſum*, eſt veritatis, ad cuius evitationem non habet Petrus libertatem: Cum Petrus non ſit liber ad impediendam exiſtentiam prædeterminationis; ergo non eſt in Petro libertas impediendi veritatem illius conſequentis. Mai. prob. Tum ex Ariſtotele aiēte; *Si neceſſariæ ſunt ſumptiones, & concluſionem eſſe neceſſariam oportet, ſicuti ex veris nihil vnquam niſi verum efficitur*. Tum ex D. Thom. vt indubitatum ſupponente: *Ex principijs neceſſarijs non ſequitur concluſio niſi neceſſaria*. Tum ex principijs *ſimpliciter* neceſſarijs ſequitur concluſio *ſimpliciter* neceſſaria; ergo ex principijs *nobis* neceſſarijs ſequitur concluſio *nobis* neceſſaria. Tum, quia iuxta Dialecticæ regulas, veritas conſequentis includitur in veritate præmiſſarum, ex quibus legitime infertur; & ideo qui conceſſa veritate præmiſſarum negat veritatem conſequentis cōgitur ſibi contradicere.

*Ariſtot. lib 1. Poſter. cap. 6.*

*D. Thom. 1. part. q. 14. art. 13. in argum. 2.*

1715 Tota huius argumenti vis hoc vnico ſyllogiſmo modali proponitur à Patre Antonio Perez: *Omnis homo prædeterminatus ad conſenſum conſentit, & hoc eſt inevitabile Petro*: ſed *Petrus eſt prædeterminatus ad conſenſum, & hoc eſt inevitabile Petro: ergo Petrus conſentit, & hoc eſt inevitabile Petro*, quod eſt eſſe ipſimet neceſſarium.

*P. Anton. Per. de ſciē. tia diſp. 3. cap. 4.*

1716 Hoc argumentum ita vrgentius opponi poteſt: quando voluntas eſt libera ad conſentiendum, vel non conſentiendum, poteſt facere, quod hæc propoſitio ſit falſa: *Voluntas conſentit*; ſed ſi non poteſt impedire exiſtentiam prædeterminationis non poteſt facere, quod prædicta propoſitio ſit falſa; ergo, ſi non poteſt impedire exiſtentiam prędeterminationis voluntas non eſt libera ad cōſentiendum. Mai. certa; quia voluntas libera ad conſentiendum poteſt non conſentire; vnde, & reddere falſam propoſitionem affirmantē exiſtentiam conſenſus. Prob. min. Non poteſt facere, quod concluſio illata ex præmiſsis evidentibus ſit falſa, qui non poteſt facere, quod aliqua ex præmiſsis evidentibus defficiat, ſicut non erit in poteſtate Petri, quod hæc propoſitio: *Petrus movetur* ſit falſa; ſi in poteſtate ipſius non eſt facere, vt aliqua ex his præmiſsis defficiat: *Si Petrus currit movetur; ſed Petrus currit*, ſed hęc propoſitio *voluntas conſentit* infertur ex duabus præmiſsis veris, & infallibilibus, ſcilicet: *Si Deus prædeterminat voluntatem ad conſenſum, voluntas conſentit; ſed Deus prædeterminat voluntatem ad conſenſum*. Deinde ſi voluntas non poteſt impedire exiſtentiam prædetermin. non poteſt facere, quod aliqua ex præmiſsis defficiat: ergo voluntas non poteſt facere, quodhæc propoſitio *voluntas conſentit* ſit falſa.

Con-

1717 Confirmatur: Concluſio, quæ infertur ex præmiſsis veris non poteſt non eſſe vera, quia ex vero ſemper ſequitur verum; ſed voluntas non poteſt facere, quod hæc propoſitio *voluntas conſentit*, non inferatur ex præmiſsis veris: ergo non poteſt facere, quod non ſit vera. Prob. min. Qui non poteſt facere, quod præmiſſæ veræ non inferant concluſionem, non poteſt facere, quod concluſio non inferatur ex præmiſsis veris; quia præmiſſas inferre concluſionem, & concluſionē inferri ex præmiſsis, comparantur, vt oratio activa, & paſsiva, & qui non poteſt facere, quod non ſit oratio de activa, non poteſt facere, quod non ſit oratio de paſsiva illi correſpondens: Sicut, qui non poteſt facere, quod Petrus non amet Deum, non poteſt facere, quod Deus non ametur à Petro, quod per ſe notum videtur, & non indiget probatione, ſed voluntas non poteſt facere, quod præmiſſæ ſupradictæ non inferant verè concluſionem: ergo. Prob. min. Si præmiſſæ ſupradictæ vere in rerum natura exiſtunt, debent inferre prędictam concluſionem, quia illæ duæ præmiſſæ connectuntur eſſentialiter cum concluſione; ſed voluntas non poteſt facere, quod ſupradictæ præmiſſæ vere non exiſtant in rerum natura, quia non poteſt facere, quod non exiſtat prędeterminatio: ergo.

1718 Hic, argumentum R. Tyrſo, quod pro demonſtratione vſurpat, licet maiorem, nec forte æqualem difficultatem cū adductis obtineat; recte ſuperaddi poteſt. Eſt huius formæ: prædeterminationem actu influere in actionem amandi, eſt actionem amandi poni à parte rei; ſed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem antecedentem ad faciendum ne prędeterminatio actu influat in actionem amandi: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem antecedentem ad faciendum; ne actio amandi ponatur à parte rei. Conceſsis præmiſſis nequit negari conſequentia, quia ſyllogiſmus eſt in forma nempe in ſecundo modo ſecundæ figuræ Mai. videtur manifeſta: nam actualis influxus prędeterminationis in actionem, non diſtinguitur ab actuali influxu voluntatis; ſiquidem prædeterminationem actu influere idem eſt, ac voluntatem, vt prædeterm. actu influere; ſed voluntatem vt prędeterm. actu influere in actionē amīdi identificatur cum actione amandi, ſiquidem non influit in illā per aliam actionem; ergo. Min. vero ſic prob. Prædeterminationem non influere actu in actionem amandi ex terminis eſt, vel Phyſicam prædeterm. non exiſtere, vel ad illam iam exiſtentē non ſequi actionem; ſed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum, *ne exiſtat* prædeterm. vel ne ad illam iam exiſtentem ſequatur actio: ergo. ¶ Vel alijs terminis; voluntas prædeterm. ad actionem amandi nullam habet poteſtatem ad impediendam exiſtentiam amoris: ergo neceſſario amat. Prob. antec. Voluntas prędetermin. ad actionem amandi nullam habet poteſtatem ad impediendum influxum paſsivum prædeterm. in actionem amandi; ſed hic influxus eſt ipſa actio amandi; ergo Min. eſt conſpicua, quia ille influxus paſsivus, nihil aliud eſt, quā dependentia actionis amandi à prædeterm. hęc autem dependentia eſt ipſamet actio, quia ſicut per ſe ipsā eſt dependentia à voluntate, ita eſt dependentia à prędeterm. Mai. ſuadetur: Impedire influxum paſsivum prædeterm. eſt, vel facere, ne exiſtat prædeterm. vel ne ad ipſam exiſtentem ſequatur actio (nam ex terminis non eſt alius modus impediēdi influxū cauſæ) ſed voluntas prædeterm.

*Tyrſo tom. 1 diſp. 11. ſſ. 12.*

determ. ab actionem amandi nullam habet potestatem ad faciendum, ne existat, prædeterm. nullam item ad faciendum, ne ad ipsam existentem sequatur actio; ergo: quod argumẽtum omnino est desumptum ex P. Ribadeneyra.

*Ribaden. disp. 14. cap 4. de actib. hum.*

## §. II.

### *Alia argumenta ad idem assumptum adducuntur.*

1719 ALias formas difficiles satis proponit P. Ribadeneyra, ex quo alij transcripserunt. Primo: Tanta necessitate, quanta quis necessitatus est ad impedimentum dissensus, necessitatus est ad nõ dissentiendum; at determinatus inevitabiliter ad consensũ, adeo necessitatus est ad impedimentum dissensus, vt non sit liber ad se expediendum ab illo; ergo adeò necessitatus est ad non dissentiendum; vt non sit liber ad dissensum. Mai. patet; nam impedimentum rei, vel est ipsum non esse rei, vel est aliquid inevitabiliter inducẽs non esse rei; sed non minori necessitate adstringitur quis ad non esse rei, quam, qua constringitur ad id, quod vel est non esse rei, vel inevitabiliter inducit tale non esse: ergo. Prob. iam min. Nam determinatione dicta necessitatus ad consensum, ita illam habet, vt eam excludere nequeat, & ab ea non possit se expedire; sed determinatio ad consensum est impedimentum ad liberum dissensum, nam cũ eo est omnino incomponibilis, nihil que magis obstare existentiæ rei, quam omnino incompatibile cum illa; ergo determinatus inevitabiliter ad consensum, est determinatus ad impedimentum dissensus, vt non sit liber ad se expediendum ab illo.

*Ribadeneir. ibi: cap. 4.*

1720 2. Determinatus inevitabiliter ad consensum potest per nos, aliqua vera potestate, evitare existentiam consensus; ergo & evitare *coexistentiam* eius determinationis cum consensu; quod tam est verum, quam posse evitare existentiam binarij, vt binarij, qui potest tollere vnam ex vnitatibus quibus coalescit; sed nequit facere, quod ea determinatio *non coexistat* cum consensu; ergo neque, quod non existat consensus. Prob. subsumptã; Talem determinationem *non coexistere* cum consensu stat in eo, quod vel talis determinatio non existat, vel existat sine consensu; at voluntas præstare nequit, quod ea determinatio non existat, quia nequit eius existentiã evitare, neque quod existat sine consensu, id enim esset posse cum carentia consensus componere id, quod repugnat componi cum ea carentia: ergo.

1721 3. Determinatus inevitabiliter ad consensum est necessitatus ad hoc aggregatum, *existit determinatio ad consensum, & non existit sine consensu*, sine potestate libera illud evitandi, quia neque potest evitare existẽtiam determinationis, quæ est prior pars aggregati, neque potest evitare Ly *non existere hanc determinationem sine consensu*, hoc enim, & à Deo est inevitabile, cum determinatio sit connexa cum consensu: ergo determinatus inevitabiliter ad consensum est necessitatus ad hoc aggregatum, sine potestate libera illud evitandi: *Existit hæc determinatio ad consensum cum consensu*: perinde namque est, existit, & non sine consensu, atque *existit cum consensu*: sed impotens libere evitare hoc aggregatum: *existit hæc determinatio ad consensum cum consensu*, est impotens libere evitare consensum; ergo determinatus inevitabiliter ad consensum est impotens libere evitare consensum.

1722 4. Determinatus inevitabiliter ad consensum habet necessitatem simpliciter (id est cum liber-

tate

tate pugnantem) vt *vel defficiat ea determinatio, vel existat complexum ex ea determinatione, & consensu*: quia cum sit simpliciter impossibile determinationem connexam cum consensu existere sine consensu, est simpliciter necessarium, vel determinationem deesse, vel existere cõplexum ex ipsa, & consensu; sed determinatus inevitabiliter ad consensum, habet necessitatem simpliciter, vt non defficiat ea determinatio: (qui enim coniungitur cum aliquo extremo sine libertate vitandi existentiam illius, habet necessitatem simpliciter, vt tale extremũ detur) ergo determinatus inevitabiliter ad consensum, est simpliciter necessitatus ad complexum ex determinatione, & consensu; exindeque, & ad consensum; cum sit clarum necessitatum simpliciter ad totum, esse necessitatum ad quamlibet partem inclusã in illo. Patet hęc consq. Quia habens necessitatem simpliciter, vt vnum ex duobus detur, & simul habens eandem necessitatem, vt alterum determinate non detur, habet necessitatem simpliciter, vt alterum determinate detur.

1723 5. Voluntati est antecedenter impossibile *non coniungere* consensum cum prędeterm. ergo est antecedenter necessarium *coniungere* consensum cum prædeterm. & ex inde consensum esse: quia necessario esse coniunctum, est necessario esse. Consq. constat: quia impossibilitas antecedens vnius contradictorij, est alterius antecedens necessitas: Prob. ant. Non coniungere vnum cum alio, est separare vnum ab alio, sed voluntati est antecedenter impossibile separare prædeterm. à consensu, cum quo essentialiter connectitur, & à quo essentialiter est inseparabilis: ergo.

1724 6. Voluntatem cum prædeterminatione consensus non consentire, est impossibile, quia est prædeterm. frustrari, & non sortiri suum effectum: ergo voluntatem cum prædeterminatione consentire, est necessarium. Patet consq. Nam quando vnum contradictorium est impossibile, alterum est necessariũ. ¶ Vel aliter: qui simpliciter necessitatur ad vnum extremum essentialiter incompossibile cum alio, non caret libere alio, vt sunt prævia exẽpla: sed voluntas simpliciter necessitatur ad prædeterm. essentialiter incompossibilem cum dissensu, ergo non caret liberè dissensu; & exinde, nec libere ponit consensum.

1725 Vltimo: coexistentia consensus cum prædeterminatione non est mihi libera: ergo coniungere consensum cum prędeterm. non est mihi liberum. Consq. constat: Quia duo coexistere est existentiam vnius coniungi cum existentia alterius. Prob. antec. Carentia *coexistentiæ* consensus cum prædeterm. est mihi antecedenter necessaria: ergo *coexistentia* nequit esse libera. Consq. patet: Quia implicat vnum contradictorium esse liberum, dum alterum est antecedenter necessariũ. Antec. prob. Cui est necessaria antecedenter carentia existentiæ alicnius partis complexi, est necessaria antecedenter carentia complexi; sed mihi est antecedenter necessaria carentia prædeterm ex qua constat complexum coexistẽtię prædeterm. cum consensu: ergo. Min. certa, & prob. mai. 1. Non esse partis est formaliter non esse totius: ergo cui est necessaria carentia partis complexi, est necessaria carentia complexi. ¶ 2. *Absoluta* necessitas carentiæ existentiæ partis est absolutæ necessitas carentiæ existentię totius; & ideo, si esset absoluta necessitas carentiæ existentiæ materiæ primæ, aut vnionis cum anima rationali: esset absoluta necessitas carentiæ existentiæ hominis: ergo *respectiva* antecedens necessitas carentiæ exi-

sten-

ſtentiæ partis, erit reſpectiva antecedens neceſsitas carentię exiſtentiæ totius, ſeu complexi;

## §. III.

*Proponuntur argumenta, quæ intendunt ex poteſtate impediendi conſenſum poteſtatem impediendi exiſtentiam determinationis ad ipſum.*

1726. IPſumet principium ſcilicet, *determinationem inevitabilem eſſe impotentiã impediendi eius terminum.* Vlterius firmare ſatagunt AA. oppoſitæ ſententiæ arguendo à contradictorio conſequentis; potentiam quidem impediendi terminum eſſe potentiã impediendi eius determinationem, cuius principij magis ſpecioſa argumenta attullit P. Antonius Perez, ex quo ab alijs ſunt deſſumpta, vel non ita vrgenter propoſita; primo enim ſic arguit: Poſſum impedire libere exiſtentiam mei conſenſus liberi (alioquin non eſſet liber) ſed poſſe libere impedire exiſtentiam conſenſus mei liberi, eſt poſſe impedire libere exiſtentiam determinationis divinæ de ipſo conſenſu libero: igitur poſſum impedire exiſtentiam determinationis divinæ de meo conſenſu libero. Prob. min. Qui poteſt impedire libere exiſtentiam alicuius prædicati eſſentialis divinæ determinationis, poteſt impedire libere exiſtentiam determin. divinæ; ſed qui poteſt impedire exiſtentiam mei conſenſus liberi, poteſt impedire libere exiſtentiam alicuius prædicati eſſentialis divinæ determinationis de meo conſenſu libero; ergo. Mai. eſt evidens: Prob. min. Qui poteſt impedire libere exiſtentiam mei conſenſus liberi, poteſt impedire liberè coniunctionem, & coexiſtentiam ipſius cum determinatione de ipſo: quę propoſitio eſt per ſe nota; ſed qui poteſt impedire libere coniunctionem, & coexiſtentiam mei conſenſus liberi cum determinatione Dei, poteſt impedire exiſtentiam alicuius prædicati eſſentialis ipſius determinationis: ergo. Prob. min. Qui poteſt impedire coexiſtentiam, & coniunctionem mei conſenſus liberi cum determinatione Dei de ipſo, poteſt libere impedire coexiſtentiam, & coniunctionem ipſius determinationis cũ ipſo actu libero; ſed coniunctio, & coexiſtentia determinationis cum actu libero eſt prædicatum eſſentiale ipſius determinationis, de cuius eſſentia eſt efficacia, ac proinde inſeparabilitas, & coniunctio cum ſuo termino: ergo. ¶ Vrgetur: Qui poteſt efficere, ne modus exiſtat ſimul cum re, quam modificat, poteſt impedire exiſtentiam modi: quia de eſſentia modi eſt modificare: Similiter, qui poteſt efficere, vt actio non exiſtat ſimul cum termino, poteſt etiam efficere, ne ipſa actio exiſtat: ergo ſimiliter, qui poteſt efficere, ne determinatio Dei exiſtat ſimul cum conſenſu, poteſt efficere ne exiſtat; quia de eſſentia divinæ determinationis conſenſus exiſtentis, eſt conſenſui coexiſtere. Patet ergo determinationem de meo conſenſu libero non poſſe mihi eſſe inevitabilem.

*P. Antonius Perez de Scientia Dei. diſp. 5. art. 13. c. 4*

1727 2. Indubitatum eſt; ſi vellimus conſentire libere exiturã eſſe Dei determinationem de ipſo conſenſu libero, non extituram, ſi non vellimus conſentire. Deinde eſt indubitatum in noſtra libertate eſſe conſentire, & non conſentire; provt libuerit: ergo in noſtra libertate eſt exiſtere determinationem divinam, & non exiſtere, ac proinde non eſt nobis neceſſarium, & inevitabile ipſam exiſtere. Conſeq. conſta: quid enim magis evitabile à me quam illud, quod exiſtit, ſi

non existit, si nollim, velle, & nolle existentibus in mea potestate, libertateque? ¶ Confirmatur: Consentire, & non consentire est in mea potestate; sed consentire est ponere aliquid essentialiter requisitum, & connexum cum *determinatione* consensus; non consentire, est tollere illud requisitum: ergo in mea potestate est ponere, aut tollere aliquid essentialiter requisitum ad determinationem, & connexum cum illa; sed hoc est esse in mea potestate existentiam determinationis, & negationem existentiæ ipsius: ergo.

1728 3. Si determinatio consensus est mihi necessaria, & inevitabilis, in mea potestate non esset dissentire, nec casus dissensus esset mihi possibilis: ergo nec consensus mihi liber. Prob. antec. Casus ille, vel est is, in quo dissensus sit coniunctus cum determinatione divina consensus, vel is, in quo dissensus existet separatus ab ea determinatione; at neuter casus mihi est possibilis; ergo. Min. quoad primam partem constat; nam casus coniunctionis dissensus cum determinatione consensus implicat contradictionem; at nulla est potentia ad casum implicantem contradictionem, nam id ad quod est potentia est possibile, & quod implicat contradictionē non est possibile, quoad secundā prob. existere dissensum separatum à determinatione consensus, est dissensum existere simul cum negatione determinationis cōsensus, sed dissensū ita existere nō est in mea potestate libera: ergo. Prob. min. Hęc simultas includit aliquid, ad cuius oppositū, & contradictoriū sum neeesitatus: ergo. Prob. antec. Hęc simultas includit negationē determinationis divinæ cōsensus liberi; sed ad oppositū huius negationis sum necesitatus, scilicet ad determinationem; cuius existentia supponitur mihi necessaria, atque inevitabilis: ergo,

## §. IIII.

### *Instantiæ difficiles argumenti præiacti proponuntur.*

1729 AD vim argumenti declinandam, ingeniosis formis roboratam, præ nonco primo: eandem esse difficultatem, in potestate *comparandi terminum dum* abest *exactum incomparabile*; Ac *in potestate impedienti terminum dum* adest *connexum inimpedibile*: Vnde, sicut reciduit in hanc concluosionem omnia argumenta, quæ superius diffuse dissolvimus, ita omnia ea fundamenta quibus stabilitum fuit, libertatem secundam, & subordinatam non esse potestatem *comparandi* determinationem *exactā* causæ subordinatis, hic etiam reciduūt, vt suadeas libertatem causæ secundę non esse potestatem *impediendi* determinationem *connexam* causę subordinantis. *Sup. quæst. 4. §§. 11.*

1730 Secundo: Quia cum argumentum sistat in hoc principio: *Connexum inimpedibile per carentiā actus, tollit actus libertatem.* Vt ipsum illæsum servent, omnes suppositiones connexas libertatem non lædentes pro viribus sustinent à libertate impedibiles; vnde prædiffinitiones efficaces divinas actuum liberorum nostrorum esse à libertate nostra impedibiles subsidio scientiæ mediæ statuunt; si tamen ex prædiffinitionibus connexis independentibus à scientia media, redarguatur principium illud, in varias dividuntur semitas, alij enim negant cum illis stare libertatem, allij suppositæ libertate esse impedibiles; alij esse chymæricas, quia libertatem *læderent*, quia inimpedibiles, & libertatem *non læderent*, quia eam prædiffinirent: Hæc non vacat nunc examinare, ad respondendum enim sufficit, nos reputare omnino ineffi-

cax argumentum, ex quo probatur, nos poſſe impedire prædiffinitiones divinas, quia *libertas* Dei ad prædiffiniendum eſt ei eſſentialis, & à nullo extra le impedibilis: Nobisq̃ ſufficit: *Voluntatem efficacem Dei à nobis quoad exiſtentiam impediri poſſe*; Hactenus in SS. Auguſt. & Thoma non legiſſe.

*Vide ſupra q. 2. ſſ. 13.*

1731 Vnde tertio Nota, vt firmum ſtatuere, nos poſſe ſcientiam impedire Dei quoad exiſtentiam, non ad hunc ſenſum, quod poſsimus facere, quod nunc non ſciat, quod ab æterno ſcivit, ſed quia *nunc eſt* ſub poteſtate noſtra facere ne præexiſterit ab æterno ſcientia Dei: Immo, & *Anti Chriſtus* quando exiſtet poterit facere; ne præterierit fides Eccleſiæ, & aſſenſus, quo credo, *Anti Chriſtus peccabit*; vnde poterit reddere infectum factum; omnia iſta per rectas conſequentias inferuntur; quia, ſi ſua libertate ad peccandum poterit *impedire omne connexum*, cum peccato; ergo ſcientiam, & revelationem Dei, & fidē, quam nunc habeo de peccato ſuo: Hoc tamen eſſe inconveniens in tractatu de ſcientia (Deo favente) fundabimus, plurima addendo è ſuggeſtu dictatis; Interim conſule eruditum Ieſuitam P. Ruiz.

*P. Ruiz diſput. 34 ſ. 4.*

1732 Vt tamen aliquas inſtantias illius principij adducam, ſi ex Decretis divinis deſumuntur efficacius, & ad breviora coarctando principia ex *negativis præmiſsis* colliguntur. 1. inſta hac forma, iſtæ præmiſſæ: *Omnis qui ſalvabitur, eſt ab æterno prædeſtinatus*; ſed *Petrus non eſt ab æterno prædeſtinatus*, ſunt fundamentum connexionis, cū hoc termino, *Petrus non ſalvabitur*: quia conſequentia eſt recta, ſed Petro eſt libere evitabile conſequens, quin præmiſſæ ſint ab ipſo evitabiles: ergo ſtat terminum eſſe impedibilē, & fundamentum connexionis inimpedibile. Prob. min. Potens enim eſt Petrus evitare conſequens, quia eſt ei liberum obtinere ſalutem; vnde, & carentiam ſalutis impedire; non poterit autem impedire illam mai. *Omnis: &c.* quia ſolum enuntiat, quod Deus *eos glorificabit, quos prædeſtinavit*: Nec poteſt Petrus impedire illam min. ſcilicet: *Non eſſe ab æterno prædeſtinatum*. Ratio: Impedire vnum contradictorium eſt alterum determinare, ſed non eſt in poteſtate Petri *determinare* eſſe ab æterno prædeſtinatum. Ergo Mai. eſt principium apud Adverſarios; & min. conſtat. 1. quod eſt liberum Deo nequit eſſe ex determinatione creaturæ, cum ideo ſcientia media non ſit Deo libera, quia eſt ex determinatione creaturæ. 2. quod eſt creaturæ liberum, nequit eſſe ex determinatione Dei, vt fundant Adverſarij, quia de conceptu agentis liberi eſt ab alio non determinari: ergo multo minus, quod eſt liberum Deo poterit eſſe ex determinatione creaturę; ſed *prædeſtinare ab æterno Petrum* eſt liberum Deo: ergo nequit eſſe ex Petri determinatione; ergo nō eſt liberum Petro impedire illam min. *Petrus non eſt ab æterno prædeſtinatus.*

1733 Alter inſurges alio exēplo: Petrus non poteſt impedire hāc veritatem: *Omnis, qui ſalvabitur, habet ſpeciale perſeverantiæ donum*: Solum enim enuntiat; quod qui perſeveraberit vſque in finem ſalvus erit; nec poteſt impedire hanc veritatem; *Petrus non habet perſeverātiæ donum*; ſed in ijs præmiſsis eſt fundamentum connexionis cum hac concluſione; *Petrus non ſalvabitur*; cuius veritatem poteſt Petrus libere impedire; ergo quod ſupra. Prob. mai. Impedire veritatem vnius contradictorij, eſt determinare veritatem alterius; ſed non eſt ſub poteſtate Petri determinare perſeverātię donum; ſpecialiter Deo liberum, quod *aliunde haberi non poteſt niſi*

ab

*ab eo, qui potens est eum, qui stat statuere, vt perseveranter stet; & eum, qui cadit restituere*, vt Trident. docet. ¶ Scio P. Herrera dixisse; Reprobum habere potestatem falsificandi hanc propositionem: *Nullus salvabitur, qui non sit prædestinatus.* Quæ æquivalet ei, quam pro maiori assumpsimus; sed nec me latet, quã ingeniose cum impugnet P. Palanco, & quod vrgentius est, quam acriter opugnet ex SS. Patribus, Mag. Lemos asserentes, esse possibile, quod aliqui vitam consequatur æternam nisi per Dei prædestinationem.

*Trident. ss. 6. cap. 3.*

*P. Herrera de Prædest. q. 13. ss. 4.*

*Palanco de Prov. q. 16. sect. 15.*

*Lemos de Prad. c. 22. & 23.*

1734 Alia instantia formari potest, ex duplici exemplo, quorum vnum desumitur ex Mag. Alvarez; hac forma. Dictum Christi Dom. S. Petro: *Ter me negabis*; est fundamentum connexionis cum trina D. Petri negatione, Christo enim, quia veritas, quę falli, nec fallere potest, repugnat fallum proferre; sed Div. Petrus potuit impedire trinam negationem, seu terminum connexionis, & in eius potestate, non fuit impedire dictum Christi, ergo stat libertas impediendi terminum connexionis cum impotentia impediendi fundamentum. ¶ 2. & vrgentius in manuscriptis de scientia attuli, quod ingeniose satis prosequitur P. Palãco; est huiusmodi: D. Petrus habuit in fide *liberrimam, fortissimam, & perseverantissimam voluntatem. & non aliud rogavit* Christus, *quando rogavit, ne fides eius deficeret*, cuius *oratio pro illo innanis esse non posset*, vt docuit expresse Sanctus Augustinus; ergo D. Petrus potuit impedire perseverantiam in fide, quia liberam, & non potuit efficaciam orationis Christi impedire, quia eius oratio innanis esse *non posset*: sed oratio Christi, ne deficiat fides Petri, est fundamentum connexionis cum perseverantia in fide D. Petri; ergo fuit in D. Petro libertas impediendi terminum connexionis, cum impotentia impediendi fundamentum. ¶ Solum dici potest quod D. Petrus per non perseverantiam in fide potuit impedire illius orationis Christi, non efficaciam, sed existentiam, quia non perseverando in fide potuit facere, quod Christus non rogavisset pro eo.

*P. Palanco vbi supra.*

*Castell. in manuscript. de scient. med. q. 3.*

*Aug. de Cor. & grat c. 8.*

¶ Contra; vel Christo potuit impediri oratio pro fide Petri ab ipso D. Petro, impedita libertate orandi, vel non impedita? Vtrumque repugnat. 1. quia nullum constitutivum libertatis Christi ad orandum, potuit impediri à D. Petro; assigna enim illud, difficile enim erit, nisi velis libertatem Christi ad orandũ constitui per scientiam mediam futuritionis rerum, quas exorabat: quod quantas excitaret difficultates experimento didici, disputando cum ingenioso Iesuita defendente, Christum Dominum directum scientia media instituisse Sacramenta: Quod quantum displicuit, doctus, & prudens præses satis explicuit. 2. magis implicat, quia est principium in Societate firmum, quod agens semel liberum à nullo potest impediri, sicut nec determinari, in exercitijs sibi liberis, quo modo igitur poterit Christo impediri oratio, non impedita libertate orandi? Præterquam quod, libertas Petri ad credendum, & libertas Christi ad orandum, essẽt mutuo impedibiles, quia Christus per orare impediret Petro non credere; & Petrus per non credere impediret Christo orare; quod quam falsum sit in communi Societatis sententia neminem latet.

1735 Addo autem ponderationem mihi gravem; inter obiecta, quę Div. Petrus credere tenebatur vnum erat, quod Christus *rogavit pro eo, ne deficeret fides eius*, Christus enim hoc dixit, de quo revelatum accepit à Patre esse *Filium Dei vivi*. Si igitur D. Petrus hoc non crederet, vt potuit, infidelis esset,

& fides eius deficeret; sed D. Petrus per hanc infidelitatem non potuit impedire existentiam orationis Christi pro perseverantia ipsius in fide, ergo potuit impedire perseverantiam in fide, cum impotentia impediendi fundamentũ connexionis cum ipsa. Prob. min. Quæ ex terminis mihi constat; si enim per infidelitatem huius iudicij, *Christus non rogavit pro me*, ammiteret fidẽ, hoc iudiciũ esset erroneum, & hæreticum; sed si hoc iudicium impediret existentiam orationis Christi, & faceret Christum nunquam rogaturum fuisse pro Petro, hoc iudicium esset verum, cum solum enuntiet id ipsum quod infert, scilicet deffectum orationis Christi; ergo implicat, quod D. Petrus per hoc iudicium sibi possibile, per quod deficeret fides eius impedire posset existentiam illius orationis Christi, quæ est fundamentum connexionis eum perseverantia ipsius in fide.

1736 Tertio instari potest illud principium; stat in Deo libertas ad impediendum terminũ alicuius connexionis cum impotentia impediendi fundamentum illius: ergo stat in nobis libertas ad ipsum: Conseq. innegabilis est, nisi asseratur libertatẽ nostram esse perfectiorem libertate Dei. Prob. antec. in principijs Adversariorũ: Duplici exemplo: Primo. Sit in Deo scientia media inefficaciæ auxilij *A.* hæc scientia est à Deo inimpedibilis, quia ipsi non libera; & est fundamentum connexionis cum hoc termino: *Non dare consensum per auxilliũ A. vnice sumptum*; Sed Deus potest impedire terminum connexionis adhuc supposita illa scientia; ergo. Prob. min. adhuc illa scientia supposita est Deus proxime potens *donare* consensum per auxilium *A.* vnice sumptum; ergo, & impedire eius contradictoriũ; *Non dare, &c.* Prob. antec. Voluntas est potens proxime *consentire* per auxilium *A.* vnice, aliàs libera non esset: ergo, & Deus *donare* consensum. Prob. conseq. Voluntatem posse *consentire* est posse habere cõsensum *donatum* à Deo, quia consensus esstialiter est Dei donũ; quomodo ergo stabit me posse accipere à Deo, quod Deus non est potens dare? Consentit voluntas, *quia* consensum *habet*, *habet*, *quia accipit*, *& ideo accipit*, *quia Deus dat*: ergo non stat Deum non posse dare, & voluntatem posse accipere. ¶ Secundum exemplum, me suppresso nomine adducto, refert Mag. Carraseo, & est in hoc syllogismo: *Si datur auxilium A. Petrus peccat*, sed *Petrus non peccat*; ergo *non datur auxilium A.* Maior, & minor sunt fundamentum connexionis cum consequenti; sed Deus habet libertatem impediendi consequens, cum non habeat libertatem impediendi; aut maiorem, aut minorem; ergo stat in Deo libertas impediendi terminum alicuius connexionis absque libertate impediendi fundamentum illius. Maior est certa: Quia veritas conditionalis, & deffectus conditionati connectuntur cum deffectu conditionis. Min. prob. & in primis Deũ esse liberum ad impediendum consequens, est certum, quia Deus libere negat prædictum auxilium, & consequenter libere potest illud dare: Deinde, quod non habeat libertatem impediendi illam maiorem etiam est certum, cum illa maior contineat scientiam mediam, & eius obiectum, quæ sunt inimpedibilia Deo. Rursus, quod non habeat libertatẽ impediendi minorem, prob. libertas impediendi illam min. *Petrus non pecat* est libertas impediendi carentiã peccati; sed Deus nullam habet veram libertatem stricte impediendi carentiã peccati: ergo Prob. min. iuxta Adversarios; libertas stricte impediendi vnũ contradictoriũ est libertas determinãdi aliud; sed

*D. Anselm de casu Diabol. cap. 2.*

*Carraseo de Volunt. dub. 6. n. 542.*

Deus

Deus nullam habet veram libertatẽ ſtricte determinandi contradictoriũ carentię peccati, alias poſſet libere determinare peccatum: ergo Deus non habet libertatem ſtricte impediendi carentiam peccati.

1737 Mihi ſic publice diſputãti dicebant; conſequentiam præiactam eſſe nullam, vnde poſſe Deum impedire conſequens, licet non poſſit impedire præmiſſas. Inſtavi, quia ſicut ex veritate conditionali, & exiſtentia conditionis infertur exiſtentia conditionati, ita evertendo ex deffectu conditionati colligitur deffectus conditionis, ſicut hæc conſequentia eſt recta: *Si Sol lucet, dies eſt, ſed dies non eſt: ergo Sol non lucet.* Dicebant, quod veritates præmiſſarum non poterant ſimul exiſtere, quia vnam eſſe veram inferebat, alteram eſſe falſam. Vrgentius inſtavi, veritas conditionalis; cum nil eſſe affirmat abſolute, poteſt exiſtere cum deffectu conditionati; ſicut ſimul ſunt verę iſtæ præmiſſæ: *Si Sol lucet dies eſt, ſed dies non eſt.* ¶ Reſpondebis forte ex P. Innio: Deum poſſe veritatem minoris impedire, *permiſsive*, non *determinative*, nam concluſionis veritas impeditur collatione auxilij *A.* quæ collatio per veritatem maioris a Petri libertate impedibilem, conſtituitur permiſſio peccati, adeoque permiſsiva impedito minoris; quatenus omnis permiſsio vnius rei eſt determinatio alterius: vnde in hoc ſyllogiſmo; *Si Petrus haberet auxilium A. peccaret*; ſed *habet auxilium A. ergo peccat.* Deus determinando minorẽ permittit concluſionem. ¶ Sed hæc ſolutio præcavetur in forma argumenti; & ideo aſſumpſi hanc min. Deus non habet libertatem *ſtricte* impediendi illam minorem; *Petrus non peccat*, quia impedire non peccare per permittere peccatũ non eſt ſtricte impedire peccati carentiam, ſed non permiſsionem peccati. Vlterius autem inſto: Antecedens *indeterminabile* ab aliqua libertate poteſt per bonam conſequentiam inferre conſequens ab eadem libertate determinabile: ergo antecedens *inevitabile* poteſt recte inferre conſequens evitabile: Conſeq. conſtat, & prob. antec. formando ita ſyllogiſmum; *Si Petrus habet auxilium A non peccat*; ſed *Petrus peccat*; ergo *non habet auxilium A.* Vbi conſequentia eſt recta à veritate cõditionali, & deffectu cõditionati ad deffectum conditionis; & Deus non poteſt determinare mai. cuius veritas obiectiva eſt obiectum ſcientiæ mediæ: Nec min. ſeu exiſtentiam peccati, & tamen determinat conſequens, ſeu exiſtentiam auxilij *A.*

*Innius ſect. 11. cap. 10. num. 17.*

## ADDITIO.

1738 NEceſſe eſt pręiactas inſtantias in ſua vi ſubſiſtere, oſtendere, licet Docti Recentiores eas enervare conati ſunt: Solutiones videamus ad tres primas; P. Ramirez illius ſyllogiſmi in *Baroco*: *Omnis qui ſalvabitur eſt ab æterno prædeſtinatus*; *ſed Petrus nõ eſt ab æterno prædeſtinatus*; ergo *Petrus non ſalvabitur*; ait, Petrum poſſe impedire veritatem minoris, vt poſsit impedire veritatem concluſionis: Non quatenus abſolute poſsit proferri, vt notarunt Izquierdo, Faſolus, & alij: *In manu hominis eſt prædeſtinari, aut reprobari*, ne ſonet cum Semipelagianis: *hominem poſſe ſolis ſuis viribus prædeſtinationem acquirere, aut excludere.* Sed quatenus homo ex ſuppoſitione gratiæ Dei, qua ſine meritis inſtruitur, & intentionis Dei volentis quẽvis ſalvari, niſi per ipſum fuerit, poteſt talia opera facere, quę, ſi dentur erũt inſeparabilia à prędeſtinatione.

*Ramirez diſp. 5. de prædeſt. c. 2. num. 79.*

Sed deſidero ſolutionem argumenti, quo impugnavi, Petrum poſſe impedire illam minorem; iterum adduco, ait enim Prado: *Realiter idem*

*Prado de libero arbi.*

trio diſ. 11. ſect. 5. nu. 98.

*idem eſt determinare aliquam rem, quam impedire eius contradictorium; quod videtur innegabile*: Ratio eſt manifeſta, quia poſſe *impedire* vnum contradictorium eſt poſſe *determinare* illius contradictorij *deffectum*; ſed poſſe *determinare* vnius contradictorij *deffectum*, eſt poſſe determinare alterius contradictorij exiſtentiam, quia vnum contradictorium *deſficere*, eſt alterũ contradictorium *exiſtere*: Ergo poſſe *impedire* vnum contradictorium, eſt poſſe *determinare alterum*; ſed Petrus non poteſt determinare *eſſe* prædeſtinatum: ergo non poteſt impedire *non eſſe* prædeſtinatũ: Prob. min. quod eſt exercitium liberum vnius libertatis nequit determinari ab alia libertate; vt univerſaliter fundat Docta Societas; Et nos eſſe veriſsimum fatemur de exercitio Deo libero: Sed audiamus D. Thomam: *Prædeſtinationem non eſſe per electionem prædeſtinantis, eſt contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum*: Ergo prædeſtinatio eſſe nequit ex determinatione prædeſtinati, ſed vnice ex electione, & determinatione Dei prædeſtinantis.

D. Thom. q. 6. de verit. art. 3.

Prado diſp. 11. ſect. 6. nu. 114.

1739 Aliter Reſp. Prado, ſequendo ſolutionem P. Herrera; ad cuius pleniorem intelligentiam notandum eſt: Prædeſtinationem ſumi dupliciter, vel *impropie* pro decreto executivo ſalutis, vel *propie* pro præparatione mediorum efficacium ex fine præintentę ſalutis: Si argumentum procederet de prædeſt. *impropie* ſumpta: Petrus non prædeſtinatus nequit impedire veritatem maioris, quia eſt neceſſaria; poteſt tamen impedire veritatem minoris, quia ſicut Deus reliquit in manu Petri perſeverantiam finalem, ita reliquit in eius manu obtinere decretũ executivum ſalutis: Argumentum igitur procedit de prędeſtinatione *propie* ſumpta; & in hoc ſenſu aſſerit Petrum non poſſe impedire veritatem minoris, ſed quia poteſt impedire veritatem concluſionis, poſſe impedire veritatem maioris illius: *Omnis qui ſalvabitur, eſt ab æterno prædeſtinatus.*

1740 Aſſerunt enim prædeſtinationem *propie* ſumptam non eſſe *neceſſariam*, vt quis ſalvetur; licet iuxta præſentem providentiam omnes, qui ſalvantur ſint prædeſtinati: vnde propoſitio maior non eſt neceſſaria, ſed contingens, licet vera in preſenti providentia. tamen Petrus non prædeſtinatus, ſicut poteſt perſeverare finaliter, & ſalvari, ita poteſt impedire providentiam preſententem, ſeu veritatem maioris, & inferre aliam diſtinctam providẽtium: Vnde ait, falſum eſſe dicere, quod ea propoſitio maior ſolum affirmat, quod Deus *quos prædeſtinavit, glorificet*: Nam affirmat inſuper, quod neminem glorificet niſi quam prædeſtinaverit, quod eſt verum, ſed impedibile à Petro non prædeſtinato; Et fundamenta, quibus RR. Palanco impugnat ſolutionem hanc in P. Herrera diſſolvere connatur.

Herrera q. 15. de prædeſt. ſect. 18

1741 Sed cum hic Sapientiſſimus Magiſter in publicam Eccleſiæ vtilitatem ſua ſcripta prælo mandet, illius ingenio relinquo ſua fundamenta inſtaurare; ergo tamen ſolutionem duplicici via impugno: 1. quia falſum eſt principium in quo innititur, ſcilicet prędeſtinationem propie ſumptam non eſſe neceſſariam, vt quis ſalvetur: Eſt enim omnino neceſſaria, vnde illa propoſitio maior: non eſt contingẽter vera, in providentia preſenti, ſed neceſſatio vera in omni providentia poſsibili; vnde illius veritatem non poteſt Petrus non prædeſtinatus impedire.

1742 Aſſumptum prob. 1. quia verba Apoſtoli, non ſolum affirmãt prædeſtinatos glorificari, ſed etiam glorificatos prędeſtinari. Tum: quia

Ad Rom. 8

alias

alias ex illo Apoſt. teſtimonio minime impugnaretur ſententia, aut error Ambroſij Catherini, qui aſſeruit plurimos ſalvari apud Deum nõ prædeſtinatos, minime vero negavit prædeſtinatos inffalibiliter ſalutem conſecuturos: cũ omnes Scholaſtici ex illo Apoſtoli Catherinum erroris arguãt: Tum, quia illa verba ex ijs prioribus diriguntur: *Scimus, quoniã diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundũ propoſitũ vocati ſunt ſancti*: Et eſt connexio mutua inter omnia obiecta ibi appoſita, non ſolũ enim *quos iuſtificavit*, ſecundum propoſitum, *glorificavit*, ſed etiam quos glorificavit, iuſtificavit; non ſolum *quos vocavit*, ſecundum propoſitum, *iuſtificavit*, ſed etiam, quos iuſtificavit, vocavit: Non ſolum, ſimiliter, *quos prædeſtinavit, hos & vocavit* ſecundum propoſitũ, ſed etiã quos vocavit, prædeſtinavit; ergo ſimiliter non ſolum quos prædeſtinavit glorificavit, ſed etiam quos glorificavit, prædeſtinavit.

*Catherinus in Summ. opinionum de divina Prædeſtin.*

1743 2. Ex S. Auguſtino: 1. quia, vt recte dixit Suarez; Non minus vt quis ſalvetur, eſt exacta ſalutis præſcientia, ac prædeſtinatio iuxta Auguſt. ſed implicat Petrum ſalvari abſque ſalutis præſcientia; ergo, abſque prædeſtinatione: min. certa, quia impoſsibile eſt futurum, cuius Deus præſcius non ſit: mai. docet Auguſt. per hęc verba: *Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo, præſciuntur autem: hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus*: Niſi forte clarius per hæc alia. *An forte neque ipſa* (id eſt cœterà dona ab initio fidei, & perſeverantię finalis) *dicuntur prædeſtinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea ſe daturum eſſe neſcivit: quod ſi, & dantur, & ea ſe daturum eſſe præſcivit, profecto prædeſtinavit*: Eadem ergo neceſsitate, qua vt quis ſalvetur eſt neceſſe, quod Deus præſciat ſe daturum eſſe ſalutem, eſt neceſſe, quod eam prędeſtinet. ¶ 2. quia Aug. exponens illa Apoſt. verba: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*, inquit: *Nempe certum eſt, certum, manifeſtum eſt, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit nos ipſe prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus*: Quomodo vero eſt certum, & manifeſtum, quod tales ſimus futuri, quia elegit nos ipſe prædeſtinans, ſi non eſt neceſſaria prædeſtinatio, vt tales futuri ſimus?

*Suarez lib. 1 de prædeſt. cap. 8. n. 9.*

*Auguſt. de dono perſeverantiæ. c. 17.*

*Aug.* ibi:

*Ad Epheſ. 1.*

*Auguſt. de prædeſtin. ſanct. c. 18.*

1744 3. Ex S. Fulgentio aſſerẽte *Firmiſsime tene, & nullatenus dubites, neque perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinavit ad Regnum Cœlorum, neque quemquam eorum, quos non prædeſtinavit ad vitam, vlla poſſe ratione ſalvari*: ergo ſicut repugnat *prædeſtinatum* in ſenſu compoſito *perire*; ita repugnat *non prædeſtinatum* in ſenſu compoſito *ſalvari*: Sicut igitur eſt impoſsibilis providentia in qua prædeſtinatus poſsit perire in ſenſu compoſito, erit impoſsibilis providentia in qua non prædeſtinatus in ſenſu compoſito poſsit ſalvari; & vtrumque firmiſsime eſt tenendum; & nullatenus dubitandum.

*S. Fulgent. lib de fide ad Petrum cap. 35.*

1745 Alia etiam via impugnatur ſolutio; quia licet admitamus prædeſtinationem non eſſe ſimpliciter neceſſariam, vt quis ſalvetur, ſed tamen iuxta prędſentem providentiam, nullum ſalvari non prædeſtinatum: Nullatenus vero eſſe in poteſtate non prædeſtinati impedire hanc providentiam, ſeu non exiſtere providentiam vi cuius prædeſtinatio requiritur ad ſalvationem; exindeque non prædeſtinatum nõ poſſe antecedenter præſtare non exiſtere veritatem hanc: *Nullus conſequetur gloriam, niſi electus antecedenter*: quam impedibilem aſſerit à non electo, P. Ribadeneira: vel non exi-

*Ribadeneira diſp. 13. de prædeſt. c. 2. nu. 9.*

exiſtere hanc, *Nullus ſalvabitur, niſi qui antecedenter electus fuerit*, de qua P. Herrera: ſeu non exiſtere veritatem iſtam: *Omnis qui ſalvabitur, eſt prædeſtinatus*, de qua nos cum Prado diſputamus; ſunt enim eandem veritatem exprimentes.

*Herrera q. 13. de prædeſt. ſect. 4. nu. 51.*

*Prado vbi ſupra.*

1746 Aſſumptum probo. 1. quia Petrus non prædeſtinatus, ne. quit eſſe liber, vt Deus habeat circa ipſum providentiam contrariã vniverſali legi providentię preſentis, vt poſsit gloriari inter tot non prædeſtinatos ſe ſolum è periculo non ſalvationis evaſiſſe. ¶ 2. Deus non dedit Petro facultatem tranſmutãdi fixas, & vniverſales eternæ ſuæ providentiæ leges; ſunt enim ſoli Deo liberæ: Nec eſt vnde *libertatem* Dei ad ſtatuendam præſentem providentiam poſsimus impedire; Nec aliter poteſt à Petro impediri præſens providentia, niſi impediendo libertatem Dei ad eam ſtatuedã. ¶ 3. quia Petro ſolum adeſt libertas ad perſeverandum in gratia; Et ex hac libertate, non eſt vnde poſsit impedire providentiam præſentem quatenus ſtatuit, *nullum ſalvari non prædeſtinatum*, & non poſsit impedire providentiam, qua Deus ſtatuit; *omnem morientem in gratia conſequi gloriam*: ergo vel vtrãque impedire poteſt Petrus non prædeſtinatus, vel neutram.

1747 Vltimo ſpecialiter arguo ex Doctrina S. P. Auguſtini ita de Chriſto aſſerentis: *Nec enim, & ipſe ita verbo Dei coniunctus vt ipſa coniunctione vnus Filius Dei. & idem ipſe vnus Filius hominis fieret, præcedentibus ſuæ voluntatis meritis fecit*; Inſpice rationem vnde Auguſt. probat gratiam vnionis, non fuiſſe ex præcedentibus Chriſti meritis, ita ſubdit, *Vnum quippe illum eſſe oportebat. Eſſent autem, & duo, & tres, & plures, ſi hoc fieri poſſet, non per Dei proprium donum, ſed per hominis liberum arbitrium*; Ergo ſimiliter *eſſent duo, & tres, & plures* impedientes præſentem providentiam, ſi hoc fieri poſſet per hominis liberum arbitrium: Aſsigna enim principium vi cuius conſequentia Auguſt. ſit recta & fiat ſyllogiſmus perfectus, & non ſit recta, & fiat ſyllogiſmus perfectus conſequentia noſtra.

*Aug. lib. 2 de peccatorum meritis, & remiſsione, c. 17.*

1748 Secunda inſtantia ex illo ſyllogiſmo deſſumpta: *Omnis, qui ſalvabitur habet ſpeciale perſeverantiæ donum: Petrus non habet perſeverantiæ donum, ergo Petrus non ſalvabitur*: Eodem modo reſpondetur à P. Ramirez, & Doct. Prado: Petrum quidem poſſe impedire veritatem illius minoris ex ſuppoſitione collationis gratię determinando, & acquirẽdo perſeverantiæ donum: quia ſicut *efficacia* auxilij eſt ſpeciale donum Dei, & *conſenſus* ſalutaris, & tamen eſt in noſtra manu determinare auxilij efficaciam, & conſenſum; ita licet *perſeverantia* ſit ſpeciale Dei donum, ex ſuppoſitione auxiliorum gratiæ eſt in noſtra manu id donum determinare, & acquirere, & exinde veritatem illius minoris impedire.

*P. Ramirez de prædeſt. diſp. 5. c. 2. num. 80.*

*Prado diſp. 11. ſect. 6. nu. 117.*

1749 Sed contra hanc ſolutionem plurima opponi poſſunt: quia difficilius valde eſt voluntatem noſtram ſemel liberam poſſe acquirere, & determinare donum *perſeverantiæ*, ac *efficaciam* gratiæ; nec exemplum de *conſenſu* obſtat, quia *hominis iuſtificati bona opera, ita ſunt dona Dei, vt ſint etiam ipſius iuſtificati merita*, ſunt igitur ex determinatione Dei donantis, & ex determinatione iuſtificati merentis; non ita loquitur Tridentinum de *Magno illo vſque in finem perſeverantiæ dono*; cum poſtquam decernit *cavendam eſſe prædeſtinationis temerariam præſumptionem, ſimiliter de perſeverantiæ munere*, ait: *quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum, qui*

*Trident. ſſ. 6. de iuſtif. Can. 32.*

*Tridentinus* ibi: *Can. 16.*

*Trid.* ibi; *cap. 12.*

*Trid.* ibi; *cap. 13.*

*qui stat, statuere, vt perseveranter stet*: Et si aliunde haberi non potest nisi à Deo, non erit in potestate iusti cum communibus gratiæ auxilijs illud munus. & magnum donum acquirere, & determinare.

*Sup. n* 742.

1750 Et primo oppono superius ex Aug. adducta: Et quę de mente M. Parentis de adiutorio *quo* ad perseverandum, scripsimus: Et tandem, ex *oratione* qua à Deo petimus perseverantiam, vt de oratione Dominica, ait Augustinus. forte desumitur argumentum iuxta diffuse statuta: sed alia specialia oppono.

*Sup. à num.* 421. *vsque ad* 30. *& à n.* 481.

1751 2. Quia vt D. Thom. probet ad perseverantiam vsque ad mortem, non solum esse necessariam gratiam habitualem, sed gratuitum Dei auxilium conservans hominem in bono vsque ad finem vitæ; ita ait. *Quia cum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam presentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrij, etiam per gratiam reparati, vt se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate eius, quod hæc eligat.* Ergo ex D. Thom. non subest potestati liberi arbitrij etiam reparati per gratiam perseverantiæ donum, seu quod se immobiliter in bono statuat: Ergo non est in eius potestate acquirere, & determinare *perseverantiæ* donum, licet sit in eius potestate, quod *eligat* se in bono statuere.

*Augustin. de bono perseu. cap.* 7.

*Sup. n.* 431. *vsque ad* 50 *& à n.* 483 *vsque ad* 516.

*D. Tho* 2. 2. *q.* 137. *art.* 4. *in corp.*

1752 3. In huius veritatis confirmationem vide Godoy, Bolibar, & Gonet. ex professo probantes cum D. Thoma, quod licet sit in potestate arbitrij adiuti *abstinere à peccato*, seu hoc negativum *non peccare*; non tamen hoc affirmativum *perseverare vsque in finem vitæ in abstinentia à peccato*: Hoc enim beneficium perseverantiæ finalis vnice consistit in mori in Domino, quia sunt *Beati, qui in Domino moriuntur*, seu in coniunctione gratię cum morte ex electione ad gloriam: quæ coniunctio non subest libertati arbitrij: *Cum vitæ huic quando voluerit ipse Deus det finem*: De quo superius aliqua scripsi: Sed procoronide accipe vulgare, diffusum, sed expressum M. Parentis testimonium: ita ait. *Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseverantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam* si fuissent ex nobis, *ait vnus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum*, mansissent vtique nobiscum. *Quid est quæso*, non erant ex nobis? *Nonne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit*: Omnem statum ego feci, *vnius eiusdemque naturæ animas accepe rant? Nonne postremo vtrique vocati fuerant & vocantem secuti, vtrique ex impijs iustificati, & per lavacrum regenerationis vtrique renovati. Sed si hæc audiret ille, qui sciebat proculdubio, quod dicebat, respondere posset, & dicere: vera sunt hæc, secundum hæc omnia* ex nobis erant, *verũ tamen secundum aliam discretionem*, non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscũ. *Quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non avertamus aspectum: clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum.* Non erant ex eis, *quia non erant secundũ propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi: non erant in eo sortẽ consequti, non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniversa operatur: nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.* Non igitur fuit de mente Augustini. Petrum posse impedire per liberum arbitrium illã min. *Petrus non habet perseverantiæ donum*, seu posse acquirere, & determinare existentiam specialissimi beneficij perseverantiæ finalis.

*Augustin. de dono perseu. cap.* 17.

*Sup. n.* 726.

*Aug. in lib. de Dono perseuer. cap.* 8.

1. *Ioann.* 2.

*Godoy de grat. disp.* 47. *ff.* 7.

*Bolibar de grat. Dei dub.* 14 *ff.* 6

*Gonet de necessit. gratiæ ar.* 8. *s.* 7

*D. Thom. q.* 24. *de verit. art.* 13.

*Apocalips.* 14.

*Isaias* 57.

1753 Ad illam inſtantiam deſumptã ex illo dicto Chriſti S. Petro *ter me negabis*; & ex illo: *rogavi pro te, ne defficiat fides tua*, Reſp. ad 1. D. Prado, & P. Ramirez; D. Petrum potuiſſe impedire illud dictum Chriſti: quia D. Petrus potuit impedire trinam negationem, & exinde potuit prædictionem illam impedire, vt pote potuit impedire, quod requiritur ad eius veritatem, & ſcientiam: Iſtæ, quia omne dictum illius, qui nec falli, nec fallere poteſt, ſi ſit de exercitio mihi libero eſt conſequens meã libertatem, & à me impedibile.

*Sup. n.* 1734

*Prado diſp. 11. ſect. 6. nu.* 118.

*Ramirez diſp. 5. c. 2. nu.* 83.

Ad 2. poſſe D. Petrum impedire orationis Chriſti exiſtentiam non perſeverando in fide. Et cum inſtamus: Non poſſe Chriſto impediri exiſtentia *loquutionis*, aut *orationis* niſi impedita libertate Chriſti ad illam loquutionẽ, & orationẽ; & nullum eſſe conſtitutivum illius libertatis à D. Petro impedibile; *niſi velis libertatem Chriſti ad orandum conſtitui per ſcientiam mediam futuritionis rerum, quas exorabat, quod quantas excitaret* difficultates experimento didici, diſputando cum ingenioſo Ieſuita defendente Chriſtum D. directum ſcientia media inſtituiſſe Sacramenta, quod quantum diſplicuit Doctus, *& prudens preſes ſatis expreſsit.* Reſpondent. nullũ eſſe in connexionis libertatem Chriſti ad orandum aliquem actum nobis liberum conſtitui per ſcientiam conditionalem ipſius vt futuri: Nec terrent difficultates, quas obieci, quia non magni momenti iudicantur, cum omittuntur: Si enim Chriſtus habuit ſcientiam futurorum conditionaliũ liberorum; quæ diſſonantia eſſe poterit, quod proprias operationes connexas cum exercitio alterius libertatis tali ſcientia regulaverit? Aut quid ſpecialius eſt in hac oratione, *Rogavi pro te, &c.* quod non ſit in illa quam Chriſtus fudit pro prædeſtinatis: *Non pro mundo rogo, ſed pro ijs, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*; quæ petitio regulata fuit per ſcientiam conditionalem perſeverantię finalis omnium illorum pro quibus rogavit.

*Ioann.* 17.

1754 Non eſt locus memorandi illam diſputationem cum Doctore Rubio, Preſide SS. Primario Domino P. Franciſco Peinado publice declarante ſentẽtiam propugnantis ſuam non eſſe: Vnde ad rem deveniamus; An ſcilicet; libertas Chriſti ad orandum actum nobis liberum conſtituatur per ſcientiam conditionalem ipſius vt futuri?

Supponimus, quod ſi in Deo eſt ſcientia media, erit in Chriſto, vt Deo; ſed cum oratio non ſit actus voluntatis divinæ, ſed voluntatis humanæ Chriſti D. cognitio dirigens ad orandum, & conſtituens libertatem orandi, debet eſſe humana, creata, & actus intellectus humani Chriſti; Vnde hæc ſcientia non poteſt dici *ſubiective media* inter neceſſariã, & liberam, quia exiſtentia illius, ſicut, & omnis boni creati dependet à dominio electivo Dei. Solum poteſt eſſe *media obiective*. Id eſt, ſcientia futuritionis conditionatæ noſtrorum actuum, quam Deus cognoſcit per ſcientiam mediam.

*P. Molina in concord. Oliſsipone impreſſa, q. 14. art. 13. diſp. 50. fol. 331. v. quæret fortaſſe.*

1755 Et 1. P. Molina expreſse ait: *Neque in Sacratiſsima Anima Chriſti concedendam eſſe ſcientiam, qua intueatur quid futurum ſit per liberum arbitrium.* Si autem hæc ſcientia media eſt ita divina, vt *ſit propia Dei, quia Deus*, quomodo libertas Chriſti ad orandum, quæ convenit ex D. Thom. Chriſto, quia homo eſt, conſtituetur per hanc ſcientiam? ¶ 2. Concedatur Animæ Chriſti ſcientia futuritionis conditionatę noſtrorum actuum liberorũ contra P. Molina: cum Suarez, Lugo, Alderete, & alijs: adhuc hæc ſcientia nequit conſtituere libertatem Chriſti ad orandum: 1. hoc diſcurſu; ſcientia conditionatæ futuritionis

*D. Tho. 1 p. q. 21. art. 1. in corp. Suarez in 3. part. q. 10. diſp. 26. ſſ. 3. in fine. Lugo diſp. 20. ſect. 2. n. 33. Alderete de Incarnat diſp. 66. ſſ. 4. in fine.*

nis nequit constituere libertatem, seu dirigere ad exercitium liberum, quod supponit scientiam futuritionis absolutæ: Sed exercitium liberū orationis Christi supponit scientiam futuritionis absolutæ rerum, quas exorabat: Ergo nequit libertas ad Christi orationem constitui per scientiam futuritionis conditionatę: mai. videtur certa: quia exercitia libera Deo frustra dirigerētur scientia media, si supponerent scientiam visionis: min docet D. Thom. per hæc verba: *Inter alia, quæ Christus scivit futura, scivit quædam esse futura propter suam orationem, & huiusmodi non inconveniēter à Deo petijt.* Ergo oratio Christi supponebat scientia futuritionis absolute rerum, quas exorabat.

*D. Thom. 3. p q. 26. art. 1. ad 2.*

1756 2. Scientia futuritionis conditionatæ constituens libertatem Christi ad orandum, vel esset scientia Beata animę Christi, vel scientia per se infusa supernaturalis, sed neutra esse potest. Ergo mai. videtur certa; quia futura conditionata libera solum possunt cognosci per scientiam Beatam in verbo, vel per scientiam per se infusā in se ipsis extra verbum Prob. minor. Quoad 1. partem 1. quia per scientiam Beatā non cognoscuntur obiecta successive, sed omnia simul: Tum qui ita pluries docet D. Thomas: Tum, quia de Beatis id expresse docuit S. Augustus, asserens. *Omnem scientiam nostram, vno simul conspectu videbimus.* Tum, quia cum omnia, quæ videntur in verbo vna specie *represententur*; vna visione simul cognoscuntur: Sed Christus per scientiam Beatam cognovit omnia futura absoluta, vt tenent Theologi cum D. Thom. ergo non stat scientiam Beatam futuritionis conditionatę constituere libertatem orandi, si non constituit scientia futuritionis absolutæ. ¶ 2. Quia nos recte possumus adstruere Christum per scientiam Beatam cognoscere futura conditionata, quæ nunquā erunt in Decretis subiective absolutis, & obiective conditionatis, quæ omnia per visionem cognovisse animam Christi, recte probat Illust. Godoy, sed Adversarij negantes Deum cognoscere futura conditionata contingentia in se ipso: quomodo adstruent Christum hæc futura cognovisse in ipso Deo: Et quæ in Deo non cognoscuntur non spectant ad scientiam Beatam; quia hæc est cognitio rerum in *Verbo*.

*D. Thom. 1. p. q. 12. art. 10. & 22. q. 83. art. 4. ad 2. & 3. p. q. 10. art. 2. & q. 8. de verit. art. 12. Et in 4. distinct. 45. q. 3. art. 1. Aug. lib 15. de Trinitate c. 16. D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2.*

*Godoy disp. 34. in 3. p. ff. 8. n. 200.*

1757 Prob. min. quoad 2. partem. 1. quia prævidente Christo per scientiam infusam quid voluntas amplexatura esset sub vnaquaq; hypotesi, vt dirigatur ad exorandum actum liberum, cum hypotheses sint infinitę, sicut libertates, & auxilia, oratio dirigeretur à scientia infinitorum obiectorum; vnde oriuntur difficultates, an omnia futura conditionata cognoscat, an solum hominum futurorū, aut etiam possibilium: Si omnia, an vnica cognitione, an pluribus; an per vnicam speciem infusam, an per plures: Si non omnia, nec omnium, cur hæc, & non alia? Cur istorum, & non aliorum? Vnde oriuntur difficultates, quas non vacat examinare, nec solvi possunt, sicut de futuris absolutis. ¶ 2. Ideo in Deo est necessaria scientia media, seu scientia quæ discernantur auxilia inefficacia ab efficacibus ad prædiffiniendum actus liberos nostros, vel ad prædestinationem indigentem meritis, quia cū Deus eligat media efficacia prę inefficacibus, vt eventus non sit Deo fortuitus, & causalis, debet ea prædiscernere, vt talia antequam ea decernat: Sed Christus non elargitur, nec decernit auxilia ad actum liberum, quem exorat: quia auxilia sunt dona Dei, & à Deo prædiffiniuntur, non à voluntate humana Christi; ergo vt Christus oret pro actu liberum, nō est necesse vt prædiscernat auxilia efficacia ac inefficacibus. ¶ 3. ex

*August. de correpl. & grat. cap. 8.*

Aug. quia *Præparatur volũtas à Domino, ideo pro illo Christi non posset esse innanis oratio.* Ergo libertas Christi ad orandum solum constituitur scientia, qua prænoscat Deum posse præparare voluntatem, ita vt annuat eius postulationi, & *per gratiam consequatur*, ille pro quo petijt *vt perseveret delectabilem perpetuitatem, & inseparabilem* fortitudinem: ergo non est necesse vt oratio dirigatur, licet *nõ possit esse innanis*, scientia prædiscernente auxilia efficacia ab inefficacibus, aut media. ¶ 4. Qui sicut oratio Christi est efficax, quia *exauditus est pro sua reverentia*: Oratio iusti est infalibiliter efficax ex illa promissione divina, *petite, & accipietis*, dum habeat conditiones superius adductas ex D. Thom: Sed vt oratio sit infalibiliter efficax ex promissione circa actum liberum exoratum, non exigit vt dirigatur scientia prædiscernente auxilia efficacia ab inefficacibus, & libertatem orandi constituente, vt patet: Ergo nec constituit in Christo libertatem orandi inffalibiliter ex *summa reverentia* orantis.

*Sup. n. 745.*

1758 Ad ponderationem, quã dixi mihi gravem, adductam num. 1735. & desumptam ex infidelitate huius iudicij possibilis D. Petro, *Christus non rogavit pro me* 1. ait P. Ramirez: *Non gravem, sed nugatoriam, & viro docto indignam vocarem ego ponderationem factã*, quia probat *evidentissime* contra me, vel fidem D. Petri non esse liberam; aut cum oratione efficaci Christi posse coniungi infidelitatem Divi Petri. Ostenditur, vt fides D. Petri circa obiectum assignatum, *Rogavi pro te*: sit libera est necessarium, quod possit ponere infidelitatem, aut *compositam* cum oratione Christi, & manifestatione illius facta D. Petro, aut *divisam* ab oratione, & manifestatione; licet non per divisionem factam à D. Petro: Si *compositam cum oratione*: vbi efficacia illa orationis Chisti, quæ *innanis esse non potuit*? Si *divisam* vbi infidelitas, cum per me non estet infidelitas in illo iudicio, *non rogavit pro me* defficiente oratione Christi? Ergo vel D. Petrus fuit *antecedenter* necessitatus, vt non esset infidelis, quoad illud obiectum ipsi revelatum; vel potuit componere suam infidelitatem cum oratione Christi, quæ tunc casus *innanis* esset.

*P. Ramirez disp. 5.*

*Prado de libere arbitr. disp. 11. §§ 6. nu. 120*

1759 Hanc instantiam evidendentem etiam, dicit Doct. Prado: Et vniformes aliam superaddunt, quia nostra ponderatio est ab omnibus solvenda, sicut vulgare argumentũ intendens possibilem coniunctionem gratię sanctificantis cum peccato mortali, sub hac forma: Ponamus, quod *homini iusto præcipiat Deus vt fide credat sibi revelanti esse sanctum in instanti A.* Illi quidẽ posset non credere, supponimus enim hoc esse illi liberum, aliàs præceptum foret de re sibi necessaria, quod est impossibile: Vel ergo per suum non credere impediret gratiam sanctificantem in instanti *A.* vel non? Si 2. coniungeret cum illa grave peccatum infidelitatis. Si 1. eo ipso suum non credere non esset infidele, sed verum & exinde implicatorium, siquidem impedita ab eo instanti *A.* per dissensum gratia sanctificante, verum est oppositum obiecti revelati, nimirum eum hominem non esse sanctum in instanti *A.*

1760 Solutio igitur vtriusque Authoris est: quia debemus omnes fateri aliquas esse veritates, quas *fide divina* (ait Prado) credi sub obligatione, quæ reddat peccaminosum, & infidelem earum dissensum, non repugnet, etiamsi repugnet hunc esse falsum, quia licet dissensus impediat id, quod ad sui falsitatem requiritur, non impedit cognitionem obligatorie proponentem, vt credendam rem revelatam, & ideo potest esse peccami-

minoſus, etiãſi re verâ tãlis res revelata nõ detur: vnde iudicium *Chriſtus non rogavit pro me*, quamvis verum in D. Petro, potuit eſſe *formaliter* infidele, ſicut eſt *formaliter* infidelis Ruſticus inſtructus à Parrocho de quaternitate Perſonarum in divinis, per hoc iudicium rerum, *non ſunt quatuor perſonæ in divinis.*

1761 Sed hæc ſolutio *ponderationem nugatoriam viro docto indignam*, non attingit; procedit enim in caſu exiſtentiæ revelationis evidenter phiſice cognitæ, quia D Petrus audivit Chriſtum dicentem: *Rogavi pro te*: Et in hoc caſu exhibenda eſt ſolutio, abſque effugio ad alios caſus poſsibiles de quibus diſputatio non procedit, vt eſt caſus cognitionis proponentis obligationem credendi defficiente in re revelatione, vt in Ruſtico falſo inſtructo à Parrocho circa numerum divinarum perſonarum; ſed præmoneo eſſe falſiſsimum, & contra comunem Theologorum ſenſum in caſu cognitionis proponẽtis obiectum falſum, vt revelatum adeſſe obligationem credendi illud *fide divina*: Ratio: Nequit adeſſe obligatio ad impoſsibile: ſed aſſenſus *fidei divinæ* falſus eſt ex terminis impoſsibilis: Tum, quia Tridentinum docet, *fidei divinæ non poſſe ſubeſſe falſum*. Tum: quia Innocẽt. XI. declaravit: *Notitiam probabilem revelationis ad fidem non ſufficere*: quomodo poterit eſſe fides cum notitia revelationis falſa, ſi non ſufficit notitia probabilis, licet vera? Ergo dũ non adeſt revelatio, nequit adeſſe obligatio ad credendum fide divina: Conſulantur Theologi in materia de fide.

*Trident. ſ. 6 cap. 9.*

*Innocent. XI.*

1762 Sed ad caſum argumenti, vniformiter ſupponunt ſuppoſita illa loquutione Chriſti: *Rogavi pro te Petre*; non potuiſſe D. Petrum habere hoc iudicium: *Chriſtus non rogavit pro me.* ¶ Et ſi inſtes: *Ergo ſunt aliquæ veritates ab intrinſeco inne-*

*P. Ramirez ibi:*

*gabiles, quia ab intrinſeco inconiungibiles ſunt cum diſſenſu ſui.* Reſpondet. *Concedo conſequentiam, ſicut etiã ſunt aliæ veritates ab intrinſeco incredibiles per fidem.*

1763 Contra: Ergo ponderatio *nugatoria, & viro docto indigna* cogit, vt defendatur hoc principium, *Poteſtas impediendi terminum connexionis eſt poteſtas impediendi eiuſdem connexionis fundamentum*, ad aſſerendum non ſolum de *poſsibili*, eſſe verum obſecurum *innegabile*, ſicut & *incredibile*, quod pauci RR. Ieſuitę affirmarunt, moti à quodam argumento, quod primus obiecit, dum eſſet Theologiæ auditor P. Antonius Perez, & ipſe ſuo mirabili ingenio putavit eſſe *leviſsimum, vaniſsimum, & futiliſsimum, atque apertum ſophiſma*, verum etiam de *facto* fuiſſe actu revelationem, ſeu loquutionem Chriſti, cuius obiectiva veritas fuit innegabilis, & ab intrinſeco libere incredibilis, quod omnino ignoro ab aliquo Theologorum ipſius Doctæ Societatis hucuſque aſſertum.

1764. 2. Si eſt poſsibile verum *incredibile*, cur non erit poſsibile verum *intelligibile*? Eodem enim fundamento, quo adſtruis verum ab intrinſeco inconiungibile cum *fide* ſui, convinces verum ab intrinſeco incõiungibile, *cum intellectione* ſui: ſed ens, ſeu verum non eſſe intelligibile eſt chymera, & plus quam chymera, quia chymera eſt intrinſece intelligibilis: Et 1. quid addit *verum* ſupra *ens* niſi intelligibilitatem, ſeu reſpectum ad intellectum? ¶ 2. Ens præſcindens à Deo, & chymera eſt obiectum intellectus, quia actu intelligit vtrumque noſter intellectus, ſed omne poſsibile continetur ſub ente præſcindente à Deo, & chymera: Ergo & ſub obiecto intellectus, exinde erit intelligibile ¶ Denique dum de illo ente poſsibili negas eſſe intelligibile ipſum apræhendis, & intelligis; vel vt Pſythacus negas, & ſi intel-

telligis id ipſum quod negas, exinde intelligibile ipſum convincis, dum intelligibile affirmas. Eſt enim hic caſus, ſicut ſi quis negaret ſe habere intellectum, & vt id probaret varios efformaret diſcurſus, quibus exercite convinceret ſe intellectum habere, ſine intellectu enim non diſcurreret. Ita diſcurſus probantes id *poſsibile* non eſſe *intelligibile* exercite intelligi convincerent: Vnde eſt mihi evidentiſsimum, quod ſi aliquod ens eſſet extra obiectum intellectus, eſſet de quo non poſſet affirmari eſſe extra obiectum intellectus, ex eo vnice, quod extra obiectū intellectus eſſet.

*Herrera de voluntate, q. 1. ſect. 1. à num. 55.*

1765 3. Quia argumentum efficax quod proponit M. Herrera, vt probet non poſſe dari decretum, aut bonum inamabile (idem eſt de vero incredibili, & de merito impremiabili) efficacius ſuadet illam loquutionem Chriſti, non fuiſſe *inegabilem* à D. Petro: Et ita proponitur: in illa loquutione Chriſti: *Rogavi pro te Petre: vt non defficiat fides tua*: Vel in obiecto orationis comprehenditur non defficere fidem Petri per infidelitatem erga orationem ipſam, vel excipit infidelitatem, qua negari poſsit ipſius orationis Chriſti exiſtentia exorando defficere infidelitatem, erga alia obiecta revelata diſtincta ab oratione Chriſti; quodcumque dicas probatur poſsibilis in D. Petro infidelitas per negationem exiſtentiæ orationis Chriſti. Ergo. Prob. minor. quoad 1. partem: Oratio Chriſti fuit eſſentialiter prudens; ſed non poteſt prudenter exorari non exiſtere impoſsibile, ſicut nec exiſtere neceſſarium; imprudenter enim quis rogat exiſtere, aut defficere id quod omnino independenter ab oratione exiſtit neceſſario, aut defficit: Ergo ſi Chriſtus oravit, quod non eſſet infidelitas in D. Petro per negationem exiſtentiæ orationis Chriſti, hæc infidelitas fuit Div. Petro poſsibilis: Probo iam 2. partem: Oratio Chriſti vt ſit omnino efficax, & non ſit innanis ſufficit, quod aſſequatur exoratum per ipſam: Ergo non pugnat cum oratione Chriſti ea infidelitas, cuius deffectum Chriſtus non exoravit: Ergo ſi Chriſtus ſolum exoravit defficere D. Petro infidelitatem, erga obiecta revelata ab oratione diſtincta, erit poſsibilis D. Petro infidelitas erga exiſtentiam orationis, quin obſtet ipſius orationis Chriſti efficacia: De hac ratione plura è ſuggeſtu dictavi in materia de voluntate Dei: Conſule P. Palanco.

*Palanco diſp. 1. de fide q. 15. à n. 17.*

1766 4. D. Petrum potuiſſe negare exiſtentiam orationis Chriſti pro ipſo, videtur conſtans, ita vt hoc ſit ſupponendum potius, quam diſputandum, vt hæc, vel illa ſententia deffendatur. Ratio: quia licet D. Petrus habuit *evidentiam* exiſtentiæ illius loquutionis, aut revelationis Chriſti *Rogavi pro te*; ſolum habuit *fidem* authoritatis infalibilis Chriſti in dictis, quia *revelatum à Patre, qui in Cœlis eſt*, agnovit *Chriſtum Filium Dei vivi*: Vnde potuit diſſentire obiecto à Chriſto loquuto; per hoc iudicium infidele: *Non rogaſti pro me*, quod exemplis tribus convincitur: 1. quia *Reſpondit ei*, id eſt D. Petro, *Ieſus*: *Quo vado ego, non poteſt modo ſequi: ſequeris autem poſtea: Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te modo ſequi?* Super quæ verba, ait Chriſoſtomus: *Quid dicis Petre? Dixi, quoniam non potes, & tu dixis quoniam poſſum*: Ergo & dicente Chriſto *Rogavi*, potuit dicere D. Petrus *Non rogaſti*. ¶ 2. & 3. deſumuntur ex illis verbis: *Dicit Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim*: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. *Reſpondens autem Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam*

*Ioann. 14.*

*D. Chriſoſt. Homill. 72. in Ioannem.*

*Math. 26.*

*Zach. 13. cap. 17.*

*Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Vbi scripsit Chrisostomus: *Quid ais, ô Petre? Propheta dixit*, Dispergentur oves, *& Christus confirmavit, quod dictum est, & tu dicis*: Nequaquam. *Manifeste eo dicente, quoniam* omnes scandalizabimini: *contradicis*: Si ergo D. Petrus contradixit verbis Christi, etiam cõfirmatis à Scriptura, & iuramento, *Amen*: Cur non potuit contradicere illis verbis Christi: *Rogavi pro te?*

1767 Ad instantias Respondetur ad 1. quam vocant *evidentem*, & *evidentissimam*: Ex illa communi doctrina, qua deffenditur libertas Christi ad mortem ex obedientia formali, posito præcepto moriendi ex obediẽtia; duplex enim asserimus esse præceptum, vel in vno præcepto esse terminationes realiter separabiles, vna ad mortem, altera ad formalem obedientiam: libertas nostra solum exigit indifferentiam potestatis, non vero est potestas acquirendi exactũ, nec impediendi connexum. Terminatio illius præcepti ad *mortem*, est *connexa* in Christo impecabili cum morte, sed non constituit *posse* mori: cum stet posse mori defficiente præcepto: hæc terminatio constituit posse formaliter *obedire*, sed non est *connexa* cum ipsa obedientia; non enim stat formalis obedientia sine cognitione præcepti; sed per mori, quod nõ sit formaliter obedire adimpletur præceptum mortis: Terminatio autẽ illius præcepti ad formalem *obedientiam*, est *connexa* in Christo cum ipsa obedientia, sed non constituit *posse* obedire: cum esset posse obedire per præceptum actus absque præcepto ipsius obedientiæ: Vnde posito præcepto de morte, & obedientia, nullum datur in Christo impeccabili *posse connexum*, nec ad mortem, nec ad obedientiam: Similiter dicimus in illa loquutione Christi: *Rogavi pro te Petre, vt non defficiat fides tua.* esse duplicem revelationem, vel esse in vna revelatione terminationes realiter separabiles, vna ad existentiam *orationis*; in illis verbis *Rogavi pro te*: alia ad speciale *obiectum* orationis in illis verbis, *vt non defficiat fides tua*: Et ideo dixit Chrisostomus *Non autem dixit, Rogavi vt non neges, sed ne deseras fidem.* Terminatio loquutionis Christi ad *existentiam* orationis, est connexa cum obiecto loquuto, & constituit libertatem contrarietatis in D. Petro ad assentiendum per hoc iudicium fidei *Christus rogavit pro me*, vel ad dissẽtiendum per hoc iudicium infidele: *Christus non rogavit pro me*: sed cum illa terminatio non habeat connexionẽ, cum aliquo ex his iudicijs stat in D. Petro posse liberum ad iudicium infidele: *Christus non rogavit pro me*: Illa alia terminatio loquutionis ad speciale *obiectum* orationis, habet cõnexionem cum *perseverantissima voluntate* in fide D. Petri; & ita pugnat cum illo infideli iudicio, sed non constituit posse ad illud; vnde nullum datur *posse* connexum, sed omne *posse* est liberum, & indifferens; licet non sit posse ad impediẽdam terminationem illam loquutionis cum pugnat infidele illud iudicium; quia stat *potestas impediendi terminum connexionis absque potestate impediendi fundamentum.* *Chrisostomus Homill. 83. in Math.*

1768 Ad 2. Resp. illud argumentum ad probandã coniunctionẽ gratię sanctificantis cum peccato esse appertũ sophisma: quod evidenter convincitur; quia si *homini iusto præcipiat Deus, vt fide credat sibi revelanti esse cum deffectu omnis peccati in instanti A.* eque probaretur peccatum esse coniungi cum carẽtia omnis peccati: sed nullatenus est solvendum per recursum ad cognitionem falsam proponentem obligationem credendi: Nos enim dicimus, in illo homine non esse libertatem contrarietatis ad *dissensum pro instanti A.* quia hæc libertas constituitur per re-

vela-

velationē illam inconiungibilem cū diſſenſu in inſtanti *A.* Eſſe vero libertatem contradictionis ad aſſensū, & non aſſenſum, quia *revelatio* cum nullo ex his connectitur: licet enim *præceptum* aſſenſus, pugnet cum non aſſenſu pro illo inſtanti, præceptum poſſe non conſtituit: Vnde in illo inſtanti ſimul cum revelatione, & præcepto datur poſſe ad non credere diviſum à præcepto; ſicut enim dicitur de Angelo impeccabili pro primo inſtanti, debet affirmari de homine illo pro inſtanti *A*, quod habet poſſe nō credere, quod non ſit poſſe peccare, nec revelationem falſificare.

## ADDITIO.

1769 REſtat ſolutiones impugnare probationis deſumptæ ex illo ſyllogiſmo: *Si datur auxilium A. Petrus peccat; ſed Petrus non peccat: Ergo non datur auxilium A.* in quo iuxta Societatis principia, datur in Deo libertas impediendi determinative conſequens, ſeu terminum connexionis abſque poteſtate impediendi determinative aliquam ex præmiſsis, ſeu connexionis fundamentum.

*P. Ramirez diſp. 5. c. 2. num. 76.*

1770 Et ante ſolutionem, ait P. Ramirez: *Antecedens probat D. Caſtell, exemplo emendicato ex noſtris Authoribus, quamvis id ſileat, & quaſi de proprio invento, ſibi gratuletur, cum potius nobis eſſet plaudendum, qui vt glorioſior ſit pugna arma, quæ ſuperſunt militi adeo ſtrenuo contullimus*: Similiter D. Prado, ait: *Inſtātiam iſtam præ cæteris ingenioſam, & quæ difficilior videtur propoſuit primus contra ſe P. Iunnius, à quo RR eam didicerunt, & ſumpſerunt, vt quaſi proprijs armis agentes pugnent contra nos*: *Cum tamen hæc ipſa habeant accepta ab Authoribus Societatis.*

*Prado de lib. arbitrio diſp 11. ſect. 4. num. 71.*

1771 Plurima didici ab AA. doctiſsimæ Societatis, ſummo conatu eos intelligere, & eorum doctrinam penetrare ſtudui: *Continuo enim ad aliena Caſtra tranſibam, non tanquam transfuga, ſed tanqntm explorator*: Gloriabor de acceptis ab AA. Societatis, ſed non gloriabor, quaſi non acceperim: Et innocuus lituras non patiar obſervans *ingenuo pudore, quid, cuius eſſet, ſimpliciter confiteri*: qua enim veritate dicitur *ſilere* argumentum in ſe oppoſuiſſe P. Iunnium, ſi in eodem numero aſſero: *Reſpondebis ex P. Iunnio* tranſcribendo eius formalibus verbis ſolutionē: Potuit P. Iunnio reſpondere inſtantiæ, quam in ſe non opponeret? Si ergo citavi P. Iunio deſignavi locum in quo argumentum ſolvere ſatagit, non *ſilui, quod à P. Iunnio accepi, vt quaſi de proprio invento* mihi gratularer.

*Seneca Epiſtol. 2.*

*D. Hieronymus Epiſt. 34*

1772 Sed ad rem: P. Ramirez Reſpondet. Exemplum fallax eſſe, & detecta fallacia nullius momenti, aut enim illa præmiſſa minor. *Petrus non peccat*: facit hunc ſenſum: *Petrus non peccat ſub auxilio A. exiſtenti*; & ſic defficit veritas præmiſſæ maioris: Patet: quia non ſtat Petrum non peccare ſub auxilio *A.* & quod *Si datur auxilium A. Petrus peccet*: ideoque non manet ſyllogiſmus; quia præmiſſæ ſunt incomponibiles in veritate, aut illa minor facit alium ſenſum; videlicet: *Petrus non peccat ſub auxilio A. quia non exiſtit auxilium A* qua ratione conſequens illatum involvitur in præmiſſa minori; propterea que, ſicut conſequens eſt evitabile à Deo; ita veritas minoris, quin inferatur peccatum eſſe à Deo determinabile, ſed *non exiſtere auxilium A.* eſſe ex Dei determinatione.

1773 Sed hęc ſolutio evidentiſſime reijcitur à Doctore Prado: Eſt enim iſta falſa, quam quod maxime, prima enim Dialectice demonſtrata principia evertit: Suppono, quod quando minor eſt maiori oppoſita, & ita illius deſtructiva, vt non poſsit eſſe

*Prado, ibi à nu. 72.*

esse vera ex hypotesi veritatis maioris syllogismus est nugatorius: quia conclusio infertur ex integro antecedenti, non ex vna eius parte; per quod principium consule fallacias quarumdem argumentationum à P. Izquierdo detectas. ¶ Suppono secundo ex D. Thoma, & ex Philosopho, quos omnes Dialectici sequuntur: in syllogismis ex conditionalibus duplici esse consequentia, vel in *positione*, vel *in contraria*; id est, vel quando proceditur à positione conditionis ad positionem cõditionati; vel quando proceditur à destructione conditionati ad destructionem conditionis: Vnde demonstrat Izquierdo: *Contradictorium conditionati connecti cum contradictorio coniuncti ex veritate conditionata, & ex purificatione cõditionis.*

*P. Izquierdo disp. 10. q. 5. n. 294.*

*D. Thomas tract. de syllogism. simpliciter cap 16.*

*Philosoph. 2 Topicorum.*

*Izquierdo in Pharo disp. 20. q. 5. n. 183.*

1774 Vnde disputo vt supra: Ex veritate conditionali & deffectu *conditionati* per syllogismum rectũ infertur *conditionis*: Sed in syllogismo adducto maior est veritas cõditionalis: minor est deffectus conditionati, id est *peccati*: Ergo per rectam consequentiam infertur deffectus *auxilij*, seu conditionis. Dicere, vel minorem facere hunc sensum, *defficere conditionatum, seu peccatum existente conditione*, seu auxilio *A.* & ita præmissæ repugnãt in vetitate, aut facere hunc sensum: *Defficere conditionatum, seu peccatum non existente auxilio, seu conditione.*

*Supra num. 1736.*

Est syllogismum esse rectum, & à tuis sensibus *minoris* reddi, vel implicatorium, vel invtilem, qui si in minori enuntiante deffectum *conditionati*; fit sensus existere *conditionem*: maior, & minor repugnant, si includit, *defficere conditionem*: Est omnino invtilis, quia in minori est id ipsum, quod pro conclusione infertur, vnde non est syllogismus, qui est *oratio in qua necesse est aliud evenire præter ea, quæ posita sunt, & confessa* in præmissis: Minor, ergo solum negat existentiam *conditionati*, qui affirmet, aut neget existentiam *conditionis*, seu auxilij

1775 Vrgeo 1. quando syllogismus fit ex conditionali *in positione*: minor affirmans *conditionem*, nec affirmat, nec negat *conditionatum*: Ergo quando syllogismus fit ex conditionali *in contraria*, minor negans *conditionatum*, nec negat, nec affirmat *conditionem*: Antec. est indubium: quia si affirmaret *conditionatum* enuntiaret, quod infert: & si negaret contradiceret veritati conditionali: Et consequentia est manifesta: quia si stat affirmare *conditionem*, nec affirmando, nec negando *conditionatum*, cur non stabit negare *conditionatum*, nec negando, nec affirmando conditionem? ¶ 2. Quia omnes consequent. ex conditionali, & deffectu conditionati erũt fallaces, quia implicatoriæ, vel invtiles, vt in hac; *Si Sol lucet dies est, sed dies non est*, ergo: Et inquiro: minor aut facit sensum quod *dies nõ est, lucente Sole*: & destruit veritatẽ maioris: vel facit sensum, quod *dies non est, non lucente Sole*: & nihil restat inferendum pro conclusione.

1776 Alias duas solutiones tradit Prado: 1. asserendo veritatem consequentis, non includit in veritate maioris *seorsim*, nec in veritate minoris *seorsim, includi* vero in veritate maioris, & minoris *coniũctim*, seu *complexive*: vnde cum Deus possit determinative impedire veritatem consequentis, seu *carentiam auxilij A.* potest determinative impedire veritatem præmissarum *inadequate*, & *complexive*: quatenus præmissæ ita sumptæ includunt veritatem consequentis.

*D. Prado ibi: n. 74.*

Assumptum Probat. 1. quia veritas conditionalis claudit disiunctivam, nimirum: *Vel deffectum conditionis, vel existentiam conditionati*;

*tionati*: sed in veritate disiunctiva, cum exclusione vnius extremi disiunctionis, continetur inclusive existentia alterius extremi disiunctionis: Ergo in veritate illa conditionali claudente disiunctive, *vel defectum auxilij A. vel existentiam peccati*. Simul sumpta cum veritate minoris excludente *peccatum*, continetur inclusive deffectus *auxilij*, quæ deffectus est ipsa veritas consequentis. ¶ 2. sicut veritas conditionalis transit in veritatem absolutam existentiæ *conditionati* per purificationem conditionis, ita per deffectum conditionati transit in veritatem absolutam non existentiæ *conditionis*: Sed in veritate conditionali simul sumpta cum purificatione conditionis continetur inclusive veritas conditionati; aliter enim verificari nequit, *veritatem conditionalem purificata conditione transire in absolutam*: Ergo in veritate conditionali simul sumpta cum deffectu *conditionati* continetur *inclusive* deffectus conditionis. ¶ Vlterius nulla ex illis præmisis *seorsim* importat *connexionem* cum veritate consequentis; & tamen in illis *complexive* importatur *connexio*: Ergo licet nulla ex præmisis importet *inclusionem* veritatis consequentis, in illis complexive importatur *inclusio*.

1777 Sed si hæc doctrina vera esset, evidenter convincitur ineffi-cax Argumentum capitale pro cuius solutione laboramur: Cur enim non possum asserere: Petrum non posse determinative impedire illam. mai. seorsim: *Omnis prædeterm. ad consensum consentit*; nec illam min. seorsim: *Petrus est prædeterm.* ad *consensum*, posse vero impedire determinative *inadequate*: veritatem mai. & min. *complexive*: Ratio, quia in vtraque præmissa *copulatim* continetur *inclusive* existentia exercita *consensus*, quam Petrus potest impedire? Si ita discurritur, vt *Deus* determinative impediat veritatẽ conclusionis, quin possit impedire determinative veritatẽ præmissarum, cur non posset ita dici de Petro.

1778 2. Quia debet esse principium ex Philosopho, D. Thoma, & Beato Alberto Magno certum: quod veritas conclusionis continetur in præmisis *virtute, & in potentia*, non *simpliciter, & in actu*: *Quod nisi ita sit, eveniet ea profecto, quæ est in Mennone dubitatio. Aut enim nihil quisquam discet, aut ea, quæ scit*: Consule demonstrationes SS. Doctorũ in præclarissimis Aristotelis Commentarijs: In complexo igitur ex disiunctiva, & deffectu vnius partis, includitur *virtualiter, & in potentia* existentia alterius, nõ in *actu*: Et in complexo ex *conditionali*, & purificatione *conditionis* includitur *virtualiter*, non *actu* existentia conditionati: Similiterque, quin disparitatem quæramus, in complexo ex *conditionali*, & deffectu *conditionati*, includitur *virtualiter*, non actu deffectus *conditionis*: aliàs per demonstrationem, vel *homo nihil addisceret*, vt voluit Plato, vel *solum addisceret ea, quæ prius novit*. ¶ 3. quia licet in præmissis *complexive* sit cõnexio, quę non sit in illis *seorsim*: quia solum simul sumptę habeant vim inferendi pro effectu conclusionem, per vnionem enim *applicantur* ad causandum; tamen per *coniunctionẽ affirmationes*, quę sunt essentiales iudicijs, minime mutantur: sicut *veritates* iudiciorũ non variantur, & si affirmatio variatur, non est cur veritas non mutetur; ergo non stat, quod in illis iudicijs *seorsim* non affirmetur veritas consequentis, & quod affirmetur ab illis *coniunctim*.

*Philosoph. lib. 1. post cap. 1.* *D. Thom* ibi: *lect. 3.* *B. Albert. Magnus l. 1. posteriorum tract. 1. cap. 5. & vltimo*

*Plato in lib. Mennonis.*

1779 Secunda solutio Doct. Prado, est conced. Deum posse determinative impedire veritatem cõclusionis, quin possit eo modo impedire veritatem alicuius ex præ-

*Prado*: ibi. *num.* 77.

missis in syllogismo à nobis *adducto* Petrum vero non posse impedire veritatem conclusionis, si non potest impedire veritatem alicuius ex præmissis in syllogismo nobis *obiecto*: Et disparitatem esse: quia ille syllogismus tenet per regulam de conditionalibus: Syllogismus autem obiectus in *Dario* tenet per regulas *Dici de omni*: Et *quæ sunt eadem vni tertio*; &c.

1780 Sed hoc non est solvere, sed argumento succumbere: Cum hoc principium tot medijs, & formulis ab adversarijs stabilitum: *Posse impedire terminum connexionis, est posse impedire eiusdem connexionis fundamentum*; admititur falsum, & in Deo, cuius potestas est infinita, & nulli subordinata; quid igitur mirum, quod negetur de potestate finita, & Deo subiecta?

1781 Denique: quia cum propositio illa mai. syllogismi nobis obiecti: *Omnis prædeterm. ad consensum consentiet*: Sit veritatis necessariæ equivalet cõditionali apud plures Societatis Authores: Vel saltem concedes in hoc syllogismo: *Si Petrus est prædet. ad consensum consentiet: sed Petrus est prædeterm. ad consensum, ergo consentiet*: Stare Petrum posse impedire veritatem conseq. & non alicuius ex præmissis, quia tenet per regulam de conditionalibus à positione conditionis vlterius, quia valde probabile est syllogismum ex veritate conditionali inniti principio illo certo, *quæ sunt eadem vniter sio*, &c. Pro quo consule P. Arriaga; & quod magis est. Angelicus Doctor affirmat syllogismi ex conditionalibus, etiam fieri cum hoc relativo, *qui*, vel cum hoc nomine *quicumque*: Sicut *qui currit movetur, sed Petrus currit, ergo movetur*: Vel: *Sed Petrus non movetur*, ergo non *currit* qnod est intelligendum dum connexio est *necessaria* inter conditionem, & conditionatum: dum vero connexio est *causalis*, & de *facto* non equivalet conditionali absolutæ cum relativo *qui*, aut nomine *quicumque*: Vnde mai. nostri syllogismi conditionalis non equivalet huic: *Qui vocatur auxilio A. peccat*: sed potest ita reduci: *Existente auxilio A. in Petro peccabit, sed Petrus non peccabit*: Ergo *non existet auxillium A. in Petro*. Et certissimum hunc syllogismum inniti in illo principio; & non in regulis de conditionalibus; Nulla ergo est disparitas.

*Arriaga Disp. 3. in Sumulas ss. 4. à nu. 17. vsque ad 25*

*D. Thom. tract. de syllogism. simpliciter cap. 16.*

## §. V.

### *Aliquæ solutiones reijciuntur.*

1782 Antequam solutionẽ argumenti exhibeam, referam aliquas, maiori explicatione indigentes, vt eas caveas ne vires obiectionis augeas: Primo aliquis Doctus M. Resp. argumento num. 1714. Concedendo voluntatem non posse impedire veritatem conclusionis legitime illatæ ex præmissis, quarum veritatem impedire non potest; vnde nulla est libertas ad impediendam veritatem huius iudicij *Petrus consentit* in eo, qui impedire non potest veritatem istorum principiorum: *Omnis prædeterm ad consensum consentit: Petrus est prædeterminatus*. Rationem præstat, quia vt voluntas posset impedire veritatem illius conclusionis necesse erat, quod posset dissentire in sensu composito veritatis præmissarum.

*M. Carr. de vol. dub. 6. nu. 535. M. Prud. disp. de vol. dub. 2. sect. 3. nu. 235.*

1783 Contra 1. supposita veritate præmissarum potest voluntas *dissentire*, licet non in sensu composito, in sensu diviso: ergo, & poterit *impedire* veritatem illius iudicij *Petrus consentit* in sensu diviso: Patet conseq. Quia idem est posse dissentire, ac posse impedire veritatem iudicij affirmantis consensum. ¶ 2.

ſuppoſita veritate præmiſſarum voluntas libere determinat conſenſum aliàs non eſſet libera in conſentiendo: ergo poteſt impedire *conſenſum*. Neceſſe eſt enim, quod poſsit impedire id quod libere determinat: Sed poſſe impedire conſenſum, eſt impedire veritatem obiectivam, & exinde formalem huius iudicij, *Petrus conſentit*: ergo Prob. min. qui poteſt impedire cauſam, ſeu rationem à qua per ſe dependet effectus poteſt impedire effectum, licet non è contra, ſicut qui poteſt determinare effectum cum ea connexum; quod evidenter probant argumenta quæ retuli à num. 1726, vt ex eorũ ſolutione conſtabit; ſed hęc eſt differentia inter ſcientiam divinam, & creatam, quod ſcientia divina nec cauſatur, nec menſuratur à rebus, ſed potius eas cauſat, res enim non ſciũtur à Deo, quia ſunt, ſed ſunt quia ſciuntur; ſcientia vero creata ab obiecto cauſatur, & procedit, ab eo enim, quod *res eſt*, vel *non eſt* iudicium eſt verum, vel falſum: ergo, qui poteſt impedire veritatem obiectivam conſenſus, licet non poſsit impedire ſcientiam Dei de conſenſu poteſt impedire veritatem huius iudicij creati: *Petrus conſentit*.

1784 Si autem 2. Reſp. poſſe impedire veritatem cõcluſionis, qui nequit impedire veritatem præmiſſarum, dum veritas concluſionis ſubiacet poteſtati illius; & hanc veritatem *Petrus conſentit*; ita ſe habere reſpectu voluntatis Petri prædeterminati. ¶ Manifeſte eſt principiũ petere, quia argumentum aſſumitur ad probandum, non ſubiacere veritatem concluſionis niſi potenti impedire veritatem præmiſſarum, & cum vt ſolvatur ſupponis veritatem concluſionis ſubiacere poteſtati impotentis impedire præmiſſas. Reſpõdes ſupponendo, quod argumentum evertit, & clare principium poſtulas

*Carraſco: ibi. à num. 538.*

1785 Tertio tamen communiter ſolet dici: Prędeterm. non eſſe impedibilem, nec eius influxum, ſolum probare influxum voluntatis, cum quo identificatur influxus prædeterm. non eſſe impedibilem, provt à prædeterm. à Deo, & à cauſa prima; non vero non eſſe impedibilem provt eggreditur à voluntate, vt cauſa ſecunda, quia eſt cantingẽs provt reſpicit voluntatem; ita Primarij noſtri M. Carraſco, & F. Ildephonſ. Michael, qui pro ſe citat Zum. & Alv. & hanc doctrinam cõfirmat exemplo amoris Dei in Chriſto, qui eſt neceſſarius reſpectu Dei vt in ſe, & liber reſpectu Dei, vt connexi cum creaturis: ergo non erit mirum eandem actionem reſpectu vnius principij eſſe impedibilẽ, & reſpectu alterius principij, non eſſe impedibilem.

*M. Carraſco à n. 678. F. Ild. Michael art. 8 de Volunt. dub. 1. art. 365.*

*Zum. & Alv. apud ipſum.*

1786 Sed hanc ſolutionẽ egre percipio; quid enim eſt, conſenſum provt ſubeſt prædeterm. vel decreto, vel provt à Deo, vt cauſa prima, eſſe à voluntate noſtra inimpedibilem, eſt enim prædeterm. voluntati à Deo immiſſam eſſe ipſi voluntati neceſſariam, vel aliquã formalitatem ipſius conſenſus eſſe voluntati inimpedibilem, & neceſſariã ex vi neceſsitatis prædeterminationis? Si 1. nil dicitur, quod ſit ſolutionis doctrina, explicandum enim eſt qualiter conſenſus, actio, & influxus voluntatis eſt adæquate impedibilis, ſi prædeterm. influere eſt à voluntate inimpedibile. Si 2. quod indicant, & ex exemplo quo confirmatur ſolutio colligitur, falſum omnino videtur: 1. quia extra rem eſt, in quocumque actu creato libero aſsignare formalitates realiter identificatas, vnam à me inimpedibilem, alteram à me impedibilem; vnam dominio meo ſubiectam, non alteram, licet vna ſit realiter altera; hoc enim ita difficile eſt vt in decreto libero Dei ſuperet captum noſtrũ ¶ 2 quia hæc ſolutio confundit præ-

de-

determ. cum consensu prædeterminato, illa est inimpedibilis, hic *adæquate* intrinsece impedibilis, quia hoc concretum non supponere pro forma; sed pro subsiracto iam supra explicuimus. ¶ 3. posita prædeterm. consensus, voluntas est potens non ponere omnes formalitates cõsensus; sed hoc est libere ponere omnes formalitates consensus, & nullam esse voluntati antecedenter necessariam: ergo Prob. min. Voluntatem posse ponere dissensum, seu carentiam consensus est posse non ponere omnes formalitates consensus. Tum, quia carentia consensus. est carentia omnium prædicatorum consensus, qui est realiter indivisibilis: & posse ponere carentiam cuiuscunque prædicati est posse nõ ponere id prædicatum. Tum: quia esse dissensum est non esse adæquate consensum, non pure connexive, sed essentialiter, & identice; ergo posse esse dissensum, est posse non esse omnes formalitates consensus; & formalitas consensus, quę non est, à voluntate non ponitur. Sed voluntas prædeterm. ad consensum est potens ponere dissensum, seu carentiam consensus, aliàs libera non foret; ergo. ¶ 4. Nulla formalitas intrinseca peccati permissi est voluntati antecedenter necessaria; ergo, & nulla formolitas consensus prædeterm. Antec. constat: Quia omnis formalitas, quæ subest permissioni explicat malitiam, & quod non est liberum, malum morale esse non potest. Conseq. à paritate colligitur Quia sicut est necessaria voluntati prædeterm. cum consensu connexa, est voluntati necessaria permissio connexa cum peccato. ¶ 5. Me præmit hæc consideratio: Prædeterm. cum consensu est connexa; sed ab omni prædicato intrinseco consensus realiter distincta, sicut ab ipso consensu; quodlibet vero prædicatum consensus est cum alijs ipsius consensus realiter identificatum: Si igitur stat vnum prædicatum esse inimpedibile, & esse impedibile aliud realiter identificatum, cur facilius non erit prędeterm. esse inimpedibile, & esse impedibile quodlibet prædicatum consensus cum ea connexum, sed ab ea realiter distinctũ?

*Supra à nu. 1664.*

## §. VI.

### *Argumenta intendentia, ex determinatione inevitabili consensus non esse in voluntate potestatem impediendi consensum, solvuntur.*

1787 RESp. igitur ad 1. formam adductam n. 1714. neg. min. ad eius prob. neg. mai, quia si stat potestas impediendi terminum cum impotentia impediendi connexionis fundamentum, stat potestas impediendi veritatem conclusionis cum impotentia impediendi veritatem præmissarum, quæ est fundamentum connexionis, cum veritate conclusionis; similiterque adstruximus potestatem *comparandi* terminum cum impotentia comparandi *exactum* ad terminum, ita & potentiam fatemur *impediendi* terminum cum impotentia impediendi connexum cum termino: Ad eius 1. prob. ex Arist. & D. Tho. desumptam Resp. quod hęc vox *necessarium* dupliciter sumitur, vel provt opponitur *contingenti* qualiter necesse est esse, æquivalet huic, impossibile est non esse. Vel provt opponitur *libero*, qualiter dicit non esse ex electione mea, esse, aut non esse; stat enim contingens non liberum; Aristotelis, & D. Thom. principium est, quod in bona consequentia, si est antecedens necessarium, seu non contingens, consequens non est contingens: *At, quod, si antecedens non est in nostra potestate, nec consequẽs sit in nostra potestate dialectica*

*Supra q. 4. sect. 11.*

*nunquam tradidit, ſed nec aliqua ratione potuit tradere, quia fieri optime poteſt, quod licet antecedens in mea non ſit poteſtate, ponat tamen conſequens in poteſtate mea, ſicut ſit in præſenti*: vt dixit M. Lemos; & hanc eſſe mentem Ariſt. conſtat ex verbis, quę continuo protulit ad principium id ſuadendum, ſcilicet: *Sicuti ex veris nihil vnquam niſi verum efficitur.* Quæ ratio probat, quod ſi antecedens eſt neceſſarium, ſeu non contingens in bona conſequentia, conſequens nequit eſſe cõtingens, alias antecedens poſſet eſſe verum, & conſequens falſum; quia hoc poſſet non eſſe, quia contingens, & illud non poſſet non eſſe, quia neceſſarium: ſi autem in bona conſequentia, tam antecedenes, quam conſequens ſit contingens, antecedens vero Deo liberum, & conſequens mihi liberum, nullatenus inferes, antecedens poſſe eſſe verum, & conſequens falſum, quia ex vi connexionis, quando voluntas libere falcificat conſequens, Deus libere falſificat antecedens; ſæpiuſque D. Thom. præiactum argumentum ſibi oppoſuit, & ita diſſolvit. Vnde patet ad 3. probati. Diſparitas, cur ex principijs ſimpliciter neceſſarijs inferatur concluſio ſimpliciter neceſſaria, & ex principijs mihi non liberis non inferatur concluſio mihi non libera? Quia antecedens bonæ conſequentiæ poſſet eſſe verum, & conſequens falſum, ſi eſſet antec. ſimpliciter neceſſarium, & conſeq. contingens, ex eo autem, quod antec. mihi contingens, & non liberũ; inferat conſequens mihi liberum, hoc minime colligitur, ſed ſolum libertatem falſificandi conſeq. eſſe ſubordinatam libertati ad falſificandum anteced. ¶ Ad vlt. prob. deſumptam ex eo, quod veritas conſeq. includitur in veritate præmiſſarum ſolet, Reſp. quod quando in præmiſsis affirmatur identitas extremorum cum medio, veritas concluſionis, quæ affirmat identitatem extremorum inter ſe, continetur in veritate præmiſſarum, vt in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal*: quando vero in prẹmiſsis ſolũ affirmatur connexio, & non identitas formarum cum tertio, tunc veritatem concluſionis non contineri per *identitatem* in præmiſsis, ſed ſolum illative per connexionem, vt in hoc ſyllogiſmo: *Omnis actu amãs eſt actu intelligens, Petrus eſt actu amans; ergo eſt actu intelligens.* ¶ Sed hæc ſolutio maiori eget explicatione, quia in omni ſyllogiſmo affirmativo ex identitate extremitatum cum tertio infertur identitas extremitatum inter ſe, quia nulla propoſitio affirmativa eſt vera, niſi prædicatum identificetur cum ſubiecto, vt in ſyllogiſmo adduto illa maior, *Omnis actu amans eſt actu intelligens*, ſignificat identitatem prædicati cum ſubiecto, non enim enuntiat amorẽ eſſe intellectionem, ſed ſubiectum amoris eſſe ſubiectum intellectionis. ¶ Facilius ergo reſp. quod quando concluſio contingens infertur ex duplici præmiſſa, vna neceſſaria, & altera contingente tunc veritas concluſionis includit aliquid, quod non continetur identice in præmiſsis, ſed tantum virtualiter illative, aut connexive: Ratio, quia illa extremitas, quæ erat in propoſitione neceſſaria cum medio non affirmatur, vt *exercite* contingenter exiſtens, cuius exercita exiſtentia formaliter includitur in veritate concluſionis, vt conſtat in ſyllogiſmo nobis obiecto, in quo illa maior, quæ eſt neceſſaria, *omnis prædeterminatus ad conſenſum conſentit*, non exigit ad ſui veritatem, nec exiſtentiam contingentem prædeterm. nec exiſtentiam contingentem conſenſus, quia æquivalet propoſitioni conditionali, in minori vero

*Lemos tom. 1. tract. 3. fol. 144.*

*D. Thmo. 1. part. q. 14. art. 13. & 1. contrag. cap. 85. rat. 6.*

*P. Palanco q. 17. num. 20.*

vero *Petrus est prædeterm.* affirmatur existentia exercita contingens prædeterm. in conclusione *Petrus consentit*, affirmatur existentia exercita contingens consensus, quæ existentia non continetur identice in præmissis, non quidem in maiori, quæ non exigit existentiam contingentem, nec prædetermin. nec consensus; non in minori, in qua solum includitur existentia prædeterm. quę realiter distinguitur ab existentia consensus; vnde existentia consensus, quę infertur pro conclusione in nulla ex præmissis est *identice*, sed tantum *illative*, exindeque possum impedire veritatem conclusionis cum impotentia impediendi veritatem præmissarum.

1788 Ad syllogismum ex P. Anton. Perez desumptum Resp esse fallacem: instatur enim manifeste, si Ly *inevitabile* mutetur in Ly *involuntarium*, hac forma: *Omnis homo prædeterm. ad consensum consentit, & hoc est* involuntarium *Petro*, *sed Petrus est prædeterm. ad consensum, & hoc est* involuntarium *Petro: ergo Petrus consentit, & hoc est* involuntarium *Petro*. Præmissæ sunt apud omnes veræ, & consequens apud omnes falsum, quia licet Deus prędeterminaret consensum, consensus involuntarius non esset; sed liber à coactione apud omnes existeret. ¶ Radicem fallacię explicuit Primarius Salmantinus, quia illa maior syllogismi, *Omnis homo prædeterm. ad consensum consentit, & hoc est inevitabile*, potest habere duplicem sensum, nam vel Ly *inevitabile* cadit supra consensum, ita vt propositio faciat hunc sensum: Omnis homo prædeterm. ad consensum, consentit *consensu* illi inevitabili, & tunc syllogismus est rectus; sed illa maior est falsa, quia in prædeterminato consensus est evitabilis; vel Ly *inevitabile* cadit supra veritatem propositionis, ita vt faciat hunc sensum: veritas huius propositionis: omnis prædeterminatus ad consensum consentit à nullo est evitabilis, & tunc propositio maior est vera, sed syllogismus ineptus, cuius fallacia multipliciter constat, quia terminus *inevitabile* sæpius repetitus, nunquam eidem subiecto applicatur, sed semper diversæ propositioni, nec additum, quod potest affirmari de præmissis, potest similiter conclusioni applicari, vt in exemplo adducto, cui facile alia adijcies, clare constat. Præiactus igitur syllogismus, si est rectus, maior est falsa. Si maior est vera, fallax est.

*M Bolibar de Provid. §. vlt.*

1789 Ad id, quo argumentum vrgetur num. 1716. Respond. concessa mai. neg. min ad eius probationem, dist. mai. Non potest facere, quod conclusio ex præmissis illata sit falsa, qui non potest facere, quod aliqua ex præmissis defficiat, non potest facere absque alio impediente veritatem præmissarum, conced. cum alio impediente, seu faciẽte, quod aliqua ex præmissis deffi-ciat, negat. *indigentia* enim adiutorio alterius ad falsificandam conclusionem non est *impotentia* ad falsificandum, sed *dependentia*, verum enim posse est, licet subordinatum, & dependens ad falsificandam conclusionem, quod *alterius ope indiget* ad falsificandum, quod enim falcitas conclusionis sit connexa cum falsitate alicuius ex prę̃misis, probat non posse esse falsam conclusionem, quin sit falsa præmissa, non tamen probat potentiam falsificandi conclusionem esse potentiam falsificandi præmissam, quia *libertas impediendi terminum alicuius connexionis*, non est libertas impediendi eiusdem connexionis fundamentũ *Sect. 4.*

1790 Ad confirm. ex n. 1717. Respond. dist. mai. Conclusio, quæ infertur ex prę̃misis veris, & *necessaris* non potest non esse vera, concedo mai, ex præmissis veris & con-

*contingentibus*, negat. Quia licet illatio ſit neceſſaria, & *conſequentiæ* neceſsitatem inducat, ſi præmiſſæ ſunt contingenter veræ, *conſequens* eſt contingens. Non ergo poteſt voluntas facere, quod non ſit *illatio*, ſed poteſt facere, quod non ſit *illatum*; & quod concluſio ſit falſa non *impediendo* veritatem prȩmiſſarum, ſed *impedita*. Sicut enim falſitas concluſionis conſequentiȩ neceſſariæ mutuæ exigit falſitatem prȩmiſſarum, veritas concluſionis exigit veritatem præmiſſarum: Si igitur ſtat determinare veritatem concluſionis *poſita* non *ponendo* veritatem prȩmiſſarum, ſtabit determinare falſitatem concluſionis *poſita* falſitate, ſeu *impedita* veritate, non *ponendo* falſitatem, aut *impediendo* veritatem prȩmiſſarum.

1791 Ad argumentum, quod demonſtrationem vocavit Tyrſo, varias ſolutiones traddit Ferre, quas redarguit ipſe Rev. Tyrſo, & eas ſi. militer impugnat Mag. Carraſco, illis tamen omiſsis ſuponno, quod pro nunc diſputandum non eſt, prȩdeterm. & habere influxum prȩviũ in voluntatem, vt conſentiat, qui influxus nihil aliud eſt realiter, quã ipſa prȩdeterm & habere influxum in conſenſum, quatenus voluntas prædetermin. in conſenſum influit, qui influxus eſt realiter ipſe conſenſus, nam voluntas prædeterm. non influit in conſenſum medio influxu, ſeu actione realiter diſtincta à conſenſu ipſo, vnde eadem actio eſt voluntatis, & prædeterm. quatenus actio eſt realiter indiviſibilis voluntatis præd. His ſuppoſitis diſt. mai. præd. actu influere in actionem amandi eſt actionẽ amandi, exiſtere à parte rei prȩdeterm. influere influxu prȩvio in voluntatem, vt amet, neg. mai. influxu voluntatis prædeterm. in actionem, conced. mai. & diſt. min. Voluntas prædeterm. nullam habet poteſtatem ad faciendum ne prædeterm. influat influxu prævio in voluntatem, conced. influxu ipſius voluntatis prædeterm. neg. & neg. conſeq. Primus enim influxus, cum ſit realiter prȩdeterm. eſt impedibilis à voluntate, ſicut ipſa: 2. autem influxus, cum ſit actio amandi, eſt impedibilis à voluntate, ſicut & ipſa actio. Ad prob. min. reſp. non eſſe actionem amandi ex prædeterm. non poſſe impediri à voluntate, impediendo exiſtentiam prædeterm. vel prædeterm. exiſtenti influxum, ſed quod ad ipſam ſequatur actio, ſed poſſe impediri impedito influxu prȩvio prædeterm. quia poſſe impedire effectum, dum ex parte termini exigit eſſe impeditam cauſam, non eſt poſſe impedire cauſæ exiſtentiam, vel connexionem, ſed poſſe impedire, impedita cauſa; vt enim ſtabilivimus, vt principium notum, quod eſt *impoſsibilitas conſequens, vt actio amandi defficiat, eſt antecedenter impoſsibile, quod cum deffectu actionis coniungatur.* Quod ergo ſit antecedenter impoſſibile voluntati, coniungere deffectum actionis amandi cum ipſa prædeterm. ſolum probat eſſe neceſsitatem conſequentem actionis, & impoſsibilitatem conſequentem deffectus actionis. ¶ Ad id, quod alijs terminis vrgetur; eodem modo reſp. neg. antec. & ad eius prob. neg. maior. ad cuius probationem Reſpond. quod impedire influxum paſsivum prædeterm. *non impedita* pro priori prædeterm. eſſet, vel facere, ne exiſteret prædeterm. vel ne ad ipſam exiſtentem ſequeretur actio; poſſe vero impedire influxum paſsivum prædererm. impedita *pro priori* prædeterm. nec eſt poſſe facere; ne exiſtat prædeterm. vel ne ad ipſam exiſtentem ſequatur actio; & hoc ſolum modo poteſt voluntas prædeterm. impedire influxum paſſivum prædeterm. ſeu actionem ſibi liberam; ita quod, vt exiſtat termi-

*Ferre tom. 2. in 1. 2. in fin. Tyrſo to. 4. diſp. 7. ſect. 22. Carraſco de Vol. dub. 6.*

*Quæſt. 7. ſect. 3. n. 44*

nus

tus huius potestatis sit *pro priori* impedita prædeterm.

§. VII.

*Alia Argumenta ad idem assumptum solvuntur.*

1792 AD argumenta pro, posita num. 1719. Respond. ad primum dist. mai. Tanta necessitate, quanta quis necessitatus est ad impedimentum dissensus necessitatus est ad non dissentiendũ, si sit necessitatus ad impedimentum directe, & immediate dissensus, conced. mai ad impedimentum indirecte, & mediate dissensus, neg. mai. & tale impedimentum est prædeterm. In tantum enim impedit dissensum, in quantum infert consensum, non reddit tamen necessariũ consensum, quia potentiam dissentiendi non minuit: *Deus enim* per ipsam *ita velle donat, vt à perseveraturis potestatem, qua possunt nolle non auferat.* Nec impeditur potentia dissentiendi per hoc, quod voluntas applicetur ad consensum, & hoc solum impedimentum dissensus necessitaret ad consentiendum, seu non dissentiendum.

1793 Ad 2. Rospondebimus solutione ad vltimum num. 1790. vbi exponimus, qualiter voluntas nostra possit vitare, aut ponere *coexistentiam* prædeterm. cũ consensu.

1794 Ad 3. ex num. 1721. Resp. conced. antec. Quia verum est voluntatem necessitari ad hoc aggregatum: *Existit determinatio ad consensum, & non existit sine consensu*, propter probationem ibi inductam, & neg. consequentiam, scilicet voluntatem prædeterm. esse necessitatam ad hoc aggregatum: *Existit determinatio ad consensum cum consensu*; & dum instas: idem esse determinationem existere, & non existere sine consensu, ac existere cum consensu: Resp. idem esse *illative*, seu *connexive*, non vero esse idem realiter, & formaliter. ¶ Explico hoc adducendo aliam formam quę nobis opponi solet: dum est necessaria veritas conditionalis, & mihi est necessaria, & inevitabilis existentia conditionis, est mihi inevitabilis existentia conditionati, hæc conditionalis est necessaria: *Si existit determinatio, existit consensus.* Quæ erat secunda pars aggregati, scilicet: *Determinatio non existit sine consensu*, aliàs est nobis necessaria existentia conditionis, quæ est existentia determinationis, & erat prima pars aggregati, *existit determinatio*: ergo erit nobis necessaria existentia conditionati, scilicet existentia consensus, quæ est illud aggregatum: *Existit determinatio ad consensum cum consensu.* ¶ Negamus, quidem mai. quia stat esse nobis inevitabilem conditionalem, & conditionem, & esse nobis evitabile, & liberum conditionatum; si tamen instes idem esse, esse veram conditionalem, & existere conditionem, ac existere conditionatum, quia cum conditio nequeat existere sine conditionato, conditionem existere, erit existere cum conditionato, quia existere *A.* & non existere sine *B.* est existere cum *B.* ¶ Resp. quidem, existere conditionalem, & existere conditionem, esse *illative* existere conditionatum, quia ex conditionali, & existentia conditionis per rectam consequentiam deducitur, non vero esse idem *formaliter*, quia existentia conditionati est realiter distincta ab existentia necessaria conditionalis, & existentia conditionis. ¶ Cum igitur in illo primo aggregato: *existit determinatio ād consensum, & non existit sine consensu*; solum affirmetur existentia absoluta conditionis, scilicet, *existit determinatio*, & existentia conditionalis consensus,

ſcilicet, *ſi exiſtit determinatio exiſtit conſenſus*, quia hęc eſt neceſsitas nõ exiſtendi determinationem ſine cõſenſu; nullatenus affirmatur exiſtentia abſoluta conſenſus, in ſecundo vero aggregato, *exiſtit determinatio ad conſenſum cum conſenſu*, non ſolum affirmatur exiſtentia conditionis, ſeu determinationis, ſed etiã exiſtentia abſoluta conditionati, ſeu conſenſus; cum vero exiſtentia conſenſus ſit realiter diſtincta ab exiſtẽtia determinationis ad ipſum, primum aggregatum erit realiter diſtinctum à ſecundo, licet ſit cum illo connexum: Nobis ergo erit liberũ ſecundum aggregatum affirmans cõſenſum, non primum conſenſum non affirmans, ſed determinationẽ Dei, & connexionem eius cum conſenſu. ¶ Inſtoque haud ineſficaciter argument. in ſententia oppoſita. Deus nequit determinare hoc aggregatum: *Exiſtit peccatum, & ſi exiſteret auxillium A. non exiſteret peccatum*: non enim primam partem determinare poſſet, aliàs poſſet determinare exiſtentiam peccati, nec ſecundam; quia eſt obiectum ſcientiæ mediæ Deo non liberum, ergo nequit Deus determinare; *exiſtit auxilium A.* & exiſtentia auxilij non eſſet Deo libera. Prob. conſeq. Quia idem eſt auxilium *A.* non poſſe exiſtere cũ peccato, & exiſtere peccatum, ac non exiſtere auxilium *A.* Vide num. 116.

1795 Ad 4. ex nu. 1722. Reſp. diſting. min. *eſt neceſsitatus, vt non defficiat ea determinatio*: quia nõ eſt ei *liberum* non defficere, conc. quia non ſit ei *contingens* non defficere. Neg. iam enim alibi diximus, quod vt ex veritate neceſſaria disiunctivæ inferatur veritas neceſſaria vnius partis ex ſuppoſitione falſitatis alterius eſt neceſſe, quod ſuppoſitio falſitatis alterius ſit neceſſaria, ſi enim vna pars eſt contingenter falſa, licet disiunctiva neceſſaria ſit altera pars eſt contingenter vera: Neceſſaria ergo eſt illa disiunctiva, *vel defficit determinatio, vel exiſtit cum conſenſu* ex ſuppoſitione autem contingenti falſitatis primæ partis, in ſecunda ſolum infertur contingens veritas.

1796 Ad 5. ex num. 1723. neg. antec. quia voluntas libere coniungit, & poteſt non coniungere conſenſum cum prædeterm. & ad eius probationem neg. illam mai. *Non coniungere vnum cum alio eſt ſeparare vnum ab alio* in qua ſæpius hæret Tyrſo, ſed ſuperius demonſtravi eſſe falſam, quia *coniungere* vnum cum alio, ſtat per vtriuſque deffectum cũ *ſeparare* vnum ab alio conſtituatur per exiſtere vnum ſine alio.

1797 Ad 6. diſting. antec. voluntatem cum prædeterm. conſenſus non conſentire eſt impoſsibile antecedenter neg. conſequenter conced. & eodem modo diſting. conſequens conſentire eſt neceſſarium conſequẽter, conced. antecedenter neg. quia quomodo vnum contradictorium eſt impoſsibile, alterum eſt neceſſarium; & neceſsitas conſequens libertati nõ præiudicat. ¶ Ad id, quod vrgetur alijs terminis: Reſpond. diſting. illã mai. qui neceſsitatur ad vnum extremum incompoſsibile *directe*, & *immediate* cum alio, non caret libere alio; conced. mai. & ideo, qui neceſsitatur ad amorem non caret libere odio, ſi neceſsitatur ad extremum incompoſsibile *indirecte*, & *mediate*, neg. mai. & neceſsitatus ad prædeterm. tantum ceceſsitatur ad formam *indirecte*, & *mediate* incomponibilem cum diſſenſu.

1798 Ad vltimum obiectum n. 1725. quod exigit, vt exponamus, qualiter voluntas poſsit *ponere, aut impedire coexiſtentiam* conſenſus cum prædeterm. vt plane ſatisfaciam duo præmoneo; 1. quod qui defficit vnum extremum coexiſtentię, dicitur abſolute efficiens *coexiſtentiam*; licet ſolũ ſit inadæquata cauſa illius.

Ratio

Ratio: quia non est alter modus efficiendi *coexistentiam*, nisi efficiendo extrema, quæ coexistunt 2. non sufficere ad *impediendam* coexistentiam, seu ad efficiendam carentiam coexistentiæ impedire alicuius extremi existentiam, ratio, quia impediens vnius extremi existentiã potest necessario supponere impeditã alterius extremi existentiam: vnde, & coexistentiam duorum; sed non dicitur verè per suam activitatẽ aliquid impediens, qui illud necessario supponit impeditũ, sicut non dicitur voluntas impediens coexistentiam consensus cum chymera, quia eam necessario supponit impeditam per repugnantiam chymeræ: ergo. ¶ Evidens enim est disparitas inter primum, & secundum suppositum, ex hoc noto principio: *Vt duo coexistant debent illa duo existere; vt duo non coexistant sufficit, quod vnum ex illis duobus nõ existat.* Qui igitur vnum efficit, licet, aliud supponat, non supponit coexistentiam, & illam efficere potest; & ideo voluntas consentiens efficit coexistentiam consensus cum Deo, quia licet supponat Deum, non supponit coexistentiam sui consensus cum illo; qui autem vnum extremum impedit, si aliud necessario impeditũ supponit, iam supponit coexistentiam impeditam per alterius extremi deffectum; vnde non dicitur proprie impediens, nisi ad summum quoad sufficientiam conditionatam, hoc est, quod impediret eo existentiam per deffectum vnius extremi, si ipsam non supponeret impeditam per alterius extremi deffectum; & ideo impediens consensum, non est impediens coexistentiam cõsensus cum chymera. Ex hoc principio; Respond. coexistentiam consensus cum prędeterm. esse voluntati liberam, & eam voluntatem libere ponere: Ratio: quia voluntas consentiendo ponit hanc coexistentiam antea non positam; ergo libere eam ponit sicut libere consentit; carentia autem coexistentiæ non est voluntati libera, nec voluntas est proprie impediens coexistentiam impediendo consensum, quia dum voluntas est impediens consensum, est propriori à Deo impedita prædeterm. sed per deffectum prædeterm. impeditur coexistentia prædeterm. cum consensu, quia per deffectum vnius extremi impeditur coexistentia duorum: ergo voluntas libere impediẽs consensum, nõ est libere impediens coexistentiam, quam liberè poneret, ponendo consensum; vnde ad argumentum, neg. antec. ad eius prob. neg. conseq & dum instat, *quod implicat vnum contradictorium esse liberum, si alterum est necessarium*: vnde si est voluntati necessaria *carentia* coexistentiæ, coexistentia nequit esse ei libera. ¶ Respond. illud principium esse verum in contradictorijs *in complexis*, esse tamen falsum in contradictorijs *complexis*, in his enim solum exigitur, quod idem extremũ inadæquatum, quod libere pono, possim non ponere; quin ex inde possim impedire *complexum*, quod possum ponere; quia libere ponendo extremum inadęquatum complexi, alio exrremo mihi non libero posito, pono complexum non positum; libere tamen impediendo ipsũ extremum meæ libertatis, alio mihi non libero iam impedito, non impedio complexum, quia iam impeditum, impedire non possum.

## §. VIII.

### *Solvuntur Argumenta, quæ intendunt ex potestate impediendi consensum potestatem impediendi determ. ad ipsum.*

1799 AD argumenta, quę Adversarij opponunt à num. 1726. inferendo à contradictorio consequentis ex *potentia impediendi terminum, potentiã im-*

*pediendi eius determinationem*, quibus etiam vtuntur ad colligendum ex potentia impediendi conſenſum, potentiam impediendi ſcientiam Divinam conſenſus, prædiſinitionem efficacem conſelus, & ex poteſtate in Chriſto adimpediendam acceptionem mortis præceptæ, potentiam ad impediendã exiſtentiam, aut obligationẽ voluntatis divinæ prçceptivę, facile, & breviter reſpondetur neg. minorem ad cuius probation. neg. etiam minorem: ad eius prob. neg. illam mai. qui poteſt impedire libere exiſtentiam conſenſus, poteſt impedire libere coexiſtentiam conſenſus cum determinatione illius, quæ licet; vt per ſe nota tradatur, eſt apertè falſa, ſi ſupponitur determinatio impedita pro priori ad impeditionem conſenſus, quia vt iam diximus non impedit coexiſtentiam duorum, qui vnum impedit, altero pro priori impedito: Pro quo nota, quod impediens cauſam eſt impediens effectum, quia cauſa infert effectum à priori; ponens effectum, non ponit cauſam: quia effectus tantum infert cauſam à poſteriori, ita impediens cauſam eſt impediens effectum: impediens effectum non eſt impediens cauſam. Deus igitur ponens, aut impediens determinationem conſenſus, ponit, aut impedit conſenſum, ſicut vero voluntas ponens conſenſum, non ponit determinationem, licet bene arguatur, *exiſtit conſenſus: ergo exiſtit determinatio*; quia eſt conſequentia à poſteriori; & ſupponit determinationem pro priori poſitam, ita voluntas impediens conſenſum, non eſt impediens determinationem, licet bene arguatur; *non exiſtit conſenſus*; *ergo non exiſtit determinatio*; quia eſt conſequentia à poſteriori, & ſupponit determinationem pro priori impeditã.

1800 Ad 2. obiectum num. 1727. Reſp. eſſe falſum hoc principium, eſſe nobis liberum, & evitabile, *quod exiſtit, ſi volo, & non exiſtit, ſi nolim*, quia vt aliquid ſit nobis liberum, non ſufficit, quod exiſtat, *ſi* vellimus, ſed eſt neceſſe, quod exiſtat, *quia* volumus; ſi enim non exiſtit, *quia* volumus, ſed potius volumus, quia exiſtit, non eſt liberum nobis exiſtere, vt enim Aug. dixit: *Quia vocatio eſt cauſa bonæ voluntatis, & non bona voluntas vocationis, Deo vocanti recte tribuitur, quod bene volumus, nobis tamen tribui non poteſt, quod vocamur*; Ex eo ergo, quod dum determinamur volumus, & ſi non determinamur, nolumus; ſi determinatio eſt cauſa bonæ voluntatis, nobis non tribuitur, quod determinemur, licet Deo determinanti tribuatur, quod velimus. ¶ Vnde ad confirm. facilis eſt ſolutio, quia ponere conſenſum, eſt ponere aliquid connexum à *poſteriori* cum determinatione; vnde non eſt ponere determinationem: non conſentire eſt tollere aliquid requiſitum, vt effectum determinationis, vnde non eſt tollere determinationem; ſed ſicut conſentire eſt eã ſupponere poſitam, non conſentire eſt eam ſupponere impeditam.

1801 Ad vltimum Reſpond. neg. antec. & min. quoad ſecundam partem, quia ſicut voluntas ponit conſenſum poſita prædetermin. quã non ponit poteſt ponere diſſenſum ſimul cum negatione prędetermin. quam non ponit; quę *ſimultas* eſt ei poſsibills, non *adæquate*, quia in eius poteſtate non eſt determinationis negatio, ſed *inadæquate*, quia in eius poteſtate eſt diſſenſus à determinatione diviſus, & cum negatione prædeterm. compoſitus. Idem igitur quod ſcripſimus de *coexiſtentia* conſenſus cum prædeterminatione, ex Illuſt. Godoy; dicendum eſt de *ſimultate* conſenſus cum ipſa, quid enim aliud eſt duorum *ſimultas*, quã duorum *coexiſtentia*. Idemque ſimiliter eſt aſſerendum de *ſimultate*, aut

Godoy diſp. 62. ſect. 6. de Prædeſt.

aut *coexistentia* dissensus cum negatione prædetermin. consensus; hoc enim tantum est variare terminos non adijcere novam difficultatem. Hanc igitur *simultatem* potest voluntas efficere per dissensum non potest eam impedire per negationem dissensus, quia dum voluntas non dissentit, supponit impeditam à Deo negationem prædeterm. consensus.

¶ Duo alia argumenta forte desiderabis dissoluta: vnum ex conceptu necessitatis antecedentis depromptum, quatenus egrè ex Sancto Anselmo, & iuxta veritatem explicetur qualiter prædeterminationis non sit proprius: aliud ex iustitia correptionis comparativæ nõ consentientis imprædeterminati respectu consentientis prædeterminati; sed hæc in tractatu de Concordia Libertatis cum scientia Deo libera futurorum contingentium conditionatorum, qui aspirante Deo publicã videbit lucem, diffusè discutienda reliquimus.

## ADDITIO.

1802 ARgumentum superius obiectũ ex illo sylogismo: *Omnis prædeterminatus ad consensum consentit: Petrus est prædeterminatus ad consensum: ergo consentit*; firmare, & instaurare conantur Recentiores oppugnando solutionem superius adductam. Et 1. opponunt P. Ramirez, & Doctor Prado: quia sequeretur veritatem consequentis non contineri *identice* in veritate præmissarum in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal; Petrus est actualiter homo: ergo est actualiter animal*: quia sicut ad veritatem maioris primi syllogismi non exigitur existentia exercita contingens *consensus*, quę affirmatur in consequenti; ita in hoc syllogismo ad veritatem mai. non exigitur existentia exercita *animalis*, quæ affirmatur in consequenti. ¶ 2. Opponit Ramirez, quia male arguo ex eo, quod veritas conseq. *Petrus consentit*: non sit in veritate præmissarum *seorsim*, quod non sit in veritate præmissarum *coniunctim*: Ratio: Veritas consequentis potest stare *connexive* in veritate præmissarum *coniunctim*; licet non sit *connexive* in illis *seorsim*: Ergo pariter poterit *identice* esse in veritate præmissarum cõiunctim, licet non *seorsim*. ¶ Quod ita vrget Doct. Prado: non minus repugnat, quod in veritate necessaria *includatur* veritas contingens; quam quod ex veritate necessaria *inferatur* veritas contingens, sed ex veritate mai. necessaria *infertur* veritas contingens consequentis, adiuncta veritate contingenti minoris ergo similiter in veritate necessaria mai. *includitur* veritas contingens consequentis. ¶ Opp. 3. quia si prædicatum illius conseq. *Petrus consentit*. Non affirmatur in aliqua ex præmisis; Syllogismus non erit rectus, cum in illo reperiantur quatuor termini: terminus enim cõclusionis, qui non sit in aliqua ex præmissis; vnde inquiro de prædicato illius mai. *Omnis prædeterm. ad cõsensum, consentit*: Vel enim est *exercita existentia* consensus, vel consensus *existens posibiliter, aut conditionate*? Si 1. veritas conseq. includitur in veritate maioris: Si 2. sunt quatuor termini, quia prædicatum conseq. non est ea extremitas quæ assumitur, vt prędicatum maioris. ¶ Opp. 4. In hac vniversali revelata: *Omnis rite electus est Summus Pontifex*: continetur, & includitur hæc veritas *SS. D. Noster Clemens XI.* (quem Deus in columem servet ad suæ Ecclesiæ Regimen) *est Summus Pontifex*: supposita veritate ritæ *electionis* ipsius SS. D. N. in Petri Vicarium, & successorẽ: Aliàs non esset immediate de Fide hæc particularis, si non esset inclusa in

*Supra num.* 1714.

*Supra num.* 1787.

*P. Ramirez disp. 5. de Prædest. c. 2. à n. 97.*

*Doct. Prad. de Lib. arb. disp. 11. s. 3. à num. 55.*

*Prado*, ibi: *num.* 59.

in revelatione illa vniverſali: quod eſt contra communem Thomiſt. ſententiam, quam in materia de Fide è ſuggeſtu dictata ſequuti ſumus: Ergo pariter in illa vniverſali neceſſaria: *Omnis prædeterm. ad conſenſum, conſentit*; poteſt includi hæc particularis *Petrus conſentit*: ſuppoſita veritate *prædeterm.* in Petro. ¶ Opp. 5. veritas conſeq *Petrum exercite conſentire* infertur in vi duplicis præmiſſæ aſſirmativæ: Ergo vel in illis affirmatur *connexio* alicuius medij cum conſenſu exercito, vel non? Si 1. Contra: quia talis *connexio* non affirmatur, nec vt *medium*, nec vt *extremitas*, ergo nullo modo:: Non vt *medium*: quia talis connexio non affirmatur in minori: non vt *extremitas*; quia talis connexio non affirmatur in conſequenti: & iuxta Dialecticæ Regulas *medium* debet eſſe in minori, & *extremitas* in concluſione: Si 2. ergo ille Syllogiſmus non convincit exiſtentiam *conſenſus* per medium *connexionis*, ſed ex in *identitatis* extremitatum cum medio, ad identitatem illarum inter ſe: Patet conſeq. quia non ſtat concludere exiſtentiam termini, ſeu *conſenſus* per medium *connexionis*, ſi hæc connexio nullatenus affirmatur in præmiſſis.

Vnde ita formatur argumẽtum: Implicatoria eſt poteſtas impediendi *identitatem* extremitatum *inter ſe*: in eo, qui non habet poteſtatem impediendi *identitatem* ipſarum in *medio*: quia realiter loquẽdo, vna identitas eſt altera; Sed Petrus prædeterm. ad conſenſum non poteſt impedire identitatem extremitatumSyllogiſmi propoſiti *in medio*: aliàs poſſet impedire veritatem mai. vel min. Ergo nec poteſt impedire *identitatem* extremitatum inter ſe, quę *identitas* eſt ipſa veritas conſequentis.

1803 Quamvis argumenta ſuperiora numero, ac difficultate negotium faceſſant: Cœterum tanti non ſunt vt ea propter veriorem, & communiorem ſolutionem cogar deſſerere: Et 1. vt omnino certum habeo apud Ariſtotelem, & Div. Thom. dum aſſerunt; *ex principijs neceſſarijs non ſequitur concluſio, niſi neceſſaria*: loqui de principijs neceſſarijs *abſolute*: non de principijs revera *contingentibus*, licet nõ liberis: hoc enim conſtat ex ipſo D. Sancto exponente Ariſtotelem: 1. dum ait D. Thom. *Si igitur eſt demonſtrativa ſcientia ex neceſſarijs eſt principijs. Quod enim ſcitur, non poteſt ſe habere aliter*: Ergo neceſſarium opponit contingenti, quod poteſt ſe habere aliter. ¶ 2. Quia Philoſophus ſupponit, quod *cum concluſio neceſſaria eſt, nihil prohibet medium non neceſſarium eſſe, per quod fuit probata. Fieri namque poteſt, vt neceſſarium ex nõ neceſſarijs etiam concludatur, etiam perinde, atque fit, vt verum concludatur ex falſis*: Et tamen aſſerit, quod concluſio neceſſaria non poteſt ſciri ex principijs non neceſſarijs: *Hoc enim contingit non eſſe*: Ergo intelligit per principium non neceſſarium, quod contingit non eſſe; & exinde per neceſſarium, quod non eſt contingens: Vnde dixit D. Thom. *Medium, cum ſit contingens contingit removeri; concluſionem autem removeri, non contingit, cum ſit neceſſaria, relinquitur: ergo, quod non poteſt ſciri concluſio neceſſaria per medium contingens*: Non ergo intentum Philoſophi, & Doct. Sancti: Ad argumentum conducit, quia minor illius Syllogiſmi: *Petrus eſt prædeterm. ad conſenſum*: Non eſt neceſſaria Petro, ſed *contingens*, quia *poteſt ſe habere aliter, & contingit removeri*: Et exinde non eſt cur concluſio non ſit contingens: Quod dicimus eſt, min. eſt contingens Petro, ſed non libera conſeq.

*Phil. lib. 1. poſter.*

*D. Thom. 1. p. rt. q. 14. art. 13.*

*D. Thom. ſup. lib. poſt. lect. 13.*

*Philoſo. ibi.*

*D. Tho. ibi.*

eſt

est contingens Petro, & liberum: Ergo adhuc est necesse quærere in Philosoph. non illam regulam: *Si principium est necessarium, conclusio est necessaria*: Sed hanc: *Si principium est contingens, & non liberum Petro*: *Conseq. est contingens, & non liberum Petro.*

1804 2. Assero Philosoph. asserere *cum medium est necessarium, conclusio quoque necessaria est, quemadmodum, & ex veris infertur semper conclusio vera*: non solum adduci in exemplum, & similitudinem sed etiam in probationem: Qui enim teneret in bona forma præmissas necessarias producere consequens contingens, vt contra Peripateticos sustinet Illust. Caramuel: Et probat plurimis exemplis; sic discurrit.

*Caramuel in Hercule Logico pag. 69. n. 1423*

Omnis Dialecticus est doctus;
Omnis Dialecticus est homo;
Ergo aliquis homo est doctus:
Omnis qui peccat libere operatur:
Omnis qui peccat, est intellectivus:
Ergo aliquis intellectivus libere operatur.

Vterque Syllogismus est in *Darapti*, & in vtroque præmissæ necessariæ vi rectæ illationis producunt consequens contingens: (deffectus desumitur ex indirecta prædicatione subiecti de accidentibus; vnde minores sunt necessariæ, & equivalent contingentibus: Conclusiones sunt contingentes, & equivalent necessarijs: Vnde si minores convertantur per accidens, & conclusiones convertantur simpliciter; minores sunt contingentes; & conclusiones necessariæ: Et sola facta conversione minorum Syllogismi sunt in *Darij*; & ex min. contingentibus inferuntur conclusiones cõtingentes.) Nequit tamen convinci Aristotelis principium nisi ex illo, *Ex vero semper verum*: Ergo ex antec. necessario vero nequit concludi consequẽs contingenter verum: quia si *contingat removeri, seu non esse*: Ex vero sequeretur falsum: Non ergo illud Arist. *Quemadmodum, & ex veris infertur semper conclusio vera*: Fuit solum exemplũ, sed etiam probatio.

1805 Deveniamus iam ad solutiones: Ad 1. est facilis solutio, quia in illo syllogismo *Omnis homo est animal, &c.* exercita existentia *animalis* continetur identice, non in maiori necessaria, quæ eam non exigit: Sed in illa min. *Petrus est actualiter homo*: quia exercita existentia *hominis*, est identice exercita existentia *animalis*: in nostro vero syllogismo: exercita existentia contingens consensus non est identice in maiori necessaria: nec in illa min. *Petrus est prædet. ad consensum*: quia exercita existentia prædet. non est *identice*, sed *connexive* existentia consensus. ¶ Ad 2. Resp. ex supradictis: quod cõnexio potest esse in præmissis *coniunctim*, quæ non sit in illis *seorsim*, & ex premissa necessaria simul cum contingenti infertur conclusio contingens, quia conclusio sequitur debiliorem partem; sed *inclusio* est essentialis iudicio, & iudicia coniungi est affirmationes iudiciorum vniri, non variari: Et non debet confundi, quod ex iudicio infertur, cum eo, quod per iudicium affirmatur. ¶ Ad 3. Syllogismum esse rectum, nec esse in illo quatuor terminos; nec esse in conclusione terminum, qui non reperiatur in aliqua ex præmissis: quia *exercita* existentia consensus, quæ est in conclusione est maior extremitas; sed in maiori existentia exercita sumitur *signate*, & *quidditative* ad verificandum propositionem necessariam: in conclusione existentia exercita consensus sumitur *exercite*, & *actualiter*: ad verificandam propositionem contingentem, quod nec est terminos multiplicari, nec esse in conclusione terminum, qui

*Supra num. 1778.*

non

non sit in præmissis: aliàs conclusio contingens non posset recte concludi ex præmissa necessaria simul cum contingente. ¶ Ad 4. omnes Resp. debent: quia ad assentiendum consequenti *Petrus consentit*, movent præmissa maior vniversalis, & min. affirmans *Petrum prædetermin.* ad assentiendum vero huic veritati: *Clemens XI. est Summus Pontifex*: per fidem non movet notitia ritæ electionis, sed revelatio illa vniversalis: Ratio, quia assensus esset Theologicus; non fidei immediate: sicut est Theologicus hic assensus *Christus est visibilis*:: Ergo aliter se habet existentia ritæ electionis ad Pontificatum; ac existentia prædeterm. ad consensum: Vnde dicimus assensum fidei non haberi per discursum, sed solum moveri à revelatione vniversali; notitię autem prævie exactæ revelationem applicant, sed non cum revelatione movent: Sicut hic assensus *Petrus resurget*, est immediate de fide ex vi illius revelationis, *Omnes homines resurgent*: quin hoc iudicium *Petrus est homo*: sit motivum assensus sed applicatio revelationis vnice moventis: in nostro autem casu existentia consensus habetur per discursum; vnde vtraque præmissa movet ad assensum.

1806 Ad 5. Resp in illis præmissis affirmari *connexionem* prædeterm. cum consensu exercito; quatenus in maiori affirmatur *identitas* maioris extremitatis cum medio: affirmare enim *identitatem* consentientis cum prædeterminato est affirmare *connexionem* prędeter. cum consensu: Pro quo notandum est in hoc syllogismo *medium* predicari *denominative*, & non *per se* de minori extremitate; & maiorem extremitatem prædicari *denominative* & non *per se* de medio: quia Ly *prædeterminatus*; quod est medium prædicatur *denominative* de Petro; Et *consentiens*, seu maior extremitas prædicatur *denominative* de *prædeterminato*: Et in extremis denominativis (si propositio est necessaria) *identitas* prædicati cum subiecto, nihil aliud est nisi *connexio* formę subiecti cum forma prædicati; quia formæ, quæ importantur in recto; scilicet; *prædeterm.* & *consensus*, realiter, distinguntur.

1807 Vnde in illis propositionibus affirmativis veris prædicatum identificatur cum subiecto; quia *in qualibet propositione affirmativa vera, oportet, quod prædicatum, & subiectum significent idem secundum rem aliquo modo: Et hoc patet in propositionibus etiam de prædicato accidentali: Manifestum est enim, quod* homo, & albus *sunt idem subiecto, & differunt ratione alia enim est ratio hominis, & alia ratio albi*: Ideo scripsi in illis premisis prædicata identificari cum subiectis. *D. Thom. 1ª p. q. 13. art. 12. in corp.* *Supra num. 1787.*

1808 In minori medium, seu *prædeterm.* prędicatur denominative de Petro: *Denominative vero dicuntur prædicari, quæ concreta sunt adiective, est ab aliquibus accidentibus abstractis denominantur, seu derivantur, vt album de homine prædicatur, & de equo denominative, quia album derivatur ab hoc abstracto, quod est albedo, quæ est in homine* quæ sic *in abstracto sumpta de homine prædicari non posset. Nulla enim pars, potest de toto prædicari. Albedo enim est quædam pars accidentalis hominis albi, & sic de eo prædicari non posset. Concernitur autem, & dicitur album, quod idem est, quod habens albedinem, & tale potest de homine prædicari.* Et hoc modo prędicatur de Petro in min. esse *prædeterm. sit denominative*, sicut album prædicatur de homine. *D. Tho. tract. 1. de prædicam. subst. cap. 1.*

1809 Qualiter autem in mai. prædicetur *denominative consentiens de prædeterm.* & vtrumque de Petro etiam exponit Doctor Sanctus: *Subiectum* *D. Thom. lib. 7. Metaph. lect. 3.*

*biectum enim est quodammodo mediũ inter duo accidentia; quæ prædicantur de ipso, in quantum illa duo accidencia non vniuntur nisi vnitate subiecti, sicut* album est musicum *vnitate hominis, de quo prædicãtur: est ergo homo vt medium*, album autem est musicum *sunt extremitates. Si autem* album *esset idem homini per essentiã, pari ratione*, & musicum, *& ita ista duo extrema* albũ, & musicum *essent per essentiam idem; quia quæcumque vni, & eidem sunt eadem, etiam sibi invicem sunt eadem, hoc autem est falsum, quod istæ extremitates sint eædem per essentiam, sed forsan hoc videtur verum esse, quod sint eadem per accidens. Hoc autem certum est, quod* album est musicum *sunt idem per accidens. Sed ex hoc potest aliquis opinari, quod* sicut album, & musicũ *sunt idem per accidens*, ita etiam, *quod quid est vtriusque, sit idem per accidens, sed hoc non videtur esse verum*, album enim, & musicum *sunt idem per accidens ex hoc, quod vtrumque est idem per accidens homini. Non autem quod quid, & esse albi, nec hoc quod quid est esse musici, sunt idem cum eo quod est quod quid est esse hominis. Vnde quod quid est esse* albi, *& quod quid est esse* musici, *non sunt idẽ per accidens, sed solum album*, & *musicum.*

1810 Vnde esse *prædeterminatum, & consentientem* sunt idem *per accidens*, vnitate Petri de quo prædicantur; sed quod quid est esse *prædeterminati, & quod quid est esse consentientis* non sunt idem per accidens; stabit igitur quod prædeterm. & consentiens vniantur in Petro, & quod quid est esse prædeterminati non sit liberum Petro: Et quod quid est esse consentientis sit liberum Petro.

Recte igitur fuit solutum argumentum, quia identitas extremitatum inter se importat aliquid, quod in præmissis non sit formaliter, sed tantum *illative*, quia Syllogismus est ex prædicatis denominativis: Et illud esse exercitã existentiã consensus.

1811 Hanc doctrinam illustrat, & fundat novissime M. Bolibar, quia extremitates identificare cum medio & identificari inter se non esse omnino idem: patet in hoc Syllogismo: *Omnis homo currit; album est homo: Ergo album currit*, in quo si Petrus solum inter homines sit albus, potest facere identitatem extremitatum inter se, verificando conclusionem currendo; & non potest facere identitatem extremitatum cum medio, nec verificare aliquam ex præmissis. *Bolibar de provid. dub. 6. tit. 5. n. 75.*

1812 Addo quia si supponit Prado stat Petrum posse impedire veritatem conclusionis, & non posse impedire veritatem alicuius ex præmissis, quia eam impeditam supponat: vt patet in hoc syllogismo: *Omnis homo currit, sed Petrus est homo: ergo Petrus currit.* Casu quo supponamus Paulum, & Ioanem non currere: Ergo identitas extremitatum inter se, dum prædicantur *denominative*, non est identitas extremitatum cum medio: Patet; quia ex identificatis nequit verificari, vnum impediri, & non aliud. *Prado: ibi, disp. 11. s. 4. nu. 86.*

1813 Addo ex superius dictis: In syllogismo argumenti: (suppono cum Adversarijs, prædeterm. necessitare ad consensum:) Petro est *voluntaria*, licet non sit libera identitas extremitatum inter se, seu veritas obiectiva conclusionis: *Petrus consentit*: sed Petro non est *voluntaria* identitas extremitatum cum medio, seu veritas obiectiva nullius ex præmissis est voluntaria Petro: Ergo identitas extremitatum inter se non est, realiter loquendo ipsa identitas illarum in medio: mai. certa, quia Petro esset *voluntarius* consensus necessarius, sicut Beatis est voluntarius amor Beatificus: min. dixi apud *omnes* certam, & me adducto supponit Doct. Rios: Sed asserit Doct. Prado *Supra num. 1788.*

*Rios de lib. ad meritũ disp. n. 112.*

Prado: ibi. num. 68.

se nescire quomodo dixerim, præmissas illas *esse involuntarias Petro apud omnes esse verum, & nec etiam intelligere, quomodo possit esse instantia ista efficax, quæ sumitur ex syllogismo compacto ex præmissis, quarum simultanea veritas repugnans est.* Sed iterũ assero præmissas esse apud omnes alios veras, excipiendo hunc Doctum Authorem: Præmissas esse simul veras non est repugnans, sed de facto essent simul veræ in casu apud omnes possibili, quod Deus prædeterm. seu necessitaret Petrum ad consensum: Vnde tunc casus est vera illa mai. *Omnis prædeterm. ad consensum, consentit*: quæ est necessaria, & est vera illa min. *Sed Petrus est prædeter. ad consensum* quia supponimus ita Deum facere: Et sicut tu ijs præmiss addis: Ly *& hoc est à Petro inevitabile*: tanquam additum afficiens totam veritatem vniuscuiusque propositionis: Simili modo ego addo, *& hoc est Petro involuntarium*: idest, hæc veritas, & illa: & probo propositiones illas esse veras cum hoc addito: non debet confundi *voluntarium* cum *volito*. Volũtarium enim est, quod est *effective* à voluntate: Sed veritas obiectiva illius mai. non est *effective* à voluntate Petri. Patet: quia veritas obiectiva est necessaria, & existit defficiente Petro: Sed quod est *effective* à volũtate Petri est contingens, & defficit defficiente Petro: Eodem modo probo non esse voluntariam Petro veritatem obiectivam minoris. Prædet. seu necessitas ad consensum non esset *effective* à voluntate Petri, sed à Deo; aliàs non Deus necessitaret Petrum, sed Petrus se ipsum; ergo illa veritas obiectiva non esset à voluntate Petri nec Petro voluntaria: quia illa veritas est prædet:: Et tamen negari nequit Petrum consentire *voluntarie*, licet necessario, quia consensus necessarius est *effective*, licet non *determinative* à voluntate Petri: Ergo, & tenet instantia, & est fallum identitatem extremitatũ inter se, esse realiter identitatem illarum in medio, cũ vna *identitas* sit *effective* à voluntate Petri, & non alia: Exindeque ex tali identitate non probatur, vnam non esse *libere* à voluntate, ex eo quod alia libere non sit à voluntate.

Supra num. 1725.

Supra num. 1798.

1814 Argumentum nobis superius obiectum, & à nobis solutum: quia asserimus voluntatem libere *determinare coexistentiam* prædet. cum consensu determinando consensum: non vero posse *impedire coexistentiã* impediendo consensum, quia eam supponit impeditam: Instaurare conatur Adversarij solutionem impugnando. Et 1. quatenus assero in *contradictorijs cõplexis* recte stare, posse determinare vnum, & non posse impedire aliud. Instat P. Ramirez, quia est minus recte confundere *exclusivũ formale* complexi, seu rei divisibilis cum *contradictorio formali*: quia inter *complexum*, & exclusivum formale illius datur medium, possunt enim simul defficere, contradictorium vero formale *complexi*, quod est disiunctũ, & complexum, non possunt simul defficere: Ergo qui impotens est ad vnũ contradictorium adhuc in *complexis* est necessitatus ad aliud; ergo si voluntas est impotens ad *carentiam coexistentiæ*, est necessitata ad *coexistentiam*. ¶ Confirm. contradictorium formale *compositionis* est non compositio; aliàs assigna contradictorium huius propositionis: *Compositio existit* Sed voluntas per consensum libere ponit *compositionem*; ergo voluntas per non consensum libere ponit *non compositionem*.

P. Ramirez disp. 5. nu. 109.

1815 2. Ingeniose insurgunt Pater Ramirez, & Prado: Non minus repugnat *impedire impeditum*, quam *determinare* prius determinatum; sed voluntas potest determinare *consensum* prius determinatum à Deo: ergo potest impedire *coexistentiam*, licet prius impeditam à Deo. Vel aliter Voluntas prædet. libere determinat con-

Ramirez: ibi n. 112. Prado: ibi num. 68.

consensum; ergo libere potest impedire *dissensum*; sed dum impedit *dissensum* supponit ipsum impeditum à Deo, quia sicut Deus est primum determinas, est primum impediens: ergo voluntas potest libere impedire prius impeditum; ergo poterit impedire *coexistentiam*, licet eam impeditam supponat.

1816 Sed hæc facilia: Ad 1. nescio, quo fundamento dicatur me cõfundere *exclusivũ formale* cũ *contradictorio formali complexi*, seu rei divisibilis: Scio *coexistentiam*, seu copulativam excludi per contradictoriam cuiuslibet categoricæ, & solum ei contradici per disiunctivã: Immo hoc superius fundavi vt certum: *Coexistentia* significatur per hanc copulativam: *Existit prædeterm & existit consensus*: Contradictoria significans non coexistentiam; est hæc disiunctiva: *Vel non existit prædet. vel non existit consensus*: Voluntas determinando existentiam consensus, *determinat* copulativam, determinando secundam eius partem, quia licet supponat determinatam primam partem non supponit copulativam determinatam; *impedit* etiam secundam partem disiunctivę per consensum, & *determinat* per carentiam consensus secundam partem disiunctivæ, sed nec impedit *disiunctivam*, nec eam *determinat*; quia *impedire* secundam partem disiunctivæ, & *determinare* copulativam, seu contradictorium non determinatum: *determinare* secundam partem disiunctivæ, nec est *determinare* disiunctivam, nec *impedire* copulativam: quia per priorem determinationem primæ partis disiunctivę, & est disiunctiva *determinata*, & copulativa *impedita*: Vnde fero venit libertas voluntatis ad consensum, & carentiam consensus, ad impediendam *copulativam*; & determinandam *disiunctivam*: in signo vero apto exercetur ad determinandam *copulativam*. ¶ Ad conf. Respond. contradictorium *compositionis*; esse *non compositionis*, sed libere ponere *compositionem*, est posse *non ponere* compositionem; minime vero esse posse ponere *non compositionem*: quia posse non determinare compositionẽ solum est posse determinare *non compositionem*, si *non compositio* non supponitur determinata.

*Supra num. 1551. vsque ad 62.*

1817 Ad 2. Respondeo: Volũtatem posse *determinare formaliter* prius determinatum *causaliter*; minime vero prius determinatum *formaliter*: Similiterque potest voluntas *impedire formaliter* prius impeditum *causaliter*, minime vero prius impeditum *formaliter*: Et ideo voluntas posita prædeterm. consensus potest *determinare* consensum, & *impedire* dissensum: quia prædeterm. solum *causaliter* determinat consensum, & impedit dissensum: solum enim consensus est determinatio *formalis* sui, & *formale* impedimentum dissensus: *Coexistentiam vero prædetermin. cum consensu*, non potest voluntas impedire impediendo consensum. Ratio: quia hæc *coexistentia* formaliter constituitur per prædeterm. & consensum: Vnde & *formaliter* impeditur per deffectum prædeterm. & deffectum consensus: Cum igitur voluntas cum impedit consensum supponat impeditam prędeterm. supponit coexistentiam *formaliter* impeditam: Non ergo eam impediet, quia non stat impedire *formaliter* pro priori impeditum *formaliter*. *Habes elaboratum vtinam tam commodum, quam prolixum pro meis viribus rescriptum cuius porlixitatem fortasse defendarem, nisi illud vererer facere defendendo proli xius,*

*Vide supra num. 1441.*

*Aug. lib. 2 de pecc. meritis cap. vltimo.*

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠
✠ ✠
✠

SI IN HOC OPERE QVIDPIAM, ME IGNARO ELAPSVM, quod Catholicæ Fidei, aut ſanę Doctrinæ, vel à longe adverſetur, ſit id indictum, & Sacro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubiectum.

*SINT OMNIA DICTA IN GLORIAM SEMPITERNAM Omnipotentis Dei, eiuſque Puriſſimæ Genitricis Virginis Mariæ, & in honorem Divi Auguſtini Magni Eccleſiæ Parentis, Divi Thomæ Doctoris Angelici, pro quorum Doctrinæ intelligentia vera præſentem ſuſcepi Laborem.*

(✠)

# FINIS



# INDEX

## LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.


### EX GENESI.

Cap.3. *Ait Dominus ad serpentem, quia fecisti hoc,* refertur num.21.

Cap.4. *Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus est, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies: si autem male statim in foribus peccatum adderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaveris illius,* ibi. num.21.

Cap.24. *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum,* num.1139.

Cap.50. *Num Dei possumus resistere voluntati?* num.621.

### EX EXODO.

Cap.4. *Ego ero in ore tuo: doceboque quid loquaris,* num.1284. *Et ego indurabo cor Pharaonis,* num.1424.

Cap.8. *Et ingravatum est cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum,* num. 1424.

Cap.9. *Induravitque Dominus cor Pharaonis,* numer.1453.

Cap.20. *Locutusque est Dominus cunctos sermones,* num.21.

Cap.33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit,* num.1288. & n.1482.

### EX DEUTERONOMIO.

Cap.30. *Mandatum quod ego præcipio tibi non supra te est,* num.744.

Eodem capite: *Considera quod ego proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, &c.* num.21.

### EX LIBRO PARALIPOMENON.

Lib.1.c.29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi,* n.266. & n.338.

Lib.2.c.15. *Si quæsieritis Deum, invenietis: si autem derelinqueritis, derelinquet vos,* n.812.

### EX LIBRO ESDRÆ.

Lib.1.cap.6. *Et comederunt omnes, qui se separaverant à coinquinatione gentium terræ, vt quærerent Dominum,* num.328.

Lib.2.c.10. *Omnes, qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei,* num.328.

### EX LIBRO ESTHER.

Cap.13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati,* num.561. & n.620. & n.625. & n.1122. & num.1344.

### EX LIBRO JOB.

Cap.14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* n.328.

Cap.21. *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus,* num.718.

Cap.40. *Et si habet brachium sicut Deus, & si voce simili tonat?* num.621.

### EX LIBRO PSALMORUM.

Psalm.7. *Iustum adiutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde,* num.729.

Psalm.8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis,* num.123.

Psalm.16. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me,* num.616.

Psalm.18. *Nec est, qui se abscondat à calore eius,* num.1453.

Psalm.24. *De necessitatibus meis erue me,* n.68.

Psalm.26. *Adiutor meus sto: ne derelinquas me,* num.28. & num.268. & num 440.

Psalm.31. *Nolite fieri, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus,* num.124.

Psalm.50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis,* n.25.

Psalm.61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea: ab ipso enim salutare meum,* num.1344.

Et: *In Deo salutare meum, & gloria mea,* n.342.

Psalm.69. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina,* num.28.

Psalm.73. *Ne tradas Bestijs animas confitentium tibi,* num.33.

Psalm.80. *Israel si audieris me non erit in te Deus recens,* num.1129.

Et: *Dilata os tuum, & implebo illud,* num.1284.

Psalm.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus,* num.25.

Pſalm.93. *Dominus adiuvit me*, num.268.
Pſalm.94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, num.1129.
Pſalm.103. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*, num.338.
Pſal.113. *Omnia quæcumque voluit fecit*, n.621.
Pſalm.113. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, num.339.
Pſalm.118. *Bonitatem, & diſciplinam doce me, quia mandatis tuis credidi. In corde meo abſcondi eloquia tua. Benedictus es Domine doce me iuſtificationes meas*, num.1294.
Pſalm.120. *Non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael. Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam. Dominus cuſtodit te ab omni malo*, num.500.
Pſalm.126. *Niſi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*, num.28.
Pſalm.142. *Doce me facere voluntatem tuam*, num.1294.
Et: *Spiritus tuus bonus deducet me*, num.1148.
Pſal.145. *Beatus, cuius Deus adiutor eius*, n.268.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

Cap.1. *Quia vocaui, & renuiſtis. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo*, num.379.
Cap.15. *Vir prudens dirigit greſſus ſuos*, n.28.
Cap.16. *Hominis eſt animam præparare*, n.28.
Et: *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius*, num.25.
Cap.18. *Mors, & vita in manibus linguæ*, n.500.
Cap.20. *A Domino dirìguntur greſſus viri: quis autem hominum intelligere poteſt vlam ſuam?* num.25.
Cap.21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinavit illud*, num.1425.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap.5. *Aperi mihi Amica mea. Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen. Surrexi vt aperirem dilecto meo*, num.1426.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap.11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*, n.1481. & 1494.
Cap.16. *Creatura ſibi factori deſerviens*, n.1345.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

Cap.15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam*, num.17. & n.19. & n.60. & n.95. & n.500. & n.699. & n.744. & n.788. & n.811. & n.1124. & n.1337. & n.1425.
Cap.31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala, & non fecit*, num.99. & num.110.
Cap.33. *Quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare illud, & diſponere. Omnes viæ eius ſecundum diſpoſitionem eius: ſic homo in manu illius, qui ſe fecit*, num.1495. & 1635.
Cap. vltimo. *Danti mihi ſapientiam, dabo gloriam*, num.339.

EX PROPHETIA ISAIÆ.

Cap.5. *Expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas*, num.1322. & n.133.
Cap.14. *Dominus Exercituum decreuit: & quis poterit infirmare? Et manus eius extenſa: & quis avertet eam?* num.561. & num.625. & num.1122.
Cap.38. *Obſecro, Domine, memento quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim*, num.337.
Cap.42. *Gloriam meam alteri non dabo*, n.339.
Cap.55. *Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non revertetur*, num.1272.
Cap.57. *Flatus ego faciam*, num.1752.
Cap.59. *Cum venerit quaſi fluvius violentus, quem ſpiritus Dei cogit*, num.1148.

EX IEREMIA.

Cap.9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua... ſed in hoc glorietur, qui gloriatur ſcire, & noſſe me, quia ego ſum Dominus*, num.340.
Cap.10. *Scio Domine, quia non eſt hominis via eius, nec viri vt dirigat greſſus ſuos*, num.25.
Cap.30. *Et erit Dux eius ex eo: & Princeps de medio eius producetur: & applicabo eum, & accedet ad me: quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum, vt appropinquet mihi, ait Dominus?* num.457.
Cap.5. Threnor. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, num.377.

EX

## EX EZECHIELE.

Cap.18. *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*, num.28.

Cap.36. *Ego auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*, num.25. & 265. & 475. & 1092.

## EX DANIELE.

Cap.3. *Non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit*, n.1402.

Cap.4. *Iuxta voluntatem ſuam facit, tàm in virtutibus Cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non eſt, qui reſiſtat manui eius*, num.625.

Cap.13. *Anguſtiæ ſunt mihi vndique; ſi enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras? Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini*, num.22.

## EX LIBRO OSEÆ.

Cap.13. *Ego Dominus, & Saluator non eſt præter me*, num.28.

*Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum*, num.25. & num.696.

## EX IOEL.

Cap.2. *Convertemini ad me in toto corde veſtro*, n.379.

## EX ZACHARIA.

Cap.1. *Convertemini ad me, ait Dominus Exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus Exercituum; Ne ſitis ſicut Patres veſtri, ad quos clamabant Prophetæ priores dicentes: Convertemini de vijs veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis, & non audierunt, neque attenderunt ad me: Patres veſtri vbi ſunt?* n.379.

Cap.13. *Percute paſtorem, & diſpergentur oves*, n.1766.

## EX MATTHÆO.

Cap.6. *Fiat voluntas tua*, num.527.

Et: *Ne nos inducas in tentationem*, num.1634.

Cap.7. *Non poteſt arbor bona, malos fructus facere; neque arbor mala, bonos fructus facere*, num.1139.

Et: *Omnis enim, qui petit, accipit*, num.745.

Cap.10. *Non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, n.1185.

Cap.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos*, num.27. & num.1186.

Et: *Qui habet aures audiendi, audiat*, n.1137.

Cap.12. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum*, num.110.

Cap.19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, num.21.

Cap.20. *Tolle, quod tuum eſt, & vade. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* num.938.

Cap.23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti?* num.1033. & n.1122.

Cap.22. *Venite benedicti Patris mei*, num.500.

Cap.26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim Legiones Angelorum?* num.786.

Et: *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, num.1253.

Et: *Orate, vt non intretis in tentationem*, n.1384.

Et: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte: ſcriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Reſpondens autem Petrus ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam ſi opportuerit me mori tecum, non te negabo*, n.1766.

## EX S. MARCO.

Cap.11. *Quicumque dixerit monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat: fiet*, n.331.

## EX S. LUCA.

Cap.4. *Ieſus agebatur à ſpiritu in deſertum*, num.1148.

Cap.8. *Quis eſt, qui me tetigit? dixit Petrus: Præceptor, turbæ te comprimunt, & dicis: Quis me tetigit?* num.1159.

Cap.11. *Decimatis omne olus*, num.631.

Et: *Dico vobis, & ſi non dabit, eo quod amicus ſit, propter importunitatem tamen ſurget, & dabit quotquot habet neceſſarios*, num. 45.

Cap.14. *Compelle intrare, vt impleatur Domus mea*, num.277. & num.606.

Cap.18. *Deus propitius eſto mihi peccatori*, n.31.

Et: *Dixerunt: Quis poteſt ſalvus fieri? Ait illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum*, num.328.

Cap.22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, n.1379.

EX EVANG. S. IOANNIS.

Cap.1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, num. 33. & num.500.

Et: *Quæ illuminat omnem hominem*, num.629.

Et: *Sui eum non receperunt*, num.1493.

Cap.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, num.270.& n.1115. & num.1139. & num.1291. & n.1139.

Et: *Omnis qui audivit à Patre, & didicit venit ad me*, num.1114.& 1115.& 1127.

Et: *Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei*, ibi.

Et: *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*, num.1141.& n.1160.& num. 1186.& n.1291.& n.1115.& n.1139.

Et: *Verba, quæ ego locutus sum vobis spiritus, & vita sunt, sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*, num.1159.

Cap.8. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*, num.33. & num.1388.

Et: *Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes?* n.1615.

Cap.12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, num.597.

Cap.14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet*, num.380.

Cap.15. *Sine me nihil potestis facere*, num.26. & num.1388.& n.1452.& n.1181.

Et: *Sicut palmes non potest à semetipso ferre fructum, nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me manseritis*, num.26.& num.21.

Cap.17. *Non pro mundo rogo, sed pro ijs, quos dedisti mihi*, num.1753.

Cap.18. *Ego semper docui in Synagoga, & in Templo*, num.744.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

Cap.7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, num. 379.& n.532.& n.620.& n.1045.& num. 1122.

Cap.20. *Ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem*, num.1678.

EX EP. PAULI AD ROMANOS.

Cap.2. *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesauricas tibi iram*, num.534. & n.1046. & num.1122.

Cap.3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, num. 265. & num.1092.

Cap.3. *Vbi est gloriatio tua? excluſa est: per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei*, num.1260.

Cap.4. *Credenti, eum qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiam*, num.380.

Cap.4. *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, num.1477.

Cap.5. *In gratiam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, num.265.

Et: *Charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, n.1092.

Cap.6. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ: Nunc verò liberati à peccato servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*, num.33.

Cap.7. *Peccatum occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit*, num.1259.

Cap.7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, num.441.

Et: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* num.755.

Cap.8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba (Pater)* num.27.& num.1092.& n.1119.& n.1376.

Et: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram*, n.28. & n.268.& n.758.

Et: *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*, n.33.

Et: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur: ij sunt filij Dei*, num.277.& n.329.& n.365.& n.606.& n.1113.& n.1152.& n.1153.& n.1304.

Et: *Omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt Sancti, &c.* num.689. & num.1742.

Et: *Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt*, num.1139.

Et: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, num.1376.

Cap.9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, n.28.& n.294.& n.707. & n.932.

Et: *Voluntati enim eius quis resistit?* num.561. & n.621.& n.625.& n.1122.

Et:

Et: *O homo, tu quis es vt respondeas Deo*, n.621. & num.1381.

Et: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori*, num.647.

Et: *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* n.740.

Et: *Ergo cui vult miſeretur, & quem vult indurat*, num.1163. & num.1452.

Et: *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) &c.* num.1477.

Cap.11. *Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei*, num.647.

Et: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſalvæ factæ ſunt*, num.1498.

Cap.13. *Hora eſt iã nos de ſomno ſurgere*, n.379.

EX EP.1. PAULI AD CORINTHIOS.

Cap.1. *Vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur*, n.339. & n.340.

Cap.2. *Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt*, num.1430.

Cap.3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, num.28.

Cap.4. *Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* num.25. & num.1459.

Et: *Ne vnus adverſus alterum inflatur pro alio, quis enim te diſcernit? Quid autem, &c.* num. 282. & 338. & n.341. & n.905. & n.1089. & n.1253. & n.1283. & n.1335. & num. 1459. & n.1482.

Cap.7. *Circumciſio nihil eſt*, num.30.

Et: *Non habens neceſsitatem poteſtatem, autem habens ſuæ voluntatis*, num.116.

Cap.10. *Ego per omnia omnibus placeo*, n.631.

Cap.13. *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, num.30.

Et: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, num.27.

Et: *Charitas numquam excidit*, num.211.

Cap.15. *Abundantius illis omnibus laboravi, non autem ego, ſed gratia Dei mecum*, num.28. & num.769. & n.1703. & n.367.

Et: *Gratia eius in me vacua non fuit*, n.1360. & n.535.

Et: *Virtus verò peccati lex*, num.1384.

Et: *In Chriſto omnes viuificabuntur*, num.630.

Et: *In Adam omnes moriuntur*, num.1492.

Et: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam*, n.443.

EX EPIST. 2. AD CORINTHIOS.

Cap.3. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, num.33. & n.346. & n.516. & num. 1032. & n.1141.

Cap.6. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, num.535. & n.1360.

Cap.10. *Qui autem gloriatur in Domino glorietur. Non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*, n.299.

Cap.11. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor*, num.299.

Cap.12. *Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis. Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam*, num.299. & n.338.

Cap.13. *Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis*, n.437.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap.2. *Si enim per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*, num.1178. & n.1378. & n.1391.

Cap.3. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſsionem poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat*, num.1267.

Et: *Lex, pædagogus noſter fuit in Chriſto: vt ex Fide iuſtificemur*, num.1267.

Cap.4. *Miſsit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater*, num.1376.

Cap.5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: vt non quæcumque vultis illa faciatis*, num.1208. & n.1152.

EX EPIST. PAULI AD EPHESIOS.

Cap.1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem; vt eſſemus Sancti*, n.1480. & n.1743.

Cap.2. *Gratia enim eſtis ſalvati per Fidem, non ex operibus, vt ne quis glorietur*, n.25. & n.1377.

Et: *Iam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, &c.* n.246.

Cap.3. *Chriſtum habitare per Fidem in cordibus veſtris in charitate radicati*, num.246.

Et:

Et: *Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo*, num.276.
Cap.5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, num.268.& 379.

EX EP. S.PAULI AD PHILIPPENSES.
Cap.2. *Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, n.25.& n.341. & n.385.& n.1138.& n.1148.& n.1185. & n.1454.& n.1485.
Et: *Exinanivit formam servi accipiens*, n.1345.
Cap.4. *Gaudete in Domino semper*, num.744.
Et: *Omnia possum in eo qui me confortat*, n.1032.

EX EP. S.PAULI AD COLOSSENSES.
Cap.1. *Vt sit in omnibus ipse primatum tenens*, n.1344.

EX EPIST. 1. S. PAULI AD THESSALONICENSES.
Cap.4. *De charitate autem fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis. Ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis invicem: etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersa Macedonia*, n.1162.

EX EP.1. PAULI AD TIMOTHEVM.
Cap.1. *Finis præcepti charitas de corde puro*, num.1092.
Cap.2. *Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, n.718.& 1122.
Cap.4. *Te ipsum salvum facies*, n.328.

EX EPIST. 2. AD TIMOTHEVM.
Cap.1. *Qui nos liberavit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum*, num.268.
Cap.2. *Si quis emundaverit se ab istis: erit vas in honorem sanctificatum*, num.328.
Cap.4. *Bonum certamen certaui, cursum consumavi, Fidem servaui*, num.337.& n.342.
Et: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt adventum eius*, n.27.

EX EPIST. AD PHILEMONEM.
*Sine consilio tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*, n.812.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.
Cap.12. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*, num.535.& n.1360.
Cap.13. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem faciens in vobis, quod placeat coram se*, n.965.

EX EPIST. S.IACOBI APOSTOLI.
Cap.1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*, num.266.
Et: *Postulet autem in Fide, nihil hæsitans*, n.744.
Cap.4. *Resistite autem Diabolo, & fugiet à vobis*, n.1634.

EX EPIST. 2. PETRI APOSTOLI.
Cap.1. *Vt efficiamini diuinæ consortes naturæ*, num.265.
Cap.2. *A quo enim quis superatus est; huius & servus est*, num.35.
Et: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit*, num.123.
Cap.3. *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu: quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorũ perditionem*, n.1364.

EX EPIST.1. S.IOANNIS APOSTOLI.
Cap.1. *Potestatem dedit filios Dei fieri*, num.33.
Cap.2. *Sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis*, num.1752.
Cap.3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus*, num.33. & num.27.
Cap.4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, n.246.

EX LIBRO APOCALYPSIS.
Cap.3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum*, num.265.& n.268.& n.1321.
Cap. 4. *Mittebant coronas suas ante thronum*, num.325.
Cap.12. *Draco trahebat tertiam partem Stellarum*, num.597.
Cap.14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, num.1752.

*** FINIS INDICIS. ***

ELEN-

# ELENCHUS
## SVMMORVM PONTIFICVM, Conciliorum, Sanctorum Patrum, celeberrimorumque Scriptorum,& Doctorum, qui in hoc Opere memorantur.

### Litt. A.


ABbas in hoc Opere ſolum citatur numero 787.

Adamus citatur num.617.

B.Ægidius Romanus citat. num.742.

Aguirre Cardinalis cit.num.78.& num.548. & num.650. & num.636. & num.744. & num.750. & num.1039. & num.1047. & num.1190. & num.1195. & num.1202. & num.1230.

D.Albertus Magnus Arch. Ratisponenſis bis citatur num.156. & citat. n.160. & num. 1105.& num.1778.

Alexander VII. citat. num.76. & num.524. & num.550.

Alexander VIII. citat. num.1039.

Alexander Alenſis citatur num.115.

Alderete citat num.330. & n.394. & n.410. & n.413.& n.1534. & n.1755.

Alvarez citat.num.11. & n.130. & n.131. & n.279. & n.353.& n.382. & n.403. & bis n.528.& citat.num.561.& n.570.& num. 614.& n.639.& n.652. & n.653. & num. 659. & bis num.1034.& citat.num.1048. & n.1050. & n.1270. & n.1598. & num. 1734. & num.1785.

Alvelda citat. num.707.

D.Ambroſius citat. num.82. & num.147. & num.332.

D.Athanaſius Epiſcopus Nicenus, citat. numero 20.

Andræas à Cruce citat. num.559.

D.Anſelmus citat. num.24. & n.30. & n.61. & n.84. & n.105. & n.141. & n.147. & n.158. & bis n.218. & citat. quator num. 324. & cit. n.527. & n.599. & n.630. & num.632. & n.696. & n.722. & n.727. & n.744.& n.796. & bis n.957. & cit. num. 980. & n.1105. & n.1253. & n.1404. & num.1429.& num.1736.

D.Antoninus Arch. Florentinus, citat. n.20.

Antoninus Maſſovlie cit. num.573.& n.574. & num.610.

Antonius à Matre Dei citat. num.1599.

Annatus citat.num.100.& n.873. & n.1596. & n.1601. & n.1603.

Antonius Zelladei bis citat. num.43.

Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus, cit. num.1296.

Antonius Perez citat. num.235. & n.421. & num.438.& n.464. & n.474. & n.854. & n.1084.& n.1126. & n.1137. & bis num. 1309.& cit.n.1676.& n.1715.& n.1726.

Arnoldus Veſalienſis citat. num.927.

Araujo citat.numero 1034.

Aranda citatur num.137.& n.138. & n.139. & n.235. & n.236 & n.238. & n.247. & n.370. & n.438. & n.964. & n.1571. & n.1601. & n.1613. & n.1630.

Ariſtoteles citat.num.13. & n.14. & n.22. & n.61.& n 79.& n.137. & n.139 & n.166. & n.453 & n.1506.& n.1706. & n.1714. & n.1773.& n 1778.& bis num.1803.

Arriaga citat.num.61. & bis num.111.& cit. num.118. & n.120. & bis n.639. & citat. n.1558. & n.1781.

D.Athanaſius citatur numero 84.

Avendaño citat.num.295. & n.298. & num. 301.& n.305.& n.309.& n.399 & n.408. & n.413. & n.432. & n.464. & n.472. & num.847.& n.898. & n.907. & n.914. & n.931. & n.940. & n.964. & n.1103. & n.1119. & n.1131. & n.1133. & n.1318. & n.1325. & n.1342. & n.1404 & num. 1419.& num.1617.

Avila citatur numero 652.

M.Parens Auguſtinus in opere retractationum in Prologo refert. n.1465.lib.1. cap. 23. refert. in n.509. cap.102. refert.num. 1317. lib.2. cap.1. refert. n.509. & num. 1459. & num. 1474. & cap.6. refertur num.

num.517.& cap.67. refert. num.1366.
In libris Confeſsionum,lib.6. refert.n.744.& lib.10.cap.37. refert.n.485.
In libris de Ordine, cap.7.refert.n.1603.
In libris de quantitate Animæ, cap.6. refert. n.114. & n.1069. & cap.26. refert. n.13.
De Libero arbitrio, lib.1.cap.16.ref.n.1290. & lib.2.cap.1.refert.n.317.&cap.3.refert. n.124. & cap.16. n.472. & lib.3. in initio refert. n.81. & cap.2. refert. n.83. cap.3. refert.n.6.& n.65.& n.78.& n.83.& n.84. & n.139.& n.501.& n.1317.& n.1398.& cap.4. refert.n.92.& n.1289. & cap.5.ref. n.1428. & cap.18. refert.n.1046. & num. 1616.& n.1630. & cap.25. refert.n.82. & cap.vltimo, refertur num.1227.
De Religione vera, cap.14. refert. n.119.
In Epiſtolis: Epiſtola 5. refert. n.437.& epiſt. 6.refert.n.488.& epiſt.14. refert.n.507.& epiſt.15. refert.n.504.& epiſt.39.n.1678. epiſt.46.ref.n.20.& n.216.& n.774.epiſt. 47.ref.n.801.& n.216. epiſt.48. ref.num. 1022. epiſt.50. refert.n.1022.& epiſt.84. ref.n.946.&epiſt.89.ref.n.955.& n.1160. & n.1343. & n.439. & 1267. & n.341. & epiſt.90. ref. n.444. & n.511. & epiſt.95. ref.n.921.&epiſt.101.ref.n.1395.& epiſt. 105. ref.n.29.& n.700.& n.486.& n.921. & n.1361. & n.1366. & n.1464. & epiſt. 106.ref.n.341.&336.& n.851.& n.1158. & n.1215. & n.1464. & n.1466. & num. 1498.& epiſt.107.refert.n 423.& n.433. & n.444. & n.445. & n.449. & n.490. & n.498.& n.630. & n.660. & n.744. & n. 921. & n.1160. & n.1077. & n.1215. & n.1216. & n.1339. & n.1388. & n.1396. & n.1397. & n.1608. & epiſt.124. refert. n.1069.& epiſt.143.ref.n.851.& n.1297. & epiſt.144. ref.n.1267.& epiſt.174. ref. n.114. & epiſt.252. refertur num.433.
Et in opere ad Bonifacium,lib.1.cap.1.refertur n.1291.& cap.2. ref.n.35.& n.278.& n.597.& n.921. & cap.4. refert.n.758.& cap.19. ref.n.765.& cap.20. ref.n.617.& n.954. lib.2.in princip. ref.n.757. & cap. 2.ref.n.5.& n.28.& n.716. & cap.5.refer. n.936.& cap.6.ref.n.937. & cap.7.refert. n.423.& cap.9. ref.n.1291.& cap.18.ref. n.433.& cap.19.ref.n.433.& lib.4.cap.4. ref.n.762.& cap.6. n.700.& cap.8.refert. n.919.
De Ritibus Eccleſiæ, cap.7. refert. n. 1340.
De Peccato originali, cap.21. refert.n.1364.
Enchiridion ad Laurentium,cap.11.ref.num. 689.&cap.30.ref.n.32.& n.34.& cap.32. ref.n.267.& n.294. & cap.95. ref.n.622. & cap.96. refert.n.622.& cap.103.refert. n.627.& n.629.& n.631.& cap.105. ref. num.87.
De Eccleſiaſticis Dogmatibus, cap.21.refert. num.35.
De Trinitate, lib.1.cap.10. refert. n.1190. & in fine refert. n.1611. & lib.15. cap.16. refert.num.1756.
De Geneſi ad literam, lib.11. cap.9. refertur num.700. & num.1216.
De Spiritu,& litera, cap.3. ref. n.32.& n.37. & vſque ad caput 14.n.1160.& cap.6.ref. n.37.& n.355.& n.380.& n.1234. & exponitur à n.1259.& n.1267.& cap.19.ref. n.744.& cap.24.ref.n.330.& cap.28.ref. n.37.& cap.30. ref.n.1388.& cap.31.ref. n.82.& n.463.& n.798.& n.1365.& cap. 32.refert.n.1092.& cap.33. ref.n.336. & n.341. & n.633. & n.364. & n.1227. & cap.34.refert.n.271.& n.482.& n.564. & n.1073. & n.1272. & n.1277. & cap.35. ref.n.73.& n.331.& cap.83.ref.n.700.
Quæſtionum Evangelicarum ſecundum Matthæum, quæſt.14.refertur num.185.
Libro quæſtionum octoginta trium,quæſt.68. refert. n.295. & n.336. & n.341.& n.543. & n.664. & n.1277.
Ad Simplicianum, quæſt.2.refert.n.271.& n. 336.& n.341.& n.707. & n.1277.& num. 1360. & n.1447. & tota quæſtio exponitur à n.1456. vſque ad n.1501.
In libris de ſalutaribus monitis,cap.28.refert. num.744.
In expoſitione propoſitionum ex Epiſtola Pauli ad Romanos, refert.n.509. & cap. 61.n.1277.& cap 62. n.729.
In libris de Civitate Dei, lib.5.cap.9.refert. n.6.& n.13.& n.967. & cap.10.refert.n.6. & n.13.& n.49.& n.245.& lib.11.cap.14. n.1281. & cap.19. n.323. & lib.12.cap.6. ref.n.1446.& n.1448.& n.1624.& cap.7. ref.n.1449. & cap.8. ref. n.1450.& cap.9. refert.n.424.& n.1123.& n.1190.& num. 1208.& n.1213.& lib.14.cap.26.refert.n. 1451. & lib.15. cap.13. refert.n.1461. &

lib.23. cap.9. refert. n.147. & cap. vltim. refert. n.145. & n.147.

In libro contra Epiſtolam, quam vocant fundamenti, cap.37.refert.n.744.

In libro de duabus animabus,cap.11.refertur n.119. & n.813. & n.1042. & cap.12.ref. n.65.& n.814.& n.1046.

In Oratione de Hæreſibus,cap.35.refert.n.1.

In libro contra Fortunatum, propè medium, ref.n.73. & n.77. & n.815. & n.1296.

In libro ſecundo contra Fauſtum , cap.5. refert n.65.& n.106.& n.240.

In libro tertio contra Felicem, cap.3. refert. num.82.& n.463.& cap.5. refert.n.186.& cap.31. refert. n.798.

In libro adverſus Secundinum, cap.19.refert. num.817.

In libro contra Manicheos, cap.10. ref.num. 1330. & cap.26. refert. n.110.& cap.45. refert. num.818.

In libro tertio contra Maximinum, cap.12. refertur num.150.

In libris contra literas Petiliani,lib.2.cap.84. ref.n.84.& n.801.& n.918.& lib.3.cap.1. refertur num.946.

In libris de peccatorum meritis, & remiſsione, lib.1.cap.17.refert.n.1747.& cap.18. n.1422.& cap.28. refer.n.630.& cap.35. ref.n.1387.& cap.vltim.ref.n.1817.& lib. 2.cap.3. refert.n.794.& n.1283.& cap.5. refert. n.11.& n.403.& n.700.& n.269.& n.1297.& cap.6. refert. n.439.& cap.17. ref.n.708.& n.697.& cap.18.ref.n.312.& n.801.& n.841. & cap.19. refert.n.1275. & n.1279.& cap.28. ref.n.696.& n.728.

Liber de Gratia Chriſti, exponitur à n.1165. vſque ad n.1189.& cap.1. refert.n.801.& cap.2.refert.n.498.& cap.3.ref.n.1129.& cap.4. refert. n.516.& cap.5. ref.n.475.& n.498.& cap.8. ref. n.1252.& n.1257. A cap.9. vſque ad 14. exponitur n.1160. & n.1161. & cap.13. ref. n.267. & n.646.& cap.14. ref. n.646.& n.953.& n.1115. & n.1294.& cap.15. ref.n.501.& n.1289.& cap.17. ref.n.1289. & cap.23.ref.n.657. & cap.24.ref.n.475. & n.1583.& cap.25. ref.n.492.& n.495.& n.516.& cap.26.refert.n.495.& n.1293.& cap.34.ref.n.475. & cap.41. ref.n.448.& cap.45.ref.n.475. & n.1076.& cap.46. ref.n.329.& cap.47. ref. n.880.& n.841.

In libro de Natura,& Gratia, cap.2.ref num. 1391.& cap.5.ref.n.71.& n.737.& cap.6. ref.n.848. & cap.11. ref.n.440.& cap.13. ref.n.332.& cap.18.ref.n.431.& n.438.& n.1065.& cap.26.refer.n.403.& n.511.& n.724. & cap.34. ref. n.440. & n.1635.& cap.46.refert.n.87.& cap.47.ref.n.253.& cap.53. ref.n.486. & cap.54. ref.n.507.& cap.55. ref.n.507. & cap.58. ref.n.1634. & cap.65.refer.n.1623.& n.1635.& cap. 66. ref.n.743.& n.1635.& cap.67.refert. num.798.& n.1633.& n.1634.& cap.69. refert.num.729.& num.1040.

Contra duas Epiſtolas Pelagianorum, lib.1. cap.2.ref.n.754.& n.760.&n.505.& cap. 3. ref.n.1159.& cap.10.ref.n.512.& cap. 11. ref.n.506.& cap.19.ref.n.596.& cap. 20.ref.n.1583. & lib.2.cap.1.ref.n.266.& n.773. & n.759.& cap.3.n.848.& cap.4. n.858.& cap.5. ref.n.858.& cap.7.refert. n.737. & 738. & 740. & 1077. & cap.8. refert.n.1092.& n.1284.& cap.10.refert. n.433. & n.441. & n.798.

In libris contra Iulianum,lib.1.cap.1. ref.n.52 & n.145.& cap.8.ref.n.741. & lib.3.cap. 2.ref.n.946.& cap.3.ref.n.266.& cap.10. refert.n.137.& lib.4.cap.3.ref.n.1160. & cap.8. ref.n.800.& n.946. & cap.81. ref. n.700.& lib.5. cap.5. ref.n.441.& n.508. & lib.6.cap.5. ref.n.1153.& cap.9.refert. n.753.& cap.11.refert.n.441.& n.509.& n.1060. & cap.14. refert.num.1113.

In libro de Prædeſtinatione,& Gratia, cap.3. ref.n.737.&cap.10.ref.n.1288.& n.1360. & cap.14.refert.n.1453.& cap.15. refert. n.1447.& n.1452. & cap.19. ref.n.978.

In libro de Prædeſtinatione Sanctorũ, à cap. 1.vſque ad 6.ref. à n.282.vſque ad n.293. & cap.2. refer.n.516.& n.1310.& n.464. cap.3.ref.n.1090.& n.1284. cap.5.refert. n.328.& à n.334.vſque ad 347.&n.1090. & cap.6. refer.à 1129.vſque ad n.1156.& n.1163.& n.1447.& cap.8. ref. n.607. & n.617.& n.630.& n.646.& n.648.& nu. 737.& n.1077.& n.1114.& à n.1129. vſque ad n.1156. & n.1163. & n.1291. & cap.9.ref.n.617.& n.664.& cap.10.refer. n.1466.& n.1583.& cap.11. ref.n.145.& cap.12. ref.n.707.& n.850.& cap.14.ref. n.485.& n.773.& n.800.& cap.15. refer. n.698.& n.708.& cap.16.refert.n.647.& num.

num.1156.& cap.18.refert.num.1743.& cap.20. refert.num.485.

In libro de Bono Perſeverantiæ, cap.2.refert. n.486.& cap.6.refert.num.482.& n.618. & cap.7. ref. n.1205. & n.1750.& n.433. & cap.8. refert.n.698.& 738. & n.740.& n.742.& n.1752.& cap.9. refert.n.747.& cap.11.refert.n.700.& cap.12. ref.n.700. & cap.14. ref. n.708. & n.747.& cap.15. ref. n.1334.& cap.16. ref. n.743.& num. 1334.& cap.17.refert.n.1743.& n.1752. & cap.20. ref. n.433.& n.485.& n.1385. & n.1385.& n.1462. & cap.21. ref.num. 427. & n.1474. & cap.22. ref. n.1447.& n.1454.& cap.23.refert.num.433.

In libro de Gratia,& Libero Arbitrio, cap.1. refert.n.811.& cap.2. ref.n.17. & n.20.& n.336.& n.341.& n.807.& n.811.& cap. 3.ref.n.979.& cap.5.ref.n.811.& n.1500. & cap.6. ref.n.342.& cap.7. ref.n.342.& cap.8.ref.n.342. & cap.11. ref.n.1153.& exponitur à n.1366. vſque ad n.1385.& cap.13. ref.n.493. & cap.15. ref.n.807.& cap.16. refert.n.341.& n.369.& n.474.& n.475.& n.617.& n.744 & cap.18.refert. n.1509.& cap.19. ref. n.1422. & cap.20. ref.n.807.& cap.21. ref.n.954.& cap.23. refert.n.1413. & cap.25. refert.num.28.

In libro de Correptione,& Gratia, cap.1. refert.n.709.& cap.2. ref.n.277.& n.329.& n.365.& n.453.& n.1153.& cap.3.refert. n.496.& n.1326.& cap.4. refert.n.659.& n.1326.& cap.5. refert.n.496.& n.659.& n.715.& n.1326. & cap.6.refert.n.715.& cap.7. refert.n.463. & n.663. & n.797.& n.1159.& n.1538.& n.1640.& cap.8.ref. n.664.& n.700.& n.831.& n.956.& num. 1734.& n.1757.& cap.10. refer.n.645.& cap.11. refert.n.223.& n.248.& n.250.& n.435.& n.482.& n.495.& n.617.& n.645. & n.708.& n.798. & n.828. & n.1035. & n.1078. & n.1153. & n.1253. & n.1288. & num. 1356.cap.11.& 12. exponuntur à n.419. vſque ad n.430.& à n.1189. vſque ad n.1219. cap.12. ref.n.223.& n.224.& num.278. & n.477. & n.482. & n.608.& n.617. & n.957. & n.1035. & n.1078. & n.1142.& n.1286.& n.1288.& n.1307.& n.1356.& cap.14.refer.n.207.& n.605.& num.626. & n.631. & n.919. & n.983. & n.986.& n.1423.& n.1678.& cap.15. refert. n.1402. & cap.vltim. refert. n.1361. exponitur à n.1366. vſque ad num.1385.

In libro ad Articulos falſo Auguſtino impoſitos reſponſione, in reſp. ad 2. refert.num. 633. in reſp.ad 5. refert.num.139.

In libris Hypognoſticon contra Pelagianos, in princip. refert.n.104. & n.105.& lib.3. cap.2.refert.n.32.& n.35.& n.36.& n.95. & n.225.& n.249.& n.253.& n.772.

In libro de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium, reſp.16. refertur num.1339.

In libro de Geſtis Pelagij, cap.1.ref.n.487.& n.1420. & cap.3. ref.n.329. & n.1092.& n.1118.& n.1146.& n.1151. & n.1152. & cap.7. ref.n.515.& cap.18.refert.num. 11.& n.752. & n.917.& n.1184.

In libris contra Creſconium, lib.1.cap.1. refertur num.1599.

In Pſalmos: in ſeptimum refertur in n.729. & n.1340. In Pſal.54.ref.n.1598. In Pſal.61. ref.n.744. In Pſal.91.refer.n.1340.In Pſal. 102.refer.n.534. In Pſal.118. concione 4. refert.n.1267. concion.5.ref.n.1294.concion.10.ref.n.1267. concion.11.ref.num. 1267.concion.17.ref.n.1294.In Pſal.120. refert. n.500. In Pſal.144. refert.n.27.

In S.Ioannem, tract.1. circa medium, refert. num.222. Tract.4.col.4. ref.n.769.Tract. 26. refert.n.718. & n.1159.& n.1164. & n.1273.Tract.53.refert.num.27.& n.185. & n.443.& n.1063. Tract.72.ref.n.380.

In libris Meditationum, lib.2. cap.14.refert. num.342.

In Homilijs, Homilia 12. refert.n.1340. Homilia 29. ref.n.1228. Hom.53.ref.n.772.

In Sermonibus de Tempore, Sermon.88. refert. num.696. & n.1453. Sermon. 119. refert.n.147. Serm.124. refert.n.1296.

In Sermonibus de Verbis Domini, Serm.14. refert. n.1216. Serm.15.refert. num.749. Serm.27.refert.341. Serm.43.refert.num. 1113.& num.1151.& num.1152.

In Sermonibus de verbis Apoſtoli, Serm.2. cap.10. refert. n.548. & n.606.& cap.14. n.700.& Serm.3.ref.n.1118.& n.1119.& n.1120.& n.1297.& Serm.11. ref.n.266. & n.267.& n.1267.& Serm.12.ref.n.386. & Serm.13. ref.n.384.& n.443.& n.769. & n.1123. & n.1146. & n.1153. & num. 1273.& n. 1295.& n.1420. Serm.14.ref. n.1364. Serm.20. refert. num.739.

## Litt. B.

Bañez, citatur num. 144. & n. 528. & n. 561. & n. 639. & n. 701. & n. 1034.
D. Basilius Episcopus, citat. num. 23. & n. 71. & n. 79. & n. 745.
Beda Venerabilis, citat. num. 325.
Bellarminus Cardinalis, citat. num. 7. & n. 10. & n. 11. & n. 12. & n. 17. & n. 18. & n. 24. & n. 68. & n. 74. & n. 87. & bis n. 88. & citat. n. 98. & n. 113. & n. 161. & n. 540. & n. 724. & n. 769. & n. 808. & n. 838. & n. 1034. & n. 1037. & n. 1092. & n. 1464. & n. 1470.
D. Bernardus Abbas, citat. num. 23. & n. 27. & n. 32. & n. 33. & n. 71. & n. 84. & n. 104. & n. 105. & n. 108. & bis n. 124. & citat. n. 125. & bis n. 152. & citat. n. 162. & num. 245. & n. 267. & n. 268. & num. 298. & bis n. 336. & bis n. 339. & citat. n. 363. & num. 535. & n. 739. & n. 749. & n. 774. & num. 1214. & n. 1360. & n. 1640.
Bernique, citat. num. 1093.
D. Bonaventura Cardinalis, citat. num. 105. & n. 182. & n. 1233.
Bolivar Primarius Salmanticensis, citat. num. 100. & n. 210. & bis n. 211. & citat. n. 235. & n. 239. & n. 243. & n. 255. & n. 701. & n. 1232. & n. 1375. & n. 1387. & n. 1401. & n. 1688. & n. 1694. & n. 1752. & num. 1788. & num. 1811.
Bonæ Spei, bis citatur num. 35. & cit. n. 724.
Borrul, citat. num. 870. & n. 871. & n. 892. & num. 946. & n. 1532. & n. 1533.

## Litt. C.

Cabassutius, citatur num. 1230.
Cabrera, citat. num. 652. & num. 1035. & num. 1070.
Cayetanus Cardinalis, citat. num. 87. & num. 105. & n. 106. & n. 113. & n. 701. & num. 825. & n. 1228. & n. 1357. & n. 1706.
Calepinus, citatur num. 1491.
Calvinus, ter citat. num 8. & citat. num. 10. & n. 66. & ter n. 67. & citat. num. 74. & bis n. 132. & citat. n. 149. & n. 590. & n. 765. & bis num. 768. & citat. num. 769. & num. 778. & bis num. 1035. & cit. num. 1042. & num. 1128. & num. 1613.
Caramuel, citatur num. 37. & n. 42. & n. 52. & num. 135. & bis num. 138. & citat. n. 946. & n. 987. & n. 1018. & n. 1593. & n. 1615. & n. 1683. & n. 1804.
Carrasco, citat. num. 304. & n. 411. & n. 469. & n. 517. & n. 520. & n. 701. & n. 870. & n. 875. & n. 987. & n. 1353. & n. 1398. & n. 1736. & n. 1782. & n. 1784. & n. 1785. & num. 1791.
Casianus, citatur numero 764.
Catherinus, citatur numero 1742.
Celestinus Papa, citat. num. 268. & n. 270. & n. 442. & n. 511. & n. 1216. & n. 1273.
Cerf, citatur numero 1638.
D. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, cit. num. 71. & n. 84. & n. 92. & n. 274. & num. 279. & n. 375. & n. 476.
D. Clemens Papa, citat. n. 1404. & n. 1708.
Clemens VIII. citat. num. 1190.
Coccius, bis citat. num. 24. & citat. num. 71.
Collegium Conimbricense Societatis Iesu, citatur num. 1149.
Collegium D. Thomæ, citat. num. 1558.
Commentator, citat. num. 13. & num. 82.
Comptonus, citatur num. 235.
Concilium Sacrosanctum Tridentinum, citat. num. 9. & n. 18. & bis n. 27. & quator num. 29. & citat. n. 30. & n. 66. & ter n. 68. & cit. n. 75. & n. 76. & n. 96. & n. 110. & n. 111. & n. 116. & n. 132. & n. 170. & n. 176. & n. 221. & n. 240. & n. 268. & n. 323. & num. 341. & n. 343. & ter n. 348. & citat. n. 350. & n. 354. & n. 355. & bis n. 356. & bis num. 359. & citat. n. 360. & n. 366. & n. 381. & n. 431. & n. 436. & n. 484. & bis n. 525. & citat. n. 536. & n. 537. & n. 538. & n. 553. & num. 585. & n. 586. & n. 590. & n. 591. & n. 597. & n. 598. & n. 699. & num. 722. & n. 725. & bis n. 726. & cit. n. 729. & n. 771. & n. 778. & n. 783. & n. 1034. & n. 1038. & n. 1040. & n. 1042. & num. 1045. & bis n. 1052. & citat. n. 1055. & n. 1062. & bis n. 1092. & n. 1139. & n. 1142. & n. 1180. & n. 1181. & n. 1234. & n. 1237. & n. 1253. & n. 1283. & n. 1287. & n. 1291. & num. 1292. & n. 1336. & n. 1357. & n. 1571. & n. 1572. & n. 1584. & n. 1733. & quator num. 1749. & citat. num. 1761.
Concilium Arausicanum primum, citatur bis num. 18. & citat. n. 268. & n. 341. & n. 347. & n. 366. & n. 1032. & n. 1034. & n. 1215.

Concilium Arauſicanum ſecundum, cit.num. 68. & n.270. & n.323. & n.423. & num. 1037. & n.1115. & bis num.1291.
Concilium Bracarenſe, citatur num.2.
Concilium Colonienſe, citatur num.362.
Concilium Epheſinum, citat.n.274. & n.279.
Concilium Florentinum, citatur num.1711.
Concilium Generale Aphricanum, cit. num. 1115.
Concilium Maguntinum, cit.n.362. & n.385.
Concilium Senonenſe, citat.num.7. & n.13. & n.20. & n.33. & n.66. & n.386. & num. 526. & n.539. & n.597. & n.744. & num. 772. & n.1075. & n.1583.
Concilium Toletanum, citatur num.24.
Coninx, citatur num.409.
Contenſon, citat.n.1173. & n.1175. & num. 1176. & n.1191. & n.1194. & n.1199. & n.1329. & n.1595. & n.1601. & n.1606.
Cornejo, citatur num.171.
Cornelius à Lapide, citatur num.705.
Curiel Magiſter, citat.num.269. & n.1700.
Curſus Salmanticenſis, citat.num.353.

## Litt. D.

D.Damaſcenus, citat.n.23. & n.84. & n.116. & n.633. & n.1404. & n.1677.
Decamps, citat. num.11. & n.69. & n.88. & bis n.95. & cit. n.97. & bis n.100. & citat. n.223. & n.249. & n.421. & bis n.424. & num.430. & n.542. & n.543. & n.577. & num.633. & n.778. & n.804. & n.806. & n.837. & n.1036. & n.1040. & n.1128. & n.1190. & n.1227. & n.1577. & bis num. 1594 & cit.n.1595. & n.1602. & n.1614.
Decanus Lovanienſis, citat.num.52.
Decretum, citatur num.159.
D.Dyoniſius, citat.num.276. & num.1011.
Durandus, citatur num.115.
Duvalius, citat. n.1614.

## Litt. E.

Echeverria, citat.num.134. & num.1557.
Emmanuel de Conceptione, citat. num.169.
D.Epiphanius, citat.num.79. & num.84.
Eſforcia Cardinalis, citat.num.537.
Eſparza, citat.num.97. & num.235.
Eſtius, citat.num.88. & num.90. & n.100. & num.424.
Euſebius, citat. num.14. & n.23. & n.65. & n.80. & n.744.
Euthimius, citatur num.147.
Everhardus Billich, citat. num.553.

## Litt. F.

Faſolus, citatur numero 135.
Fauſtus Semipelag. Anteſign. citat.num.764.
Felix, citatur num.1093.
D.Franciſcus Saleſius, Epiſcopus Genevenſis, citatur num.540.
Ferrara, citat. num.114. & n.144. & n.164. & n.171. & n.470. & n.716. & n.1109. & n.1146. & bis n.1149. & citat.num.1346. & n.1432. & n.1506. & n.1511.
Ferre, citat. num.10. & n.11. & n.79. & bis n.88. & citat.num.90. & n.97. & n.100. & num.235. & n.239. & n.274. & n.353. & n.361. & n.550. & n.899. & n.987. & num. 1272. & n.1351. & n.1360. & n.1461. & n.1467. & n.1468. & n.1471. & n.1475. & num.1791.
Ferrius Orthod. citatur num.1614.
Franciſcus Alphonſus, citat. num.1560.
D.Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis, cit. num. 24. & n.267. & n.369. & n.495. & n.621. & n.728. & n.744. & n.746. & bis n.748. & n.1158. & n.1214. & bis num.1295. & citat.num.1744.

## Litt. G.

Gaudentius Brixianus, citatur num.24.
Gelaſius Pontifex, citatur num.367.
Gellius, citatur numero 937.
Godoy, citat. n.11. & n.41. & n.72. & n.97. & n.100. & n.160. & n.201. & n.202. & n.210. & n.211. & n.215. & n.269. & num. 519. & n.528. & n.701. & bis n.724. & citat.num.824. & n.832. & n.870. & n.883. & n.900. & n.958. & n.1094. & n.1242. & n.1638. & n.1660. & n.1663. & ter num. 1685. & citat. n.1687. & n.1694. & num. 1698. & num.1702. & n.1752. & n.1756. & num.1801.
Gonet, citat.num.79. & n.86. & n.88. & n.97. & n.143. & n.146. & n.148. & n.210. & bis num.211. & citat. n.223. & n.322. & n.528. & n.653. & n.667. & n.701. & num. 705. & num.824. & n.1034. & n.1051. & n.1094. & n.1143. & n.1172. & n.1196.

& n.1202. & n.1228. & n.1232. & num. n.1272. & n.1358. & n.1432. & n.1433. & n.1601. & n.1611. & n.1696. & n.1752.
D. Gregorius Magnus, citatur n.79. & n.325. & n.342. & n.696. & n.738. & n.739. & n.776. & n.1214. & n.1282. & n.1615.
D. Gregorius Niſſenus, citat. num.22. & num. 24. & n.28. & n.1340. & n.1416.
Gregorius XIII. citatur num.1040.
Gummarus Huigenſ. citat. num.549.

## Litt. H.

Haunoldus, citatur numero 235.
Henao, bis citat. num.430. & citat. n.438. & n.451. & n.577. & n.842. & bis n.854. & num.856. & n.873. & n.879. & n.896. & n.901. & n.914. & num.985. & n.1684. & n.1416. & n.1596. & n.1599. & n.1640. & n.1670. & n.1675. & n.1676.
Herbeus, citatur numero 104.
Herrera, bis citat. num.295. & n.330. & num. 432. & n.864. & n.872. & n.885. & num. n.890. & n.985. & n.1317. & n.1398. & n.1404. & n.1433. & n.1616. & n.1619. & n.1733. & n.1740. & n.1745. & n.1765.
D. Hieronymus, citat. num.5. & n.27. & n.28. & n.66. & bis n.71. & n.431. & n.438. & n.439. & n.440. & n.444. & quator citat. n.500. & citat. n.507. & n.753. & n.767. & bis n.775. & citat. n.779. & n.785. & n.796. & n.920. & n.946. & num.1040. & n.1065. & n.1124. & n.1232. & n.1341. & n.1346. & bis n.1387. & bis n.1592. & citat. num.1607. & n.1608. & n.1639. & num.1771.
D. Hilarius Arch. Arelatenſis, citat. n.71. & n.280. & n.430. & n.440. & n.482. & num. 852. & n.853. & n.854. & num.1286. & num.1454.
Hugo Cardinalis, citatur num.1640.
Hurtado, citat. num.220. & num.221.

## Litt. I.

Ildephonſus Michael, citat. num.467. & num. 1070. & num.1785.
Innocentius III. citat. num.66. & n.597. & num.762.
Innocentius X. citat. num.71. & n.75. & num. n.462. & n.473. & n.524. & num.547. & n.699. & n.1041. & n.1062. & n.1142.
Innocentius XI. citat. num.301. & n.1015. & n.1341. & n.1761.
D. Ioannes Chryſoſtomus, citatur num.20. & num.71. & n.340. & n.745. & n.1146. & n.1150. & bis num.1296. & citat. n.1766. & num.1767.
Ioannes Gonſalius, citat. num.1070.
Ioannes Roffenſis, citatur num.553.
Ioannes à S. Thoma, citat. num.11. & n.61. & n.135. & n.353. & quator num.528. & citat. n.561. & n.570. & n.641. & n.653. & num.667. & n.671. & n.723. & n.732. & n.873. & n.1033. & n.1050. & n.1279.
Ioannes Thauſerus, citat. num.540.
D. Ireneus, citatur num.1592.
Izquierdo, citat. num.41. & bis num.50. & citat. n.118. & n.134. & n.226. & n.230. & num.232. & n.399. & n.409. & n.410. & n.464. & n.1025. & n.1093. & n.1560. & n.1562. & n.1675. & n.1773. & num. dicto in fine.

## Litt. J.

Jacob Merlonus, citatur numero 503.
Janſenius, citat. num 65. & n.70. & n.74. & bis n.82. & citat. n.83. & n.100. & n.135. & n.139. & n.163. & n.174. & n.424. & n.457. & n.533. & n.537. & n.541. & num. 550. & n.634. & n.777. & n.784. & n.790. & n.795. & bis n.807. & citat. num.1123. & n.1216. & n.1238. & n.1250.
Junio, citat. num.219. & n.226. & bis n.230. & citat. n.410. & n.413. & n.623. & num. 640. & n.864. & n.890. & n.1103. & num. 1404. & num.1737.
Juo Epiſcopus Carnutenſis, citat. num.1391.
Juſtinus Martyr, citatur num.1404.

## Litt. L.

D. Laurentius Juſtinianus, citat. num.540.
Ledeſma Magiſter, citat. n.1034. & n.1048. & num.1050.
Lemos, citat. num.10. & n.12. & n.100. & ter n.113. & citat. n.131. & n.136 & n.171. & n.279. & n.280. & bis num.353. & citat. n.362. & n.375. & n.376. & n.457. & num. 586. & n.591. & n.652. & n.658. & n.659. & n.725. & n.1034. & n.1061. & n.1069. & bis n.1073. & citat. n.1153. & n.1172. & num.1232. & n.1272. & num.1464. & num.

num.1466.& bis n.1472. & citat.n.1473. & num.1506. & num.1545. & n.1733. & num.1787.
Lenis, citatur num.63. & n.79. & n.537. & num.1058.
D.Leo Magnus, Papa, citatur num.743. & num.761.
Lezana, citat. num.215. & n.528. & n.701. & num.1353. & n.1398.
Lince, citat.num.111. & n.118. & n.1559.
Lorca, citat. num.97. & n.222.& bis n.239. & citat. num.241. & n.528. & n.1035.& n.1426. & n.1593.
Lugo Cardinalis, citat.num.220.& n.1755.
Lutherus, citat.num.8.& n.553.& bis n.755. & citat. n.765.& n.780.& n.788. & num. 1040.

## Litt. M.

Macedo, citatur num.1452. & num.1468. & num.1475.
Magiſter Sententiarum, citatur num.105. & n.128. & n.161. & n.927.
Malderus Epiſcopus Antuerpienſis, citatur num.765.
Matilla RR. & DD.Primarius, citat. n.1094.
Medina Doctor,& Primar. citat. num.749.
Medina Magiſter, citat.num.135.& n.373.& num.824.
Mirandulanus, citatur numero 115.
Moya, citatur numero 44.
Molina, citat.num.52. & n.373.& n.376. & n.407. & n.417.& n.453. & n.1506.& num. 1755.
Moneda Illuſt. citatur num.640.
Monteſinos Prim. D.Thomæ Moder. citatur num.1035.& num.1040.& num.1070.

## Litt. N.

Navarrete, citatur num.211.& num.1050.
Nazarius, citatur num.135.& num.1050.
Nazianzenus, citatur num.79.
Nicolaus, citatur num.90. & num.1230.
Noris Cardinalis, citat.num.617. & n.700.& n.1230. & n.1378.
Novarinus, citatur num.503.
Novatianus, citatur num.23.
Nuño, citatur num.528.& num.701.& num. 723.& num.1506.

## Litt. O.

Ortega, citat. num.432. & n.504.&n.1116. & num.1322.
Oviedo, citat. num.111. & n.118. & n.135. & n.220. & n.453.
Oxea, citatur numero 235.

## Litt. P.

Palanco, citatur num.55. & n.89. & n.235. & n.251.& n.253.& ter citat.num.259.& citat.num.261. & bis n.262.& cit. n.263. & bis n.264. & citat. n.474. & n.476. & bis num.477. & citat. n.517. & n.518. & num.520. & n.611. & n.681.& n.685. & n.688.& n.717. & n.709. & num.730. & n.1009.& n.1011. & n.1051. & bis num. 1067. & citat. n.1070.& n.1074.& num. 1083. & n.1089. & n.1095.& n.1103. & n.1180. & n.1234. & n.1235. & n.1236. & bis n.1237. & bis n.1238. & bis num. 1239.& citat.num.1240.& n.1244.& ter n.1245. & citat. n.1256.& bis n.1261. & citat. n.1262. & n.1263.& bis n.1280. & citat. num.1302. & n.1307. & n.1353. & n.1398. & n.1411. & n.1444.& n.1571. & n.1575. & n.1676. & n.1733. & num. 1734. & n.1765. & n.1787.
Paræus, citat. num.1238. & num.1614.
Patianus, citatur num.946.
Patres Concilij Carthagin. citant. num.444. & num.511.& n.919. & n.923.
Paulus Leonardus, citat. num.1373. & num. 1374.
Peynado Primarius, citat. num.522. & num. 1610. & n.1673. & n.1686.
Pelagius, citat.num.501. & n.516. & n.751. & n.846.& n.1175. & n.1176.& n.1179. & num.1182. & num.1186. & bis num. 1364.
Pennotus, citat. num.11. & num.724.
Perea, ter citatur num.616.
Petrarcha, citatur num.947.
Petrus Bergomenſis, citat.num.106.
D.Petrus Damianus, citat. num.1489.
Petrus à S.Ioſeph, citat. num.143.
Philaletes, citatur num.946. & num.1467.
Philippus à Trinitate, citatur num.610.& num.701.

D.Pius V. in Catechiſmo, citat. num.277. & n.606. & n.1040. & n.1074.
Platel, citatur num.95. & num.421.
Plato, citatur num.13. & num.1778.
Pontius, citatur numero 111.
Poſivinus, citatur num.115.
Prado Doctor Complutenſis, citat.num.134. & n.137. & n.138. & n.139. & n.154. & n.157. & n.172. & bis n.173. & citat.num. 190. & n.210. & n.235. & n.237. & num. 239. & bis n.244. & citat.n.245. & n.246. & num.247. & quinque num.255. & citat. num.334. & n.336. & n.346. & n.347. & n.370. & bis n.371. & bis n.377. & citat. num.380. & n.381. & n.382. & n.383. & n.384. & n.480. & ter n.481. & cit. num. 483. & n.489. & n.493. & num.494. & bis n.514. & n.519. & n.520. & num.616. & n.619. & n.948. & 949. & nnm.1018. & n.1020. & n.1024. & bis n.1093. & citat. n.1099. & n.1146. & bis n.1147. & citat. n.1152. & n.1155. & 1156. & n.1157. & n.1230. & n.1231. & n.1232. & n.1234. & n.1246. & n.1248. & n.1261. & num. 1263. & n.1267. & n.1290. & bis n.1362. & n.1365. & n.1387. & bis n.1390. & citat.n.1399. & bis n.1400. & citat.n.1446. & quinque num.1502. & citat. n.1590. & n.1633. & n.1639. & bis n.1682. & num. 1690. & bis n.1691. & num.1692. & bis n.1693. & citat.num.1738. & n.1739. & n.1745. & n.1748. & n.1753. & n.1759. & n.1770. & n.1773. & n.1776. & num. 1779. & bis n.1802. & citat. num.1812. & num.1813.
Prado Dominicus, & Complutenſis Primarius, citat.num.106. & n.114. & n.135. & num.136. & n.171. & n.207. & n.274. & n.1068. & n.1069. & n.1683.
Propoſitiones damnatæ, referuntur num.69. & n.96. & num.97. & n.119. & n.241. & n.649. & n.712. & n.1042. & n.1043. & n.1044. & n.1045. & n.1251. & n.1403. & num.1505. & num.1610.
D.Proſper. Arch.Aquitanicus, citat.num.24. & n.266. & n.270. & n.280. & n.327. & bis n.367. & citat. num.368. & n.379. & n.385. & num.387. & n.405. & n.435. & n.496. & n.512. & n.630. & num.632. & n.633. & 635. & n.644. & n.662. & num. 664. & bis num.696. & citat. n.697. & bis n.700. & citat.n.705. & n.744. & n.764. & n.829. & n.830. & bis num.849. & citat. num.850. & n.853. & n.857. & n.858. & n.859. & n.917. & n.946. & n.948. & bis n.949. & bis n.981. & citat. n.1020. & bis n.1021. & citat. num.1254. & n.1295. & n.1360. & n.1366. & n.1428. & n.1454.
Prudentius, citat.num.701. & num.1782.

## Litt. Q.

Quirós, citatur num.111. & num.1558.

## Litt. R.

Ramirez Magiſter, & Primarius Complutenſis, citatur num.235. & n.236. & n.246. & num.247. & n.249. & n.255. & n.337. & n.344. & n.345. & n.370. & num.376. & n.489. & n.491. & bis n.497. & n.502. & n.505. & bis n.511. & citat.n.517. & num. 616. & n.945. & bis n.1023. & n.1025. & bis n.1093. & citat. n.1362. & n.1369. & n.1370. & n.1373. & n.1389. & n.1394. & n.1398. & n.1447. & n.1502. & num. 1503. & n.1504. & n.1590. & n.1631. & n.1637. & n.1689. & n.1738. & n.1748. & n.1753. & n.1758. & n.1762. & num. 1770. & n.1802. & n.1814. & n.1815.
Ribadeneyra, citatur num.50. & num.182. & num.226. & n.257. & n.295. & n.328. & n.330. & n.331. & n.399. & num.408. & n.410. & ter num.464. & citat. n.501. & num.864. & n.865. & n.867. & n.872. & n.879. & n.1093. & n.1103. & n.1310. & n.1314. & n.1315. & n.1316. & n.1332. & n.1406. & n.1640. & n.1670. & num. 1714. & n.1718. & n.1720. & n.1745.
Rios, citatur num.89. & num.94. & n.210. & n.235. & n.1680. & n.1686. & n.1813.
Ripalda, citatur num.21. & n.69. & n.71. & n.92. & n.111. & n.130. & n.178. & ter num.236. & citat. n.242. & n.474. & num. 543. & n.1072. & n.1117. & n.1118. & n.1119. & n.1130. & n.1594.
Roa Davila, citat. num.825.
Robertus Sarisburienſis, citat.num.1238.
Roſende, citat. num.100. & n.126. & n.151. & num.158.

Ruardus Tapperus, citat. num.65. & n.72. & n.811. & n.837. & n.1128.
Ruffenſis, citatur num.24. & num.72.
Ruiz, bis citatur num.100. & citat. n.130. & n.154. & n.417. & n.453. & n.1731.

## Litt. S.

Salmaticenſes, citant. num.211. & n.375. & n.473. & n.476. & num.528. & n.653. & num.672. & n.701. & n.705. & n.743. & n.870. & n.958. & n.1048. & ter n.1049. & citat. num.1050. & n.1053. & n.1059. & n.1063. & n.1072. & n.1118. & num. 1143. & n.1270. & n.1279. & n.1280. & n.1298. & n.1576. & n.1594.
Salvianus, citat. num.735.
Scotus, citat. num.52. & num.113. & num. 1433.
Sendin, citat. num.134. & bis num.135. & num.640. & num.1093.
Seneca, citatur num.1771.
Serra, citatur num.130.
Sfondratus Cardinalis, cit. quatuor num.620. & citat. num.624. & n.734. & num.735. & n.736. & n.745. & n.1362. & bis n.1364. & num.1447.
Sforcia Palaviſinus, citat. num.590.
Sirmondus, citatur num.1366.
Soncinas, citat. num.13. & num.171.
Soto Dominicus, citat. num.7. & num.18. & num.72. & num.373.
Spinula, citatur num.118.
Stapletonus, citatur num.533.
Suarez, citat. num.97. & n.104. & n.111. & num.118. & n.120. & n.130. & n.273. & num.400. & n.407. & n.409. & n.416. & num.453. & n.529. & n.587. & n.637. & n.749. & n.902. & n.948. & bis n.949. & n.1084. & n.1118. & n.1153. & n.1325. & n.1483. & n.1743. & n.1755.
Suares Luſitanus, citat. num.111. & n.115. & num.118.

## Litt. T.

Tapia Archiep. Hiſpalenſ. citat. num.1032.
Tertulianus, cit. num.23. & n.71. & n.1599.
S. Thereſia, citat. num.485. & num.1264.
Theofilatus, citatur num.147.
Thyrſo Societatis Ieſu Generalis, citat. num. 11. & n.78. & n.97. & n.100. & n.135. & n.182. & n.223. & n.252. & bis num.295. & citat. n.298. & bis n.353. & citat. n.357. & bis n.360. & citat. num.410. & n.413. & n.421. & n.427. & n.430. & bis n.464. & citat. num.466. & n.472. & n.528. & num. 529. & n.548. & n.549. & n.550. & num. 587. & n.639. & bis n.825. & citat. n.827. & n.834. & n.865. & n.872. & n.896. & num.912. & n.964. & n.988. & n.1047. & n.1103. & n.1190. & n.1192. & n.1193. & n.1194. & n.1220. & n.1221. & num. 1227. & n.1233. & n.1274. & n.1275. & n.1285. & n.1310. & n.2320. & n.1321. & n.1325. & n.1461. & n.1467. & num. 1469. & n.1475. & n.1587. & n.1609. & bis num.1610. & n.1616. & num.1617. & num.1718. & num.1791.
D. Thomas à Villanova, citatur num.20.
Thomas Valdenſis, citat. num.6. & num.65. & num.66.

## Litt. V.

Vazquez, citat. n.507. & n.902. & n.1702.
Vega, citat. n.14. & n.29. & n.72. & n.373.
Vetuveis, citatur num.1230.
Vigers, citatur num.1614.
Villegas, citatur num.958.
Vives Magiſter, citat. num.873. & n.883.
Yvaldenſis, citat. num.786. & bis num.787.

## Litt. Z.

Zumel, citat. num.98. & n.376. & n.652. & n.724. & n.1035. & n.1048. & n.1050. & num.1704. & n.1705. & n.1785.

FINIS.

CASTELL
DE
Arbitrio
Humano

4236
68